BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XX
F
17
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



REGIVS MAGISTER PRESES ET COMES D. FRANCISCVS RAMOS DEL MANCANO
RAMI PACIFERI
CATHOLICVM INTER
ET CHRISTIANISSIMVM REGES
AD PIRENEOS
VERITAS

D. FRANCISCI RAMOS DEL MANZANO, J.C.

PRIMARIJ PRIDEM IVRIS CIVILIS
IN SALMANTICENSI ACADEMIA
ANTECESSORIS.

MEDIOLANENSIS EXTRAORDINARIJ,
ET SVPREMI INDIARVM CONSILII
PRÆSIDIS.

IN S. CRVCIATÆ CONSILIO, ET IN SVMMO CASTELLANO SENATV,
CAMERÆ, ET IVSTITIÆ CONSILIARII.

CAROLI SECVNDI,

CATHOLICI REGIS, AC DOMINI SVI,
A PRIMO AETATIS FLORE,
DOCTRINÆ, ET MORVM MAGISTRI.

ET REGIA EIVSDEM CAROLI MVNIFICENTIA,
FRANCORVM COMITIS:
AD LEGES

IVLIAM, ET PAPIAM,

ET QVAE EX LIBRIS IVRISCONSVLTORVM FRAGMENTA
AD ILLAS INSCRIBVNTVR,

COMMENTARII, ET RELIQVATIONES,

QVEIS, VLTRA THEORICA EX ROMANO IVRE, NOVA, AVT
Paradoxa, Acceſſere electa non pauca, Sacra, Eccleſiaſtica, Theologica,
Canonica, & pro Tribunalium vſu forenſia, & practica, ac demum
Miſcellanea, Iuſto-Politica, Hiſtorica, Philologica, quorum notam pro-
xima Præfationi pagina exhibet. Acceſſere item Diſſertationes duæ ex-
temporales de Vſufructu, Municipibus legato; & de Protectoribus,
ante annos circiter quinquaginta Salmanticenſibus
typis excuſſæ.

Tom. I.

MATRITI.

Ex Typographia Imperiali. Apud Ioſephũ Fernandez de Buendia. Anno M.DC.LXXVIII.

CVM PRIVILEGIO.

D. CAROLO II.
HISPANIARVM REGI,
NOVI ORBIS MONARCHAE,

DVCENTE AD GENVA CAROLI,

SERENISSIMO PRINCIPE

D. IOANNE AVSTRIACO,

REGIS FILIO, REGIS FRATRE;

D. FRANCISCVS RAMOS DEL MANZANO,

DEVOTVS NOMINI, ET MAIESTATI CAROLI,
NATALITIA SVBIECTIONE, ET FIDE;

ADDICTVS CELSITVDINI IOANNIS
CLIENTELARI OBSEQVIO, ET CVLTV,

MAIESTATI CAROLI
REGIS, AC DOMINI SVI,

EXTREMVM HVNC LITTERATI GENII SVI LABOREM,

AD LEGES IVLIAM, ET PAPIAM,

COMMENTARIOS, AC RELIQVATIONES,

SOLENNI NVNCVPATIONE, ET VOTO,

D. D. C. Q.

AVCTOR PANAEGYRICI AD MAXIMIANVM, ET CONSTANTINVM.

LEges hę, quę multa cœlibes notauere, parentes pręmijs honorarunt, veré dicuntur, eſſe FVNDAMENTA REIPVBLICAE, quia Seminarium iuventutis,& quaſi fontem humani generis, Romanis Exercitibus miniſtrarunt.

SENECA, DE BREVITATE VITÆ, Cap. vltim.

LEx á quinquageſsimo anno militem non cogit. A SEXAGESSIMO SENATOREM non citat. Difficilius homines á ſe otium impetrant, quám á lege.

D. ANTONIVS RONQVILLVS BRIZEÑVS,

In Maiori Ouetenſi Collegio Salmanticæ Collega, & Primarius Ciuilis Iuris Anteceſſor, nunc in Regio Supremo Indiarum Senatu Conſiliarius.

RELIQVATIONES has proprium anteloquium præcedere, nobiſque id curæ eſſe, fuit amantiſsimi Parentis noſtri voluntatis, ac voti, cui & obſequimur. Pars eſt tam magni operis extrema, & mole minor, at dignitate, & argumento non ſecunda, & ſine qua priores tres Libri defecti, & Commentarij ad leges Iuliam, & Papiam non iuſti forent. Illuſtrata prioribus libris priora Legum capita (non potiora) atque ea, tot adſcititijs ex omnigena litteratura, vltra legalem, theoricam, & practicam, Sacro-Eccleſiaſticis, Theologicis, Canonicis, Politicis, Hiſtoricis, Philologicis, & quæ fere Encyclopædian exhibeat, analectis, parergis, & ſyntagmatibus aucta (vt tunc Parentis otium, & ætas ferebat) in non mediocre volumen excreuere. At reſtabant potiora dignitate, & difficultate, ſi ex Romano iure æſtimentur, & numero, etiam plura legum capita, quæ omittere indiſcuſſa, Commentarios ad eas leges pollicito, & aggreſſo, eſſet pollicitis, & argumento ſatis non facere: & è contra ad reſidua hæc capita, Commentarios aggredi, & ſcribere, digreſſionibus, & moli priorum reſpondentes, non inclinati anni, & curæ Parentis noſtri ſufferrent. His in vtramque partem momentis, eò decurſum, vt tribus illis Commentariorum, quartus iſte Reliquationum liber accederet, proprio ex eiſdem legibus Iulia, & Papia, & iuris elementis cultu conſtans, & nullo extrinſecùs ornamento, aut paratura. Et ſanè ea eſt argumenti, ſimulque theoricæ Iuriſprudentiæ dignitas, vt apud iuſtos rerum æſtimatores lenocinijs non egeat. Quippe inter Romanas leges, fuiſſe Romanis Iuris Conſultis nullas Iulia, & Papia celebriores, tot ad eas illorum libri inſcripti, quales, & quot ad nullas Romanorum alias extant, ſatis, ſuper-

perque monumento ſunt, & ex eis potiorem partem eſſe, quæ Reliquationibus his comprehenditur, liquet vel ex numero fragmentorum, quæ ultra centum, & quinquaginta, huc pertinentia, in Pandectis occurrunt, vel ex nobilitate, & obſcuritate materiarum; cuiuſmodi præcipuæ ſunt, de iure patronatus libertorum, eorumque operis, & ſucceſſione, cum alijs liberorum præmijs; item de pœnis cœlibatus, & orbitatis, ac decimaria lege, caducis, & in cauſa caduci, queis intermixtum ius accreſcendi, & ereptitia, & tot affinia in corpore iuris lōgè, ac latè diffuſa. Acceſſit his Reliquationibus, & eas ſcribenti cura, & labor, colligendi, & ad capita legum, & Iuriſconſultorum libros referendi, aut redigendi non pauca, ab eis veluti exerrantia, aut fugitiua fragmenta, queis indagandis, & aptandis, non Delius natator ſuffecerit, non iuriſperitus Apollo; ut Iuuenalis pridem ſcribebat. Papinianum ſuum indigetabat Parentem noſtrum Salmanticæ noſtræ genius. Et verò quid ni fuerit, aut fuiſſe Papinianei ingenij cenſeatur, in ipſam interiorem iuris artem, & illius adyta, & myſteria tam dextrè, & feliciter penetraſſe, toties arcana, & abdita iuris auctorum ſenſa, præter vulgarem ſenſum, nouis interpretationibus elucidaſſe; tot denique ſingulares, ſeu paradoxas, non paralogas, in iure aſſertiones, non innouandi inſtituto, ut Labeo ille apud Pomponiū, & poſtea in Gallia Magnus obſeruator Cuiacius, ſed meliora inueniendi ſtudio, ex pura, & penitiore iuris ratione deduxiſſe, & firmaſſe, & ſuo exēplo aſſeruiſſe illud Senecæ: Patere omnibus veritatem, & nondum ex toto occupatam.

Iuuenalis *Satyr.* 2.

D. Ioannes Suarius Mēdoza *ad l. g. Aquil. lib.* 1. *c.* 5. *ſect.* 2. *n.* 52. D. Eman. Gōzalez *ad Concil. Illiberit. Canon.* 61.

L. 2. *§. Poſt hos, Dig. de orig. iuris.*

Seneca *de breuit. vitæ, c.* 18. *& ult.*

Illud noſtræ adhuc curæ, & operæ fuiſſe, atteſtamur, & quidem ſine auctoris aſſenſu, ut accederent his Reliquationibus duæ Diſſertationes extemporales, quæ ſequuntur, Salmanticæ, in profeſſorij muneris primordijs, & primore illa ætate, habitæ, atq; editæ, ante annos circiter quinquaginta, & nunc eadem illa ſerie, & verbis recuſæ, & ſine ullo additamento, vel librorum, qui poſtea in lucem prodiere, vel nouarum cogitationum, quas tot annorum lectio, & obſeruatio auctori ſuggeſſit, & in illius Schedis extabant, ſed ut teſtamur, quales Salmanticæ olim prælo datæ, ut ſpecimen veluti ſint, potuiſſe vel ab illo ætatis flore ſperari, maturam hanc, atque uberem eruditionis ſegetem, quæ nunc metitur. Scribebam Matriti 5. Kalend. Iulij anno 1678.

DOM. D. EMANVELIS GONZALEZ TELLEZ, PINCIANI NVPER Præſidis, nunc Supremi Hiſpaniarum Senatus Conſiliarij, &c.

RELATIO AD SENATVM.

IVſſu veſtro, Amp. PP. ſedula cogitatione legi, relegi, & perluſtraui hæc Commētaria, ad leges Iuliam, & Papiam, non cenſoria cura, nam Opus hoc *Cenſoriæ intentionis Epyſcinium diſpergit*, vt aliàs aiebat Tertullianus. Ecce nunc veſtris ſiſtitur aris Princeps Iuriſprudentiæ Romano-Hiſpanę, ac D. FRANCISCVS RAMOS DEL MANÇANO, in hoc noſtro conſeſſu Senator Decanus, & extra illum pridem in Regio Mediolanenſi extraordinario, & poſtea in Supremo Indiarū Conſilio Illuſtriſsimus Pręſes, cuius partes toto Orbi ſpectatiſsimas, mearum partium eſſe nunc, voluiſtis, vt ad vos referam: *Non* (1) *electus vnus, qui maximo ingenio*, vt in re iſta par erat, *ſed relictus ex omnibus, qui minimo periculo poſſem dicere, etenim quamuis* (2) in quolibet negotio *exiſtimare de Principibus nemini fas ſit. Nam & in veſtibulo ipſo inquirentem repellit obiecta veneratio, & ſi qui propiùs adierunt, quod oculis in Solem ſe contendentibus euenit, perſtricta acie videndi facultate caruerunt: quocirca* (3) *nulla vox fortis, nulla oratio felix, nullum ingenium tam fœcundum vnquam fuerit, quod poſsit, ab illuſtri Conſenatore noſtro res geſtas dignè exprimere.* Attamen iuſsis veſtris obtemperans accingar operi dicturus, *prope* (4) *plura quàm potero, ſed pauca quàm debeo.* (5) *Nam & magnitudo ſtuporis locum multis plauſibus non relinquit.*

(1) Cicero in Orat. pro Sexto Roſcio.
(2) Nazar. Panœg. Conſtant.
(3) Capitol. in Max. & Balb. cap. 17.
(4) Panœgyr. Mar. Aug. dict. Symmach. 10. 22

Natus, datuſque pridem in ornamentum celebri noſtro Salmantino Athenæo vix Auctor fuit, cum profeſſor illuſtris aurea hæc commentaria, quæ nunc tandem aſpicimus, incepit meditari, eorumque ſpecimē è publico ſuggeſtu auditoribus iuris, ingenti plauſu, tradere deguſtandum, quibus quidem auſpicijs Primarius deinde Patrum Salmantinus profeſſor renunciatus eo in officio.

Nihil (5) *tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,*
Nec ſanctum magis, & mirum, ratumque

Academia viſa eſt. Nec multò poſt Mediolanenſis Curię ſpectatiſsimus Præſes effectus, quo etiam in munere talem ſe omnium voto geſsit (6) *qualem ante eum, qualem poſt eum vix vnus, aut alter (non ſinit enim me verecundia ſua dicere, qualem nemo)* quod & in cauſa fuit, vt non longo etiam poſtliminio Regiam Curiam reuerſus, in ampliſsimo Italicarum rerum adſeſſu, inter lectiſsimos illius

(5) Claudian. de Mallij Theodor. Conſul.
(6) Plinius 4. 3

(7) Caſsiodor. 3.15. Regentes cooptaretur, vbi (7) *& haud æquè imparem omnium demeruit gratiam, varijs actionibus æqualiter approbatus, & his* (8) *illi*

(8) Idem 1.3. *debitè tot ampliſsimis laudibus initiato, apicem* tandem ipſum Regale iudicium, *iuſta remuneratione, non differret*, id eſt, ampliſsimo huic

(9) Idem 11.12. tanto Senatui adnumerari; *iuſte* (9) *etiam potentiora conſequitur, qui de commiſſa ſibi adminiſtrationis perfectione laudatur, & quanti ſumma adipiſcatur, iudicetur tamen ab omnibus, plus mereri.* Ita enim certè euenit, cum non diutius multò poſt Auctor noſter, cui ob inſignium meritorum ſuorum, atque doctrinæ pompam & illud quoque convenire, videbatur,

(10) Iuvenalis. *Vnus* (10) *Pellæo Iuueni non ſufficit Orbis,*

ex ordine noſtro ampliſsimo ad Indiarum Senatus Præfecturam cum præeminentijs Præſidis proprietarij, non tam aſſumptus, quàm ſelectus fuit: quantum ibi humanitatis præſtiterit, quantum auctoritatis, ſilere me, haud grauemini, Amp. PP. (11) *Longum eſt enim,*

(11) Caſsiodorus 8.9. *de illius gloria ſufficienter loqui, quem ſingularem gentibus ſuum ſeculum genuit*; ſatis ſit, non omittere, illum etiam à Philippo Rege noſtro ad pacis, & matrimonij fœdera, cum Ludouico Galliæ Rege ſanciendà, ad extrema Regni confinia Exlegatum ſelectum, vtpote

(12) Gellius lib. 12. cap. 4.

Mores (12) *vetereſque, nouoſque tenentem,*
Multarum veterum legum, Diuumque, hominumque
Prudentem; qui dicta loquive, tacereve poſſet.

Tandem ex eo munere ad CAROLI II. & morum, & doctrinæ Magiſterium fuiſſe elatum; *&* (13) *non credo benignius, & publicè*

(13) Lipſius 3. de magn. Rom. dial. 11. *vtilius ingenium, non item modeſtius, & Principi aptius*, reperiri potuiſſe, & ſub idem tempus, etiam ad Cameræ interius Conſilium electum fuiſſe; *Sed cur ego diutius ſermonis pauper obgannio?* Maximè cum & in hoc etiam officio, me quoque iam anteiuerit Præceptoris ſui ab affectu, ab amore, amantiſsimus Doctor meus, Don Ioſephus Fernandez de Retes, noſter heu Cõſenator laudatiſsimus, quem nuper ab amplexibus

(14) Virgil.

----- (14) ----------- *Raptu*
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Illum auidi lectores vt adeant, oro, præclaras ſcriptoris noſtri dotes ex limatiſsimi iudicij cenſura præcogni turi; ſed poſt illius verè immaturam mortem, ſunt & alia etiam, quę ſuperiùs ab ipſo commemoratis cumulem; *Nonne* (15) *his enim tot, tantiſque meritis*

(15) Plin. in Panœg. *honoratus, nouos aliquos honores, nouos TITVLOS merebatur?* Merebatur planè, *perque omnia & decus, & nomen, & TITVLOS ibi fortuna ſua quærebatur*, quod de Pompeio ſuo Lucius Florus obſeruauit, & Magiſtro ſuo CAROLVS noſter potentiſsimus retulit, ipſum ſplendidiſsima COMITIS DE FRANCOS dignitate

(16) Caſsiod. 1.3. decorando, *Vt* (16) *quod alijs eſt præmium, illi eſſet retributio meritorum*, poſſetq; illud Claudiani, Regis ſui potentiſsimi MAGISTRI, propiùs inſervire:

(17) Claudianus in præfat.

Iam (17) *Dominas aures, iam Regia tecta meremur*

Et

Et Chelys Auguſto Iudice noſtra ſonat.

Maximè cum iam tandem illum ipſum, non alijs certè, quàm ſuis meritis per omnia ſuffragantibus, huic noſtro Senatui Præfectum nouerimus, honeſtiſsimo Regio decreto, quo expreſſum, digniſsimè ei commendari potuiſſe proprietatem Præſidentiæ Caſtellæ, niſi invaletudine ſua excuſaretur: *Macte* (18) *ſumme vir felicitate laudabili, qui ad hanc vocem dominantis animum impulit, vt honorem ſuum potiùs eſſe, fateatur, quod illi conceditur.* Quod tamen abſque leuiori certè partium ſuarum diſpendio conſtantiſsimè renunciauit, mirantibus quotquot magnitudinem honoris recta lance penſabant, nullo quippe elatus fauore in cothurnum ſe magnę poteſtatis erexit, ſed æquitate cũcta moderatus, maiora ſibi fecit optari, dum intra modeſtiæ terminos magna cohibuit. Hic enim eſt probatæ conſcientiæ gratiſsimus fructus, vt quamvis ſumma aſſequatur, iudicetur tamen ab omnibus, plus mereri; licet in laude tanti viri procliuior ſim, magnaque adſit ſeges. Quid enim illaudatum abeat in hoc præclaro Præceptore, in quo vno collectum effloret, quidquid admirandum in iuris, & eruditionis arte imputare ſeculis Hiſpania potuit, votum ſilentio conſigno. Viue igitur feliciter, diuque huius æui, & futurorum gloria, & patriæ decus, vt à te omnes doceamur. Materies operis (vt de re dicere, incipiam) adeo noua, vt nullus prior illuſtratione tentaſſet, ſed ipſe (18) Caſsiod. l. 3.

Libera (19) *per vacuum poſuit veſtigia Princeps;* (19) Horat. lib. 1. epiſt. 19.

Non aliena ſuo preſſit pede.

Eius difficultatem melioris notę Auctores agnouerunt, inter quos Deſiderius Eraldus non proletarius, ſed bonæ notæ Iuriſconſultus *in notis ad Apolog. Tertulliani*, ad illa verba: *Nonne vaniſsimas Papias leges*, ſubiungit, *quod ait Tertullianus, Papia lege coactos ante ſuſcipere liberos, quàm lege Iulia cogerentur, vel etiam permitteretur, vxorem ducere, id quomodò ſit accipendũ, fateor, me non ſatis intelligere. Nam quæ alij ſcripſerunt in hunc locum verba ſunt, & ſomnia mera; Nos conſultiùs exiſtimamus, ignorationem noſtram profiteri, quàm hac de re quidquam temerè pronunciare, quàm dexterè*, tamen verba illa quàm doctè, & exactè, exponat eximius Præceptor, videre eſt *lib. 4. Reliq. 24.* Obſtruſa hæc iuris portio, ſumma præcedente ſpeculatione, contẽplatione, & lectionis aſsiduitate, à ſolertiſsimo Hiſpaniæ Præceptore luculenter tractatur, multa librorum paratura, ſed ſemper obſervatione, & captu magni ingenij, quo pollet, illuſtratur, non ductus extrinſecis, vt dicunt, fundamentis, ſed ex ipſis fontibus iuris, tam Orientalis, quàm Latini Imperij, vel ex ipſa ratione, quàm acriter propria penu depromit: familiaris myſteriorum Iuriſprudentię, veteris, ipſiuſque interioris artis tractatio iuſtitiæ Sacerdotem exprimunt melioris genij; nihil vnquam temerè, aut incognitè effudit, nihil, quod non ad iuris, & aliorum Authorum oracula examinatum, veritatis obſignatione muniatur. Methodus, & partitio operis apta eſt, conſtans principijs, concluſionibus, & illationibus, alijſque partibus, quas recta analyſis poſtulat; phraſis

etiam

etiam ab Schola, nec Grammatici, aut Ariſtarchi proprietatem in dictione deſiderabunt, conceptũ exprimit appoſitè, & breuiter: venuſtiſsimam bonæ notæ Auctorum illuſtrationem quis non miretur? & in ea quid pluris faciendum, neſcio, ingeniũ, an eruditio? De iuris ſacri, diuinarumque litterarum notitia, præiudicatam habet opinionem, à perdoctis ſyntagmatibus de Epiſcopatibus Regni Luſitaniæ, & de prætenſis Galliæ iuribus ad Status Flandriæ, quibus elegantius, aut doctius nihil Europa legit. Scriptum hoc decus erit nationis, Athenarum noſtrarum æterna gloria, nam electa, & ſelecta eruditio ab operis veſtibulo agnoſcitur.

(20) Ouidius in Epiſ. Ph.

Eſt (20) *aliquid, plenis pomaria carpere RAMIS,*
Et tenui primam deligere vngue roſam.

Ingenij acumen, doctrinæ claritas, iudicij rectitudo, quibus prolimi-nantibus eruit è ſitu, & tenebris Latij leges omnes mirantur:

(21) Prudent. lib. priori cõtra Symmach.

Nec (21) *ſinit antiquo Romam ſquallere veterno.*

(22) Plinio lib. 4. ep. 20.

Mirè ad rem Plinius: (22) *Eſt opus pulcrhum, validum, acre, ſublime, varium, elegans, purum, figuratum materia, clauſu, declamatione conſpicuum, propoſitione, obſtructu, diſputatione reſeratum, vernantis eloquij flore munitum, ſpecioſum etiam, & cum magna Auctoris laude effuſum.* Invenient hic lectores Conſultorum reſponſa, Imperatorum edicta, ſacræ paginæ auctoritates, Conciliorum Canones, Patrum ſententias, iuris patrij leges, vero, genuinoque ſenſu donatas: obſtruſiſsima principia, & quæ crux fuerant interpretibus, placidè, & facilè expoſita: exactiſsimam cum Auctoribus de veritate concertationem; probum, rectumque electionis iudicium, quod homini tantæ auctoritatis mos, & fas ſolet eſſe; ea eſt ratio, quia ſedulitas omnia perquirendi, videndi, trutinandi, faciebat ipſum deſcendere à ſummo ad imum. Hæc inter nec ſilendum, in opere, præcipuè Academico, tranſijſſe auctorem, quoties ſe occaſio dedit, à Schola ad forum non ſemel, & quidem dextro pede, & iudicio, vt cernere eſt in ſyntagmate de fontibus Eccleſiaſticæ, & politicæ auctoritatis, eique conſectaneis diſputationibus, *de recurſibus violentiæ, ex libr.* 3. *cap.* 41. *& ſequentibus*, vſque *ad libri finem*, in queis, & alijs perplura ſunt Senatorijs ſubſellijs digniſsima, & eruditis advocatis vſui futura ad fori paraturam. In hoc opere collecta inveniuntur quidquid in Poetis lepidum, in Heroicis arduum, in Comicis authenticũ, in Lyricis cantilenoſum, in Satyricis figuratum, apud Oratores graue, in Annalibus fidele, inter Grammaticos eruditum, in Philoſophis myſticum, in Panœgyriſtis plauſibile, in Commentatoribus lucidum. Sed quotus ego, aut quantus, qui iudicium de tanto ſcripto, & tam illuſtri Scriptore promere audeo? nihil frigidius, quàm lex cum prologo: adeat eruditus lector, & perlegat, leget gemmas, & vniones colliget; opto tamen, vt legenti in animo ſedeat, opus hoc percurrere, rimari, vt ſic fideliùs hæreat memoriæ, qui eſt fructus ſedulæ, & curioſæ lectionis.

Supereſt, vt de procurata editione agamus. Dictabat publicè cõmentaria hæc Illuſtriſsimus vir Salmanticæ, quæ vel Ciuitas littera-

rum,

rum; vel domicilium; ſedeſque ſapientię eſt, inibi centum ad minus profeſſores iuridicendo operam collocantes vidi, quotidie nouis opinamentis, obſervationibus, prælectionibus vtrumque ius ſacrum, & politicum illuſtrantes, locupletantes: ea omnia vel voce ſola, vel privatis præſtant chartaceis, quę vt valde proficua ſunt illi Scholæ, & in ea ſeſe exercentibus, ita vix Tormim egrediuntur, niſi ſtudioſi ipſi Codices M.SS. & hos mutilos, & ſine cura ſervatos aliò euehant, vel aliarum Academiarum Profeſſores ad ſe traduci, curent, vt ſectatoribus ſuis dictent, honoris, & compendij gratia. Ego magna nomina anteceſſorum à Pręceptoribus meis audiui, quę ægrè, & vix hodie memoriæ retinentur, Alphonſum Guillén de la Carrera, heri, aut nudiustertius, Gabrielem Hriēquez, ſupparem fere, aut ſynchronum, Ioannem Daualos, Emanuelem Alphonſum, Ioannem Legionenſem, Rochum Bergenſem, Ioannem de Pareja, D. Didacum del Corral, Sepulvedam, tres Chumazeros, D. Martinum à Bonilla, D. Martinum de Hontiberos, & aliam electiſſimam turbam, cuius generis alibi rara copia, illic electa frequentia eſt, quos omnes nuper obliuioni tradendos, vel iam traditos, doleat quiſquis litteras amat, quiſquis litteratos iuſto amore proſequitur, & ſic perierunt tot ſchediaſmata, quibus vtraque Iuriſprudentia mirè illuſtrari poterat: magnus noſter Præceptor ſemper in animo habuit, non ſolùm ore è Cathedra auditoribus ſuis, verùm etiam calamo pluribus, poſteriſque prodeſſe, etſi publicis, magniſque negotijs intentus, tamen ad limanda hæc Commentaria ſemper vacauit, vt de ſe aiebat (23)
Seneca: *Mentiuntur* (23) *qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negotiorum, videri, volunt; ſimulant occupationes, & augent, & ipſi ſe occupant: vaco, mi Lucili, vaco, & vbicumque ſum, meus ſum.* Adhuc tamen editio remorabatur varijs ex cauſis, iam tandem eam debemus ampliſsimis, ac litteratiſsimis Senatoribus, D.D. HIERONYMO RAMOS DEL MANÇANO, ac D. D. ANTONIO RONQVILLO, Auctoris natis, in quibus omnium plauſu paternæ eruditionis ſpirat vultus, vtpote, qui editionem hanc conſilijs ſuis, ſuiſque ſuaſionibus maturaverint. Hæc ſunt, quæ ad vos referam, Amp. PP. de Auctore, atque Opere, quod veſtram gratiam, vt lucem videat, expectat.

Senec. ep. 62

Ore fauete omnes, & cingite tempora RAMIS.

Claudo votum (Illuſtriſsime Domine) vtinam eſſet facultatis meæ, laudes aliquot tanti viri, veteremque meam erga te obſervantiam teſtari, ſed nec laudibus indiges, nec ſtridulæ voces noſtrę ſolatio tibi futurę ſunt. Dabam Matriti Kalendis Iunij anno reparationis noſtræ M.DC.LXXVIII.

DE COMMENTARIIS HIS AD LEGES IVLIAM, ET PAPIAM,

D. HIERONYMVS RAMOS DEL MANÇANO, Iacobæi Ordinis Eques,& Columbarij Municipij Cōmendatarius, ac in Caſtellæ,ſimulque equeſtrium Militarium Ordinum Senator, Auctoris nomine,Patris optimi,& indulgentiſsimi, & ex Auctoris mente præfatur.

QVOD nunc in lucem prodit Opus,ſi ante annos aliquot,& proſperiore Auctoris valetudine, & rebus,editum foret(quod ei tunc per magnas, multaſque Regij miniſterij occupationes non licuit)prodijſſet vtique abſolutum limatiore cura,& cultu.At in præſens mutatis omnibus, & ætate, ac valetudine ad extremam lineam fere verſa,ac pręcipiti,& quod non minus,auctori,bibliotheca ſua,& libris exulanti,quis credat,fuiſſe animum,voluntatemve, edendi,ac ne quidem vt edi permitteret,niſi id obnixę preces noſtræ, & amantiſsimi fratris D.Antonij Ronquillo Brizeño, in Supremo rerum Indicarum Senatu Conſiliarij,atque amicorum grauium ſuaſiones perviciſſent.Sed pervicere,& ſanè meritò,viſum quippe, non tantū ex priuata noſtra,ſed ex publica litterarū, & præcipuè Iuriſprudētię re fore,ne tot per annos elaborata,& quæ pridem inter eruditos, nō leue ſui expectationē mouerant,cū blattis,tineiſq; perirēt.Quadraginta ab hinc anni ſunt,& ampliùs,cū noſter Suarius Mendoza *libro ad legem Aquiliam* 1.*c*.2.*ſect*.5.*n*.52.*Vota eſſe concepta pro hoc partu*, ſcribebat Salmanticæ, *ad annum milleſsimum ſexcenteſsimum quadrageſsimum*,& eiſdem fere annis,atque ex eadem Parentis diſciplina alij,quorum nomenclaturam ſequentes paginę exhibebunt. Et verò ante eum annum,& ab illo 1632.quo idem Suarius Mendoza Academicum diarium Certamen,capita Iuliæ,& Papiæ legum, & earum appendices complectens,atque his Commentarijs adiuncta, Salmanticę propugnauit, Parente noſtro è Cathedra pręſide, inchoati, continuatique hi Commentarij, & perducti ad potiorem partem librorum,in quos nunc diuiſi:& ſpes erat, non modò illos abſolvendi,ſed & pergendi ad illuſtranda breuibus notatis,& Scholijs reliqua legum capita,ſi diutius Salmanticæ manſiſſe,permiſſum foret.

At non permiſſum:& euocauit ex Primaria Anteceſſura, & promouit optimum Parentem non candidatum, non prenſantem, non ambientem,ad munus Præſidis Mediolanenſium extraordinariorum redditūum,& Regij ibi Secretioris Conſilij dignitatem optimus,Maximuſque Rex noſter Philippus,& breui illinc adRegen-

tis

tis Togam Supremi Italici Conſilij,& breui etiam ad ſummas Senatorias inſulas ſummi Caſtellæ Senatus,quibus acceſſere Cruciatæ,Millionum,Competentiarum,& aliorum Conſeſſum, & Aularum miniſteria,inter quę & extra ordinem arcano Regio iuſſu per primum illius adminiſtrum,Excellentiſsimum Ludouicum de Haro,commendata Parenti noſtro ſcriptio illius Eccleſiaſtico,& Politico-hiſtorici ſyntagmatis,*de Epiſcopatibus Portugalliæ*, quod Hiſpana lingua Matriti editum,& translatum poſtea,accurante Excellentiſsimo Neapolitano Prorege, Peñarandæ Comite, in Italicum idioma,& præla,& tamen iam neutro idiomate, & prælis, dum inter eruditos quæritur,vix invenitur. Acceſsit & ſubinde eadem Regia dignatione, & iuſſu,nominatio Exlegati Iuriſconſulti pro pace inter Catholicam,& Chriſtianiſsimam Coronas, & connubialibus,quę parabantur, pactis firmandis ad Pyrenæa iuga, & congreſſum,cui Parens noſter adfuit,ſecunda nulli inter Hiſpaniæ, & Galliç litteratos exiſtimatione.Iam porrò & fere cõtinenter poſt illum congreſſum, præcedentibus Conſilij Status conſultationibus,& honoratiſsimo Regio decreto iniunctum Patri noſtro, impoſitumque vel recuſanti onus,an cura,ſcribendi,Latina, ac Hiſpana lingua,Hiſtoriam Philippi,ſimulque vt intra hiſtoriæ fines,propugnatoria tamen vi,reſponderet ſeditioſis libellis, impugnantibus iura Regnorum,& ditionum,ex queis Monarchia Hiſpana conſtat, atque in id opus, vt patefierent ſcribenti quotquot in Archiuijs, & ſecretioribus ſcrinijs Conſiliorum Status,ac Belli, atque aliorum Senatuum arcana monumenta extarent.

Tot inter,& tam varia Senatorię iuriſdicinę, & hiſtoriæ, ac politicarum pro Regijs iuribus diſceptationũ molimina, dormiebat ſcilicet lex Iulia,& Papia,vt de alia Iulia Iuvenalis, & commentationis eiuſce calamus,velut alter veteris Poetæ Aiax, in ſpongiam incubuerat:ſed adiectum,quò altiorem ſomnum ſterteret,delatum inſperanti, ac ſine vlla aulica ſuffragatione (ſoloque Regio motu)nam *vnus ei omnia Philippus*,vt de Gratiano ſuo olim Auſonius, munus,atque honor gubernandę Præſidẽtię, cum proprietarij prærogatiuis,Supremi Indiarũ Conſilij,totque in nouo illo Orbe Iuſtitię,Gratiæ,Belli,Politiæ,& Regij Patrimonij, ac Indicę nauigationis,& Claſsiũ curas adminiſtrandi,queis per biennium inſtitit celebriore felicitate,& fama,quàm & domeſticis elogijs egeat, donec regreſſo Hiſpaniam Neapolitano Prorege, Peñarandæ Comite, dimiſsis noui Orbis curis,licuit, priores ſuas Senatorias, ac Hiſtorico politicas retractare,ac reuiſere.

Licuit iam eo tempore,veteris curæ Commentariorum Iuliæ, Papiæque legum meminiſſe, & illorum ſchedia repetere,ac ſucceſsiuas aliquas horas ſeponere,quibus & abſolvendi inchoata, & multa ex Tribunalium,ac fori paratura ſuperaddendi (quę Salmantina theoria non daret)ac denique ad reliqua legum capita, progrediendi non deerat cum votis ſpes. Quamquàm ne vel intra eos feriæ ſeneſcenti illi ſuppeterent, quæ nec puero quidem contigerant, vt

dę

de ſe quondam ille Romanus,deſignatus fuit, & promotus à Catholica noſtra,& Auguſta Mariana Regina, ad Magiſterij doctrinæ,& morum Auguſtiſsimi Caroli Secundi, quem honorem, niſi,qua debuit,ſui diffidentia recuſaſſet,& obediens (adeo non ambiens)humeros oneri non tam offerre,quàm ſupponere, neceſſe ei fuiſſet,habuiſſet poſtea,quò magis pœniteret, multa in Aula, & Aulę artibus expertus,grauia homini extra Aulam, & ſinceribus artibus innutrito. At quando hæc non huius loci, illud ſaltem fuerit,accepiſſe,ſub ipſis Magiſterij auſpicijs, è Regia manu eiuſdē Reginæ,Regia voce,& mox Regio ſcripto decreto, explicitam, libellum de iuribus Galliarum Reginę ad Brabantiam, & alias Belgij ditiones,ſimulque iuſsionem, tunc vt eidem quantociùs reſpōderet. Nec mora in obſequendo fuit: excuſo paucos intra menſes Matritenſibus typis,& Hiſpana lingua,iuſto volumine,quo reſpōſum libello Galliæ,& quod deinde,Hiſpana item lingua, in Belgio recuſum,& illic etiam ex Hiſpana in Gallicam linguam translatū, & in Italicam Mediolanenſibus,ac demum anno 1674. Latina verſione donatum,& evulgatum,proſtat tot linguis, typiſque,& teritur eruditorum manibus,eoque adeo victę, ac convictæ Gallici libelli impoſturæ,vt verè Anonymus ſcripſerit, Francos Rami reſponſo nō niſi triginta millium exercitum opponere potuiſſe. Nec tamen adhuc feriæ Parenti noſtro;nam cum id tempus vſque Regiminis tutorij ſtatū ſaltē tolerabilē agnoſceret, & laudando excitare,ſimulq;inſtruere vellet,ne in deteri' prolaberetur,ac viciſsim muneris ſui eſſe cenſeret,Regem ſuum,ac dominum,cuius educatio ei concredita,Magnorum Regum in minorenni ætate, exemplis inſtruere,& quæ imitanda,vel vitanda forent,legendo, ac relegendo, vt & fecit,addiſceret,ſcripſit eo argumento,titulo, ac fine fragmēta Hiſtorica,Hiſpano,neque nouitiolo,idiomate,nō tam Aulę Auribus,quàm veritatis,& iudicioſæ libertatis in Hiſtoria amantibus accommodatè,nec ſine aliquo politicæ cenſuræ aſſenſu.

Pręmonuiſſe hæc,oportuit,vt & Auctori dilatæ tamdiu Iuliæ, Papiæque legum Commentationis, & nobis properatæ nunc editionis ratio conſtaret.Quibus inſuper & pro noſtra editionis inſtātia,& erga optimum Parentem affectu,adijcimus,cum tot publicè legerentur illius ſcripta iuridica,politica,hiſtorica, qualia recenſuimus,viſum nobis,ex illius fama, & claritudine omnino eſſe,ne diutius deſideraretur Primarium opus deſideratum, ex quo Salmanticam Scholam Primarius Anteceſſor fulſit, &,vt Satyricus cecinit, tamdiu multis *quæſitus Hylas*, & quod eſſet Iuriſprudentiæ ciuilis theoricæ, quam in Academia profeſſus, & eiuſdem practicæ pro Tribunalium vſu, queis poſtea aſſedit, præſeditque, nobile monumentum.

Iam ergo de eodem opere,& Commentarijs pauca, & præcipua,& in primis fuiſſe eam partem Romani iuris,quæ ex Iulia, & Papia legibus conſtat,vel inter veteres Iuriſconſultos inſignem, vt apparet ex tot eorum libris,ad eas leges ſcriptis,& inſcriptis, fuiſſe

&

& eaſdem leges prę alijs Romanis nobiles, & habitas pro fundamentis Reipublicæ, vt Panœgyriſta ille ſcribebat, ac denique fuiſſe hactenus ætate noſtra, inter purioris, & antiquę iuris ſcientię cultores, viſam illarum legum commentationem, dignam Magno Iuriſconſulto, vt de Cuiacio Lipſius profeſſus, & quod experti agnoſcent, ſanè difficilem. Nam præterquamquòd legum capita ex tot Romani iuris, & humanarum litterarum libris, velut fragmenta, aut tabulas è naufragio colligere, non fuit leuis operę (quod tamen iam Antonio Augustino, Lipſio, Torrentio, & nouiſsimè Gothofredo potiore ex parte factum) at qui in Pandectis extant, ad eas leges inſcripti, Iuriſconſultorum loci (cum non pauci ſint, qui ab illorum tractatu alieni, ac fere fugitiui videantur) & qui alij ſine inſcriptione ad eaſdem pertinent, obſervare, explanare, & ad quod legum caput, ſeu partem referendi, ſtatuere, coniectationis eſt, & cenſurę, non cuiuis temerè committendæ.

Hæc difficultas, & dignitas operis, nunc, vt de commentarijs, agnoſcimus ingenuè, ſi auctori noſtro infra ſuam Iuliæ, Papięque legum Spartam manere, placuiſſet, & neceſſaria explanatione ſine excurſibus contentum eſſe, nec tot adſcita mag s, quàm cohęrentia ex humanioribus litteris, & Eccleſiaſticis, forenſibusque analecta admiſcere, non modò potuiſſe in arctum cogi, qui tres libri eduntur, ſed & ad reliqua legum capita ſaltem illuſtranda, tempus non fuiſſe defuturum; At res, vt agnoſcimus, fuit, & Salmanticę commentatione cœpta, mille ſcholę, otij, & iuuentutis illicijs, & euagari in alijs diſciplinis vacabat, & abſoluendi tam vaſti operis ſpes ſuppetebant, exegit deinde ab auctore, ne inæquale quodammodò trium librorum ſubtegmen videretur, ſimilia analecta interſerere, & inter alia, accuratum illud ſyntagma, de Eccleſiaſticę, ac politicæ poteſtatis fontibus, & conſectaneis, quod rectæ, & eruditę fori, & Tribunalium cenſuræ probatum iri, non deſperamus.

Tandem & ſubmonemus, regreſſo ad Lares, libroſque ſuos Parente noſtro, iniunctum ei honeſtiſsimo Regio Decreto, temporarium (non enim perpetuum ſubiret) gubernandi Supremi Caſtellæ Conſilij munus, ac dein Regia munificentia (qualem exercere olim Reges noſtri erga ſuos Conſiliarios, ſoliti, vt *in l. 7.* vbi Gregorius *gloſſa* 9. *tit.* 20. *part.* 3.) acceſsiſſe Comitis Francorum titulum, decuſque, atque eis demum ſuperveniſſe invaletudinem auctoris, quæ illi, & prælis, iam ſudantibus pauſam fecit.

Nec plura nos de his commentarijs, ſeponentes quæ de Reliquationibus prę mitti poſſent, & reſervantes præfationi, quę ſeorſim illas præcedet. Matriti Nonis Iunij 1678.

PARERGA,

ET EORVM NOTAE, IN CLASSES REDACTÆ.

QVÆ VEL SACRO-ECCLESIASTICA, Theologica, Canonica; vel ex iure ciuili theorica, noua, aut paradoxa; vel ex hodiernis moribus, & Regijs legibus, pro Tribunalium, & advocatorum vſu, forenſia, & practica; vel tandem Miſcellanea, Politica, Hiſtorica, Philologica, his quatuor libris interſeruntur.

SACRO-ECCLESIASTICA, THEOLOGICA, Canonica.

D*E hęreticis, nuptias damnantibus.* lib. 1. c. 4. n 5. *De vnctione funebri, ex ſacris Scriptoribus.* 1. c. 15. n. 5. & c. 4. n. 1. *Exactio pretij pro ſepulchro, improbata priſcis Canonibus; hodie recepta, & quo reſpectu, ſicut & vt laicus laico vendat ſepulturam, & an tunc gabella noſtra debeatur. Equeſtres militares Habitus vendere, non licere. De hodierno monopolio lugubrium.* 1. c. 16. num. 2. 3. & 7. *De funebri indumento Martyrum, Dalmatico, & Colobio, & de palla Altaris, qua vetitum, mortuum obtegere; illuſtrati veteres Canones.* 1. c. 18. n. 6. & 7. & 19. n. 5. *Authoritas politica in funebribus, quæ, & quouſque, & de articulo pacis Batauicæ pro Cippo, & epitaphio ſectariorum intra Hiſpaniam.* 1. c. 21. ex n. 1. & 4. *Prohibitio, & pœna Tridentina de clamdeſtinis nuptijs, non pertinet ad ſponſalia de futuro, & expediret forſitan, certam aliquam formam, ſeu ſolennia ſponſalibus ab Eccleſia præſcribi.* l. 2. c. 13. n. 11. *Ad cap. Etſi neceſſe* 5. *de donat. inter. commentatio iuſto-hiſtorica.* 2. c. 20. ex n. 5. *De Clericis Conſiliarijs Regum.* 2. c. 26. n. 14. *Stoica Paralogia de peccatis paribus, ſimulque Nouatiani damnati.* 2. c. 34. n. 6. & c. 35. n. 14. *De ſcenicis, & meretricibus, quæ peniterent, admiſsis priſcæ Eccleſiæ benignitate ad baptiſmum, & nuptias. Sacerdotia, & Templa Idolorum quamdiu, & quatenus ſteterint poſt Conſtantinum.* 2. c. 38. *Clementis I. epiſtola de Flaminibus, aſſerta contra Nouatores.* 2. c. 40. n. 4. & ſeqq. *De hodierna Hiſpana Comœdia, & an licita, aut tolerabilis; & tolerantia, aut prohibitio an ſit propria authoritatis politicæ, vel etiam Eccleſiaſticę, & vtraque contendente, cui potiùs ſtandum.* 2. c. 44. ad 4. *De connubio*

in-

ingenuorum cum libertinis, ex priſcis canonibus, qui illuſtrantur. 3. c. 3. *De eunuchis Trullanus Canon, & Sixti V. Motus proprius.* 3. c. 4. n. 9. & 10. *Locare domũ ad vſum toleratũ, vtcũque inhoneſtũ, an liceat, theologicè diſquiſitum.* 3. c. 13. ex n. 5. *Adulterium peræquè turpe in viro, ac fœmina, ex Eccleſiæ cenſura, tametſi aliud Romanis legibus.* 3. c. 14. n. 6. & 7. *Diſſertatio Theologico-moralis, cur pro extrema neceſsitate vitanda, ſicut furtum excuſabile, non ſit itidem ſimplex turpitudo.* 3. c. 20. & 21. *In quo de improbatione ſimplicis mœchiæ ex diuino iure, & naturali, atque huius ratione.* & c. 22. num. 3. & ſeqq. *Pro regula de eligẽdo inter duo mala minori, quomodò intelligenda. Et ex ea* c. 23. *&* 24. *intellecti notabiles ſacræ paginæ loci, & de polygamia Patriarcharum.* dict. cap. 23. ex num. 2. *De viduali ſtatu in vetere Eccleſia.* 3. cap. 28. num. 1. *Serici vſus in Clericis.* 3. cap. 29. num. 5. *De coma Clericali, ſiue granis, ad Canonem Braccharenſem, & Toletanum.* 3. cap. 31. *Collatio cap. 25. de ſent. excommunic. cum l. 15. §. 15. de iniur.* 3. cap. 34. *De Comicis, & ſcenicis, ſiue de comatis, & cinerarijs, pro Can. Illiberitano 67. & alijs.* lib. 3. cap. 38. & 39. *vbi de Can.* 18. *Apoſt. & Neocæſarienſi, &* 40. *de cap. Inter* 20. *de ſponſ. Sequitur iam inde* à lib. 3. cap. 41. vſque ad 57. *Syntagma iuſto-Theologicum de Eccleſiaſticæ, & politicæ poteſtatis fontibus, & vtriuſque confinijs, & diſtinctione, de qua propriè, & elementaliter.* dict. lib. 3. cap. 43. *Vnde & ad matrimonia, & conſectanea pleraque, & de præcepto ad nuptias, ex legibus Iulia, & Papia* (*de quo* & Reliquat. 24. lib. 4.) *Et ad conſectanea plura, & ad recurſus per viam violentiæ; Claſsis huius propria diſquiſitio, an licuerit, vel nunc liceat Chriſtianis Principibus, de matrimonijs ſtatuere.* dict. cap. 41. num. 6. & ſeqq. *De defectu poteſtatis politicæ, ex iure diuino, quoad Sacra, & Clericos, non item ex iure Diuino, ſed ex poſitiuo Eccleſiaſtico, cui acceſsit Principum conſenſus.* 3. cap. 43. num. 3. *Proinde nec eſſe poteſtatis politicæ, cenſere, aut precipere de ſacris, aut cultu, imò nec licitum, vti ſupplicatione, aut Regio exequatur, in decretis definitorijs Apoſtolicis, de Religione, ſecus ſi non definitoria è Cathedra, ſed directoria, pro meliore aliqua diſciplina. Defenſus Iuſtinianus contra Marcam, in ritu reſponſionis populi poſt conſecrationem, AMEN. Defenſus etiam Carolus V. in libello* Interim. *Hæc, & alia* cap. 43. & 44. *vbi & de auctoritate politica, auxiliatrice Sacrorum Canonum, & ex profeſſo de obſeruantia Hiſpana, ne Monaſteria fundentur ſine Regia licentia: Eccleſiaſticos, tamquàm ſubditos, obligari legibus Principum politicis, de re temporali, & publico bono latis. Et de Valentiniani* 1. & 2. *legibus, in Clericos hæredipetas; & Mauritij, de arcendis militibus à Monachatu; ac Francogallicis, de non admittendis ad Monachatum, vel Clerum ſine Regis licentia. Similes quas vocant, amortizationis, ſiue de non alienando in Eccleſiam, & quando, ac quatenus damnabiles.* 3. cap. 45. *Ob-*

Obſequium ab Eccleſiaſticis; tamquàm ſubditis in temporalibus, debitum Regibus. 3. cap. 46. De auctoritate Regum ad arcendos è Regno Clericos turbatores, ex profeſſo. cap. 47. & cap. 48. An poſsint eis præcipere, ne è certa Regni Vrbe excedant: de quo in vtramque partem diſcuſſo non deciſum, ac potiùs peroratum, de attemperando vſu politicę auctoritatis in Eccleſiaſticos. Quando, & quouſque obnoxia politico imperio libertas matrimoniorum, pro Can. Tridentini Seſſ. 22. cap. 9. diſtinctè traditum 3. cap. 48. 49. & 50. vbi de libertate iuſta, aut iniuſta; de coactione reuerentiali, aut præciſa; de impeditiua abuſuum in matrimonialibus, ſalua eorum ſubſtantia, de nuptijs filiorum familias, aut viduarum, intra annum luctus. Conſuetudine non induci impedimenta, diremptoria matrimoniorum, niſi ea legitimè præſcripta, & probata ab Eccleſia, ad cap. 1. de ſponſal. theologicè, & canonicè. 3. cap. 51. De recurſibus per viam violentiæ, & decretis laicorum. 3. cap. 52. Et cur in pari iure, ſe tuendi, inter Eccleſiaſticum, & Politicum Principatum, præualeat politicus, per decreta laicorum. 3. cap. 52. & de recurſibus à non deferendo appellationi, & decretis, quoad illos, ſubnixis iure defenſionis, debitæ ſubditis, etiam Clericis, tamquàm membris politici corporis, neque à Chriſto Domino mutatæ, aut minutæ, imò propriæ, & primæuæ Principatus politici, ex fine ſuo tuendæ publicæ rei, & quietis, ac proinde non æquè propriæ Eccleſiaſtici Principatus, cuius altior, & alius finis. Vt 3. cap. 53. & de recurſibus in cauſis, de immunitate Templorum, in queis diſtinctæ theſes, & decreta, & ſtabilita aſſertio, vt ſit ei decreto locus in notorietate iuris, excludentis ab immunitate. lib. 3. cap. 54. & de recurſibus in cauſis vectigalium, ſeu millionum. cap. 55. in quo reddita ratio, & iuſta intelligentia illi decreto, vim fieri in cognoſcendo, & procedendo, quomodò cognoſcit, & procedit. Denique vbi recurſus eſt de Regio patronatu. cap. 56. & 57. vbi de intellectu c. Quãto de iudic. & non pertinuiſſe eum textum, aut pertinere ad Regios patronatus.

THEORICA, NOVA, AVT PARADOXA.

LEges Iulia, & Papia, fauorabiles, quatenus nuptijs, & ſoboli ſtuduere; & odioſæ, quatenꝰ ærario. lib. 1. cap. 6. n. 3. Nuptias Senatorias cum libertinis fuiſſe iniuſtas, ex legibus Iulijs, at non irritas, niſi ex Marci oratione, lib. 2. cap. 8. & 9. De donationibus, legatis, inſtitutionibus, dotibus in illicitis nuptijs, obſeruata multa. 2. cap. 14. vſque ad 20. Pro vulgato illo, de infirmandis, aut non, ex ſubſequuto caſu, his, quæ ab initio conſtiterunt, auctarium, & cenſura. 2. cap. 33. num. 9. Elanguiſſe poſt Conſtantinum, iuris Romani profeſſionem, & peritiam. 2. cap. 33. num. 10. Connubium fuiſſe ingenuo cum libertina, non autem ingenuę cum libertino. Ignota hactenus diſ-

fe-

ferentia. 3. cap. 2. *Permiſſum fuiſſe legibus Iulia, & Papia, concubinatum cœlibibus cum fœminis, quorum nuptiæ prohibitæ, & è contra improbatum*. lib. 4. Reliq. 2. *Liberationē liberti propter liberos ab operis, pertinuiſſe tantùm ad fabriles, & iuramentum liberti de operis, fuiſſe inter verborum obligationes*. 4. Reliquat. 9. *Inter patronalem legitimam ex lege Papia, & eam, quę ex iure Prætorio, invulgatę differentiæ*. 4. Reliquat. 17. *Ius accreſcendi ſtetiſſe etiam poſt legem Papiam*. Reliquat. 18. ex num. 6. *& quando, aut quatenus*. Reliquat. 37. *Cur lege Iulia Miſcella permiſſæ viduis nuptiæ intra annum luctus, nec ſine iuramento poſt illum, & cur fauorabilior libertas, quàm nuptiæ*. Reliquat. 27. *Quando, & quibus reſpectibus diuortium libertæ à patrono, pro rato, aut pro irrito*. Reliquat. 38. *Si Conſulti de donationibus cauſa mortis, quoad cœlibes, quę neceſſitas, & qui ſenſus*. Reliquat. 36. *Vbi & de illo, quoad captatores, & illius occaſione. Cœlibes non fuiſſe prohibitos, capere, niſi ex teſtamento extranei*: Reliquat. 33. *num*. 17. *Caducorum propriè non niſi quatuor ſpecies, & duæ quaſi caducorum, & exploſæ aliæ commentitię: atque hæreditates non fuiſſe conſtitutas in cauſâ caduci*. Reliquat. 35. *Indignorum, ex iuris cenſura, & voluntate defuncti, diſcretio ab illis, qui indigni ſola iuris cenſura*. Reliquat. 39. *His nouis, aut paradoxis aſſertionibus non ſuperadduntur nouæ interpretationes locorum iuris, ne nimiùm Summa hæc excreſcat, cum vix ſit caput, aut Reliquatio, in queis non aliquæ occurrant, vt legenti liquebit*.

FORENSIA, AVT PRACTICA.

T*Ranſigere de bonis maioratus, vel Eccleſiæ, aut minorum, quando, & queis liceat, & an Regijs Quæſtoribus, de vectigalibus*. 1. cap. 8. num. 1. & 6. *In maioratibus Hiſpanis, etiam confiſcato poſſeſſore, non adijcitur vſusfructus fiſco. Aliud in fideicommiſsis Italiæ, & quare*. lib. 1. cap. 10. num. 2. & 3. *vbi & non deberi gabellam venditionis, ſi ea nulla. Computatio l. 68. D. ad legem Falcid. non applicabilis fori vſui; neque æſtimationi annui redditus ad vitam; neque bonorum maioratus pro arrhis intra decimam; neque ſponſalitijs intra octauam; neque gabellę ex venditione vſusfructus; denique nec Falcidiæ*. lib. 1. cap. 11. num. 4. & ſeqq. *Ex venditione hæreditatis debetur decima pretij, ſiue, vt vocamus*, Alcabala. 1. cap. 12. num. 6. *De gabella noſtra, ex venditis pro anima, aut funere*. 1. cap. 14. num. 5. *De lugubrium impenſa, & quando ex quinto, aut tertio, & ante æs alienum deducenda, noſtris moribus, legibus, noua diſtinctio*. lib. 1. cap. 20. ex num. 1. 2. & 3. *Nobilitate priuilegiaria an filius, ante priuilegium ſuſceptus, fruatur, & an præferatur in ſucceſsione Regni natus ante Regnum; ſicut filius natus ante maioratum à patre quæſitum*. lib. 2.

cap.4.*Nobilitas quæſita à filio prodeſt patri, quoad pœnas.* 2. c. 6. n. 11. ad fin. *Nobilitas priuilegiaria, an per inuſum patris pereat filijs, ex profeſſo.* 2. cap. 7. *Vbi & obiter* num. 12. *de maioratibus Hiſpanis, & eorum perpetuitate, & vocatione propria in ſingulis ſucceſſoribus. In matrimonio putatiuo coniux innoxius fruitur lucris, etiam alterius noxij induſtria quæſitis, ſicut & retentione dotis ob adulterium.* lib. 2. cap. 9. num. 8. *Prohibitio abſoluta, & perpetua nuptiarum, complectitur & ſponſalia de futuro.* lib. 2. cap. 12. num. 4. *De dotibus, arrhis, ſponſalitijſque annexis in matrimonijs illicitis, ex Hiſpanis legibus, moribus forenſia multa.* lib. 2. cap. 20. *Iudicati de ſtatu auctoritas, & quando iudicatum contra patrem, aut fratrem in nobilitate ſanguinis, aut priuilegiaria noceat, proſitve filijs, aut fratribus.* lib. 2. cap. 21. num. 5. & cap. 24. *Iudicia extraordinaria pro nobilitate, aut puritate ſanguinis, non facere iudicatum, quoad maioratus, eam qualitatem requirentes.* lib. 2. cap. 25. *Vbi & de pragmatica pro tribus actibus poſitiuis. Decreta reintegrationis, vel allectionis in Sedilibus Neapolitanis an faciant iudicatum.* 2. cap. 26. *In quo & alia de his Sedilibus, & de lege, arcente ab eis Clericos, non lædi ea immunitatem: iudicatum de alimentis non præiudicare iuri filij, niſi præſumptiuè, & ſententiam ſummarij iudicij non præiudicare in ordinario, etiamſi in illo plenè cognitum, ex certiore opinione, quamuis non receptiore.* 2. cap. 27. num. 2. & 9. *Vſurpantium ſibi equeſtria inſignia, ſiue Habitus, quæ pœna.* lib. 3. cap. 1. n. 14. *Viſitatio Senatoria, Cenſuræ Romanę comparabilis, comprehendi illa etiam Præſides.* lib. 3. cap. 6. num. 10. & 11. *De pœnæ, ac mulctæ differentijs forenſia; & an eas eidem Iudici moderari, & quibus mulctare permiſſum.* lib. 3. c. 8. 9. 10. & 11. n. 9. & 11. *Legalis præſumptio adulterij in eam, quæ adulterij cum ipſa damnato poſtea nubit.* lib. 3. cap. 15. num. 9. *Ad legem Tauri 62. de fœminis ob debita non incarcerandis, niſi manifeſtè corpore turpes, quæ, & quales hæ intelligantur.* lib. 3. cap. 18. num. 10. *De viduarum pudicarum priuilegijs, iuxta Romanas, Regiaſque leges.* lib. 3. cap. 27. & 28. *Ad Regias leges, de diſcretione meretricum à matronis in cultu, & ornamentis.* lib. 3. cap. 29. & ſequentibus. *Vis, & raptus erga meretricem, quæ pœna.* lib. 3. cap. 33. ex num. 10. *Deciſionem l. Inter 20. de ſponſal. quoad veniam pœnę mortis, non recepit praxis.* lib. 3. cap. 40. num. 6. *Ex ſyntagmate, de fontibus Eccleſiaſticæ, & Politicæ poteſtatis, pleraque, relata in claſſe, de Sacris, & Eccleſiaſticis. Atque hic, quæ fori magis, & praxis, quale illud, Clericos in temporalibus non eſſe exemptos, niſi ex iure Eccleſiaſtico poſitiuo, & qui acceſsit, conſenſu Principum.* lib. 3. cap. 43. num. 3. *De Monaſterijs non fundandis ſine Regia licentia.* lib. 3. cap. 44. *Et de ſubiectione Clericorum legibus politicis (& quidem di-*

rec-

rectiuè, & ad pœnas, quæ ſine Iudicis facto incurruntur; veluti nullitatis, aut commiſsi: de Hiſpanis legibus, contra abuſus Quæſtorum in eleemoſynis, & Regularium in re teſtamentaria. Item de lege amortizationis, quæ olim apud nos, & poſtea deſita. lib. 3. cap. 45. *De Eccleſiaſtico, vocato à Pontifice, ſimulque à Rege. Epiſcopi in Hiſpania iurant fidelitatem Regibus, & pro cautione Regalium, & tamquàm vaſſalli, pro temporalibus, quæ à Rege poſsident, faciunt homagium fidelitatis, per oſculationem manus, ac de illis, tamquàm feudis, ſtant Regio iudicio, ac denique ad bellandum Reges olim ſequuti, vnde origo militaris ſeruitij* de Lanzas. lib. 3. cap. 46. *Licitum Regi œconomica, politica, & tutiua auctoritate, arcere è Regno Eccleſiaſticos tumultuoſos.* lib. 3. cap. 47. *Et an eis præcipere, ne è certo loco Regni egrediantur.* lib. 3. cap. 48. *De auctoritate politica in matrimonijs, vel contra libertatem irrationabilem in eis ineundis, vel contra abuſus, diſcretos à ſubſtantia matrimonij; in quos quid, & quouſque Politico imperio permiſſum, plenè* lib. 3. cap. 48. 49. & 50. *vbi & de nuptijs intra annum luctus, & de mandatis Regij Senatus, ne, eo inconſulto, quædam matrimonia ineantur. De prohibitione vnionis maioratuum ditiorum ex lege Regia.* libr. 3. cap. 51. *De recurſibus violentiæ, & decretis laicorum.* lib. 3. cap. 52. *Et de non deferendo appellationi.* lib. 3. cap. 53. *Et in cauſis de immunitate Templorum.* cap. 54. *Et in cauſis Millionum.* cap. 55. *Et quoad ius Regij patronatus.* cap. 56. *Vbi de origine, & progreſſu Regij Conſilij Cameræ.*

POLITICA.

D*E frequentia nuptiarum, & ſobolis, Reipublicæ neceſſaria.* lib. 1. cap. 4. & 5. *Viceſsimæ hæreditatum vectigal, an hodie imitabile.* lib. 1. cap. 3. num. 3. & cap. 26. num. 2. in fine. *Hiſpanæ hodiernæ Cœmediæ vſus, an politica cenſura probandus.* lib. 2. cap. 46. *De auctoritate politica in funebribus.* lib. 1. cap. 21. ex num. 1. *Lupanarium tolerantia, an politicè expediens.* 3. c. 35. & 36.

IVSTO-HISTORICA.

D*E matrimonio Alfonſi Legionenſis cum Berengaria ad cap. 5. de donat. inter.* lib. 2. cap. 20. ex num. 5. *In Procopij hiſtoriam arcanam, ſeuera, at iuſta cenſura.* 2. cap. 35. num. 16. & 17.

De matrimonio Aurelianenſis Ducis cum Margarita Lotharingiæ Principe, copioſè. 3. cap. 51. *Ethnica ſuperſtitio, vbi, & quamdiu permanſerit poſt Conſtantinum M.* lib. 2. cap. 38.

PHI-

DE *ſexagenario anno curioſè*. lib. 1. cap. 10. num. 4. *De legato pro ſignis, ſeu ſimulachris Deorum collocandis*. 1. cap. 13. num. 1. *De vnctione funebri duplici*. 1. cap. 15. & 16. *De iure aureorum annulorum in fœminis*. l. 2. cap. 23. num. 5. & ſeqq. *De ignominia ſcenicorum, ex Romanis legibus*. 2. ex num. 5. *vbi &* cap. 29. *plenè de Thymelicis. De Perfectiſsimis, item Duumviris, ac de Sacerdotibus Gentilium multa*. lib. 2. cap. 36. 37. & 38. *De Cenſura Romana, & illius notis, ac mulctis circa matrimonia*. lib. 3. cap. 5. num. 5. & ſeqq. & cap. 7. num. 8. *Lenæ mitrhatæ, & cur*. 3. cap. 13. num. 7. *Serici vſus Romæ probroſus viris, non fœminis*. 3. cap. 29. num. 4. & 6. *vbi & de Hiſpania: de comatis ornatricibus, & acu comatoria, & corona turrita matronali, pro ſacris, & iuris libris*. lib. 3. cap. 30. *Carrucha dormitoria quæ*. lib. 3. cap. 32. num. 7. *De vectigali ex meretricio, ſeu Chryſargyro*. lib. 3. cap. 37. num. 7.

D. FRANCISCI FACIEM, QVI PRÆCESSIT, TYPVS; at animum, & famam expreſſere meliore penicillo, DECRETA REGIA, & inſignia alia Elogia, & Cenſuræ, quæ Parentis optimi memoriæ fuit officij noſtri, reddidiſſe.

¶ D. Balthaſaris Gilimonij Motæ, in Supremo Caſtellę Senatu Conſiliarij, & in eodem Senatu Cathedris Salmantinis Præfecti, ex illius ordine conſcriptæ Epiſtolæ.

¶ D. Enriquio Guzmano, Salmanticenſis Scholę Rectori, ac deſignato Eminentiſsimo S. R. Eccleſię Cardinali.

Regij ſeruitij eſt.

Salmanticam.

L*A Catheda de Inſtituta ſe proueyò en el Licenciado Don Pedro Arias Temprado, del Colegio de S. Bartolomè, como auiſa el Secretario Hernando Vallejo, y ha holgado el Conſejo entender, que entre los buenos ſugetos, que ay en eſſa Vniuerſidad, ſe vaya criando vno, de natural tan auentajado, y eſperanças, como ſe informa, es el Licenciado D. Franciſco Ramos: y porque reſpondan à eſto los fauores, me ha ordenado, que demàs de la carta particular, q̃ le eſcriuo, diga à V. m. le embie à llamar, y le diga, que con particular cuydado de conſeruar eſte credito, y afirmar la opinion, que ſe tiene dèl, en profeſsion, y virtud, continue en el exercicio de todo, que con èl ſe tendrà extraordinario cuydado, para ſus acrecentamientos en eſſa Vniuerſidad, en que podràn fundarſe los mayores, que alcançarà. V. m. lo harà, y me auiſarà dello. Guarde Dios à V. m. como deſeo. Madrid 15. de Mayo 1624.*

*El Licenciado D. Balthaſar
Gilimon de la Mota.*

¶ Eiuſdem D. Balthaſaris, cum eadem proſcriptione Regij ſervitij. Licenciato D. Franciſco Ramos del Mançano.

Salmanticam.

S*Egun eſtà ſatisfecho el Conſejo, de lo que de las partes, y eſtudios de V. m. ſe hà informado, eſpera, que ſu perſona, y exercicios en eſta profeſsion, ha de ſer muy vtil al bien de eſſa Vniuerſidad. Deſea, que lo que las dotes naturales hã añadido à los años, lo confirme la perſeuerancia: y me ha ordenado, eſcriua à V. m. continue en ellos, formando eſperanças, que deſte concepto han de ſalir ſus acrecentamientos, y que en las ocaſiones, que ſe fueren ofreciendo lo experimentarà: y yo he tenido à dicha, ſer el comiſſario deſte auiſo, y la ocaſion que me dà el ſerlo, de ofrecerme al ſeruicio de V. m. y ſuplicarle, que eſte fauor no leuante el animo, mas que à la propria virtud, por quien ſe haze. Guarde Dios à V. m. como deſeo. Madrid 15. de Mayo 1624.*

*El Licenciado D. Balthaſar,
Gilimon de la Mota.*

¶ Catholici,& Magni Regis Philippi IV. Decretum, quo Regnationis ſuæ Hiſtoria,& Monarchiæ iura,perſcribenda , & propulſanda iniunguntur D.Franciſco Ramos del Mançano.

AViendoſe reconocido de muchos años à eſta parte, que por Eſcritores de Naciones eſtrañas,y mal afectas,ſe han publicado , y publican cada dia diferentes hiſtorias,y eſcritos,apartandoſe de la verdad , en la relacion de los ſuceſſos, y con impugnacion de los juſtos derechos,con que poſſeo , y me pertenecen los Reynos, Prouincias, y Eſtados, de que ſe compone mi Monarquia ; y ſiendo tan de mi Real obligacion , mantener la juſticia de eſtos derechos en el credito publico, que ſe les debe, y que la Hiſtoria de los varios ſuceſſos , con que Dios ha ſido ſeruido de exercitar à eſtos Reynos en quarenta años de mi Reynado ; en vna guerra de veinte y cinco años continuos con las mayores Potencias de la Europa , por mar, y por tierra; y dentro de Eſpaña, con las ſoleuaciones de Cataluña , y Portugal, haſta que Dios ha ſido ſeruido , de que ſe aya podido llegar al deſeado fin de la paz, ſe eſcriua con ſinceridad de intencion , y verdad , que es lo que ſolo deſeo; ſin que eſta, y la reputacion de las Naciones , y Vaſſallos de mis Coronas , que con tanta fidelidad, y valor me han ſeruido en eſtos accidentes , quede expueſta, y ſugeta à la impreſsion , que puede hazer en la creencia de los tiempos preſentes, y futuros, la malignidad de los Eſcritores apaſsionados , con la ocaſion que la Hiſtoria ofreciere, y ſin ſalir del eſtilo , y reglas della , ſe toque , y eſtablezca , con la atencion , y peſo que conuiene, la juſticia de los titulos de mi Reyno , y dominios; me ha repreſentado diferentes vezes el Conſejo de Eſtado (como aora vltimamente tambien lo ha hecho) que ſeria muy conforme al ſeruicio de Dios , y mio , y de la cauſa publica de mis Reynos, y muy conueniente para la noticia , y exemplo dentro, y fuera de ellos, encargar el empleo de eſcriuir la Hiſtoria de mi Reynado para los fines referidos, à algun Miniſtro, en quien demàs de la decencia del eſtilo, erudicion, y noticias proporcionadas à eſte empleo, ſe aſſegure la confiança , que es meneſter, para que ſe le puedan participar (como ſerà neceſſario ſe haga) los papeles , y auiſos mas reſeruados de Eſtado , y Guerra , y los demàs que para el aſſumpto fueren meneſter, y en quien tambien concurra el credito comun de letras legales , de que neceſsita para diſcurrir, quando, y como conuenga, con fundamento , y circumſpeccion, en la juſticia de las guerras, y derechos de los Reynos: y vltimamente , que la graduacion del Pueſto , que ocupare en mi ſeruicio , y el credito de talento, entereza, y doctrina, dè mayor fee, y autoridad à la miſma obra. Y auiendome conformado con eſta propoſicion del Conſejo de Eſtado, y juzgando, que concurren todas las partes neceſſarias, para vn empleo de tanta importancia , y confiança en la perſona de D.Franciſco Ramos del Mançano; os ordeno, que le llameis , y digais de mi parte, que por todas eſtas cauſas, me darè por muy ſeruido , de que ſe encargue de tomar por ſu quenta eſte trabajo, y que le tendrè muy preſente para fauorecerle , y honrarle en todas ocaſiones.

Y por quanto D. Franciſco Ramos del Mançano , obedeciendo lo que le ordenè por el Decreto referido , ha acceptado eſta ocupacion , y para cumplir con ella, neceſsita del tiempo , que ſe dexa conſiderar , he tenido por bien de darle licencia, para no aſsiſtir al Conſejo los dias, que le pareciere , ſin que aya meneſter eſcuſarſe en la forma ordinaria ; y aſsi lo tendreis entendido. Y porque tambien podria neceſsitar de algunos inſtrumentos , y papeles , que paran en los Archiuos, Eſcri-

uanias

uanias de Camara, y demàs Oficios del Conſejo, dareis luego la orden general neceſſaria, para que de los dichos Archiuos, Eſcriuanias, y Oficios, ſe le entreguen en la forma ordinaria los inſtrumentos, y papeles que pidiere, en orden à cumplir con el empleo, que le he encargado. Executaràſe aſsi. En Buen-Retiro à 9. de Mayo de 1661. Al Preſidente del Conſejo.

¶ Auguſtiſsimę Reginæ Marianæ Auſtriacę, Caroli Secundi matris, & cui illius tutela, & Imperij tuitio, ac gubernatio concredita, Decretum, quo ad Cameræ, ſiue gratię Senatum adſcitus D. Franciſcus Ramos del Mançano.

ATendiendo à los ſeruicios, meritos, y grandes prendas del Licenciado Don Franciſco Ramos del Mançano, que le conſtituyen digno del mayor empleo de ſu profeſsion, particularmente auiendole encargado el Rey mi Señor tan particulares negocios, y al preſente, el que ſe ſabe, de trabajo, y conſequencia con la Corona de Francia, deſpues de auer ſido Gouernador del Conſejo de Indias, con preeminencias de Preſidente; auiendo dado de todos ſus empleos muy cumplida ſatisfacion. He tenido por bien de hazerle merced, de que entre à ſeruir al Rey mi hijo en el Conſejo de la Camara, como vno de los Conſejeros, que concurren en èl, fiando de ſu zelo, y atencion, le ha de ſeruir en eſta ocupacion, como en la que le he conferido de ſu Maeſtro, para ſu enſeñança, y direccion de las letras, y virtud, tan neceſſaria en los Principes, y Reyes. Y aſsi ordeno, ſea admitido, y ſe le acuda con todo aquello, que le puede pertenecer por eſte grado, como à los demàs Miniſtros del Conſejo de la Camara, que le tienen. Madrid 3. de Iunio de 1667. Al Preſidente del Conſejo.

¶ Caroli Secundi Regis Catholici, quem Deus ſoſpitet, Decretum, quo idem Franciſcus ad regimenta Præſidentiæ Supremi Caſtellæ Conſilij, euocatus.

AViendo yo reſuelto, el exonerar al Marques de Montealegre del pueſto de Preſidente del Conſejo (aunque reconozco, que en las eſtimables calidades que concurren en la perſona de Don Franciſco Ramos del Mançano, ſe empleàra dignamente, ſi ſus achaques no le impidieſſen acudir à las muchas, è importantes aplicaciones, à que obliga el graue peſo de continuo trabajo, con la puntualidad, con que deſeàra ſu zelo) quedo mirando por eſta conſideracion en elegir Preſidente: y en tanto, he tenido por bien, que D. Franciſco gouierne el Conſejo, como Miniſtro dèl, el mas antiguo; eſperando, que por lo que atiende à mi mayor ſeruicio, aſſiſtirà todo lo que le permita el eſtado de ſu ſalud, como ſe lo encargo. Tendràſe entendido aſsi en el Conſejo. En Madrid à 22. de Iulio de 1677.

¶ Eiuſdem D. Caroli Regis, in promouendo Franciſco ad Dignitatem Comitis de Francos, ſacri affatus. Die 6. Nouembris 1677.

EN memoria de lo que eſte dia, dos años ha, merecistes, y padeciſtes por mi ſeruicio, y en atencion à vueſtra calidad, y ſeruicios, os he hecho merced del Titulo de Conde de Francos, para vos, y los ſucceſſores en vueſtra Caſa.

Ad

¶ Ad eumdem Franciſcum Sereniſsimi Principis D. Ioannis Auſtrij Epiſtola, Ponteuedræ 16. Aprilis 1668. & cenſura de illius Reſponſo ad tractatum Franciæ.

HE viſto en la carta de V.S. el aprecio, q̃ haze de mi parecer, ſobre ſu Reſpueſta al tratado, de los derechos ſupueſtos de Francia. Y ſiendo el, que ſin duda tienen, y tendràn todos los hombres de buen juizio, y razon, me hallo deudor à V.S. de lo que me beulue, en trueco de lo que con toda juſticia procurè pagarle en mi antecedente, reconociendo meramente del exceſſo, y fineza de ſu afecto los terminos, con que ſe exprime. Y le puedo dezir, que yo deſeàra tener las prendas, y medios de los Emperadores, que cita, ſolo para premiar igualmente con las obras, y la voluntad el gran talento de V.S.

Los exemplares, que V.S. dize, eſtàn encaminados por medio de D. Pedro Fernandez del Campo, ſe repartiràn como mejor conuiniere, mientras aya ocaſion de diſponer vna nueua edicion en Flandes, ſiendo la luz de las impreſſiones mejores, bien deuida à vn trabajo, que con tanta, confunde la ceguedad de nueſtros enemigos. Dios guarde à V.S. muchos años, como deſeo. Ponteuedra, y Abril 16. de 1668.

¶ Eiuſdem Sereniſsimi Principis, Epiſtola alia, & cenſura ad eumdem Franciſcum, Cæſarauguſtæ 25. Octobris 1672. de libello Regnationibus minoris ætatis, & Magnorum Regum.

REcibi el libro, que V. S. me remite; y leerè con mucho guſto; por ſer obra ſuya, y por lo alto, y digno del aſſumpto, ſiendo de tanto interès comun para todos los Vaſſallos del Rey (Dios le guarde) y mio muy en particular, el que reſplandezcan en ſu perſona ſagrada las mas heroicas, y rectas calidades, à que no dudo le excitaràn los exemplares, que V.S. le pone delante de los ojos, y que eſtaràn llenos de prudente erudicion, y enſeñança. Dios guarde à V.S. muchos años. Zaragoza à 25. de Octubre de 1672.

ACcederet, ni breuitati conſuleretur, Cæſareum diploma glorioſiſsimi D. Leopoldi Auſtriaci, Romano-Germanici Imperatoris, & benigniſsimum Epiſtolium Auguſtę Imperatricis Margaritę, queis eidem Franciſco pro Reſponſo ad tractatum Franciæ, gratitudinem ſuam teſtantur.

Iam ſi tot elogiorum maieſtati, & decoramentis ſubiungere, fas eſt, publica alia, & priuata, ſatis ſit pro publicis, encomiaſtica Inſcriptio Prouinciarum Belgij, editioni in eodem Belgio Reſponſi ad tractatum Franciæ, ex Hiſpano ad Francicum idioma tranſlati, pręfixa anno 1674.

ILLVSTRISSIMO VIRO

D. FRANCISCO RAMOS

DEL MANÇANO,

CAROLI II.

HISPANIARVM, AC INDIARVM

MONARCHAE,

DOCTRINÆ, AC MORVM MAGISTRO,

In Supremo Iuſtitiæ, & Gratię Senatu

CONSILIARIO,

VERO

SCIENTIARVM OMNIVM

THESAVRO:

Ex Sereniſsimę Reginę Catholicę

BASILICO DECRETO,

ET REGIS SVI,

IN MINIMA ETIAM AETATE

MAXIMI,

AVSPICIIS,

BENE OMINATIS,

GALLIAE TRACTATVI,

De aſſertis Reginę Chriſtianiſsimę,

IN VARIAS

Dominationis Hiſpanicę Dynaſtias,

IVRIBVS,

TAM ERVDITE, ET NERVOSE,

QVAM FELICITER, ET EFFICACITER

RESPONDENTI,

¶ 2 ET

Et Francorum technas, Artes, Argutias,
Ne dicam, fraudes, Fucos, fallacias,

INCONCVSSA REI VERITATE,

IPSA FACTI EVIDENTIA,

DEXTERE PRORSVS

RETEGENTI,

SOLIDISQVE RATIONIBVS

CONVELLENTI,

AC

TOTAM SIC PERSONAE GALLICAE

LARVAM DETRAHENTI,

BRABANTIA, LIMBVRGVM,

GELDRIA, HANNONIA,

NAMVRCVM,

VNA

Cum laceris Luxemburgi,

ET ARTHESIÆ RELIQVIIS,

SACRI ROMANI IMPERII

MARCHIONATV,

Imperiali Flandria,
Et Mechlina,

DVCATV CAMERACENSI,

AC

CAMERACESY COMITATV,

Fideliſsimę Regi Prouincię.

VIN:

VINDICI SVO,
NOBILI IVXTA, AC FORTI
Calamum, tamquám gladium
STRINGENTI,
In Gratitudinis ſuę Teſſeram,
VOTA SVA EVCHARISTICA,
Tanto cultu, quanto affectu,
CERTATIM DEFERVNT,

DE
MYSTICO EIVSDEM NOMINE,
EMBLEMA.
POMVM AVREVM PENDENS E RAMO.
EPIGRAMMA.

a Regina.
b D. Franciſcus Ramos.
c Carolus Rex.

Heſperidum felix [a] ARBOR ſpectaris in hortis
Aurea, & ex auro nil niſi dona ferens.
Huic [b] RAMVS ſatis vnus adeſt, hinc Aureus exit
Fructus, quem ſucco compleat ille ſuo.
Pendet ab hoc Ramo [c] POMVM, quo penditur Orbis;
Quo POMO poſthac Aureus Orbis erit.

EPIGRAPHE CHRONOGRAPHICA.

qVantVs frVCtVs soLo penDet é raMo.

C. D. B. S. R.

INTER

INTER PRIVATA ELOGIA, ET cenſuras, Prima producitur, quia & Franciſcum totum, & illius ſcripta complectitur, D. Nicolai Antonij, ex Militari Diui Iacobi Ordine Equitis, & Romę pro Catholico Rege, & Hiſpanæ Monarchię rebus, PROCVRATORIS GENERALIS.

D. FRANCISCVS RAMOS DEL MANÇANO, domo ex Salmantica Vrbe natus, educatus inter ſtudia gymnaſij iſtius ampliſſimi, proſperrimiſque inſtructus à natura ipſa ſingularis ingenij, memoriæ præſentiſsimæ, ac defœcati iudicij dotibus, exquiſitam ſtudijs, primùm humanitatis, deinde Iuriſprudentię induſtriam, ſub optimis præceptoribus mancipauit. Adoloſcens adhuc, in primis iam ipſe numerabatur, ex quibus Schola hęc optimum quemque ad docendi munus, non ſine præuia multiplicis experimenti probatione, admittere ſolet. Quare ad album Iuris ciuilis Profeſſorum maturè receptus, in omnibus Academicis docendi locis, & gradibus ſumma cum admiratione hominum, & plauſu emicuit, donec ad primæ horæ diei Cathedram, quæ honorificentiſsima eſt omnium aliarum, aſcenderet. Doctrinę ibi tam legalis, quàm variæ, tam ſacræ, quàm profanę, tam ſeueræ, quàm amœnioris, & politioris locupletem geſtare animum, quotidianis experimentis fuit compertus; eaque vigere in prælectionibus publicis, & concertationibus Scholaſticis, ingenij alacritate, & ſubtilitate, memoriæ excellentia, dicendique maieſtate, ac decore, vt Collegarum, quos habuit, doctiſsimorum cenſione, vix alius tot propitiæ naturæ dotibus æqualem omnino induſtriam, laboremque induxiſſe, aut inducere potuiſſe videretur; principemque ſuæ artis locum libenter omnes ei concederent. Sed ne hoc tanto pręceptore Academia iſta diutiùs frueretur, Philippus Rex noſter IV. fecit, creans ipſum, inſtante Montis-regis Comite, qui rerum Italicarum Conſilijs præerat, Extraordinarij, vt vocant, Mediolanenſis Senatus Pręſidem. Hinc adlectus inter Patres Supremi eiuſdem Italiæ Conſilij; non diu poſt ad Caſtellæ alterum, hoc eſt, ampliſsimum omnium ordinem, qui apud nos publicam gerunt rem, transfertur. Homo tamen ad omnia egregia natus, & ipſe idoneus ante alios viſus fuit, cui dignitate ſpectabili, ſermonis tam latini, quàm vulgaris facundia ornato, iudicij præſtantia, (quo ſummè eſt ad rem opus) atque omnigena eruditione prædito, ſcribendi, partes committerentur, res, ab eodem Rege noſtro geſtas pace, belloque, quas nemo hactenus pro dignitate tractauit. Parabat iam huic ponderi geſtientes humeros; nactus quippe liberalibus ſtudijs, quibus ſummoperè delectatur, excolendis patentem campum: & ecce adminiſtrare, iubetur, vices abſentis tunc Concilij Indiarum Pręſidis (erat is D. Gaſpar de Bracamonte, Peñarandę Comes, qui Neapolitanum moderabatur Regnum) nempe Hiſtoricis lucubrationibus in aliud tempus ſepoſitis; quaſi carere eius induſtria, publicæ nequirent rei momenta, curiaque, & forum domeſticis, ac pri-

priuatis occupationibus hominem inuidiſſent. Vſque dum, reuerſo Bracamontio, iterum receſsit ad munus ſuum gerendum; quod ita cum Senatoris vicibus compoſuerat Rex Maximus, vt liberum, & arbitrarium Ramo eſſet, Regio Hiſtorico, manere domi intentum operi, aut in Senatum venire. Nec adhuc tamen ei diu licuit, hac vti conditione; quippe qui ſuccedenti Carolo Regi noſtro in Philippi IV. Parentis magni locum, ea in ætate, quæ puerilibus rudimentis, tamque litterariæ, quàm Chriſtianæ doctrinæ præceptis, imbuenda fuit, Magiſtri operas, ante biennium, huic deſtinatus muneri, nunc exhibet. Ramum Auctorem habet

El Memorial à nueſtro Santiſsimo Padre Alexandro VII. ſobre la prouiſion de las Igleſias, que eſtàn vacantes en la Corona de Portugal. Matriti priùs ſermone Hiſpano, circa annum 1659. deinde Neapoli Italico, apud Ægidium Longum 1661. in folio. Item ſuccedentibus in media pace tumultibus bellicis, aggredienteque Gallo Rege Prouincias Belgicas (quo iure, notum ſatis eſt vniuerſæ Europæ) libello à Gallis, prætexendę irruptioni phantaſtico iuſtitiæ titulo in publicum emiſſo, oppoſuit

Reſpueſta de España al Manifieſto de Francia. Matriti 1668. in folio. Cuius interpretationem Latinam adornabat Ioannes filius, Regius Senator, cum ad meliorem vitam fuit vocatus. Dum profeſſorem adhuc Salmanticę ageret, typis commiſit

Diſſertationem extemporaneam ad Tit. Caium, de vſufructu municipibus legato. Salmanticæ 1623. in 4.

Diſſertationem aliam extemporaneam, de Domeſticis, & Protectoribus ad Leg. 11. C. de excuſationibus munerum lib. 10. ibidem 1644. in folio. Vulgarique lingua, ad inſtruendum Romæ D. Franciſci Menchaca, Salmanticenſis ex prima nobilitate ciuis, votum, Sedi Apoſtolicæ offerendum, vxorem ducendi in ſecundis nuptijs, coniugis præmortuæ ſororem.

Conſultacion, ſobre que es diſpenſable para el matrimonio el impedimento del primer grado de afinidad en la linea obliqua. ibidem 1644. in folio.

Premit alia non minùs digna, quæ viritim terat communis vſus: ſed quorum nomine dolemus, maximè expectationi eruditorum hucuſque non ſatisfactum.

Commentarij ſunt, *ad leges Iuliam, & Papiam*: cuius operis alterum volumen, iam à tempore Scholaſtici muneris perfectum, ſi per occupationes ei licuerit, quamprimùm limę vltimæ ſupponet, vt dignum Auctoris fama veniat in typorum lucem.

Alia, & breuiora de Franciſco, nec tamen diſsimilia æſtimatione, & cenſura, idem D. Nicolaus Antonius, quibus diebus hæc pręlo dantur, deſignatus in S. & Regio Cruciatæ Conſilio Regius Fiſci Advocatus, *in eadem Bibliotheca*, vbi de Ioanne, Franciſci filio, & in præfatione operis *de exilio* ad lectorem, *& lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 18. & alibi non ſemel.

¶ Aſt ne de Italia abeamus, ſubſequatur Horatius Landus, Regius Mediolanenſis Hiſtoricus, *in coniurationis Padilianæ opuſculo, edito anno* 1649.

¶ Et apud D. Retes *folio* 4.

A*udierat Franciſcum Ramos, magni Emporij litterarum Salmantini miraculum, iuriſperitiſſimum, virum omnium horarum, & longè eruditiſ-*

ſimum: *quodque rara virtus eſt*; *tot dotes ingenij intra modeſtiam continentem.*

¶ Nicephorus Sebaſtus *in teſſera contiade, pag.* 7. ita.

D. Franciſcus Ramos Papinianus alter in Salmanticenſi Academia.

¶ At ne ex Italis plures, nominaſſe, ſat fuerit, *Rotam Romanam deciſ.* 247. *num.* 15. apud Ludic. Poſthium *in addit. ad tractat. de ſubhaſtatione, tom.* 2. & apud Mercurialem Merlinum Foroliuienſem, Antoninum Dianam Siculum, Paulum Tarſiam Neapolitanum, Cæſarem Carenam Mediolanenſem, qui & operis *de legibus Iulia, & Papia* meminit, *in præfatione variar. reſolut. ad D. Comeſtabilem, ad annum* 1647. quos, & alios prælaudauit D. D. Ioſeph. Retes *in dedicatoria Comment. de interdict. & relegat.* ad ad eumdem Franciſcum.

¶ Iam ex Hiſpania, quidni Primus, dignitate, & merito Primus, Excellentiſsimus D. D. Chriſtophorus Creſpi de Valdaura, Equeſtris Militię Monteſiæ Clauiger, Aragoniæ Procancellarius, & Præſes, ſimulque ex Seuirali conſeſſu pro Imperij Hiſpanici gubernatione, *in epiſtola*, qua Obſervationes ſuas, ante editionem, Franciſco noſtro recenſendas mittit.

IVdicium expecto maioris amici. Iudicium expecto Magni Iuriſconſulti, & huius noſtræ ætatis Coryphæi. Celebrat ita Salmanticenſe Athenæum, Te Mineruæ miraculum, in omni ſcientiarum genere eruditum, in ſuis Primarijs Cathedris, & Lauris, agnoſcens. Celebrat Italia in Mediolanenſi Prætorio, Te Pręſide admirato. Celebrat Hiſpania in Supremis Italiæ, Cruciatæ, & Caſtellæ Conſilijs, tuâ Senatoria Sapientia fruens. Approbat PHILIPPVS, Rex noſter, tibi maxima negotia credens, & Dignitates, licet tuo merito minores, cumulans.

¶ D. Ioannes Solorzano Pereira, Iacobæi Ordinis Eques, in Supremis Caſtellæ, & Indiarum Conſilijs Senator, & inter ſecli noſtri Iuriſconſultos nulli ſecundus, *in Emblemat. Reg. Polit.* 83. *n.* 29.

INdeque Papiam, etiam Poppæam, & alias caducarias, tandem ſublatas, vt latè Iuſtinianus enarrat, & docto, terſoque admodùm Commentario, quæ in lucem de eiſdem edere parat, proſequitur Dom. D. Franciſcus Ramos del Mançano, noſtri temporis I. C. veteribus non inferior, & poſt Primariam in Salmanticenſi Licæo Iuris Ciuilis Anteceſsionem, & honorificas aliarum dignitatum infulas, nuper pro meritis, communi omnium plauſu, ad Supremum Caſtellæ Senatum euectus.

¶ D. Laurētius Santos de S. Pedro, Regius poſt varia Togæ, & Anteceſſuræ, in Supremo Caſtellę Conſiliarius, & ipſius Senatus magnum decus, cui nuper illum, & Muſis ſeuerioribus ereptum doluimus, *ad librum* 10. *Epiſtolarum Symmachi, & in Ariſtonis, ac Ticinij Manuſcriptis*, quæ prælo dari, Muſæ ipſę auent, & ambiunt.

¶ D. Alfonſus de Olea, poſt Primaria Pincianæ Scholæ, & fori ſubſellia, digniſsimus in Supremo Caſtellæ conſeſſu Senator, *in tractatu de Ceſsione iurium,*

rium, & actionum, forenſi, & theorica iuris doctrina ornatiſsimo, *tit. 4. quæſt. 6. num.* 10. illic.

HInc introſpicitur, quamuis ſubdubia luce, lux vera ad I.C. Terentium Clementem, in dict. l. Cum ab vno 53. *quam præuidit primus, Primarius iuris Cæſarei Salmanticenſis Anteceſſor, poſt Mediolanenſis Senatus Præſes, deinde Regij Italici Conſilij Regens, & in Supremo Caſtellæ, & Cameræ Senatu Conſiliarius, Regij Indiarum Conſilij Præſes meritiſsimus, nunc verò Potentiſsimi Regis noſtri CAROLI Secundi Hiſpaniarum Monarchæ, quem faxit Deus, vt proſperet, digniſsimus Magiſter (cui mirè conuenit, quod, ſcripſiſſe Philippum, Macedonum Regem, refert Aul. Gellius lib. 9. cap. 3. non magis ſe lætari, quòd Alexander filius natus eſset, quàm quòd Ariſtotelē haberet, cui puerum tradere poſſet inſtruendum) Illuſtriſs. D. D. Franciſcus Ramos del Mançano, exculiſsimę eruditionis I.C. cuius optatiſsima opera de iure publico, ſummè laudat Arias de Meſa lib. 1. variar. cap. 34. num. 5. Huius igitur Sapientiſsimi viri ſententia, in ſuis manuſcriptis prælectionibus ad l. 2. D. de verb. oblig. cap. 2. à num. 2. fuit, textum in dict. l. Cum ab vno, intelligendum eſſe de rei vxoriæ actione.*

¶ D. Ioſephus Fernandius Retes, ex Franciſci noſtri Salmanticæ diſciplina Primus, deinde Primarius illic anteceſſor, & communis Præceptor; tandem in Supremo Caſtellę Senator, cum Regiæ rei, & litterarię damno nuper denatus, Auctoris noſtri ex aſſe amicus, cuius & ſępiùs memor *in opuſculis ſuis, & 1. tomo de donat. cap. 2. de donat. conſt. matrim. num.* 9. vbi ſchedia Franciſci, quæ alij ſibi adſcripſere, ingenuè auctori ſuo vindicat. Et ex profeſſo *epiſtola dedicatoria libri de interd. & releg.*

¶ D. Petrus Gonſalius Salzedo, in eodem Regio, & Supremo Caſtellę Conſiliarius, iuridicina, & ſcriptis percelebris, in examine veritatis contra Frācogallię tractatum, vbi, vtcumque non expreſſo Franciſci noſtri nomine, (quia neque id Franciſcus ipſe expreſſerat) in defenſione Hiſpaniæ ad tractatum Franciæ, laudat tamen eam defenſionem 1. *parte* §. 7. *ad finem, &* 2. *part.* §. 2. *pag.* 275. & in Latina verſione *pag.* 329. *num.* 51. indigetat defenſionem Hiſpaniæ eo titulo: *Tropheo glorioſo de las letras, y Magiſterio Eſpañol.*

¶ D. Emanuel Gonſalius Tellius, ex Franciſci itidem Salmanticę diſciplina, ac poſt Togati illic, & Anteceſſoris magnū nomen, ad Inquiſitorias Supremi in cauſis fidei Senatus infulas, ac deinde ad Pincianę Cancellariæ Pręſidatum, promotus, nunc in Caſtellæ Regio Conſiliarius, cuius eruditioni, & libris Canonica Iuriſprudentia æternum debebit; ita *in notis ad Concilium Illiberitanum lib.* 3. *cap.* 49. & ſæpiùs *in Commentarijs ad Decretales.*

¶ Ex Supremo Aragonię Senatu, Franciſci noſtri quondam Salmanticæ Auditor, D. Laurentius Matheus, & Sans, Monteſianæ Militiæ Eques, *& Regiminis Valentiæ* doctus concinnator; & D. Raphael Viloſa, ex eodem Senatu, poſt pręfectorias dignitates Magni Mediolanenſis Cancellarij, & Regiæ Cameræ Summarię Neapolitanæ Locumtenentis, *in erudito opere de fugitiuis*, vterque prælaudatus noſtro Reteſio *in dedicat.*
libri

libri de interd. & releg. aſt non in ſecunda *de fugitiuis* editione; *differt.* 3. *num.* 7.

¶ Deinde ex Aragonia, & Italia ſimul D. Petrus Valero Diazius, pridem in Maiore Ouetenſi Salmanticæ Collega, & diu Collateralis Magni Conſilij Neapoli Regens, lectiſsimæ cenſuræ, & eruditionis fama nobilis, *in epiſtola præfixa tomo 2. opuſc.* noſtri Reteſij, *eo ipſo anno Tyrocinia iuris ciuilis Salmanticæ poſui, quo vir ſummus, inclytæque famæ* D. D. Franciſcus Ramos del Mançano, *Regij nunc Caſtellæ Conſilij Senator, ex Primario Anteceſſore, in Mediolanenſem Curiam adlectus, cœperat magnarum virtutum ergo, publicorum bonorum ſplendore decorari. Indoluerant litterarum alumni, totaque certatim Academia, altiſsimo deſiderio viri incomparabilis abſentiam: vtpote in quo vno collectum, vt parcè dixerim, efflorebat quidquid admirandum in iuris, & eruditionis arte imputare ſeculis Salmantica poteſt.*

¶ D. Nicolaus Fernandius Caſtro, Iacobęi Ordinis Eques, Siciliæ Proregum Conſultor, & Mediolanenſis Extraordinarij Senatus Pręſes, *in exercitat. Salmantic. ad princip. Inſtit. de emptione, & vendit. num.* 118. & *in Commentatione de Equitibus Ioannitis.*

¶ D. Didacus Bolerus Cajalius, in Regij Patrimonij Conſilio Senator, doctuſque concinnator *de debitore decocto tractat. titul.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 2.

¶ D. Fernand. Arias de Meſa, Veſpertinus Canonici iuris Salmanticę Anteceſſor, ac poſtea in Regio Capuanę Senatu Neapoli Conſiliarius, *lib.* 2. *var. cap.* 34. *n.* 6. & 26.

¶ D. Hieronymus Altamiranus, Regius in Pinciano Pręrorio Auditor, *lib.* 3. *de filijs official. cap.* 7. *n.* 20.

¶ D. Ioannes Suarius Mendoza in Indici Commercij Hiſpalenſi Tribunali Regius Auditor, ſicut & fuit Parentis noſtri olim Salmanticæ, & Academici illic certaminis *de legibus Iulia, & Papia* Propugnator, ſemperque ex aſſe amicus, *libr.* 1. *ad leg. Aquil. cap.* 2. *ſect.* 5. *num.* 53.

¶ D. Franciſcus Miñanus, Regiæ Capellę, & Aulę Maior Sacellanus, & Regij itidem Sacelli D. Iſidori Agricolæ, Archicapellanus, *in baſi Pontif. iuriſd. tract.* 2. *quæſt.* 3. *num.* 100.

¶ R. M. Ioſephus Aguirre, Polygraphica eruditione, & Salmantina Theologica Anteceſſura ſpectabilis, *in introductione ad Philoſoph. Moralem,* 1. *tom. cap.* 1.

¶ Nouiores alios Scriptores non ciemus (qui aut ex Parentis noſtri dictatis, aut per eos, qui eidem in Academia ſucceſſores profecere) tametſi nomen-clatura, & laude per ſe dignos. At, vt Senecam leuiter mutemus, *Notores plures dare, ignoti eſſet.*

DIARIVM LITTERARIVM CERTAMEN.
V. KL.

D. D. IOANNI SOLORZANO PEREIRAE

IN SVPREMO NOVI ORBIS SENATV, CONSILIARIO REGIO.

D. IOANNES SVAREZ DE MENDOZA, L. M. D. D. C. Q.

IVLIAE, DE MARITANDIS ORDINIBVS, PAPIÆQVE POPPOEÆ LEGVM;

Queis nullæ, inter Romanos, celebriores, intricatiores:

SVMMA SINGVLA CAPITA:

Item nouiores leges, Senatuſconſulta, Orationes, Edicta, Mandata,

Reſcripta Cæſarum, receptę Interpretationes prudentum, ad eaſdem leges;

Quamdiu vixerunt, vigueruntque, ad Iuſtinianum vſque ab Auguſto:

AD VETERIS POLITIAE IMAGINEM EFFORMATA:

Politioris iuris ſcientiæ cultoribus, pro aſſertionibus proponuntur

IMP. C. CAESAR. OCTAVIANVS. DIVI F. AVGVSTVS. TRIBVN. POT. PP. CONSVL. VI.

Anno ab V.C. DCCXXV. poſt ciuilia bella, Pharſalicum, Mutinenſe, Philippenſe, Peruſinum, Siculum, & Actiacum,

POPVLVM IVRE ROGAVIT, POPVLVSQVE IVRE SCIVIT:

Videſis lib. 1. c. 1. 2. & 3. & cap. 7. & ſeqq. de lege Iulia de viceſſima, *pro militari ærario lata.*

De procreatione ſobolis, & augendo Ærario:

Eiſdem de cauſis, Auguſtus idem anno ab V.C. DCCXXVI. pleniùs legem rogauit, perrogauit: quæ eſt

IVLIA DE MARITANDIS ORDINIBVS.

Dein ſequuta eſt eodem fere fine, forma, auctore, lex

PAPIA POPPOEA, DE CADVCIS.

Quam tulerunt M. PAPIVS M. F. M. N. MVTILVS, & Q. POPPOEVS Q. F. Q. N. SECVNDVS. Conſules, ſuffecti ex Kal. Iul. anno ab V.C. DCCLXI.

* KAP.

KAP. I. Auctographon, ex lege IVLIA.

Ex tit. D. de ritu nuptiarum.

DE MARITANDIS ORDINIB'.

Lib. 2. c. 1. & toto eo libr.

QVI SENATOR EST; QVIVE FILIVS; NEPOSVE EX FILIO; PRONEPOSVE EX FILIO NATO, CVIVS EORVM EST, ERIT: NE QVIS EORVM SPONSAM, VXOREMVE, SCIENS DOLO MALO HABETO, LIBERTINAM: AVT EAM, QVÆ IPSA, CVIVSVE PATER, MATERVE ARTEM LVDRICAM FACIT, FECERIT: NEVE SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO NATA, LIBERTINO, EIVE, QVI IPSE, CVIVSVE PATER, MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT, SPONSA, NVPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO; NEVE QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS, SPONSAM VXOREM EAM HABETO.

L. Lege 44. Dig. de ritu nupt. *Dion, Caſius* lib 54. & 56. *Ioann. Zonaras* 2. Annal.

KAP. II. Ex l. IVL. & PAP.

Lib. 3. c. 1. & ſeqq.

INgenuis omnibus, prẹter Senatores, eorum liberos, libertinas vxores habere liceto: ex eoque matrimonio ſuſcepti liberi, iuſti ſunto.

L. lege 23 ff. de rit. nupt. *Dion* lib. 54. & 56. *Zonar.* 2. Annal. l. ſi quis libertā. C. de nupt.

KAP. III. Ex l. IVL.

Lib. 3. c. 5 & ſeqq.

EIs, qui ita nuptias contraxerint, nihil ob eam rem fraudi, ignominiæque eſto; modò ne quis eorum ſciens dolo malo, ſponſam, vxoremve habeat lenam, à lenone, lenave, manumiſſam, & in adulterio deprehenſam, & iudicio publico damnatam, & quæ artem publicam, vel quẹſtum corpore palàm faciat, fecerit.

Vlpian. in fragm. regularũ tit. 13 §. vlt. & tit. 16. §. Aliquando. l. Palàm 43. vſq; ad fin. l. probrum 41. Dig. de ritu nupt. l. aliud 131. D. de V. S.

KAP. IV. Ex l. IVLIA.

Lib. 3. c. 12. & 7.

SI Senator, Senatoriſve filius, nepoſve ex filio, pronepoſve ex nepote, filio nato, natus, ſciens dolo malo, ſponſam, vxoremve habeat, quæ palàm corpore quæſtum faciat, fecerit; SI REM PS. LEX EIVS, CAVSAQVE OMNIVM RERVM ESTO.

Vlpianus d. titul. 13. in principio.

KAP. V. Ex l. IVLIA.

Lib. 2. c. 34.

SEnatoris filiæ, quæ quæſtum corpore, vel artem ludicram fecerit, aut iudicio publico damnata fuerit, libertino nubere, liceto.

L. Si Senatoris 47. D. de ritu nupt.

EX

EX ORATIONE DIVI MARCI.

L. Oratione 16. D. de ritu nupt. l. 3. §. 1. D. de donat. inter. l. l. Oratio 16. D. de ſponſ.

QVOD IMP. M. AVRELIVS ANTONINVS CÆS. AVG. VERBA FECIT, de nuptijs Senatorum, ex lege Iulia, QVID FIERI PLACERET, DE EA RE SENATVS ITA CENSVIT.

Si Senator, eiuſve filius, nepoſve ex filio, pronepoſve ex nepote, filio nato; item ſi filia Senatoris, neptiſve ex filio, proneptiſve ex nepote, filio nata, contra legem Iuliam nuptias contraxerint, nuptias non eſſe. Lib. 2. c. 8.

L. Palàm 43. §. Senatus 10. D. de ritu nupt.

Item Senatus cenſuit, non eſſe conveniens vlli Senatori, vxorem ducere, aut retinere damnatam publico iudicio, quo iudicio cuilibet ex populo experiri, licet, niſi ſi cui lege aliqua accuſādi publico iudicio non eſt poteſtas. Lib. 3. c. 15.

EX CONSTITVTIONE CONSTANTINI.

L. 1. C. de natural. liber. Nouella *Iuſtiniani* 89. c. 15. & Nou. 117. c. 6.

SI Senator contra legem Iuliam, nuptias contraxerit, placet; maculam ſubire infamiæ, ſi filios pro legitimis habere velit, proprio iudio, aut Principis reſcripto: item donatum palàm, vel tacitè, talibus filijs, vxorive, reddi primùm legitimis heredibus; deinde his deficientibus, aut tranſactione excluſis; ſtatim, vel ſi diſsimulent poſt duos menſes, fiſco deferri, ſub pœna quadrupli perquiſituro. Lib. 2. c. 36. & ſeqq.

EX NOVELLA MARTIANI.

De matrimonijs Senatorum.

L. Humilem 7. C. de inceſtis nupt. Nou. *Martiani* de matr. Senat. Nouell. *Iuſtiniani* 117. c. 6.

INgenuis nata parentibus; tametſi pauper, humilis, vel abiecta perſona non intelligitur, eiuſque nuptię, Conſtantiniana lege, Senatoribus interdictæ non videntur. Lib. 2. c. 42.

KAP. VI. Ex poſteriore l. IVLIA.

Suetonius in Auguſto, c. 34. *Dion.* lib. 54. *Zonaras* 2. Annal.

SPonſalia, poſt quæ, biennio exacto, ſponſa duci vxor non poſsit, ad pręmia maritorum, & patrum ne proficiunto; à pœnis cœlibum, & orborum ne excuſanto. Lib. 4. Reliquatione 4.

KAP. VII. Ex l. IVLIA.

Agellius lib. 2. noct. Attic. c. 15. *Tacit.* 2. & 15. Ann. *Dion.* 53 hiſt. & 56. l. Spurij 6 §. vlt. de Decurion. l. in Albo 9. C. eod. tit.

DE PRÆMIIS PATRVM, ET MARITORVM.

IN petitione honorum, & ſortitione Prouinciarum, numerus liberorum in candidatis prępolleto: ſi ex his, nemo liberos habeat, mariti cęteris præferuntor. Lib. 4. Reliquat. 6.

KAP.

Lib. 4. Reliq. 5.

PRiori quoque ex Conſulibus faſces ſumendi, poteſtas eſto, non, qui plures annos natus, ſed qui plures liberos, quàm collega, aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit. Si par vtrique liberorum numerus eſt, maritus, aut qui in numero maritorum eſt, præfertor; ſi verò ambo, & mariti, & patres totidem liberorum, qui maior natu erit, prior faſces ſumito.

Agellius lib. 2. cap. 15. l. Proconſules 14. D. de offic. Proconſ. l. Bello 18. D. de excuſ. tut.

KAP. IX.

Lib. 4. Reliquat. 6.

PAtribus ad honores, quos per annarias leges capere non poſſent, ſinguli anni per ſingulos liberos remittuntor.

L. 2. de minoribus. l. Etiam 16. D. de probat.

EX S. C. NERONIANO.

Lib. 4. Reliquat. 7.

CVm percrebuerit prauiſſimus mos, quo plerique orbi, propinquis Comitijs, aut ſorte Prouinciarum fictis adoptionibus adſciſcunt filios, Præturaſque, ac Prouincias inter patres ſortiti, ſtatim emittunt manu, quod adoptarunt. D. E. R. I. C.

Tacitus lib. 15. Ann. l. Si ita 51. §. vlt. D. de legat. 2.

Ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, ac ne vſurpandis quidem hæreditatibus prodeſſet.

L. Simulatę 30. D. de ritu nupt.

KAP. X. Autographon, ex l. IVLIA.

Ex titulis, de operis, & bonis libertorum, & iure patronatus.

Lib. 4. Rel. 9.

QVI LIBERTINVS, DVOS, PLVRESVE A SE GENITOS, NATASVE IN SVA POTESTATE HABEBIT, PRÆTER EVM, QVI ARTEM LVDICRAM FECERIT, QVIVE OPERAS SVAS, VT CVM BESTIIS PVGNARET, LOCAVERIT; NE QVIS EORVM OPERAS, DONI, MVNERIS, ALIVDVE QVICQVAM LIBERTATIS CAVSA, PATRONO, PATRONÆ, LIBERISVE EORVM, DE QVIBVS IVRAVERIT, VEL PROMISERIT, OBLIGATVSVE ERIT, DARE, FACERE, PRÆSTARE, DEBETO; ET SI NON EODEM TEMPORE DVO IN POTESTATE HABVERIT, VEL VNVM QVINQVENNEM, LIBERABITVR OPERARVM OBLIGATIONE.

L. Qui libertinus 37. D. de oper. lib. l. Nec patronis 6. C. eod. tit. L. Qui mortui 129. l. Intelligendus 153. D. de V. S.

KAP. XI.

Lib. 4. Reliquat. 10.

SI libertam patronus vxorem duxerit; operarum petitionem in eam ne exerceto.

L. Planè 14. l. Liberta 46. D. de oper. lib. l. Libertę 8. C. eod. tit.

KAP. XII.

L.Sicut 48. l. Planè 14. D. de oper. lib. l.Quæ ex liberta 11. C.eod. tit. l. 2.C.de obſequijs.

PAtronus, patronive filius, nepos, qui libertæ nuptijs conſenſerit, quamdiu ea nupta erit, ſi ex lege nupſerit, operas ab ea ne exigito; patronæ autem, item filiæ, nepti, proneptive patroni, quæ libertæ nuptijs non conſenſit operarum exactio ſalva eſto. Lib. 4. Reliquat. 11.

KAP. XIII.

L.liberta 35. D. de oper. lib.

LIberta, maior quinquaginta annis, quæ ſine ad ſenſu patroni ante eam ætatem nupſit, ſi illam in matrimonio exceſſerit, deinceps operam patrono præſtare, ne cogitor. Lib. 4. Reliquat. 12.

KAP. XIV. Ex l. PAP.

Vlpian. tit. 29. §. licet 3. *Plutarchus* in Numa.

LIbertę quatuor liberorum iure, tutela patronorum liberantur; & ſine auctoritate eorum, teſtamenti faciendi ius, poteſtaſque eſto: ſed pro numero liberorum, libertæ ſuperſtitum, virilis pars patrono debetor. Lib. 4. Reliquat. 13.

KAP. XV. Ex l. PAPIA.

Vlpian. tit. 29. §. contra 5. l. patroni 39. D. de bonis libert.

PAtroni liberis fœminini ſexus, trium liberorum iure ſubnixis, in bonis libertorum parentum, idem ius eſto, quod ex Prætorio edicto patroni liberis virilis ſexus. Lib. 4. Reliquat. 14.

KAP. XVI. Ex l. PAPIA.

Vlpian. dict. tit. 29. §. patronæ 6.

PAtrona ingenua, duobus liberis honorata, libertina tribus, idem iuris habeto in libertorum bonis, quod patronus habet ex edicto. Lib. 4. Reliquat. 15.

KAP. XVII. Ex l. PAPIA.

Vlpian. dict. tit. 29. §. ult. l. Filius 42. in princ. v. Paulus, D. de bonis lib.

ITem liberi patronę ingenuæ, trium liberorum iure honoratæ, eadem iura in bonis libertorum vindicanto, quę patrono hac lege tributa. Lib. 4. Reliquat. 16.

KAP. XVIII. Ex l. PAPIA.

§. poſtea. Inſtit. de ſucceſſ. libert. l. ſi libert' 16. D. de iur. patr. l. virilis 145. D. de V.S.

SI libertus centum millia H.S. in bonis, & pauciores, quā tres liberos reliquerit, virilis pars patrono debetor: ſi tres reliquerit, ius antiquum eſto. Si minorem ſe centenario in fraudem legis huiuſce fecerit, ratum ne eſto. Lib. 4. Reliquat. 17. & 18.

KAP. XIX.

L. filij 9. §. ult. l. 10. & 11. l. Diui 17 D. de iur. patron.

Qui cum maior eſſet annorum viginti quinque, capitis accuſa- Lib. 4 Reliquat. 19.

**

lauerit libertum paternum, in bonis eius, locum ne habeto.

KAP. XX. Ex l. IVLIA.

Lib. 4. Reliquat. 20.

PAtronus ſi libertum, ne nubat, libertum, ne vxorem ducat, iureiurando adigat, ius iurandum hac lege permittitor; ſi modò matrimonium contrahere rectè velint.

L. adigere. 6. §. vlt. D. de iure patr. l. penult. & vlt. Dig. qui, & à quib.

EX LEGE ÆLIA SENTIA.

LIbertam, ne nubat, libertum, ne vxorem ducat, patronus iureiurando ne adigito. Si ſecus faxit, patrono, liberiſque eius, in bonis liberti, libertę, nihil iuris eſto.

L. qui cõtra 15. D. de iure patr. d. l. pen. & vlt. D. qui & à quib. l. 3. §. ſi quis libertam 5. D. de ſuis, & legit. hęr.

KAP. XXI. Ex l. PAPIA.

Lib. 4. Reliquat. 21.

MVlieribus, quæ ter pepererint, ex bonis cenſi, vltra quadrantem, lege Voconia ſtatutum, ſine fraude ſua capere liceto.

Dion lib. hiſt. 55. & 56. l. ſi viro 61. cum l. ſeq. D. de cõdit. & dem. l. etiam 141. D. de V. S.

Ex Edicto D. Claudij.

Lib. 4. Reliquat. 22.

BONVM FACTVM. Cum exercitio nauium ad ſummam Rempublicam pertineat, naues poſt hac mercaturæ cauſa fabricantibus, hæc commoda ſunto: Ciuibus vacatio legum Iuliæ, & Papiæ, Latinis ius Quiritum, ſi non minorem, quàm decem millia modiorum nauem fabricauerint, & Romam ſex annis frumentum portauerint: item fœminis ius quatuor liberorum.

L. pro commoditate 7. C. Theod. de nauicul. *Vlpian.* tit. 5. §. vlt. *Suetonius* in Claudio, c. 19.

Ex Conſtitutione Gratiani, & Theodoſij.

IN hæreditate proſcripti filij, liberis deficientibus, cum patre mater vocetur in trientem, ſi illa ius liberorum habeat: ſin deerit, quadrantem pater, vnciam mater accipiat. Sin autem ſola mater ſupererit, Papiæ tamen legis priuilegijs deſtituta, neque trino partu fœcunditati publicę gratioſa, ſextante contenta ſit, fiſco dextantem vſurpante.

L. deportato 8 cum l. 9. de bonis proſcriptor. in C. Theod.

KAP. XXII. Ex l. PAPIA.

Lib. 4. Reliquat. 23.

AD Sacerdotium Veſtæ, Virgines è populo, Pontificis Maximi arbitratu, viginti leguntor, ſortitioque in concione ex eo numero habetor, vtique quæque virgo ducta erit, eam Pontifex Maximus capito; eaque Veſtæ eſto.

Agellius lib. 1 noct. Att. c. 12. *Vlpian.* tit. 10. §. vlt.

KAP.

KAP. XXIII.

Dion Caſſius lib. hiſt.

SAcerdoti Veſtali, quę ſacra faciat, quæ ius ſit, Sacerdotem Veſtalem facere, pro popuio Romano Quiritibus, eadem pręmia, & commoda ſunto, quæ trium liberorum matribus.

KAP. XXIV. Ex l. IVLIA.

Sozomen. lib 1. hiſt. Eccl. c. 9. *Dion* lib. 56. *Sueton.* in Auguſto, c. 34. *Tertull.* in Apolog. cap. 4.

VIginti quinque annis maior qui erit, nuptias iure contrahito: his contrahendis, triennij, poſt hanc legem rogatam, vacatio eſto; poſt triennium legi pareto. Lib. 4. Reliquat. 24.

KAP. XXV. Ex l. PAPIA.

Vlpianus tit. 16. in princ.

LIberis iure quærendis, ſuſcipiendis, viginti quinque annorum in maſculis, & viginti in fœminis, ętas iuſta eſto. Poſt eam ætatem niſi intra annum, poſt hanc legem rogatam, legi paruerint, lege tenentor.

KAP. XXVI. Ex l. PAPIA.

L. Sancimus 27. Cod. de nupt. *Seneca* apud Lactātium lib. 1. de falſa relig. c. 16.

SExaginta annos natus qui erit, minorem quinquagenaria, ſponſam, vxoremve, ſciens dolo malo, ne habeto: neve fœmina, maior quinquaginta annis, viro, nondum ſexagenario, ſponſa, nuptave, ſciens dolo malo, eſto. Lib. 4. Reliquat. 25.

EX S. C. CLAVDIANO.

Vlpian. tit. 16. §. vltim. verſ. ſed Claudiano. *Suetonius* in Claudio, c. 23.

SEnatus cenſuit, ſi maior ſexagenario, minorem quingagenaria vxorem duxerit, perinde haberi, ac ſi minor ſexaginta annis duxiſſet vxorem.

EX S. C. CALVITIANO.

Vlpian. d. tit 16. §. vlt. l. ſi maior 12. C. de legit. hęr.

QVod ſi maior quinquagenaria minori ſexagenario nupſerit, impar matrimonium videri, nec proficere ad capiendas hęreditates, & legatas dotes.

KAP. XXVII. Ex l. IVLIA.

Vlpian. tit. 14.

FOEminis ad nuptias, à morte viri anni vacatio eſto: à diuortio, ſex menſium. Lib. 4. Reliquat. 24.

KAP. XXVIII. Ex l. PAPIA.

Vlpian. d. tit 14.

FOEminis ad liberos ſuſcipiendos à morte viri, biennij vacatio eſto; à repudio anni, & ſex menſium.

KAP.

KAP. XXIX. Miſcellum. Ex l. IVLIA.

DE CONDITIONE VIDVITATIS AVT COELIBATVS. Lib. 4. Reliquat. 25.

L. 2. & 3. C. de indicta viduitate. Nouella 22. de nupt. c. 43. l. ſed ſi hoc 62 §. vlt. cũ l. 63. & 64. D. de cond. & dem.

VIro, mulierive ſi quid ſub conditione viduitatis relictum erit, citra onus conditionis capere liceto; modò intra annum nubat, vel vxorem ducat, & iuret, liberorum procreandorum cauſa nubere, vel ducere vxorem.

EX S. C.

D. l. 3. C. de indict. vid. l. cũ tale 72. §. ſi arbitratu 4. l. hęres 79. §. vlt. D. de condit. & dem.

SEnatus cenſuit legis, Iuliæ ſententiam eam videri, ne quod omnino nuptijs impedimentum inferatur; ob eamque rem quidquid in fraudem legis ad impediendas nuptias ſcriptum erit, ipſo iure reſcindi, placere.

KAP. XXX. Ex l. IVLIA.

Lib. 4 Reliquat. 27.

L. vlt. D. de diuort. l. in eo 45. ff. de ritu nup. l. vn. in fin. D. vnde vir, & vxor. Sueton. in Auguſto, c. 34.

DIuortij faciendi poteſtas, libertę, quæ nupta eſt patrono, ne eſto, quamdiu patronus, eam vxorem eſſe, volet.

KAP. XXXI. Ex l. IVLIA.

Lib. 4. Reliquat. 28.

L. ſi verò 64. §. dabit, & ſeq. D. ſolut. matr. l. filius 14. §. vlt. D. ad leg. Corn. de falſis.

SI vir dotalem ſeruum manumiſerit; ſi quid ex bonis liberti ad eum, hęredemve eius pervenit, aut dolo malo fecit, quo minus perveniat, quanta pecunia erit, tantam pecuniam dato vxori.

KAP. XXXII. Ex l. IVLIA.

Lib. 4. Reliquat. 29.

L. ſiue 61. D. de iure dot. l. ſi tutor 7. D. de tutor. datis ab his. *Vlpian.* tit. 11. §. ex lege 20.

EI mulieri, virginive, quam ex hac lege nubere oportet, ad dotem dandam, dicendam, promittendam ſi legitimum tutorem non habeat, tutor à Prætore Vrbis nominator.

KAP. XXXIII.

L. quæro 60. d. l. ſiue 61. Dig. de iure dot.

TVtor, qui ita datus, nominatuſque erit; doti pro facultatibus, & dignitate mulieris, & mariti conſtituendæ, auctoritatem præſtato. Auctoritas dolo malo facta rata, ne eſto.

EX S. C.

Vlpian. dict. tit. 11. §. ex lege 20 cum §. ſeqq. l. penult D. de tutelis.

SEnatus cenſuit; vti mulieri, virginive in Prouincia nuptutę, perinde ad dotem dicendam, promittendam à Præſide Prouincię tutor detur, atque in Vrbe à Prætore ex lege Iulia.

Vtique in locum muti, aut ſurdi, aut furioſi tutoris, alter detur, ad dotem conſtituendam.

KAP.

L. 6. §. 1. de vſur. l. 2. de inoff. dot. in Cod. Theod. *Martian. Capella* de nupt. philolog. lib. 2. in fin. *Iuuen.* Satyr. 10. *Sidon.* lib. 1. epiſt. 11.

KAP. XXXIV. Ex l. PAPIA.

Lib. 4. Reliquat. 30.

DEcies centena millia H. S. vel inter Senatorias perſonas ſumma dos eſto: ampliorem dare, dicere, promittere, ne liceto.

Ex Conſtitutione Conſtant. & Iuliani.

D. l. 2. Cod. Theod. de in offic. dot.

DOte ab vxore marito data, filios ex priore matrimonio, ſi neque vltra dodrantem, neque in fraudem legis Papię conſtituatur, de hac repetenda, conſtat nullam habere actionem.

KAP. XXXV. Ex l. IVLIA.

L. Capite 19. D. de rit. nupt.

Lib. 4. Reliquat. 31.

QVi liberos in poteſtate habent, iniuria vxores ducere, vel nubere, ne prohibento.

D. l. cap. 19. ff. ritu nupt.

Ex Mandatis Seueri, & Antonini.

L. 1. C. de infirm. pœn. cœlib. *Vlp.* tit. 17. & 22. §. 1. l. ſi Titio 55. §. 1. D. de leg. 2. *Dion* lib. 54. *Euſeb.* de vita Conſtant. lib. 4. c. 26. *Sozomen.* 1. hiſt. Eccl. c. 9. *Nicephor.* 7. c. 46. *Tertull.* de Monog. c. 16. Auctor panœgyr. ad Conſtant. & Maximianũ.

QVi Prouincię præerit, curare debebit, vt qui liberos ſequioris ſexus in poteſtate habent, officio iuriſdictionis ſuę cogantur, in matrimonium collocare, & dotare.

KAP. XXXVI. Ex ll. IVLIIS.

Lib. 4. Reliquat. 32. DE COELIBVS, ET ORBORVM POENIS.

INnupti, innuptæque ex teſtamento extranei, niſi intra centum dies legi paruerint, neque legatum, neque hęreditatem capiunto: orbi ſemiſſe relictorum mulctantor.

KAP. XXXVII. Decimarium ex l. PAPIA.

Lib. 4. Reliquat. 33. DE CONIVGIBVS ORBIS.

VIro, atque vxori inter ſe matrimonij nomine decimam tantũm ex teſtamento capere, liceto. Quòd ſi ex alio matrimonio liberos ſuperſtites habeant, præter decimam, quam matrimonij nomine capiunt, totidem decimas pro numero liberorum accipere, ius, poteſtaſque eſto.

Vlp. tit. 15. de decim. l. 2. C. de inf. pœn. cœlib. l. 2. C. Theo. de iure lib.

Ex Vlpiani tit. 15. De Decimis.

L. cũ ab vno 53. D. de leg. 2. l. ſed ſi hoc 62. §. 1. D. de cond. & demonſtr.

ITem coniugibus communis filius, filiave poſt nonum diem amiſſus, amiſſa, decimam vnam adijciunt: duo autem poſt nonum diem amiſsi totidem decimas. Præter decimam, etiam vſumfructum tertiæ partis bonorum capere poſſunt, & quotcumque liberos habuerint, eiuſdem partis proprietatem. Hoc amplius, præter decimam, petere poteſt dotem legatam ſibi.

Ex Vlpiani tit. 16. De ſolidi capacitate inter virum, & vxorem.

ALiquando vir, & vxor inter ſe ſolidum capere poſſunt, veluti, ſi cognati coierunt vſque ad ſextum gradum; aut ſi vir abſit, & donec abeſſet, intra annum, poſtquàm abeſſe deſierit, libera inter eos teſtamenti factio eſt: item ſi ius liberorum à Principe impetrauerint, aut ſi filium, filiamve communem habeant, aut quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim amiſerint; vel ſi duos trimos, vel ſi tres poſt nonum diem amiſerint, vt intra annum tamen, & ſex menſes. Etiam vnus cuiuſcumque ætatis impubes amiſſus, ſolidi capiendi ius præſtat: item ſi poſt mortem viri intra decem menſes, vxor ex eo peperit, ſolidum ex eius bonis capit.

L. 1. C. de iure liber. l. qui mittuntur 35. cũ ll. ſeqq. D. ex quib. cauſ. mai. l. ſi vir 61. cum l. ſeq D. de cõd. & dem. l. 2. C. Theod. de iure lib. cum l. vlt. de legit. hær. & l 8. & 9. de bon. proſcr. & l. 7. de nauicul. in eod. C. *Dio* lib. 55. & 56.

KAP. XXXVIII.

Lib. 4. Reliquat. 25.

MArito ſexagenario, vxorique quinquagenariæ, qui finitam ætatem in matrimonio exceſſerint, dein vacatio, & ſolidi capacitas eſto.

Vlpian. d. tit. 16. in princ. & §. qui intra. *Auguſt.* lib. 3. contra Iulianum.

EX S. C. PERNITIANO.

QVi intra ſexageſſimum, vel quę intra quinquageſſimum annum neutri legi paruerit, neque Iuliæ, de matrimonio contrahendo, neque Papiæ, de liberis ſuſcipiendis, perpetuis pœnis cœlibum teneri, voluit Senatus.

Vlpian. dict. tit. 16. §. qui intra. *Sueton.* in Claudio, c. 23.

Ex Conſtitutione Claudij.

Lib. 4. Reliquat. 34.

MIlitibus, item alijs, qui Reipublicæ cauſa abſunt, iura maritorum concedimus.

L. 3. D. de Caſtr. pecul. l. qui mittũtur 35. l. 36. 37. & 38. D. ex quib. cauſ. mai. *Vlpian.* d. tit. 16. *Diõ* lib. 60.

EX S. CC.

SEnatus cenſuit, placere donationes, mortis cauſa factas in eos, quibus per legem Iuliam, & Papiam capere non licet, in eadem cauſa haberi, in qua eſſent, quę teſtamento his legata eſſent, quibus capere per legem non liceret.

l. Senatus 35. & 38. D. de mortis cauſa donat.

Ex interpretationibus Prudentum.

Lib. 4. Reliquat. 32.

COnſtat, hęreditatis appellatione in lege Iulia, & Papia, bonorum poſſeſſionem contineri, ſicut fideicommiſſum legati.

L. & fideicõmiſſum 87. D. de legat. 3. l. hæreditatis 138. D. de V. S.

Ex Conſtitutione Conſtantini.

L. 1. in Cod. Theod. & Iuſtin. de infirm. pœnis cœlib. *Euſeb.* lib. 4. de vita Cōſtant. cap. 25. *Sozomen.* 1. Eccl. hiſt. c. 9.

COElibes, orboſque, cuiuſcumque ſexus veterum legum pœnis, ac terroribus liberamus; eorumque ceruicibus impoſita iuris imperia, veluti quædam iuga ſolvimus promiſcuè omnibus.

Ex Conſtitutione Honorij, & Theodoſij.

l. 2. C. de infirm. pœn. cœlib. l. 2 C. Theod. de iure lib. l. vlt. de legit. hær. in eod. C.

INter virum, & vxorem, decimarum ex lege Papia ratio ceſſat, & quamvis liberi non interveniant, ex ſuis capiant ſolidum teſtamentis.

KAP. XXXIX. Ex l. IVLIA, & PAPIA.

L. vn. C. de caduc. toll. *Vlpian.* tit. 17. de caducis.

DE CADVCIS, ET QVASI CADVCIS. Lib. 4. Reliquat. 35.

QVæ cœlibibus, orbiſve relicta, ita, vt iure ciuili capere poſsint, non ceperint, quæque ita ab his ceciderint, ærario vindicantor.

KAP. XL.

Vlpian. d. tit 17. & tit. 22. §. Latinus 3.

QVod quis ſibi teſtamento relictum ita, vt iure ciuili capere poſsit, aliqua ex cauſa non ceperit, caducum eſto; veluti, ſi cœlibi, vel Latino Iuniano legatum fuerit, neque intra dies centum, vel cœlebs legi paruerit, vel Latinus ius Quiritum ſit conſequutus.

KAP. XLI. Ex l. PAPIA.

L. vn. in princ. verſ. Et cum lex. C. de caduc. toll. *Vlpian.* tit. 17. §. 1. *Sozomen.* 1. hiſt. Eccl. c. 9.

Lib. 4. Reliquat. 36.

LIberis, & parentibus, item genere proximis, intra tertium gradum, ius antiquum eſto.

Ex S. CC. circa legem PAPIAM.

D. l. vn. §. cū igitur 1. & §. cum nouiſſimo 5. C. de caduc. toll. *Vlpian.* tit. 24. de legatis, §. legatorum 31.

Lib. 4. Rel. 35.

SEnatus cenſuit, deinceps diem legatorum, quæ purè, vel in diem certam relicta ſunt, ab apertura tabularum cedere.

Nec licere, clauſis tabulis teſtamenti, hæreditatem adire, niſi ex aſſe hærede inſtituto.

Vtique quod in medio deficeret, legatario, vel ex parte inſtituto, ante apertas tabulas mortuo, aut peregrino facto, caducum fieret.

Ex interpretationibus Prudentum.

L. vn. §. & cū triplici. verſ. Vel ipſum, & §. pro ſecundo, C. de caducis toll.

Lib. 4. Reliquat. 35.

QVæ teſtamenti tempore vtiliter relicta, poſtea viuo teſtatore deficiunt, vel conditione non exiſtente, vel mortuo eo, cui relicta erant, in caduci cauſa ſunt.

Mu-

Mutuę ſubſtitutiones inter hæredes, legatarioſve, obſeruationem caducorum excludunt, quia quamdiu ex ſubſtitutis quiſquam ſupereſt, fiſco prępertur. D. l. vn. in princ. v. ſed & ipſis C. de cad. toll. l. ſi in teſtamento 5. D. de vulg. & pup. ſubſt.

Lib. 4 Reliquat. 35. Regula Catoniana ad leges Iuliam, & Papiam non pertinet. l. vlt. D. de reg. Caton.

In legato vſusfructus, item in teſtamento militis, caducorum obſeruatio ceſſat. L. ſi ab ea 9. D. de vſufr. l. ſi Titio 33. D. de vſufr.

Princeps legibus caducarijs ſolutus eſt. Auguſta autem, licet legibus ſoluta non ſit, Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quę ipſi habent. L. Princeps 31. D. de leg. l. quod Principi 56. cum l. ſeq. D. de legat. 2.

Ex Conſtitutione Antonini.

Lib. 4. Reliquat. 36. HOdie omnia caduca fiſco vindicantur, ſed ſeruato iure antiquo liberis, & parentibus. Caduca cũ ſuo onere fiunt: ideoque & libertates, & legata, ac fideicommiſſa ab eo data, ex cuius perſona hęreditas caduca facta eſt, ſalva ſunt. *Vlpian.* tit. 17. §. hodie l. in facto 60 §. vlt. D. de condit. & demonſtr.

Ex Theodoſiana lege.

Lib. 4. Reliquat. 35. SAncimus, liberos cuiuſcumque ſexus hæreditatem aſcendentium non aditam, in qua inſtituti ſunt; item legata, aut fideicommiſſa, quæ eodem teſtamento acceperunt, etiam clauſis tabulis, ad poſteritatem ſuam tranſmittere. L. vn. C. de his, qui ante apertas tabulas. l. vn. §. in nouiſsimo 5. Cod. de cad. toll.

EX S. CC.

Lib. 4. Reliquat. 35. CVm duobus vtrive eorum, qui viueret, legatum proponeretur, Senatus cenſuit, tacitam ſubſtitutionem ineſſe videri: idcircò altero mortuo, ſuperſtiti collegatario ſolidum legatum deferri; nec caducarijs legibus locum eſſe. l. idque 26. D. de hæręd. inſt.

Lib. 4. Reliquat. 37. Item Senatus voluit, in fideicommiſsis potiorem cauſam habere eum, cuius fides electa ſit, vt deficientia apud eum potius maneant, qui rogatus eſt, reſtituere, nec ad hæredem, fiſcumue pertineant. L. Iulianus 60. D. de legat. 2. l. in fraudem 10. §. 1. D. de his, quę vt indign.

KAP. XLII. Caducarium ex l. IVLIA.

Lib. 4. Reliquat. 38. DE BONIS VACANTIBVS. SI nemo ſit, ad quem defuncti hæreditas, bonorúmve poſſeſsio pertineat, aut ſit quidem, ſed ius ſuum omiſerit, velut parens omnium populus vacantia teneto. L. quidam 96. §. quoties, D. de legat. 1. *Vlpian.* tit. 28. §. inteſtati 7. v. ſi nemo.

KAP. XLIII. Ex l. PAPIA.

Lib. 4. Reliquat. 39. DE EREPTITIIS. QVi in fraudem legis huiuſce, Iuliæve caducariæ tacitam fidem accomodauerit, de reſtituendo his, quibus per leges haſce capere relictum non licet, id ei, velut indigno, ereptum, populi eſto. *Vlpn.* tit. 19. §. lege 17. l. in fraudem 10. D. de his, quæ vt indig. l. ſi totam 83. D. de adqu. hęr.

Ex

Ex S.C.Planciano.

L.hæres 11. D.de his,quę vt indign. l. beneficio 59 D. ad legem Falc.

SEnatus cenſuit,hęredem, qui tacitam fidem contra leges Iuliam,& Papiam accommodauit,in ea parte, qua fraudem adhibuit,Falcidia non vti.

Ex Reſcripto D.Pij.

D. l.Beneficio 59. §. 1. D. ad legem Falc.

QVadrantem ab hærede non retentum, qui non capienti hæreditatem reſtituere rogatus eſt; ad Fiſcum pertinere, placet.

KAP.XLIV.Ex l. PAP.

Tacit. lib. 13 Ann. Suet. in Nerone, c. 10. Iulius Frontin. de aquęductibus.

DElatori, qui bona per legem hanc, aut Iuliam caducariam ad populum pertinentia nunciauerit,& obtinuerit,dimidia pars in publicum redacti præmium eſto.

Lib. 4. Reliquat. 40. DE DELATORIBVS.

Ex conſtitutione Neronis.

Suet. in Nerone d.c.10. l. edicto 13. §. extat 5.D. de iure Fiſc.

DElatores poſthac ſciant, vltra quadrantem ex his; quæ iuxta leges caducarias publico nunciauerint, nihil laturos:idque vulgare pręmium futurum.

Ex Edicto D. Traiani.

L.edicto 13 in princ. D de iure Fiſc.

BONVM FACTVM:quicumque profeſſus fuerit,antequàm cauſa eius ad erarium deferatur,eam rem, quam poſsideret, capere ſibi non liceret, ex ea partem Fiſco inferat, partem ipſe retineat.

D. l. edicto 13. §. idē 1.

Item quæcumque profeſſa eſſet, vel palàm, vel tacitè relictum ſibi, quod capere non poſſet,probaſſet,& iam id ad Fiſcum pertinere, etiamſi id non poſsideret, ex eo, quod redactum eſſet à Pręfectis ærario,partem dimidiam ferat.

Ex conſtitutione Conſtantini.

L.vnic.C.de his, qui ſe deferunt.

HÆres tacito fideicommiſſo oneratus hęreditatis, contra legem Papiam,defuncti vxori reſtituendæ, ſi prior officio Rationalis, neque importunè deferat,tertiam ex omnibus defuncti bonis percipiat portionem.

EX S. CONSVLTIS.

L. Senatus 15.D. de iure Fiſci.

SEnatus cenſuit, ſi delator abolitionem petat; quod erraſſe ſe dicat, vt idem Iudex cognoſcat, an iuſta cau-

ſa abolitionis ſit ; & ſi erraſſe videbitur , det imprudentię veniam : ſi autem calumnię , hoc ipſum iudicet ; eaque cauſa accuſatori perinde cedat , ac ſi cauſam egiſſet, & prodidiſſet.

Si quis delatorem ſubiecerit , tantum in ærarium deferat , quantum, præmij nomine, delator conſequutus fuiſſet, ſi viciſſet. D.l. Senatus 15. §. Si quis 1.

Item Senatus D. Hadriani temporibus cenſuit , vt ſi neque delator, neque poſſeſſor, tribus edictis vocati adfuerunt, delatoris quidem fideiuſſores teneantur , & ei poſtea publicam cauſam deferendi ius adimatur: poſſeſſoris autem ius idem eſſet, quod ſi delatus omnino non fuiſſet. L. 2 § Senatus 3. D. de iure Fiſci.

Quòd ſi tribus edictis à Pręfecto ęrario , adeſſe delàtor iuſſus , venire nolit, ſecundum poſſeſſorem pronunciandum; ſed ab eo , qui ita adeſſe iuſſus , reſpondente poſſeſſorè non adfuerit, tantum exigendum, quantum apud ærarium ex ea cauſa , quam detulerit , remaneret, ſi profeſsionem eam impleſſet. D.l. Senatus 15. §. Quòd ſi 4. l. Arrianus 42. §. 1. D. de iure Fiſci.

Item vt perinde rationes ad ærarium deferat is , à quo tota hęreditas Fiſco euicta eſt , vel vniuerſa legata , atque is deferre deberet, à quo pars hęreditatis , vel legati euicta ſit.

Si quis arguatur, falſas rationes detuliſſe , de eo Præfectus ærarij cognoſcat : quantam fraudem inveniret, tantam pecuniam in ærarium, iubeat, inferri.

HÆC ITA CENSVERVNT : SI QVIS HVIC S. C. INTERCESSISSET, PLACERE AVCTORITATEM PERSCRIBI; DEQVE EA RE AD SENATVM, POPVLVMQVE REFERRI.

****

KAPITA TRANSLATITIA VTRIVSQVE LEGIS.

SI QVID SACRI, SANCTIQVE SIT, QVOD IVS NON SIT ROGARI, EIVS HAC LEGE NIHIL ROGATVR. SI QVID DE HIS REBVS AD POPVLVM, PLEBEM LATI OPVS EST, CONSVLES, PRÆTORES, TRIBVNI PLEBIS, QVI NVNC SVNT, QVOD EIS VIDEBITVR , AD POPVLVM, PLEBEMVE FERANT.

SI QVIS HVIVSCE LEGIS ERGO ADVERSVS LEGES, ROGATIONES, PLEBISVE SCITA, SENATVSVE CONSVLTA FECIT, FECERIT , SIVE QVOD CVM EX LEGE, ROGATIONE,

PLE-

PLEBISVE SCITO, SENATVSVE CONSVLTO FACERE OPORTEBIT, NON FECERIT, HVIVS LEGIS ERGO, ID EI NE FRAVDI ESTO: NEVE QVID OB EAM REM POPVLO DARE DEBETO: NEVE CVI DE EA RE ACTIO, NEVE IVDICATIO ESTO: NEVE QVIS DE EA RE APVD SE IVS DICI SINITO.

KAPITA HVIVSCE LEGIS PER SATVRAM, NE QVIS ABROGATO, AVT DEROGATO.

Muſico Magno Certamini aderit Propugnator D. Ioannes Suarez de Mendoça; Præſes ex tripode Præceptor ſuus, D. D. FRANCISCVS RAMOS DEL MANÇANO, Digeſti, vt vocant, veteris Cathedræ eruditiſsimus Anteceſſor; Iudices, qui Patres, qui conſcripti, quibuſque in Academico Senatu, ſententię dicendæ ius eſt; locus Maioris Theatri Salmanticenſis orcheſtra. Dies 1. Menſis Aprilis, Hora 9. ante meridiem, & tertia poſt meridiem. Anno Chriſtiano M. DC. XXXII.

PRO VNIVERSITATE.

Apud Hiacintum Tabernier, Salmanticenſis Vniuerſitatis Typographum.

FRAG-

FRAGMENTA EX LIBRIS IVRIS-CONSVLTORVM, AD LEGES IVLIAM, ET PAPIAM,

in Pandectis extantia, quę ſingula luſtrata, aut illuſtrata ſi quæras, comperies ſuis ſub titulis, in Indice ex Pandectis, qui ſequitur.

DOMITIVS VLPIANVS, ad leges, lib. viginti.

Ex lib. 1.

Lex Ingenium 25. *de ſtatu hominum.*
Lex 0. *& lex Emancipatũ* 7. *de Senatorib*9.
Lex Palàm 43. *de ritu nuptiarum.*
Lex vltima, de iure aur. annulorum.
Lex 4. *de colluſione detegenda.*
Lex Res iudicata 207. *de regulis iuris.*
Lex Spadonum 128. *de verb. ſign.*
Lex In lege 68. *ad legem Falcidiam.*

Ex Lib. 2.

Lex prima, de concubin.
L. Placet 79. *de adquir. vel omit. hæredit.*
Lex Lege 130. *de verb. ſign.*

Ex Lib. 3.

Lex Oratio 16. *de ſponſalib.*
Lex Si quis 27. *lex Quod* 29. *de ritu nupt.*
Lex In eo 45. *de ritu nuptiarum.*
Lex Quod ait 11. *de diuort.*
Lex Etiam 4. *de iure aur. annul.*
Lex Aliud 131. *de verbor. ſignif.*

Ex Lib. 4.

L. ſi Iudex 11. *de his, qui ſui, vel alieni iur.*
Lex vltima, de adopt.
Lex Apud 8. *de captiuis, vel poſt. reuer.*
Lex Seruitutem 209. *de regulis iuris.*
Lex Quæret 135. *de verb. ſign.*
Lex 23. *quando dies legati cedat.*
Lex Si quis 133. *de verb. ſign.*

Ex Lib. 5.

Lex Si iurauero 14. *de iure patronatus.*
Lex Labeo 6. *de gradibus cognat.*
Lex Generi 136. *de verb. ſign.*

Ex Lib. 6.

Lex Si cui 38. *ex quibus cauſis maiores.*
Lex Reipublicę 36. *ex quibus cauſis maiores.*
Lex Si Senatori 31. *de ritu nuptiarum.*

Ex Lib. 7.

Lex Si verò 64. *ſoluto matrimonio.*
Lex Ædificia 139. *de V. S.*

Ex Lib. 8.

Lex Si ita 51. *de legat.* 2.
Lex Si vir 61. *de condit. & demonſtrat.*
L. Quod conditionis 361. *de mort. cauſ. don.*
Lex Si mulier 3. *de caſtrenſi peculio.*
Lex Etiam 143. *de V. S.*
Lex Nihil 15. *ad legem Corneliam de Sicar.*

Ex Lib. 9.

Lex Id apud 143. *de V. S.*

Ex Lib. 10.

L. Is autem 11. *l. ſi libertus* 16. *de iur. patr.*
Lex Virilis 145. *de V. S.*

Ex Lib. 11.

Lex Diui 17. *de iure patronatus.*
Lex Labeo 36. *de operis libertorum.*
Lex Iulianus 37. *de bonis libertorum.*

Ex Lib. 12.
Ex Lib. 13.

Lex Princeps 31. *de legibus.*
Lex Toties 81. *de adquiren. hæredit.*

Lex

L. Si in duobus 10. quemadm. teſtam. aper.
L. Si quis 12. quemadmodum teſtam. aper.
Lex Intercidit 59. de condition. & demonſt.
Lex Si in teſtamento 84. ad legem Falcid.
Lex Ius cloacæ 7. de ſeruitut.

Ex Lib. 14.

Lex Si inimicitiæ 9. de his, quæ vt indign.

Ex Lib. 15.

Lex Patrimonij 22. de vſufructu legato.
Lex Illud 37. de mortis cauſa donat.

Ex Lib. 16.

Lex Iulianus 60. de legatis 2.

Ex Lib. 17.
Ex Lib. 18.

L. Nec ſupina 6. de iuris, & facti ignorãtia.
L. Si totam 83. de adqu. vel omittend. hær.
Lex Si Titio 61. de legat. 2.
Lex Circa 66. ad legem Falcidiam.
Lex Ait 16. de iure Fiſci.

Ex Lib. 19.

Lex 2. de minoribus.

Ex Lib. 20.

Lex Proconſules 14. de officio Proconſul.
Lex Bello 18. de excuſ. tut.

Iulius Paulus, ad leges Lib. decem.

Ex Lib. 1.

Lex Lege 44. de ritu nupt.
Lex Qui mortui 129. de V. S.

Ex Lib. 2.

Lex Senatoris 6. de Senat.
Lex Senatoris 47. de ritu nupt.
Lex Et diſtin. 63. ſoluto matrimonio.
Lex Liberta 35. de operis libertor.
Lex Qui libertinus 37. de operis libertor.
Lex Terentia 137. de V. S.
Lex anniculus 134. de V. S.
Lex Pretia 63. ad legem Falcidiam.
Lex 63. ſoluto matrimonio.

Ex Lib. 3.

Lex penult. de adopt.
L. Qui mittuntur 35. ex quibus cauſ. maior.
Lex Hi, qui 37. ex quibus cauſis maiores.
Lex Non vt à patre 8. de captiuis.
Lex Anniculus 132. de V. S.
Lex Non poteſt 218. de regulis iuris.

Ex Lib. 4.

Lex Et fideicommiſſum 87. de legatis 3.
Lex Hæreditatis 138. de V. S.
Lex Si ſolus 80. de adquir. hæredit.

Ex Lib. 5.

Lex Sed & 28. de legibus.
Lex Illæ 71. de hæred. inſtituend.
Lex Palàm 10. de iure codicillorum.
Lex Mortuo 49. de legatis 2.
Lex Lana 88. de legat. 3.
Lex Translatio 6. de adimend. legatis.
Lex vltima pro hærede.
Lex Fulconius 29. de rebus auctor. iud. poſ.

Ex Lib. 6.

Lex Cum quis 12. de cond. cauſa data.
Lex Sin autem 29. de legatis 1.
Lex Re coniuncti 89. de legatis 3.
Lex Si fundus 63. ad legem Falc.
Lex Si penum 24. quando dies legati cedat.
Lex Senatus 35. de mortis cauſa donat.
Lex cepiſſe 140. de V. S.
Lex triplici 142. de V. S.
Lex Si is, qui 29. de liberatione legata.

Ex Lib. 8.

Lex Qui contra 15. de iure Patronatus.

Ex Lib. 9.

Lex Is, qui 5. de iure aureor. annul.

Ex Lib. 10.

Lex vltima, ſi quid in fraudem patroni.
Lex Libro 144. de verb. ſign.

Ex Lib. 12.

Lex 2. de concub.

Iunius Mauricianus, ad leges lib. 2.

Ex Lib. 2.
Lex Si Auguſtæ 57. de legatis 2.
Lex Licet 23. de vſufructu legato.

Ex Lib. 3.
Lex Senatus 15. de iure Fiſci.

Terentius Clemens, ad leges lib. 20.

Ex Lib. 2.
Lex Iniquiſsimum 5. de iuris, & fact. ignor.
Lex Soceri 146. de verb. ſign.

Ex Lib. 3.
Lex Etiam 16. de probat.
Lex Non cogitur 21. de ritu nupt.
Lex Siue 61. de iure dot.
Lex Non oportet 52. de legatis 2.
Lex Qui in continentibus 147. de V. S.

Ex Lib. 4.
Lex Si quis ſolidum 72. de hæred. inſtit.
Lex Si is, qui 6. de vulgari ſubſtit.
Lex Cum ab vno 51. de legatis 2.
Lex Sed ſi hoc 62. de condit. & demonſtr.
Lex Quoties 67. ad legem Falcidiam.

Ex Lib. 5.

Lex Sed etſi 24. de donat. inter.
Lex Hoc modo 64. de condit, & demonſtr.
Lex quæſitum 31. qui, & à quibus.
Lex Delata 151. de verb. ſign.

Ex Lib. 6.
Lex Si quis habens 25. qui, & à quibus.

Ex Lib. 7.
Ex Lib. 8.
Lex Filio 48. de ritu nupt.
Lex Planè 14. de oper. liber.
Lex vltima, qui, & à quibus.

Ex Lib. 9.
Lex Eum 10. de iure patronat.
Lex Quæritur 38. de bonis liber.

Ex Lib. 10.
Lex Patroni 39. de bonis libertorum.

Ex Lib. 11.
Lex Intelligendus 153. de verb. ſign.

Ex Lib. 12.
Lex Si id, quod 22. de liber. legata.
Lex Si pater 40. de bonis liber.
Lex Sub conditione 10. de adſign. liber.

Ex Lib. 13.
Lex Si quis fundus 54. de legatis 2.

Ex Lib. 14.
Ex Lib. 15.

Lex Si mihi 59. de legatis 2.
Lex Optione 16. de optione legata.

Ex Lib. 16.
Lex Si ſeruus 82. de adquir. hæredit.

Ex Lib. 17.
Lex Cum optio 17. de optione legata.

Ex Lib. 18.
Lex Operis 5. de operis ſeruorum.
Lex vn. ca, de ademptione libertorum.

Ex Lib. 19.
Ex Lib. 20.

Vlpius Marcellus, ad leges lib. ſex.

Ex Lib. 1.
Lex Sciendum 32. D. de ritu nupt.
Lex Obſeruandum 49. de ritu nupt.
Lex Non 8. de cognoſcendis lib.
Lex Inter 38. de mortis cauſa donat.

Ex Lib. 2.
Ex Lib. 3.
Lex Plerique 33. de ritu nupt.
Lex Proximè 50. de ritu nupt.

Ti-

Titius Caius, ad leges lib. quindecim.

Ex Lib.1.

Lex Sæpè 17.de ſponſal.
Lex Qui vltimo 29.de pœnis.

Ex Lib.2.

Lex Simulatæ 30.de ritu nupt.
Lex Sicut 11.quemadmodùm teſtam. aper.

Ex Lib.3.

Lex Si teſtamento 5.de vulgari.
Lex Cum ita 63.de condit, & demonſtrat.

Ex Lib.4.

Lex In legibus 5. de teſtibus.

Ex Lib.5.

Lex In ſingulos 8.de annuis legatis.

Ex Lib.6.

Lex Iuris 7. de cenſibus.

Ex Lib.8.

Lex Illud 46.de ritu nupt.
Lex Non eſt 148.de verb.ſign.

Lex 4. de bonorum poſſeſſ.

Ex Lib.9.

Lex Si à te 150. de verbor. ſignific.

Ex Lib.10.

Lex Nulla 13.de ſuis, & legitimis hæred.
Lex Nam quem 149.de verbor.ſignific.
Lex Hominis 152.de verbor.ſignific.

Ex Lib. 11.

Lex Dicitur 14.de iure Fiſci.

Ex Lib.12.

Lex Si Titiæ 55. de legatis 2.
Lex Eum, qui 18.de manumiſsionibus.

Ex Lib.13.

Lex Sub conditione 73.de hæred. inſtit.
Lex In ſuis 14.de ſuis, & legitimis hæred.
Lex Si ſeruo 31. de ſtatu liber.

Ex Lib.14.

Lex Quod principi 56.de legatis 2.
Tex Si, cui 58.de legatis 2.

Ex Lib.15.

Lex In fraudem 10. de his, quæ vt indign.

INDEX LEGVM,

QVAE EX IVRIS IVSTINIANEI LIBRIS EXPONVNTVR, CORRIGVNTVR, ILLVSTRANTVR.

Littera l. librum, c. caput, r. reliquationem, numerus marginalem numerum demonſtrat.

EX PRIMA PANDECTARVM PARTE DIGEST. VETER.

De origine Iuris.

L. 2. §. *Ab hoc* 44. *l.* 1. *cap.* 7. *num.* 2.

De legibus.

L.Legis 7.*l.*4.*r.*2.*n.*12.
l.Sed & poſteriores 28.*l.*4.*r.*35.*n.*21.
l.Non eſt nouum, ibi.
l.Ideo, ibi.

De ſtatu hominum.

L.Paulus 11.*l.*2.*c.*5.*n.*7.
l.Lex naturæ 24.*l.*4.*r.*27.*n.*4.
l.Ingenuum 25.*l.*2.*c.*21.*ex n.*1.

De his, qui ſunt ſui, vel alien. iur.

L.Si Iudex 10.*l.*2.*c.*27.*n.*1.

De adoptionibus.

L.In omni 13.*l.*2.*c.*2.*n.*4.
l.Per adoptionem 35.*l.*2.*c.*2.*n.*7.
l.Si is, qui nepotem 44.*l.*2.*c.*2.*n.*5.
*l.fin.l.*2.*c.*23.*n.*10.

De Senatoribus.

L.Senatorem 3.*l.*2.*c.*30.*n.*1.
l.Senatoris 5.
l.Senatoris 6.*l.*2.*c.*2.n.1.
l.Emancipatum 7.
l.Emancipatum, §.1.*l.*2.*c.*5.*n.*1.
§.*vlt.l.*2.*c.*6.*n.*1.
l.Filiam 9.*l.*3.*c.*4.*n.*1.
l.Liberos 10.*l.*2.*c.*6.*n.*2.
*l.fin.l.*2.*c.*35.*n.*24.
§.*fin.l.*2.*c.*1.*n.*5.

De officio Conſulis.

L.vnic.§.*vlt.l.*2.*c.*8.*n.*10.

De officio Proconſul.

L.Proconſules 14.*l.*4.*r.*5.*n.*4.

De offic. Preſ.

L.Praeſes 3.*l.*3.*c.*8.*n.*2.
l.Illicitas 6.§.*vlt.l.*3.*c.*8.*n.*1.

De offic. Procur. Ceſar.

L.Curatores 3. §.1. *l.*3.*c.*48.*n.*1.

Si quis ius dicenti.

*l.vnic.*l.3.*c.*11.*n.*4.

De in ius vocando.

L.Adoptiuum 8.§.*vlt.l.*4.*r.*20.*n.*5.

De tranſactionibus.

L.Cum hi 8. §. *Tranſactiones* 18. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 4.
l.Nulli 13.*l.*1.*c.*8.*per tot.*

De his, qui notant. infam.

L.Atletas 4.§.*Ait* 2.*l.*3.*c.*12.*n.*4.
§.*Pomponius*, *l.*3.*c.*2.*n.*5.
l.Genero 8.*l.*1.*c.*20.*n.*2.
l.Solet 10.§.1.*l.*2.*c.*12.*n.*10.
l.Quid ergo 13.§.*Item ſi*, & §.*Cum autem*, *l.*2.*c.*12.*n.*6.

De dolo malo.

L.Si dolo 24.*l.*2.*c.*22.*n.*15.

De minoribus.

L.Nec per liberos 2.*l.*4.*r.*6.*n.*2. & *r.* 13. *n.* 2.

Ex quibus cauſ. maior.

L.Qui mittuntur 35.
l.Reipublicæ 36.
l.Hi, qui 37.
l.Si cui 38.*l.*4.*r.*34.*n.*1.

D 3

De recept.& qui arbitr.
L.Non ex omnibus 39.l.2.c.10.n.10.
De Iudicijs.
L.2.§.vlt.l.3.c.10.n.5.
De probat.hæredit.
L.Quòd ſi in diem 16.§.Idem Iulianus, l.4.r.17.n.8.
l.Item 20.§.Prætor,l.3.c.41.n.2.& l.4.r.35.n.19.
l.Ancillarum 27.§.vlt.l.3.c.13.n.1.
Si pars hereditatis.
L.fin.verſ.Nam etſi,l.4.r.37.n.2.
De rei vindicatione.
l.In fundo 38.l.1.c.23.n.1.
De vſufructu.
l.Sed ſi quid 15.§.Proinde,l.1.c.20.n.2.
l.Si Titio 33.l.4.c.36.n.7.
De vſufruct.accreſcend.
l.Si quis 7.l.4.r.37.n.13.
De operis ſervor.
l.Operis 5.l.4.r.12.n.2.
De ſervitutib.
l.Ius cloacę 7.l.4.r.36.n.10.
De ſervitut.præd.ruſticor.
l.Qui Sella 7.l.3.c.32.n.7.
De interrogat.in iur.faciend.
l.fin.l.1.c.24.n.3.& l.3.c.25.n.5.
De Religioſ.& ſumpt.
l.Et ſi quis 14.§.Impenſa,l.1.c.18.n.1.& c.22.n.2.
§.Diuus 14.l.3.c.6.n.8.
l.Funeris 37.l.1.c.15.16.17.18.20.21.& 22.
De iur.iurand.
l.fin.l.2.c.21.n.14.
De condit.cauſ.dat.
l.3.§.Si liber.l.4.r.18.n.2.
l.Cum quis 12.l.4.r.32.n.9.
l.fin.l.1.c.25.n.1.& c.17.n.2.
De condit.indebit.
l.Iulianus 60.l.2.c.21.n.15.
De tributor.action.
l.Si ſeruus 3.l.2.c.10.n.5.
Quod cum eo.
l.2.§.1.l.4.r.22.n.1.
Ad Macedonian.
l.3.§.vlt.l.4.r.22.n.1.
l.Item ſi 7.§.Proinde 7.l.2.c.11.n.6.
Quando de pecul.actio.
l.2.§.Alienatio,l.4.r.21.n.1.
De in rem verſo.
l.Et ideo 7.§.vlt.
l.Et nihil 8.l.4.r.31.n.5.
l.Filius 19.l.1.c.18.n.4.
De hæredit.vel act.vend.
l.2.§.Si quid 16.l.1.c.12.n.6.
De præſcript.verb.
l.Patris 10.l.4.r.33.n.8.
Quibus mod.pign.vel hypot.
l.Si deferente 13.l.2.c.21.n.18.
De Ædilit.edict.
l.Debet 27.l.1.c.10.n.3.
De noxalib.
l.Si plurium 5.
l.Si communis 9.
l.Si ex duobus 17.l.2.c.10.n.6.
De rebus credit.
l.2.§.Item 5.lib.4.r.10.n.16.
De probationib.
l.Etiam 16.l.4.r.5.n.14.& 7.n.1.
l.Qui teſtamentum 27.l.4.r.3.n.2.
De teſtibus.
l.3.§.Lege 2.l.2.c.41.n.3.
l.Lege 4.
l.In legibus 5.l.4.r.1.n.1.
De iur.& facti ignorant.
l.1.§.vlt.l.4.r.35.n.9.
l.Iniquiſſimum 5.l.2.c.10.n.1.
l.Nec ſupina 6.l.2.c.11.n.fin.
De ſponſalibus.
l.Oratione 16.l.2.c.18.n.2.& c.12.n.1.& l.3.c.6.n.1.
l.In ſponſalibus 14.l.4.r.3.n.1.
l.Sæpe 17.l.4.r.3.n.2.
De ritu nuptiar.
l.Nuptias 2.l.4.r.31.n.3.
l.Denique 6.l.2.c.12.n.12.
l.Adoptiuus 14.§.vlt.l.4.r.1.n.3.
l.Capite 19.l.4.r.31.n.4.
l.Non cogitur 21.l.4.r.31.n.8.
l.Si patre 22.ibi.
l.Lege 23.l.1.c.3.n.6.
l.In liberæ 24.l.4.r.2.n.8.
l.Reas 26.l.3.c.15.n.14.

l.Si quis 27.*l*.2.*c*.34.*n*.5.
l.Inuitam 28.
l.Quod & Atteius 29.*l*.4.*r*.31.*n*.6.
l.Simulatæ 30.*l*.4.*r*.5.*n*.13.& *r*.8.
l.Si Senatori 31.*l*.2.*c*.35.*n*.1.
l.Sciendum 32.*l*.2.*c*.34.*n*.1.
l.Plerique 33.*l*.4.*r*.28.*n*.6.
l.Generali 34.§.*vlt*.*l*.2.*c*.34.*n*.1.
l.Si quis officium 38.*l*.2.*c*.13.*n*.1.
l.Probrum 41.§.1.*l*.3.*cap*.18.*n*.6.
l.Semper 42.§ 1.*l*.3.*c*.2.*n*.3.
l.Palàm 43.*l*.2.*c*.1.*ex n*.1.
§.*Lenas* 7.*l*.3.*c*.12.
§.*Quæ in adulterio* 12.*l*.3.*c*.14.
§.*Non eſt ignoſcendum*, *l*.3.*c*.19.*n*.1.
§.*Lenocinium*, *l*.3.*c*.17.*n*.1.
§.*Non ſolmù*, *l*.3.*c*.25.*n*.1.
§.*Si qua*, §.*Senatus*, *l*.3.*c*.16.*n*.1.
l.Lege 44.*l*.2.*c*.1.*n*.1.
§.*Si poſtea*, *cum ſeq*.*l*.2.*c*.8.*n*.6.
§.*Nec diſtinguitur*, *cum duob. ſeqq*. *l*. 2. *c*. 31.*n*.1.
§.*Non obeſt*, *l*.2.*c*.28.*n*.2.& *c*.30.*n*.8.
§.*Si poſtea*, *l*.2 *c*.31.*n*.2.
l.In eo 45.§.*Hoc caput*, *l*.2.*c*.12.*n*.2.
§.1.*l* 2.*c*.21.*n*.5.
§.*vlt*.*l*.4.*r*.28.*n*.8.
l.Senatus 47.*l*.3.*c*.2.*n*.5.& *c*.34.*n*.1.
l.Filio 48.§.1.*l*.2 *c*.8.*n*.4.& *l*.3.*c*. 5.*n*.3.
l.Obſeruandum 49.*l*.3.*c*.5.*n*.2.
l.Inceſtæ 52.*l*.2.*c*.17.& 20.*n*.25.
l.à Diuo 58.*l*.2.*c*.9.*n*.1.& *c*.17.*n*.15.& *l*. 4.*r*.9.*n*.1.
l.Dote 61.*l*.2.*c*.17.*n*.14.& *c*.20.*n*.15.
l.Quamquàm 62 *l*.3.*c*.2.*n*.6.
l. Præfectus 63.*l*. 2. *c*. 15.*n*. 9. & *c*. 17. *n*.16.

De iur. dot.

l.Profectitia 5.§.*Si filius*, *l*.4.*r*.31.*n*.4.
§.*Si filius* 10.*l*.4.*r*.31.*n*.5.
l.Si ſeruus 39.§.*vlt*.*l*.4.*c*.4.*n*.5.
l.Quæro 60.*l*. 4. *r*.30.
l.Siue 62.*l* 4 *r*.17.
l.Dotis 68.*l*.2 *c*.18.*n*.1.

De donation. inter.

l.3.§.1.*l*.2.*c*.8.*n*.2.& *c*.14.*n*.2.
l.Quod autem 7.§.1.*l*.1.*c*.15.*n*.2.
l.Sed etſi 25.*l*.4.*r*.33.*n*.4.
l.Cum hic ſtatus 32.§.*pen*.*l*.2.*c*.14.*n*.2.
§.*Si quis deſponſam*, & *fin*.*l*.2.*c*.14.*n*.10.
l.Et ideo 62.§.1.*l*.4.*r*.28.*n*.7.

De diuortijs.

l.Vxores 6.
l.Nullum 9.
l.final, *l*.4.*r*.28.*n*.2.

Ex 2. Pandectarum parte, ſcilicet Digeſt. Infortiat.

Soluto matrimonio.

L.Dotalem 61.
l.Quòd ſi vir 62.
l.Et definit 63.
l.Si verò 64.
l.Hæc ratio 65.*l*.4.*r*.29.*n*.2.

De actione rer. amotar.

l.1.*verſ*.*Alijs*, *l*.1.*c*.13.*n*.2.
l.Si concubina 17. *l*. 2. *c*. 13.*n*.9.& *c*.20. *n*.14.

De agnoſcendis liberis.

l.pen.*l*.4.*r*.31 *n*.4.

De concubinis.

l. 1. §.1.
l.Si patronus 2.
l.In concubinatu 3.
l.Concubinam 4 *l*.4.*r*.2.*n* 6.

De tutoribus, & curator.

l.Prætor 4.*l* 4.*r* 30.
l.Ei, qui 17.*l*.2.*c* 32.*n* 5.
l.In dando 18 *l*.4 *r*.5 *n*.8.

De excuſat. tutor.

l.1.§.4.*l*.2.*c*.21.*n*.3.
l.Si duas 6 §.*Gentium*, *l* 2 *c*.37.*n*.6.
l Sed & milites 8.§.*Veteranus*, *l*.3 *c*.1.*n*.8.
l.Libertum 14 §.1.*l* 2.*c*.33 *n*.7.

De curat. furioſ.

l.Et mulieri 15 *l*. 3.*c*.26.*n*.26.

Qui teſtamenta facer.

l.Si mutus 7.*l*.1 *c*.10 *n* 5.

D.de liber.& poſthum.

l.In ſuis 11.*l*.1.*c*.23.*n*.2.

De hæredibus inſtituend.

l.Seruus 3.§ *vlt*.*l*.4.*r*.35.*n*.11.
l.Titius 24.*cum ſeq*.*l*.4. *r*.35.*n*. 31.

l.Qui

l.Qui ſoluendo 42.*l*.4.*r*.35.*n*.11.
l.In tempus 62.*l*.4.*r*.32.*n*.19.
l.Captatorias 70.
l.Ille 71.§.*Sed illud*,*l*.1.*c*.2.*n*.2. & *l*.4. *c*.
32.*n*.24.
l.Si quis 22.*l*.4.*r*.33.*n*.2.
l.Sub conditione 73.*l*.4.*r*.37.*n*.12.
l.Qui non militabat 78.§.1.*l*.4.*r*.32.*n*.20.
l.Quod ſi 80.*l*.4 *r*.32.*n*.20.
l.Etſi non lex 83 *l*.4.*r*.18. *n*. 23.
De vulgari,& pup.
l.ſi in teſtamento 5.*l*.4.*r*.35.*n*.35. & *r*. 36.
n.4.
l.ſi is,qui 6.*l*.4.*r*.33.*n*.15.
l.Quidam 30.*l.Cum ex filio* 39.§.*Quidam*,
l.4.*r*.35.*n*.23.
De condit.inſtit.
l.ſi quis 7.*l*.4.*r*.33.*n*.12.
De iure liber.
l.ait Prætor 7.§.*In cauſa* 3. *l*.1.*c*.22.*n*.4.
De adquir.hæredit.
l.Qui ex duabus 53.*l* 4.*r*.35.*n*.9.& *r*. 32.
n.8.
l.Cum ſolus 68.*l*.4.*r*.35 *n*.9.
l.Placet 79.*l*.4.*r*.3.*n*.4.
l.Si ſolus 80.*l*.4.*r* 35 *n*.9 & *r*.32.*n*.8.
§.*Idem* 1.*l* 4.*r*.37.*n*.2.
l.Toties 81.*l*.4.*r*.37.*n*.4.
l.Si ſeruus 82.*l*.4 *r*.32.*n*.18 & *r*.37.*n*.2.
Teſtamenta quemadm. aper.
L.ſi in duobus 10.
l.ſicut 11.
l.ſi quis fecerit 12. *l*. 4. *r*.31. *n*.6. & *r*.37.
n.8. Ad Syllanianum.
l.Cum Fiſco 9.*l*.4.*r*.35.*n*.2.
l.finali,*l*.2 *c*.10.*n*.4.
De iure codicill.
l.2.§.1.*l*.4.*r*.35.*n*.34.
l.Diui 6 §.*vlt*.*l*.4.*r*.35.*n*.34.
l.fin.*l*.4.*r*.37.*n*.8.
De legat.1.
l.Cum filio 11.§.*vlt*.*l*.4.*r*.36.*n*. 7.
l.Nemo 57.*l*.4.*r*.32.*n*.12.
l.Quidam 95.§.1.*l*.4.*r*.38.*n*.1.
§.*Quoties*,*l*.4.*r*.35.*n*.1.
l.ſi ſeruo 101.§.*vlt*.*l*.4.*r*.35.*n*.27.
l.ſeruo 113.§.1.*l*.1.*c*.19.*n*.1.
l.Filius 114.§.*Diuum* 14.*l*.1.*c*.9.*n*.2.
l.ſi quis 121.*l*.4.*r*.37.*n*.13.
De legat.2.
l.Cum patronus 28.*l*.4.*r*.17.*n*.21.& 23.
l.Pater 29.§.*vlt*.*l*.4.*r*.36.*n*.2.
l.Titio 36.§.*Nihil*,*l*.4.*c*.37.*n*.13.
l.ſi duobus 40.*l*.4.*r*.37.*n*.2.
l.Mæuia 41.§.1.*l*.2.*c*.2.*n*.29.
l.Mortuo 49.*l*.4.*r*.17.
l.ſi ita 51.§.*vlt*.*l*.4.*r*.8.*n*.1.& *r*. 33. *n*.
8.& 13.
l.Non oportet 52.*l*.4.*r*.32.*n*.14.
l.Cum ab vno 53.*l*.2.*c*.20.*n*.20. & *l*.4.
r.33.*n*.9.
l.ſi cui fundus 54.*l*.4.*r*.37.*n*.9.
l.Si Titio 55.*l*.4.*r*.37.*n*.8.
l.Quod Principi 56.*l*.4.*c*.35.*n*.17.
l.ſi Auguſtæ 57.*l*.4.*r*.35.*n*.32.
l.ſi cui 58.*l*.4.*r*.37.*n*.8.
l.ſi mihi 59.*l*.4.*r*.37.*n*.8.
l.Iulianus 60.*l*.4 *r*.36.*n*.6.
l.ſi Titio 61.*l*.4.*r*.37.*n*.8.
§.*Sed poſt reſcriptum*,*l*.4.*r*.35.*n*.3.
L.Lucius 88.§.*Quiſquis*,*l*.4.*r*.37.*n*.13.
L.fin.*l*.2.*c*.15.*n*.2.
§.*Seio*,*l*.4.*r*.37.*n*.13.
De legat.3.
L.Non dubium 14.*l*.4.*r*.27.*n*.12.
L.Patronus 35.*l*.3.§.1.*n*.8.
L.Pater 38.§.*Titia*,*l*.4.*r*.33.*n*.2.
L. Item 49.*l*. 3.*c*. 30. *n*. 5. & *c*. 32.
n.6.
L.Legatis 65.§.*Ornatricibus*,*l*.3.*c*.30.*n*.
5.& *c*.32.*n*.6.
L.Et fideicommiſſum 87.*l*.4.*r*.32.*n*.4.
L.Re coniuncti 89.*l*.4.*r*.31.*n*.1.
De annuis legat.
L.In ſingulis 8.*l*.4.*r*.17.*n*.27.
De vſufructu legat.
L.Si ab eo 9.*l*.4.*r*.36.*n*.7.
L.Patrimonij 22.*l*.4.*r*.36.*n*.9.
L.Licet 23.*l*.4.*c*.36.*n*.8.
L.Vxori 27.*c*.36.*n*.1.
L.fin.*l*.4.*r*.33.*n*.8.
De dote prælegata.
L.Dote 5.*l*.2.*c*.20.*n*.29.

De

De opt.legat.

L.Si tibi 8.§.*Vnius*.
L.Si Heros 11.
L.Optione 16.
L.Cum optio 17.
L.Si optio,*l*.4.*r*.37.*n*.10.

De aliment.legat.

L.Libertis 18.§.*vlt*.*l*.1.*c*.22.*n*.2.

De aur.& argent.legat.

L.2.§.*vlt*.*l*.4.*r*.35.*n*.54.
L.Vxori 13.*l*.3.*c*.32.*n*.7.
L.Qui vxori 18.*l*.4.*r*.33.*n*.2.
L.Cum aurum 19.§.*Si cui eſcarium*, *l*.1.*c*.25.*n*.2.
L.Veſtis 23.*l*.1.*c*.18.*n*.2.
§.1.*l*.3.*c*.29.*n*.4.
§.*Ornamentorum*,*l*.3.*c*.30.*n*.8.
L.Titiæ 35.*l*.4.*r*.2.*n*.10.
L.Titia 38.§.*fin*.*l*.1.*c*.13.*n*.1.
L.fin.§.*vlt*.*l*.1.*c*.19.*n*.2.

De liberat.legat.

L.Si id, quod 21.*l*.4.*r*.35.*n*.17.
L.Cum hæres 24.*l*.4.*r*.35.*n*.6.

De adimend.legat.

L.Ideo 4.
L.Translatio 6.*l*.4.*r*.27.*n*.9.
L.Legatum 24.*l*.4.*r*.33.*n*.14.

De regul.Caton.

L.fin.*l*.4.*r*.35.*n*.20.

De his,quæ pro non ſcript.

L.Si in metallum 3.§.1.
L.Si eo tempore 4.§.1.*l*.4.*r*.35.*n*.27.
L.fin.*l*.4.*r*.36.*n*.7.

De his,quæ vt indign.

L.2.§.*Per contrarium*,*l*.2.*c*.15.*n*.2.
§.1.*l*.2.*c*.16.*n*.10.
L.Si inimicitiæ 9.*l*.4.*r*.3.*n*.9.
§.*vlt*.*l*.2.*c*.16.*n*.14.
L.In fraudem 10.*l*.4.*r*.39.*n*.2.
L.Claudius 13.*l*.2.*c*.15.*n*.4. & *l*.3.*c*.15.*n*.6.
L.fin.*l*.4.*r*.33.*n*.4.

De condit.& demonſtrat.

L.Hæc conditio 10.*verſ.Sed enim*, *l*.2.*c*.18.*n*.1.
L.Multum 21.*l*.4.*r*.35.*n*.6.
L.Quoties 22.*l*.4.*r*.27 *n*.12.
L.Filiæ 28.§.1.*l*.1.*c*.12.*n*.4.
L.Si ſeparatim 30.*l*.4.*r*.37.*n*.6.
L.In teſtamento 31.*l*.4.*r*.35.*n*.12.
L.Falſa 33.§.*Sed ſi cui*,*l*.2.*c*.23.*n*.3.
L.Plautius 43.§.*Item*,*l*.4.*r*.36.*n*.5.
L.Interdicit 59.*l*.4.*r*.35.*n*.15.
L.In facto 60.§.*vlt*.*l*.4.*r*.36.*n*.3.
L.ſi vir 61.§.1.*l*.4.*r*.33.*n*.2.& *n*.13.
L.ſed ſi hoc 62.§.1.*l*.4.*r*.33.*n*.1.
L.Cum ita 63.
L.Hoc modo 64.*in princ*.& §.1.*l*.4.*r*.27.*n*.8.& 9.& *l*.1.*c*.6.*n*.4.
L.Auia 77.§.2.*l*.4.*r*.27.*n*.6.& *n*.12.
L.Hæres meus 79.§.*vlt*.*l*.4.*r*.27.*n*.6.
l.Iulius 81.*l*.4.*r*.37.*n*.14.
l.Titio 96.*l*.4.*r*.36.*n*.7. & §.*vlt*.*l*.4.*r*.27.*n*.14.
l.Eum,qui 104.*l*.4.*r*.35.*n*.6. & *r*.35.*n*.36.
l.fin.§.1.*l*.4.*r*.21.*n*.1.

Ad leg.Falcid.

L.Pœnales 32.§.*vlt*.*l*.1.*c*.14.*n*.2.
l.Sed ſi non 36.*l*.1.*c*.13.*n*.4.§.1.*l*.1.*cap*.14.*n*.2.
l.In teſtatoris 34.
l.Planè 35.
l.Sed ſi 36.*l*.1.*c*.13.*n*.4.
l.Serui 42.*l*.4.*r*.17.*n*.32.
l.Ex aſſe 52.*l*.4.*r*.17.*n*.27.
l.Lege 62.*cum ſeq*.*l*.4.*r*.3.*n*.5.
l.Quoties 67.*l*.4.*r*.33.*n*.3.
l.Computationi 68.*l*.1.*c*.11.*n*.1.

Si cui plus,quàm per leg.

L.1.§.*penult*.*l*.4.*r*.17.*n*.28.
l.Diuus 7.*l*.4.*r*.17.*n*.28.& *r*.36.*n*.9.

Ad Trebellianum.

L.Ita tamen 27.§.*Si patronus* 13.*l*.4.*r*.17.*n*.14.
l.Non eſt cogendus 53.*l*.2.*c*.18.*n*.10.
l.Patronus 60.*l*.4.*r*.17.*n*.18.
l.Lucius 78.§.*Maritus* 14.*l*.4.*r*.33.*n*.8.

Quando dies legat.

L.Si poſt 5.§.*Idem* 4.*l*.4.*r*.35.*n*.7.
l.Cum omnes 23.*l*.4.*r*.36.*n*.9.

l.Si penum 24.*l*.4.*r*.37.*n*.11.

De bonor.poſſeſſ.

L.3.§.*vlt*.*l*.4.*r*.37.*n*.2.
l.Veluti 4.*cum ſeq*.*l*.4.*r*.18.*n*.5.& *r*.37.*n*.2.
l.In bonorum 10.*l*.4.*r*.35.*n*.9.
l.Non eſt 12.§.1.*l*.4.*r*.32.*n*.3.

De dotis collatione.

L.Dotem 6.*l*.4.*r*.31.*n*.5.

De bonor.poſſeſſ.ſec.tabul.

L.1.§.*Sufficit*,*l*.4.*r*.35.*n*.9.

Si quis à parent. fuer. manum.

L.1.§.*vlt*.*l*.4.*r*.17.*n*.11.

De iure patronatus.

L.Adigere 6.§.*vlt*.*l*.3.*c*.4.*n*.2.
l.Filij 9.§.1.*l*.4.*r*.19.*n*.2.
l.Eum 10.*ibi*.
l.Is autem 11.*l*.4.*r*.35.*n*.21.
l.Si iurauero 14.*l*.2.*c*.21.*n*.9.
l.Qui contra 15.*l*.4.*r*.20.*n*.5.
l.Si libertus 16.*l*.4.*r*.17.*n*.6.
l.Diui 17.*l*.4.*r*.19.*num*.2.

De oper.libert.

L.Vt iuriſiurandi 7.§.*Iurare*, *l*.4.*r*.10.*num*.6.
L.Planè 14.*l*.4.*r*.10.*num*.1.& *r*.11.& 28.
L.Si operarum 29.*l*.4.*r*.10.*n*.15.
l.Libera 35.*l*.4.*r*.12.*num*.1.& *r*.25.*num*.3.
l.Labeo 36.*l*.4.*r*.18.*n*.14.
l.Qui libertinus 37.*l*.4.*r*.9.*n*.1.& *r*.17.*num*.4.
§.*Poſthumos*,*l*.2.*c*.9.*n*.3.
§.*Amiſsi*,*l*.4.*r*.5.*n*.5.
§.*Sed ſi creditori*,*l*.4.*r*.10.*n*.20.
§.*vlt*.*ibi*,*n*.21.
l.Hæc demum 38.*l*.3.*c*.13.*n*.2.
l.Liberta 46.*l*.4.*r*.11.*n*.1.
l.Sicut 48.*l*.4.*r*.11.*num*.13.

De bonis libert.

L.Etiam 3.*l*.4.*r*.18.*n*.2.
l.Leges 6.§.1.*l*.4.*r*.14.*n*.2.
l.Si ex patronis 10.§.1.*l*.4.*r*.18.*n*.3.
l.Si patronus 12.*l*.4.*r*.18.*n*.6.
l.Liberto 26.*l*.4.*r* 17.*n*.9.
l.Iulianus 37.§.1.*l*.4.*r*.15.*n*.2.& *r*.37.*num*.7.
l.Quæritur 38.*l*.4.*r*.18.*n*.3.
l.Patroni filia 39.*l*.4.*r*.14 *n*.2.
l.Si pater 40.*l*.4.*r*.18.*n*.13.
l.Si libertus 41.*l*.4.*r*.17.*n*.13.
l.Filius 42.§.*Paulus*, *l*.4.*r*.16.*n*.2.
l.Si Patronus 44.*l*.4.*r*.18.*n*.6.
§.*vlt*.*l*.4.*r*.17.*n*.32.
l.penult.§.*Si Patronus* 4.*l*.4.*r*.17.*n*.24.

De adſignand. libert.

L.Sub conditione 10.*l*.4.*r*.18.*n*.13.

De gradibus.

L.Labeo 6.*l*.4.*r*.1.*n*.1.

Vnde vir,& vxor.

L.vnica,*l*.2.*c*.15.*n*.8.& 13.

De ſuis,& legit.hæred.

L.3.§.*Si quis libertam*, *l*.4.*r*.20.*n*.1.
l.Si ex pluribus 9.*l*.4.*r*.37.*n*.4.
l.Nulla 13.*l*.4.*r*.13.*n*.5.
l.In ſuis 14.*l*.4.*r*.35.*n*.10.

Ad Tertyllianum.

L.1.§.*Si nemo* 9.*l*.4.*r*.31.*n*.3.
l.2.§.*Si mulier* 4.*l*.3.*c*.37.*n*.23.

****

EX 3. PANDECTARVM parte, videlicet Digeſto nouo.

De Publican. & vectigal.

L.Vectigal 10.*l*.1.*c*.8.*n*.2.

De mort.cauſ.donat.

L.Senatus 35.*l*.4.*r*.32.*n*.6.
l.Quod conditionis 36.*l*.4.*r*.33.*n*.11.
l.Illud 37.
l.Inter 38.*l*.4.*r*.32.*n*.10.
l.fin.*l*.4.*r*.32.*n*.8.
§.*vltim*.*l*.4.*r*.35.*n*.6.

De manūmiſsion.
L.Cauſam 20.*l*.4.*r*.37.*n*.17.
De manumiſ.vindict.
L.Alumnos 14.§.1.*l*.2.*c*.33.*n*.6.*&* *l*.3.*c*.2.*n*.8.§.*vlt*.*l*.3.*c*.4.*n*.2.
l.Si rogatus 20.§.*Matrimonij*, *l*.2.*c*.21.*n*.2.
De manumiſ.teſtament.
L.Seruum 36.*l*.4.*r*.10.*n*.19.
De adempt.libertat.
L.vnic.*l*.4.*r*.18.*n*.13.
De ſtatu liber.
L.Si Titius 24.*l*.4.*r*.10.*n*.19.
l.Si ſeruo 31.*l*.4.*r*.37.*n*.13.
l.fin.*l*.4.*r*.27.*n*.14.
Qui,& à quib.
L.Si quis habens 24.*l*.4.*r*.18.*n*.22.
l.penult.*&* *vlt*.*l*.4.*r*.20.*n*.5.*&* *r*.12.*n*.3.*&* *r*.27.*n*.15.
De iur.aureor.annulor.
L.Etiam 4.*l*.2.*c*.23.*n*.4.
l.Is, qui 5.*l*.4.*r*.18.*n*.2.
l.fin.*l*.2.*c*.23.*n*.4.
De liberal.cauſ.
L.Liberi 7.§.*Si duo*,*l*.2.*c*.11.*n*.2.
l.Si pariter 9.§.*Vnde*,*l*.4.*r*.17.*n*.16.
l.Non ſolus 22.§.*Sed etſi*,*l*.2.*c*.11.*n*.2.
l.Diui 27.§.1.*l*.2.*c*.22.*n*.5.
l.Si ſeruus 42.*l*.2.*c*.22.*n*.2.
l.fin.*l*.4.*r*.10.*n*.7.

Quibus ad libertat.proclamar.
L.fin.*l*.2.*c*.11.*n*.2.
Ne de ſtatu defunctor.
l.2.*l*.4.*r*.27.*n*.4.
De colluſion.detegenda.
l.1.*l*.2.*c*.36.*n*.6.
l.Si libertinus 4.*l*.2.*c*.22.*n*.6.

De fideicommiſſar.libertat.
L.4.§.*Eadem*,*l*.4.*r*.35.*n*.2.
l.decem 6.*l*.1.*c*.13.*n*.4.*&* *c*.14.
l.Lucius 14.*l*.1.*c*.23.*n*.2.
l.Generaliter 24.§.*Si quis alienum*, *l*.1.*c*.13.*n*.4.
l.Cum verò 26.§.*vlt*.*l*.1.*c*.12.*n*.3.
l.Tays 47 §.*Sticus*,*l*.1.*c*.23.*n*.2.

De vſucapionib.
L.Si hominem 19.*l*.1.*c*.18.*n*.5.
Pro herede.
L.fin.*l*.4.*r*.37.*n*.16.
De re iudicata.
L.Sæpe 63.*verſ.Nam etſi libertus*, *l*.2.*c*.22.*n*.3.
De confeſſ.
L.Certum 6.§.*Si quis abſente*, *l*.4.*r*.10.*n*.18.
De reb.auctorit.Iudic.
L.Intereſt 18.*l*.2.*c*.20.*n*.13.
l.Fulcinius 29.*l*.4.*r*.38.*n*.2.
Quę in fraud.creditor.
l.Is, qui 9.*l*.2.*c*.10.*n*.10.

De obligationib.& actionib.
L.Obligamur,§.*Lege*,*l*.4.*r*.31.*n*.4.
De verb.obligat.
L.Si ſtipulor 35.§.1.*l*.4.*r*.1.*n*.4.
De ſtipulat.ſeruor.
L.Si ex re 28.§.*vlt*.*l*.1.*c*.22.*n*.5.
De acceptilationib.
L.Et per iusiurandum 13.*l*.4.*r*.10.*n*.17.
De furtis.
L.Verum 39.*l*.3.*c*.33.*n*.7.
l.Qui ea mente 65.*l*.3.*c*.25.*n*.5.
l.Fullo 82.§.*Qui ancillam*, *l*.3.*c*.12.*n*.5.
Si famil. furt.feciſ.dicatur.
L.Familia 5.*l*.2.*c*.10.*n*.6.
De iniurijs.
L.Item 15.§.*Si quis virgines*, *l*.3.*c*.34.*n*.1.
De extraord. crimin.
L.1.§.*vlt*.*l*.3.*c*.30.*n*.4.
De ſepulchro violat.
L.3.§.*Aduersùs*,*l*.1.*c*.18.*n*.3.
Ad leg.Iul.de adulter.
L.Mater 10.§.1.*l*.2.*c*.30.*n*.4.
§.*vlt*.*l*.3.*c*.12.*n*.5.
l.Stuprum 34.*l*.4.*r*.2.*n*.8.
l.Miles 11.§.*vlt*.*l*.3.*c*.15.*n*.14.
l.Si vxor 13.§.*Si in ea*,*l*.3.*c*.33.*n*.4.
l.Si is, qui 42.*l*.2.*c*.33.*n*.8.
l.penult.*l*.4.*r*.28.*n*.11.

Ad

Ad leg. Corn. de Sicar.
L.Nihil 15.*l*.4.*r*.39.*n*.3.
Ad leg. Iul. peculat.
L.1.*l*.1.*c*.18.*n*.3.
l.4.§.*Non fit*,*l*.1.*c*.19.*n*.3.
§.*penult*.*l*.1.*c*.18.*n*.3.
Ad Turpil.
L.1.§.*Quorum* 4.*l*.3.*c*.8.*n*.2.
De pœnis.
L.Moris 9.§.*Sed vtrùm*,*l*.2.*c*.3.*n*.10.
l.Quædam 14.*l*.2.*c*.46.*n*.7.
l.Qui vltimo 29.*l*.4.*r*.4.*n*.4.
l.Cicero 39.*l*.4.*r*.35.*n*.29.
l.vlt.*l*.2.*c*.6.*n*.9.
De appellationib.
L.fin.*l*.1.*c*.25.*n* 4.

Quis, & à quo appelletur.
L.2.*l* 3.*c*.10.*n*.8.
De iure Fiſci.
L.2.§.2.*l*.4.*r*.38.*n*.1.
l.3.§.*Quando*,*l*.4.*r*.32.*n*.16.
l.Edicto 13.*l*.1.*c*.6.*n*.4.
l.Dicitur 14.*l*.4.*r*.36.*n*.3.
l.Ita fidei 40.§.*vlt*.*l*.4.*r*.17.*n*.20.

De captiuis.
L.Non à patre 8.*l*.4.*r*.28.*n*.8.
l.Apud hoſtes 9.*l*.4.*r*.33.*n*.11.
l.Bona 22.*verſ*. *Quòd ſi nemo*, *l*.4.*r*.38. *n*.1.
De re militari.
L.3. §.1.*l*.3.*c*.5.*n*.8.
De caſtrenſi pecul.
L.3.*l*.4.*r*.34.*n*.3.
l.Diuus 13.*ibi*.
l.Dotem 16.*in princ*.& §.1.*l*.4.*r*.33.*n*.17. & *r*.34.*n*.3.
Ad municipalem.
L.Ordine 15.*l*.3.*c*.8.*n*.1.
l.Filij 22.§.*Senatores*,*l*.2.*c*.3.*n*.5.

De Decurionibus.
L.2.*verſ*.*In ano*,*l*.2.*c*.6.*n*.4.& 10.
§.*In filijs*,*l*.2.*c*.3.*n*.8.
De muner. & honor.
L.2.*l*.4.*r*.6.*n*.1.
l.fin.§.*Ab huiuſmodi*,*l*.2.*c*.37.*n*.5.
De vacation. muner.
L.2.§.*Adoptiui*,*l*.4.*r*.8.*n*.4.

De iur. immunit.
L.Semper 5.§.*Immunitati*,*l*.4.*r*.23.*n*.1.
l.fin.*l*.4.*r*.35.*n*.2.
De cenſibus.
L.Cum poſſeſſor 5 §.1.*l*.1.*c*.12.*n*.1.
l.Iuris 6.*l*.4.*r*.33.*n*.1.
De verb. ſign.
L.Spadonum 128.*l*.3.*c*.4.*n*.1.
l.Lege 130.*l*.4.*r*.4.*n*.2.
l.Aliud 131.*l*.3.*c*.6.*n*.1.
§.1.*l*.3.*c*.10.*n*.1.
l.Anniculus 132.*l*.4.*r*.33.*n*.10.
l.Si quis ſic 133.*l*.4.*r*.32.*n*.13.
l.Anniculus 134.*l*.4.*r*.33.*n*.10.
l.Quæret 135.*l*.4.*r*.33.*n*.12.
l.Generi 136.*l*.4.*r*.1.*n*.1.
l.Ter 137.*l*.4.*r*.21.*n*.1.
l.Hæreditatis 138.*l*.4.*r*.32.*n*.3.
l.Ædificia 139.*l* 4.*r*.5.*n*.4.
l.Cœpiſſe 140.*l*.4.*r*.4.*n*.4.
l.Etiam 141.*l*.4.*r*.21.*n*.1.& *r*.33.*n*.10.
l.Triplici 142.*l*.4.*r*.7.*n*.13.
l.Id apud 143.*l*.4 *r*.29.*n*.3.
l.Libro 144.*l*.4.*r*.2 *n*.1.
l.Virilis 145.*l*.4.*r*.17.*n*.4.
l.Qui in continentibus 147.*l*.4.*r*.35.*n*.4.& *l*.4.*r*.32.*n*.15.
l.Non eſt 148.*l*.4.*r*.32.*n*.23.
l.Vnquam 149.*ibi*.
l.Si ita 150.*l* 4.*r*.17.*n*.28.
l.Delatam 151.*l*.4.*r*.27.*n*.15.
l. Hominis 152.*l*.4.*r*.39.*n*.4.
l.Intelligendus 153.*l*.4 *r*.13.*n*.4.
l.Mille 154.*l*.1.*c*.25.*n*.2.
l.Liberorum 220.*l*.2.*c*.7.*n*.2.
l.Si qua 244.*l*.3.*c*.7.*n*.1.& *c*.8.

De regulis iur.
L.Non poteſt 208.*l*.4.*r*.33.*n*.10.
L.Seruitutem 209.*l*.4.*r*.35.*n*.16.

(✠)

De Sacroſanct. Eccleſ.

*L.*2.*l.*1.*c.*18.*n.* 7.

De Epiſc.& Cleric.

L. Leges 20.*l.*3.*c.*45.*n.*3.

l.Nulla 27. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 1. *& l.*3.*c.* 45. *n.* 3.

De Epiſcopal.audient.

*L.*1.*l.*3.*c.*37.*n.*14.

l. Mimæ 4.*l.*3.*c.*30.*n.*1.

l.Neque 14.*l.*2.*c.*24.*n.*4.

l.vlt.§.1.*ibi.*

De hæreticis.

L.Humanum 9.*l.*1.*c.*21.*n.*7.

De Iudæis.

L.Nemo 7.*l.*3.*c.*24.*n.*3.

De modo mulctarum.

*L.*1.*l.*3.*c.*7.*n.*9.*& c.*9.

*l.*3.*l.*3.*c.*11.*n.*11.

l.Mulctarum 5.*l.*3.*c.*9.*n.*11.

De tranſactionib.

*L.*2.*l.*1.*c.*9.*n.* 1.

De ſportulis.

*L.*3.*l.*3.*c.*10.*n.*6.

De inofficioſo teſtamento.

L.Si quando 53.§.*Generaliter*, *l.* 4.*r.*17. *n.*15.

De Religioſis.

L.Nemo 14.*l.*1.*c.*18.*n.*7.*l.*3.*c.*44.*n.*11.

*l.fin.l.*1.*c.*17.*n.*5.

De ſponſalibus.

L.Si à ſponſo 16.*l.*2.*c.*36.*n.*4.

Si Rector Prouinciç.

*L.vnic.l.*2.*c.*13.*n.*2.

De commercijs.

*L.*1.*l.*3.*c.*37.*n.*14.

De donation.ante nupt.

L.Ea, quæ 5.*l.*2.*c.*20.*n.* 9.

De nuptijs.

*L.*1.*l.*3.*c.*50.*n.*17.

*l.*3.*l.*2.*c.*33.*n.*5.

l.Nec filium 12.*l.*4.*r.* 24.*n.*2.

l.Vxorem 15.*l.*3.*c.*2.

l.Viduæ 18.*l.*3.*c.*50.*n.*17.

l. à caligato 21.*l.*2.*c.*39.*n.*1.

l.Si donationum 22.*ibi.*

l.Imperialis 23. *cum ſuis* §§. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 5.

§.*Imò* 7.*l.*2.*c.*40.*n.* 10. *& lib.* 3. *cap.* 37. *n.* 1.

l.Sancimus 24.*l.*3.*c.*39.*n.*10.

l.Si furioſi 25.*l.*4.*r.*25.*n.*2.

l.Si quis 26.*l.*3.*c.*3.*n.*12.

l.Si libertam 28.*l.*2.*c.* 8.*n.*9.*& c.*31.*n.*2.

De inceſt.nuptijs.

*L.*4.*l.*2.*c.*9.*n.*2.*& l.*4.*r.*14.

l. Si quis 6.*l.*2.*c.*17.*n.*2.

l.Humilem 7.*l.*2.*c.*42.*n.*1.

De interdicto matrim.

*L.fin.l.*2.*c.*17.*n.*10.*& c.*24.*n.*3.

De donation.inter.

L.Si voluntate 6.*l.*2.*c.*14.*n.*4.

De natural.liber.

*L.*1.*l.*2.*c.*36. *n.* 1. *& c.* 38. *n.* 5. *& c.* 41. *n.*2.

l.Lege 7.*l.*2.*c.*41.*n.*8.

l.Nuper 11.*l.*2.*c.*5.*n.*8.

Quando mulier tutelç offic.

*L.vlt.l.*3.*c.*28.*n.*3.

De operis libertor.

L.Quod ex liberta 11.*l.*4.*r.*11.*n.*1.

De obſeq.Patron.præſtand.

*L.*2.*l.*4.*r.*11.*n.*1.

De libert.& eor.liber.

*L.vltim.l.*2.*c.*40.*n.*15.

De bonor.poſſeſſ. contra tabul.

*L.*1.*l.*4.*r.*15.*n.*1.

Vnde vir, & vxor.

*L.vnic.l.*4.*r.*33.*n.*4.

De teſtament.

L.Neque 5.*l.*2.*c.*16.*n.*22.

De hæred.inſtituend.

L.Si pater 4.

l.Nec apud 7.*l.*2.*c.*16.*n.*12.

De iur.deliberandi.

L.Si fratris, *l.*4.*r.*35.*n.*9.

De edict.Diui Adrian.toll.

*L.fin.l.*1.*c.*25.*n.*4.

De codicill.

*L.fin.l.*1.*c.*25.*n.*4.

De legat.

L.Non tantùm 19.*l.*4.*r.*33.*n.*14.

De

De indicta viduit.
L.2.& 3.l.4.r.27.per tot.
Ad leg.Falcid.
L.Si ea 13.*l.*1.*c.*14.*n* 4.
De caduc.toll.
L.vnic.§.*Hæc autem,l.*4.*r.*32 *n.*6.
§.*Cum igitur,l.*4.*r.*35.*n.*3.
§.*In nouiſsimo,cum aliis, l.*4.*r.*35.*per tot.*
§.*Et cum lex,l.*4.*r.*36.
§.*Sed ipſis,l.*4.*r.*37.*n.*6.
§.*Cum igitur.*§.*Libertatibus,l* 4.*r.* 37.*n.*8.
Quando dies legati.
l.Cum vxori 4.*l.*4.*r.*33 *n.*8.
De ſuis,& legit.hæred.
L.Ex libera 6.*l.*2.*c.*3.*n.*10.
Ad Orfician.
L.Si qua illuſtris 5.*l.*3.*c.*2.*n.*5.
De legit.hęred.
L.Si maior 12.*l.*4.*r.*27.*n.*2.
De appellationib.
L.Et in multis 25.*l.*3.*c.*8.*n.*13.

Quorum appellat.non recip.
L.Quiſquis 6.*l.*1.*c.*25.*n.*4.
De patria poteſt.
L.Abdicatio 6.*l.*3.*c.*47.*n.*4.
De infirmand pœn.cœlibat.
*L.*2.*l.*4 *r.*33.*per tot.*
Ad leg.Iul.de adulter.
L.Eum,qui duas 18.*l.*2.*c.*20.*n.*9.
L.Si ea 22.*l.*3.*c.*33.*n.*2.
L.Quæ in adulterium 29.*l.*3.*c.*33.*n.*6.
De ſepulchro violato.
L.Pergit 5.*l.*1.*c.*22.*n.*3.
*L.fin.l.*3.*c.*44.*n.*11.
Ad leg.Viſel.
*L.vnic.l.*3.*c.*1.*n.*44.
De mutat.nomin.
*L.vnic.l.*3.*c.*1.*n.*14.
De quæſtionib.
L.Diuo 11.*l.*2.*c.*6.*n.* 4.
De bon.vacant.
L.Vacantia 4.*l.*4.*r.*35.*n.*2.
De his,qui ſe deferunt.
*L.vnic.l.*4.*r.*33.*n.*4.& *l.*4.*r.*40.

Decurion.
L.In Albo 9.*l.*4 *r.*6.*n.*2.
De imponend.lucrat.deſcript.
*L.vnic.l.*1.*c.*24 *n.*5.
De Dignitatib.
L.Senator 11.*l.*2.*c.*3.*n.*3.& *c.*4.*n.*6.
De Equeſtri dignit.
*L.vnic.l.*2.*c.*36.*n.* 8.
De numerariis.
L.Actuarios 7.*l.*2.*c.*29.*n.*10.

Ex Nouellis Iuſtin. & aliorum Imperatorum.
*Nouell.Iuſtin.*22.*c.*43.& 44.*l.*4.*r.*27.
*Nouell.*36.*de reſtitut.l.*3.*c.*27.*n.*4.
*Nouell.*72.*l.*3.*c.*2.*n.*4.
*Nouell.*115.§.*ſi alicui, l.* 3.*c.*28.*n.*11.
*Nouell.*117.*c.*4.*l.*2.*c.*40.*n.*21.
*Et c.*6.§.*De illo,l.*3.*c.*37.*n.* 1.
*Nouell.*134.*l.*3.*c.*39.*n.*7.
*Nouell.*137.*c.*1.*l.*3.*c.*43.*n.*9.
*Nou.*18.*Theod.de Lenon.l.*3.*c.*37.*n.*13.
*Nouell.Martian.de matrim.Senator.l.*2.*c.*28.*n.*4.& *c.*42.*per tot.*
*Nouell.*1.*Anthemii, de mulier. quæ ſe ſeru.propr.l.*2.*c.*33.*n.*9.& *l.*3.*c.*3.*n.*1.
*Nouell.*8.*Maioriani,l.*3.*c.*49.*n.*11.

Ex Inſtitutionibus.

De ingenuis.
*Principiũ V.Sed etſi quis,l.*1.*c.*18.*n.*5.
De ſucceſſ.libert.
§.*Sed noſtra,l.*4.*r.*17.*n.*2.

Ex Codice Theodoſiano.

Ex lib.2.
De his,qui veniam ætat.
L. 1. *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 8.
De inofficioſ.dot.
L. 2. *lib.* 4. *reliq.* 31. *num.* 1.
Ex lib.3.
De nuptiis.
L. 1. *lib.* 3. *cap.* 50. *num.* 17.
De repudiis.
*L.*1.*lib.*3.*c.*30.*n.*8.

Ex lib. 4.

De libert.& cor.liber.
L.3.l.2.c.40.n. 7.& 14.

Ex lib.5.
De legit.hæredib.
L.fin.l.4.r.33.n.4.

Ex lib.6.
De Decurionibus.
L.Quoniam 6.l.2.c.39.n.3.
L.145.l.fin.lib.2.c.38.n.11.

Ex lib.8.
De diuerſ. officijs.
L.20.& 21.l.2.c.29.n.10.

Ex lib. 9.
Ad leg.Iul.de adulter.
L.Fędiſsimam 20.l.3.c.15.n.3.
& l.3.c.17.n.3.
De pœnis.
L.11.l.2.c.41.n. 2.
De bon.proſcript.
L.1.l.4.r.32.n.6.& r. 33.n.4.
l.8.& 9.l.4.r.21.n.1.

Ex lib.10.
De petitionib.& quæ vltro.
L.30.l.4.r.35.n.2.
De veſtibus olober.
L.1.2.& 3.l.3.c.29.n. 6.
De conductor.& hom.dom.
Auguſtæ.
L.1.l.2.c.4.n.7.

Ex lib.12.
De his,qui numero liberor.
L.vnic.l.4.r.8.n.4.

Ex lib.13.
De luſtral. collation.
L.Negotiatores 5. leg. 11. & 18. l. 3. c. 37. n. 14.
De cenſu,ſiue adſcriptione.
L.4.& 6.l.3.c.28.n.1.

De Nauicularijs.
L.Pro commoditate 7.l.4.r.23.n.1.& r. 33.n.4.

Ex lib.14.
De ſtudijs liberalibus Romæ.
L.1.l.2.c.46.n.11.
De habitu,quo vti oportet.
L.1.l.1.c.18.n.7.

Ex lib.15.
De ſcenicis.
L.8.l.2.c.29.n. 5.
L.Fidicinam 10.l.2.c.44.n.11.
De expenſ.ludor.
L.2.l.2.c.38.n.8.
De vſu Sellarum.
L.vnic.l.3.c.32.n.15.

Ex lib.16.
De hęreticis.
L.2.l.1.c.21.n.5.
l.7.l.3.c.31.n.10.
l.36.l.2.c.41.n.11.
De pagan.
L.4.l.2.c.44.n.10.
l.Priuilegia 14.l.2.c.38.n.10.
L.17.l.2.c.44 n.10.
De Religione.
L.1.l.3.c.43.n.5.

Ex fragmentis iur.Roman.veter.
Lex 12.tabul.de ſeruili vnctura exponitur,l.1.c.16.n.5.
De ricinijs,l.1.c.19.n. 3.
Scantinia lex,quę? l.1.c.22.n.4.
Titia lex,quæ? l.1.c.22.n. 2.& 4.
Lex Falcidia,cap.3.expl.l.3.c.6.n.5.

Lex Iul.& Pap.per tot.hoc opus illuſtr.
Lex Iul.de adulter.cap.3.expl.l.3.c.6. n. 5.
Lex Iul.Norbana de Latin.expl.l.4. r. 35.n.4.
Lex Poſthumia de robo non reſperg.vino,l.1.c.16.n.6.
Lex Rhemia de calumnia expl. lib. 3.c. 16.n.6.
Lex Ateria,ſiue Tarpeia expl.l.3.c.11. n.4.

Lex

Lex Voconia expl.l.4.r.21.n.1.
Lex Valeria,l.3.c.6.n.8.
Viſellia lex,quando,& ſub quibus Conſul.lata?l.3.c.1.n.12.

Senatuſconſulta.

Claudianum,Caluiſianum,Pernicianum, illuſtrantur,l.4.r.25.n.5.

Paulus.

Paul.l.2.ſentent.tit.31.§.11.lib. 3.c. 33.n.8.
Et lib.3.tit.4.§.Conditiones, lib. 4.r. 32.n.12.
Et tit.de legat.§.Interdum, l. 4.c.37. n.6.
Et lib.4.tit.6.§.vlt.lib.1.c.25.n.1.
Et tit.8.§.Fœmina,l.4.r.21.n.1.
Et tit.9.§.Latina,l.2.c.39.n.9.
Et lib.5.tit.25.§.Qui inſignibus, l. 3. c.1.n.13.

Vlpianus.

Vlpi.tit.1.§ 21.lib.4.r.37.n.1.
Tit.2.§. Latinus,lib.4.r.35.n.4.
Tit.3.§.Liberis,l.4.r.27.n.6.
§.vltim.lib.4.r.27.n.1.
Tit.7.§.vlt.l.4.r.27.n.4.
Tit.11.§.Ea lege,ibi.n.6.
§.Ex lege 20.l.4.r.27.& 30.
§.Teſtamento,l.4.r.35.n.4.
Tit.13.l.4.r.32.n.22.
§.vlt.l.3.c.16.n.1.& l.3.c.65.n.1.
Tit.14.l.4.r.26.n.1.
Tit.15.l.4.r.33.n.4.
Tit.16.l.4.r.34.per tot.
Et §.fin.l.1.c.24 n.2.
§.Qui intra,l.4.r.25.n.1.
§.Item libro,l.2.c.39.n.9.
§.Aliquando,l.2.c.15.n.1.
§.fin.l.2.c.17.n.10.
Tit.17.l 4.r.33.n.15.& r.35. n. 1.& r.36.n.1.
§.1.l.4.r.36.n.3.
Tit.18.l.4.r.36.n.1.
Tit.19.§.Leges 17.l.4.r.39.
Tit.22.§.Latinus,l.4.r.32.n.13.
Tit.24.§.12.& 13.l.4.r.37.n.1.
Tit.25.l.4.r.36.n.1.
§.Si quis in fraude n.l.4.r.39.
Tit.28.§.Inteſtati 4.l.4.r.38.n.1.
§.7.l.4.r.35.n. 2.
Tit.29.§.Licet,cum ſeq.l.4.r.13.
§.Contra,l.4.r.14.n.1.
§.Patrone 6.l.4.r.15.n.1.
§. vltim. lib. 4. r. 16. n. 1.

Ex Hiſpano Regio iure.

Ex foro Iudicum.

L.11.tit. 3.lib. 2. leg. Viſigot. l. 3. c. 49.n.19.

Ex legibus ſtyli.

L.118.l.3.c.55.n.5.

Ex libro Ordinam.

L.vltim.tit.14.lib.5.l 3.c.27.n.1.

Ex legib.Taur.

L.62.l.3.c.18.n.10.

Ex iur.7.Partit.

L.36.tit.6.p.1.l.2.c.47.n.5.
L.50.& 56.tit.6.p.1 l.3.c.43.n.3.
L 4 tit.22.p.3.l.3.c.9.n.1.
L.43.tit.18.p.3.l.2.c.7.n.17.
L.21.tit.22.p.3.l.2.c.24.n.11.
L.10.tit.1.p.4.l.3.c.49.n.14.
L.fin.tit.10.p.4.l.3.c.41.n. 9. & l. 2. c.41.n.13.
L.3.tit.12.p.4.l.3.c.27.n.5.
L.50.tit.14.p.5.l.2.c 20.n.1.
L.5.tit.7.p.6.l.3.c.28.n.11.
L.9.tit.9.p.7.l.3.c.34.n.3.
L.3.tit.20.p.7.l.3.c.33.n.10.
L.8.tit.31.p.7.l.3.c.9.n.7.

Ex nouiſſ. Compilat.

L.25.tit.3.l.1.l.3.c.6.n.8.
l.4.tit.4.l.1.l.3.c.54.n.18.
L.5.tit.6.l.1.l.3.c.6.n.8.
L.8.tit.5.l.1.l.3.c.55.n.17.
L.2.tit.6.l.1.l.3.c.53.n.3.
Et in appendice,§.Los articulos 3. l. 5. c.6.n.1.
L.35.36.& 37.tit.7.l.1.l.2.c.25. n.7.
L.9.& 10.tit.11.l.2.l.2.c.4. n. 6. & c.7.n.8.
L.7.8.& 9.tit.11.l.2.l.2.c.24.n.32
L.33.§.11.tit. 11, l. 2, lib. 2.c . 27. num. 11.

L.

*L.*10.*tit.*4.*l.*2.*l.*3.*c.*56.*n.*12.
*L.*29.*tit.*4.*l.*2.*l.*3.*c.*48.*n.*8.
*L.*36.*tit.*5.*l.*2.*l.*3.*c.*54.*n.*16.
*L.*46.*tit.*5.*l.*2.*l.*3.*c.*55.*n.*17.
*L.*11.*tit.*4.*l.*2.*l.*3.*c.*6.*n.*8.
*L.*34.*tit.*1.*l.*2.*l.*3.*c.*6.*n.*8.
*L.*13.*tit.*3.*l.*4.*l.*3.*c.*48.*n.*8.
*L.*3.*tit.*1.*l.*4.*l.*3.*c.*55.*n.*20.
*L.*5.*tit.*9.*l.*5.*l.*3.*c.*27.*n.*1.
*L.*9.& 10.*tit.*1.*l.*5.*l.*3.*c.*49.*n.*7.
*L.*3.*tit.*1.*l.*5.*l.*3.*c.*50.*n.*4.
*L.*2.*tit.*6.& *l.*13.*l.*5.*l.*1.*c.* 20. *n. fin.*
*L.*1.*tit.*1.*l.*6.*l.*2.*c.*4.*n.*11.
*L.*9.*tit.*19 §.*vlt.l.*6.*l.*3.*c.*33.*n.*4.
*L.*14.§.21.*tit.*12.*l.*7.*l.*1.*c.*20.*n.fin.*
*L.*2.§.17.*l.*3.§.18.*l.*4.§.5.*l.*13.§.15.
*tit.*12.*l.*7.*Recop.l.* 3.*c.*29.*n.*2.
*L.*14.§.12.*tit.*12.*l.*7.*l.*3.*c.*33.*n.*4.
*L.*8.*tit.*11.*l.*8.*Recop.l.*3.*c.* 9.*n.*8.
*L.*7.*tit.*19.*l.*8.*l.*3.*c.*30.*n.*2.
*L.*7.§.*vlt.tit.*4.*l.*8.*l.*3.*c.*32.*n.*18.
*L.*2.*tit.*13.*l.*8.*l.*3.*c.*33.*n.*10.
*L.*2.*tit.*26.*l.*8.*l.*3.*c.*9.*n.*10.
*L.*7.*tit.*19.*l.*8.*l.*3.*c.*30.*n.*2.

Ex Canonici iur. libris.
Ex Decreto Gratiani.

Cap. Quædam 7.*diſt.*2.*l.*1.*c.*2.*n.*2.
cap. Duo mala 13.*diſt.*3.*l.*2.*c.*2 *n.*3.
cap. Pium 8.*diſt.*3. *l.*2.*c.*2.*n.*7.
c. Si gens 56.*diſt.*3.*l.*3.*c.*36.*n.*13.
cap. Si Epiſcopus 13.*diſt.* 18. *l.*3.*c.* 46. *n.* 3.
c. Non liceat 32.*diſt.*23.*l.*3.*c.*31.*n.*7.
c. Si cuius 11. 34.*diſt.l.*3.*c.*39.*n.*5.
*c. Si quis viduam,*34.*diſt.l.*3. *c.*9.*n.*1.
c. In illis 2.80.*diſt.l.*2.*c.*4.*n.* 1.
*c.*1. 21.*q.*4.*l.*3.*c.*29.*n.*5.
c. Reprehenſibile 23.*q.*8.*l.*3.*c.*3.*n.*10.
c. Cum ſocietas 27.*q.*2.*l.*1.*c.*19.*n.*5.
*c.*1. 29.*q* 2.*l.*3.*c.*3.*n.*8.
cap. Si quis ancillam 29.*q.*2.*l.*3. *c.* 3.*n.* 9.& 10.
c. Placuit 5. 32.*q.*7.*l.*3.*c.*41.*n.*16.
c. Meretrices 32.*q.*4.*l.*3.*c.*36.*n.*9.
c. Non omnis 12.32.*q.*5.*l.*2. *c.*40.*n.*11. & *l.*3.*c.*3.*n.*2.
c. De his 12. 33.*q.*2.*l.*2.*c.* 29. *n.*5.*l.*3. *c.*40.*n.*41.
c. Ad ſedem 35.*q.*2.*l.*3.*c.*41.*n.*9.
c. Nemo 40. *c. Conſulto* 46. *de conſecr. diſt.*1.*l.*1.*c.*19.*n.*5.
cap. Corpora 37.*de conſ.diſt.*1.*l.*3.*c.*44. *num.*11.
c. Irreligioſa 2.*de conſ.diſt.*2. *l.*2.*c.*44. *n.* 12.
cap. Neophyti 12.*de conſ.diſt.*5. *l.* 2.*c.* 38.*n.*5.
Canon 18.*Apoſtolor.* *l.*3.*c.*39.*n.*1.

Ex Decretalibus Gregor. IX.

De Conſtitutionibus.
Cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, *l.* 3.*c.* 45. *n.* 3.
De auctorit. & vſu pallij.
*Cap.*2.*l.*1.*c.*19.*n.*5.
De Iudicijs.
Cap. Quanto 3.*l.*3.*c.*52.*n.*6.
De rebus Eccleſiæ.
Cap. fin. *l.*1.*cap.*21.*n.*1.
De iure patronat.
Cap. Relatum 21.*l.*3.*c.*57.*n.*6.
De immunit. Eccleſiar.
Cap. Inter 6.*l.*3.*c.*54.*n.*18.
De ſponſalibus.
Cap. 1.*l.* 3. *c.* 51. *n.* 13.
Cap. Inter opera, *l.*3.*c.*35.*n.*8.& *l.*3. *c.* 40.*n.*1.
Qui Clerici, vel vouentes.
*Cap. fin.l.*3.*c.*49.*n.*6.
Qui filij ſint legitimi.
Cap. Per venerabilem, *l.*3.*c.*37.*n.*21.
De donat. inter.
Cap. Etſi neceſſe, *l.*2.*c.*1.*n.*9.
De ſecund. nupt.
*Cap. penult.& fin.l.*3.*c.*50.*n.*7.
De exceſsibus Prælator.
Cap. Inter dilectos, *l.*2.*c.*44.*n.* 6.
De iniurijs.
Cap. Olim 7.*l.*3.*c.*47.*n.*1.
De ſentent. excommunic.
Cap. In audientia 25.*l.*3.*c.*34.*n.*1.
Cap. nuper 29.*l.*3.*c.*49.*n.*1.

Ex

Ex Sacris Biblijs.

Geneſ.c.19.& 38.l.3.c.20.n.8.& l.2. c.3.n.1.
Cap.36.l.3.c.36.n.10.
Ezechiel.c.46.l.3.c.12.n.4.
Cap.16.l.3.c.37.n.3.
Hierem.cap.34.l.1.c.16.n. 1. & c.16. n.2. 12.& 13.
Iſaias c.3.l.3.c.30.n.8
Micheas,l.1.l.3.c.37.n.9.
Baruch cap.6.l.3.c.37.n.9.
Oſeas c. 1.l.3.c.40.n.2.
Ioſue cap.2.& 6.l.3.c.40.n.3.
Daniel,cap.13.l.3.c.21.n.9.
Eſther cap.14.ad fin.l.3.c.30.n.10.
Leuit.cap.19.l.3.c.31.n.4.& c.21. l. 3.c.39 n.4.
Deuteron.c.26.l.3.c.37.n.7. & c. 23. l.3.c.37.n.20.
Regum lib.3.c.2.v.20.l.3.c.48.n.6. & v.22.l.3.c.51.n.3.
Paralip.2.c.16.l.1.c.16.n. 1.
Exordium Pſalmi 1.l.2.c.46.n.18.
Actuum Apoſtolor. c.19.v.31.l.2.cap. 37.n.7.c.22.v.4.l. 2.c.37.n.2.
Apocalypſ.c.19.l.2.c.12.n.13.
D.Petrus epiſt.1.c.4.l.3.c.21.n. 7. & ep.1.c.3.l.3.c.30.n.10.
D.Paul.ad Titum,cap.1.& ad Thimot. c.3.l.1.c.5.n.2.
Et ad Corinth.ep.1.c.7.v.39.l.3.c.50. num.6.
D.Luc.cap.15.lib.2.cap.26.n.11.

Ex Conciliorum,& Pontificum Decretis.

Concil.Africanũ can.27.l.2.c.38.n.13.
Abern.ſub Vigilio can.3.l.1.c.19.n.5.
Braccarenſe 1.can.11.l.3.c.31.ex n.1.
Cæſarauguſtan.1.c.6.l.3.c.31.n.10.
Conſtantinopol.3.can.5.l.3.c.4.n.9.
Illiberit.can.44.l.3.c.40.n.4. & can. 67.l.3.c.38.n.4.
Concil.Roman.2.ſub Gregor.1. can.4.l. 1.c.18.n.7.
Taurinenſe,can.2.l.2.c.47.n.7.
Toletan.4.can.41.l.3.c.31.n.8.
Tolet.9.can.12.l.3.c.3.n.16.
Tolet.ann.1324.l.2.c.44.n.14.
Triburienſe can.38.l.3.c.3.n.14.
Trullan.ſeu Synodus 6.can. 96.l.3.c. 31.n.6.& 10.& c.33.& 42.
Trident.Seſſ.22 can.8.de reform. l.3. c.57.n.8.
Et Seſſ.24.cap.1.l.3.c.49.n.6.
Et Seſſ.25.cap.9.ibi.
§.Reliqui,l.3.c.57.n.8.
Eutychiani Decretum,l.1.c.18.n.6.
Nicolaus ad conſulta Bulgar.c. 47.l.3. c.38.n.6.

Ex Sanct. Patrib.

S.Auguſt.de Sermone Domini in monte, l.3.c.24.n.8.
S.Hieron.l.1.aduerſ.Iouinin.c.4.l.1.c. 3 n.4.
Et ad Oceanum epiſt.83.l.2.c.23.n.8.

****

Ex amœnorum litterarum Authoribus explanantur, emendantur, illuſtrantur.

A

Ammian.Marcellin.lib.14. l.3.c.32.n. 2.& l.4.r.32.n.25.
Apuleius lib.1.florid.l.3.c.8.n.3.
Aul.Gel.lib.1.noct.c.12.l.4.r.22.n.1.
Auſon.in gratiar.actione pro Conſulat. l.1.c.26.n.1.
Idem epigr.88.l.1.c.2.n.4.

C

Cicero lib.2.de legib. l.1.c.16.n.6.

D

Dio Caſsius lib.36.l.1.c.2.n.2.

I

Iuuenal.Satyr.2.l.2.c.5.n.6.
Satyr.3.l.3.c.32.n.10.
Satyr.9.l. 4.r.36.n.4.

L

Lactant.Firm.lib.1.de falſ.relig. c.16. l.4.r.25.n.1.
Lamprid.in Alex.l.3.c.37.n.13.
Liuius lib.39.l.3.c.1.n.3.
Ludou.Arioſt.cant.29.l.3.c.13.n.8.

M

Macrob.l.1.Satur.c.5.l.1.c.10.n.4.

Martial.lib.6.ep.2.& 91.l.1.c.1. n.5.
Martian.Capel.de nupt.

N

Nicephor.Calixt.lib.7.hiſt.c.46.l.4.r.
33.*n*.17.

O

Optatus Mileuit.lib.3. aduerſ.Parmen.
l.3.c.42.n.5.& lib.6.l.1.c.19 n.5.

P

Panægyriſtes vetus,l.1.c.4.n.4.
Petron.in Satyr.cap.78.l.1.c.19.n.5.
& cap.76.l.4.r.32.n.25.
Plinius lib.6.hiſt.c.3.l.3.c.32.n.19.
Plin.in Panægyr.l.1.c.1.n.5.& l. 1. c.
11.*n*.1.*& c*.15.*n*.1.*& c*.23.*n*. 1. *&*
fin.& c.24.n.1.
Et lib.1.epiſt.14.l.1.c.10.n.3.
Prudent.lib.2.contra Symmac.l.1.c.10.
n.4.

S

Seneca epiſt.33.l.1.c.18.n.6.
Sozomen.lib.1.hiſt.c.9.l.4.r.33.n.17.
Et lib.10.epiſt.54.l.4.r.22.n. 1.
Sueton.in Tiber.c.35.l.3.c.12.n.5.
In Claud.cap.29.l.4.r.23.n.2.
Symmach.lib.4.ep.45.& lib. 5. ep.9.l.
3.*c*.7.*n*.8.

T

Tacit.lib.3.Annal.lib.1.c.1.n.5. & l.4.
r.35.n.1.
Tertul.in apolog.c.4.l.1.c.1.n.5.& l.4.
r.24.n.1.
Et c.43.l.3.c.11.n.4.
Aduerſ.Valent.c.31.l.1.c.1.n.5.
Aduerſus Gnoſticos c.7.l.1.c.16.n.4.
De pudicitia c.14.l.3.c.8.n.3.
De Pallio,c.4.l.3.c.12.n.5 & c.32.n.
11.
Et c.6.l.3.c.5.n.6.
De veland.Virgin.l.3.c.30.n.11.
In poemat.de Sodom.l.3. c.23.n.1.
De Monogam.c.16.l.1.c.1.n. 5.
Trebel.Pol.in Valerian.l.3.c.7.n.8.

D. FRANCISCI RAMOS DEL MANZANO, IVRISCONSVLTI.

AD LEGES IVLIAM, ET PAPIAM COMMENTARIORVM Liber Primus.

IN QVO

DE ORIGINE, ET CAVSIS IVLIÆ, PAPIÆQVE LEGVM, Τὰ πρῶτα,

& ad Legem Iuliam de Viceſsima hæreditatum.

LIBER EXCVRSVS.

CAPVT I.

DE IVLIÆ LEGIS AVCTORE, NOMINE, ET SIGNATA MENTIONE in Iuris, aliiſque Libris.

ARGVMENTVM.

COmmentationis huius exemplum à Iuriſconſultis; vtilitas, & difficultas. Auguſti in ſexto Conſulatu ferendarum Legum cura. Lata tunc primùm Lex de maritandis ordinibus, & iterata, & perrogata poſtea ab eodem Auguſto, Lentulis Coſſ. Dicta, Iulia, ab Auguſto, qui Iulius adoptione Cæſaris: & de maritandis ordinibus; quia primaria eius cautio de connubio Senatorum cum plebe, & libertinis. Mentio eiuſdem in noſtris, aliiſque Scriptoribus: & notati, qui Auctorem alium huic Legi tribuunt. Ab iteratione eius legis expoſita Iuliarum mentio apud Tacitum, Plinium, Tertullianum. Eiuſdem Tertulliani, Horatij, & Martialis teſtimonia, quæ ob homonymiam noſtrę Legi non ſemel tribuuntur. Vindicata Iulia de adulterijs.

1 IVLIÆ de maritandis Ordinibus, item Papiæ Poppææ Legum Commentationem, Balduino, Lipſio, Torrentio, &c, vicennio poſt Academica noſtra ſcripta, ſcribenti Gothofredo, aut ſi qui alij ex nouioribus, tentatam potiùs, quàm tritam, primi ex profeſſo aggredimur poſt veteres Iuriſconſultos, inter quos Domitium Vlpianum, & Terentium Clementem viginti; T. Caium quindecim; Iulium Paulum, decem; Vlpium Marcellum, & Iunium Mauritianum libros ſex, ad Leges Iuliam, & Papiam ſcripſiſſe, & inſcripſiſſe conſtat ex Indice, Pandectis, Iuſtiniani iuſſu, præpoſito. Quibus ex libris centum, & octoginta circiter fragmenta ad Leges has inſcripta, ne minutiores eorum partes, ſiue, vt vocant, Paragraphos, recenſeamus, diſperſa à Triboniano, & adiuuis in Digeſtis

occurrunt, quæ vix, niſi per nebulam, ſine harum Legum cognitione, poſſunt introſpici. Enitemur itaque ſingula illorum capita, qualia, quantaque litterario diario certamini publicis prælis data Salmanticæ anno 1632. in Academia noſtra: *Vnde de plano rectè legi poßent*, vt in vetere formula eſt, collegimus, proſcripſimus, & propoſuimus, perpetuo Commentario illuſtrare, & fugitiuam legum memoriam, queis nullæ inter Romanas celebriores, ab obliuionis tenebris retrahemus in lucem. Opus ſanè longè, latèque patens, &, vt alibi Iuſtinianus, in omni penè corpore iuris effuſum, & de quo pridem Lipſius editione prima in Tacitum 3. Annalium iuſta cenſura edixit: *Si quis has Leges* (Iuliam, & Papiam) *ornare, augere, aut calamiſtris velit inurere, Brißonio, aut Cuiacio aliquo opus eße, non dupondio Iuriſconſulto*. Quamquam neque ea cenſura nos deterruerit à Commentationis huius aggreſſu, vtcumque longè infra illa magna nomina, ac vix dupondios, tamen Iuris Romani interpretãdi pro Anteceſſuræ munere ſcientiam profeſſos. Quin potiùs vel ex eo ipſo prolixiorem nobis veniam ab æquis rerum æſtimatoribus exoratam iri ſperamus, ſicubi in reſerandis veteris, iamque intermortuæ iuriſprudentiæ myſterijs humanitus offenderimus: *Non enim mediocres tenebræ in Sylua, vbi hæc captanda: neque eò, quò peruenire volumus, ſemitæ tritæ: necnon in tramitibus quædam obiecta, quæ euntem retinere poſſent*. Vt eleganter olim M. Varro.

2 In primis verò origo, & cauſæ earumdem legum ferendarum ex profeſſo enarrandæ ſunt. Sint hæc commentationis noſtræ primordia, &, vt cum Iuſtiniano dicamus, τὰ πρῶτα. Ergo, vt antiquioribus teſtibus, & ideo melioribus, legis vtriuſque originem firmemus, meminiſſe oportebit, Auguſtum anno ab Vrbe condita 725. ſexto eiuſdem Conſulatu, in quo, deuicto Antonio, *Potentiæ ſecurus, quæ Triumuiratu iuſſerat, aboleuit, deditque iura, queis pace, & Principe vteremur*. Vt ſcribit Tacitus 3. Annalium, &, vt Velleius loquitur, lib. 2. *Finita bella Ciuilia, ſepulta externa, reuocata pax, ſopitus vbique armorum furor, reſtituta vis legibus, iudicijs authoritas, Senatui Maieſtas*. Et paulò poſt: *Leges emendatæ vtiliter, latæ ſalubriter*; ſiue denique, vt poſt Dionem Caſſium lib. 53. Hiſtoriarum, memorant Caſſiodorus in Chronico, Oroſius lib. 6. Hiſtor. cap. 22. *Rempublicam, quam bello quæſiuerat, pace enutrire, atque amplificare ſtudens, leges plurimas ſtatuit, per quas humanum genus libera reuerentia diſciplinæ morem gereret*, atque, vt Ouidius cecinit vltimo Metamorphoſ.

Pace data terris, animum ad Ciuilia vertit
Iura ſuum, legeſque tulit iuſtiſſimus Auctor.

Meminiſſe, inquam, oportebit, in eo Conſulatu ſexto, aut circiter ſeptimo, 3
& anno ſcilicet Vrbis 726. (nec enim facile, imò nec pretium operæ eſt, rem ad calculos Chronicos exigere, & in re leui ampullas) tuliſſe Auguſtum, inter alias, legem, quæ præmijs, pœniſque ad matrimonia excitabat. Ea lex fuit Iulia de maritandis ordinibus, tentata primùm tunc, & rogata ab Auguſto, tertio anno poſt victum Antonium, ſiue poſt bellum Actiacum, vt ſignificat vetus Scholiaſtes Horatij in Sæculari cantu, his verbis: *Lex marita dicitur, quæ de maritandis ordinibus lata erat, & Iulia dicta eſt. Cæſar enim poſt bellum legem tulit, ne quis aut cælebs eſſe,*

aut

aut vidua nubilis, quo poſſet iactura iuuenum reparari, quæ bellis Ciuilibus contigerat; nam prope octoginta millia armatorum interierant.

Sed cum tunc ſatis nec perferri,
4 nec ſtabiliri lex potuiſſet, ſeueriùs eadem emendata, & perrogata eſt ab eodem Auguſto anno ab V. C. 736. Lentulis Coſſ. vt apertè Dio Caſsius in eiuſce anni actis lib. 54. vbi ſic cum vulgata legimus verſione: *Grauiorem mulctam innuptis vtriuſque ſexus impoſuit, rurſuſque nuptiarum, & multitudinis liberorum præmia conſtituit.* Appellata eſt hæc Lex, Iulia, ab Auguſto, ſicut plures aliæ ab eo latæ, velut Iulia de adulterijs. *l. 1. D. ad Leg. Iul. de adulter.* quia teſtamento adoptatus à Iulio Cæſare, in nomen, & Familiam Iuliam adſcitus eſt; vt commemorant *Sueton. in Iulio cap. 83. & in Auguſto cap. 7. Florus in Epitome Liuiana lib. 116. Velleius Paterculus lib. 2. Eutrop. lib. 7. in princip. Oroſius lib. 6. Hiſtor. cap. 18. Appianus lib. 2. & 3. bellor. Ciuil. Egeſippus lib. 1. de excid. Hieroſolymit. cap. 27. Zonaras 2. tom. Annal.* Præ cæteris conſpicuè *Dio Caſsius lib. 45. & 46.* Vbi ita de Auguſto ex verſione Xylandri: *Deinde ſecundùm inſtituta maiorum in Cæſaris familiam adoptatus eſt, nomenque mutauit (quamquam enim iam ante, vt fert quorumdam ſententia, Cæſaris nomen ſibi cum hæreditate aſſumpſerat, tamen nec id nomen conſtanter, neque apud omnes gerebat, priùſquàm more Romano id confirmaſſet) ac C. Iulius Cæſar Octauianus dictus eſt.* & teſtimonio certo ſunt, ne in re aperta moremur, Capitolinæ Tabulæ, & Lapides, ac Nummi, quos ſepiùs vidimus, paſsimque occurrunt, ſic inſcripti: AVGVSTVS DIVI F. Nuncupata præterea hæc Lex, de maritandis ordinibus; quia primaria eius cura, matrimonijs ordinis Senatorij cum plebe, aut libertinis formam præſcribere: idque primum fortaſſe Iuliæ Legis caput. *l. Lege 44. D. de ritu nupt.* vnde eſt, *Lex marita*, ſeu *maritalis*, vt commentator vetus ex Plauto notat, vocatur ab Horatio in Sæculari carmine, quod ſcripſit anno poſt latam Legem proximo 737. ab V. C. quo Sæculares ludi facti ab Auguſto:

Diua producas ſobolem, patrumque
Proſperes decreta, ſuper iugandis
Fœminis, proliſque noua feraci
Lege Marita.

Extat in libris noſtris clara legis huiuſce mentio ſub appellatione Iuliæ de maritandis ordinibus in *l. vnic. in fin. D. Vnde vir, & vxor. l. Adigere 6. §. vltim. D. de iure Patron. l. Nec Patronis 6. C. de oper. lib.* & apud *Vlpianum tit. 11. §. Ex Lege Iulia.* Meminerunt eiuſdem paſsim *Dio lib. 54. & 56.* & ex eo *Zonaras 2. Annal. Sueton. in Auguſto, cap. 34. Leges,* inquit, *retractauit, & quaſdam ex integro ſanxit, vt Sumptuariam, & de adulterijs, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. Hanc cum aliquantò, quàm cæteras, ſeueriùs emendaſſet,* & deinceps. Florus in Epitome Liuiana lib. 59. *Extat eius oratio, quam Auguſtus Cæſar, cum de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore ſcriptam, in Senatu recitauit.* Agell. lib. 2. noctium Atticar. cap. 15. Apuleius Apologia pro ſe ipſo 2. *Lex quidem Iulia de maritandis Ordinibus, nunquam ſcilicet ad hunc modum interdicit: vxorem in Villa ne ducito.* Iuuenalis Satyr. 6. cuius locum ad Legem Iuliam de adulterijs perperam alij trahunt.

Sed placet Vrſidio Lex Iulia, tollere
dulcem

Cogitat hæredem, cariturus turture magno,
Mulorumque iubis, & captatore macello.

5 Liquebit, ſcio, iam peccare largiter eruditiores quoſdam ætatis noſtræ, qui Suetonij, Florique locis, quorum meminimus, decepti, affirmant, Iuliam de maritandis ordinibus non Auguſtum primum tuliſſe, ſed ab alijs latam emendaſſe. Quia quamvis certum, iam ante Auguſtum Romanis morib' cœlibes mulctatos, & coactos ad vxores ducendas, liberoſque procreandos, de quo poſtea; primus tamen Auguſtus ea de re Iuliam legem, de maritandis ordinibus inſcriptam, ſuaſit, & promulgauit, ſexto ſuo Conſulatu, & eamdem poſtea retractauit, emendauitque anno ab V. C. 736. vt ex Dione ſatis probauimus. Sed & ab hac iteratione Iuliæ legis ferendæ nata Iuliarum legum, ſeu rogationum mentio apud Tacitum 3. Annal. *Relatum deinde, de moderanda Papia Poppæa, quam Senior Auguſtus poſt Iulias rogationes incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario ſanxerat.* Plinium in Panægyrico ad Traianum: *Locupletabant & Fiſcum, & ærarium non tam Voconiæ, & Iuliæ Leges, quàm Maieſtatis, ſingulare, & vnicum crimen eorum, qui crimine vacarent.* Tertullian. in Apologetico adu. gentes cap. 4. *Nonne vaniſſimas Papias Leges, quæ ante liberos ſuſcipi cogunt, quam Iuliæ matrimonium contrahi*, & deinceps. Et de Monogamia cap. 16. *Aliud eſt, ſi & apud Chriſtum legibus Iulijs agi credunt, & exiſtimant, cælibes, & orbos ex teſtamento Dei ſolidum non poſſe capere.* Obſcurum autem illud eiuſdem Tertulliani adverſus Valentinianos cap. 31. in quo lapſus Briſſonius de iure connub. pag. 9. *Credas enim, vbi de loco in locum tranſmigratur, leges quoque Iulias interuenire*, huc non pertinet, ſed ad Iuliam de adulterijs, ac de vi. Sic ad priorem illam de adulterijs, & ſtupris, amaram ſcilicet, atque ipſi Veneri, Martique timendam, quam reuocauit, tragico nuper pollutus adulter concubitu, Domitianus, de quo *Iuuenal. Satyr. 2. Sueton. in eius vita cap. 8. Zonar. Annal. 2. tom. Martial. lib. 6. Epigram. 2. & 91.* Referam eiuſdem Epigrammata, quæ perperam ad Iuliam noſtram de maritandis transferunt alij, & inter eos vir magnus Antonius Auguſtinus de Legibus, in Iulia de maritandis; vnum ex lib. 5. Epigr. 76.

Quæ, legis cauſa, nupſit tibi Lælia, Quinte,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Duo etiam ex libr. 6. primum de Theleſina.

Iulia lex populis ex quo, Fauſtine, renata eſt,
Atque intrare domos iuſſa pudicitia.
Aut minùs, aut certè non plùs triceſima lux eſt,
Et nubit decimo iam Theleſina viro.
Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege eſt:
Offendor mœcha ſimpliciore minùs.

Alterum in Proculinam.

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modò, nunc facis maritum,
Ne lex Iulia te notare poſſit,
Non nubis, Proculina, ſed fateris.

Ad eamdem de adulterijs legem, non ad Iuliam, Papiamve noſtram (vt inconſpectè in illarum commentariolo Torrentius voluit) pertinent Horatiana carmina, quibus ma-

maculoſum adulterij nefas, Auguſti legibus edomitum, pœna culpam premente; & laudari puerperas ſimili prole (quæ ſcilicet, vt Catullus alibi, matris ſuæ pudicitiam ore indicat) iactat ille *lib. 4. Ode 5.*

Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos, & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes.

CAPVT II.

DE ORIGINE, ET AVCTORE PAPIÆ POPPÆÆ LEGIS, & eiuſdem mentione apud Iuriſconſultos, & alios.

ARGVMENTVM.

IVlia lex rogata, & perrogata ſępius, non obſeruata. Ei firmandæ, ſecuta Papia Poppęa, de cuius tempore, & Auctore variæ, & vanæ aliorum ſententiæ. Lata de conſilio Auguſti, iam Senioris, à Papio Mutilo, & Poppæo Secundo Conſulibus. An item per Senatum? Non liquet: vtcumque coniectetur Lipſius. Illuſtratæ l. 71. & 75. D. de hæredib. inſtit. Inde Papiæ Poppææ nomen. Aliorum, qui aliunde ducunt, notatæ nugę. Illuſtratus Dio, & Iſidorus. Mentio eius legis apud Auctores iuris, & alios. Auſonij Epigrammation expoſitum: & in tranſcurſu quænam Scantinia lex, & Titia. Diuerſę à Papia noſtra alię Papię, de peregrinis, & de ſocijs.

1 CÆterùm cum lex Iulia, quamuis ſæpiùs lata, & perlata, perfici tamen, & frequentari, præ multitudine recuſantium, non potuiſſet, niſi adempta demum, lenitave parte pœnarum, & vacatione triennij data, auctiſque præmijs; & ſic quoque abolitio eius, publico ſpectaculo, pertinaciter poſtularetur, vt *Suetonius* ſcribit *in Auguſto cap. 34.* & quidem ab Equitibus Romanis; de quibus nominatim, poſt Suetonium, *Dio lib. 56.* in princip. *Quoniam verò inter hæc Equites magno ſtudio eam legem, quæ de coniugij, liberorumque expertibus lata fuerat, antiquari cupiebant.* Quaproptcr, eam ſublatam, ſignificat *Propertius*, ad Iuliam noſtram reſpiciens *lib. 2. Elegia 7.* per totam.

Gauiſa eſt certè, ſublatam, Cynthia, legem,
Qua quondam edicta, flemus vterque diu,
Ne nos diuideret.

Secuta tandem eſt, Iuliæ legi firmandæ, eodem fere fine, forma, effectu, Papia Poppæa lex: de cuius tempore, & auctore effutiunt vanè multa Accurſiani, poſt *Bartolum in l. Eum qui poſt D. de conditionib. & demonſtrationib. & in l. Si duobus 16. D. de leg. 1.* affirmantes, Papiam legem, & caduca, Iuriſconſultorum æuo non viguiſſe; in quo ſaltem vidit aliquid amplius *Ioannes vetus Gloſſographus, apud Accurſium in dict. l. Si duobus, & Raphael Cuman. in l. Celſus, aliàs l. Pater 29. D. de leg. 2.* agnoſcens Papiæ, & caducorum vſum ſub Iuriſconſultis, quorum fragmenta in Pandectis extant. Nec certiores in hac re duces *Alexander ab Alexandro lib. 4. genial. cap. 22. Cœl. Rhodigin. 26. lection. cap. 14. Connan. 8. com. cap. 1. num. 5. Corraſ. 2. Miſcellan. cap. 23. num. 9. Beroald. Sabellic. Egnat.* 2

 alj-

aliſque apud Petrum Gregor. 9. Syntagm. cap. 6. ex num. 5. qui Papiam, vel antiquiorem Auguſto, vel ab eo ipſo latam, vacillanti pede firmant, & cum Iulia, & Pompeia lege confundunt, ac miſcent. Sed obſervatum iam eruditioribus, latam fuiſſe legem Papiam poſt Iulias rogationes, de conſilio Auguſti, iam Senioris, quinque circiter annis ante eius mortem (vnde & ipſum ſanxiſſe ſcribit *Tacitus lib. 3. Annal.*) & perrogatam à M. Papio. M. F. M. N. Mutilo, & Q. Poppæo Q. F. Q. N. Secundo Conſulibus, ſuffectis ex Kalendis Iulijs, vt Capitolinæ Tabulæ numerant, anno ab V. C. 761. Et ex vtriuſque Conſulis nomine nuncupatam Papiã Poppæam. Aliunde Papiæ nomen qui ducunt, & à Cypria Papho deriuant, ingenioſè, vt ſibi videntur, arguti: næ illi, vt leniſsimè dicam, puerili vitio peccant, & meras in re leui blatiunt nugas; haud ſecus quàm ſi quis eadem ludendi libidine Papiam dictam putaret à παπάζειν, ſiue παππάζειν, quod eſt, patrem ciere; ſiue potius à πάππα, hoc eſt, patre, quomodò Regiæ domus cuſtodem vocat Conſtantinus Manaſſes in Chronico, quaſi præcipua legis Papiæ cura, præmijs, pœniſque patres ex orbis facere. Sed apage has ineptias. Locuples rei teſtis Dio Caſsius lib. 56. Hiſtor. Rom. in cuius verbis, præmonente Leuclauio, & Xylandro, pro Πόπλιος, & Πούπλιυς, quæ temere irrepſerant, reponendum Ποππαῖος, & Ποππαίυς. Dionis autem ſententia hæc: *Inde lex quoque Papia Poppæa à M. Papio Mutilo, & Q. Poppæo Secundo lata eſt, qui parte eius anni Conſules, vterque neque vxorem, neque liberos habebat: quo ipſo deprehendi potuit, quàm ea lex neceſſaria fuiſſet.* Conſentit Dioni, *Diuus Iſidorus libr. 5. Ethymolog. cap. 15.* improbè, & imperitè *ab Alciato 3. diſpunct. 3. Nicol. Lanſi. 9. miſcellan. cap. 3.* & alijs notatus, cuius verba, poſt Gregorianam Decreti emendationem, præeunte illi, inter alios Illuſtriſsimo Præſide noſtro Couarrubias in 4. de ſponſal. 2. part. cap. 8. num. 4. ſic hodiè habent in cap. Quædam 7. 2. diſtinct. *Sub Octauiano Cæſare ſuffecti Conſules Papius, & Poppæus legem tulerunt, quæ à nominibus eorum Papia, & Poppæa nominatur, continens patrum præmia pro ſuſcipiendis liberis.* Tacitus 3. Annal. *Relatum deinde, de moderanda Papia Poppæa, quam Senior Auguſtus, poſt Iulias rogationes, incitandis cœlibum pœnis, & augendo ærario ſanxerat.* Et eodem libro poſtea: *Et lege Papia Poppæa præmijs inducti, vt ſi à priuilegijs parentum ceſſaretur, velut parens omnium, populus vacantia teneret.* Iam verò Papiam legem latam per Senatum, aſſeruit pridem, & verum *Lipſius ad Annalium Taciti tertium*; argumento ex Epigraphe, & Textu *l. Illa 71. §. Sed illud, D. de hæred. inſtit.* Sed argumento omnino leui, quia Senatus, & Senatuſconſulti inibi mentio, referenda ad S. C. de captatorijs inſtitutionibus, de quo in antecedenti *l. 70. D. de hæred. inſt.* quamquam & fortaſſe illud S. C. factum occaſione Papiæ, & Iuliæ legum; quoniam plerumque cœlibes, orbique illicio inſtitutionum captabantur.

Eſt autem Papiæ legis crebra, & diſerta mentio apud noſtros, vel in hiſce fragmentis, quæ nobis reliqua, in Pandectis, & Iuſtiniani Codice, Triboniani induſtria fecit. *l. Lege Papia 23. de ritu nuptiar. l. 2. C. de infirmandis pœnis cœlibatus. l. vnica. C. de caducis tollendis. l. Sancimus 17. cum l. ſeq. C. de nuptijs. §. Poſtea Inſti-* 3.

ſtit. de ſucceſsione libert. Quò magis riſu, neſcio, an miſeratione digniores antiquiores, memorati nuper, interpretes, qui Iuriſconſultorum memoria Papiam legem non viguiſſe docent, vel quoniam antè lata, & ſublata; vel quia poſt illos ante Iuſtinianum in vſu eſſe cœpit. Sed & in Theodoſiano Codice Papiæ legis veſtigia, & quaſi volæ quædam, intercurrunt in *l. 2. de inoffícioſ. dotib. l. Si aliquis 9. de bonis proſcriptor. l. Pro commoditate 7. C. de nauiculariis.* Et apud *Vlpianum tit.* 1. §. *Inter medias, & tit.* 14. 16. *&* 18. *& titul.* 19. §. *Lege, & tit.* 24. §. *Optimum, &* §. *Legatorum, & toto tit.* 29. *Licinium Ruffinum*, ſiue quis alius eſt Auctor *Collationis legum Moſaycarum tit.* 16. *de legitima ſucceſsione*, §. *Paulus*. Meminerunt legis eiuſdem, vt peregrina, & priſca domeſticis teſtimonia iungamus, præter Dionem, Tacitumque, *Suetonius in Claudio cap.* 19. ibi: *Pro conditione cuiuſque, ciuibus vacationem legis Papiæ Poppææ.* Et cap. 23. *Capiti Papiæ Poppææ legis, à Tiberio Cæſare, quaſi ſexagenarij generare non poſſent, addito, abrogauit.* Et in Nerone cap. 10. *Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit. Seneca* in libris Moralis Philoſophiæ apud *Lactantium lib.* 1. *de falſa religione cap.* 16. *Quid ergo eſt*, inquit, *quare apud Poetas ſalaciſſimus Iupiter deſierit liberos tollere? Vtrum ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit? An impetrauit ius trium liberorum?* Tertullian. in Apolog. cap. 4. *Nonne vaniſſimas Papias leges*, & deinceps. Agell. lib. 1. noct. Atticar. cap. 12. *Sed Papiam legem inuenimus, qua cauetur, vt Pontificis Maximi arbitratu virgines è populo viginti legantur.* Martianus Capella lib. 2. Satyricon, ſiue de nuptijs philolog. in extremo: *Tunc exurgens virginis mater poſcit de Ioue, ſuperiſque cunctis, vti ſub conſpectu omnium, quicquid ſponſalium nomine præparauerat Maiugena, traderetur, ac demum dos à virgine non deeſſet. Tuncque tabulas, ac Papiam Poppæamque legem ſinerent recitari.*

4 Auſonius Epigrammate 88. cuius elegantiſsimum Naſum, dum parùm ſcitè detegit *Alciatus*, ſatis frigere ſcripſit in *Parergis* 10. *cap.* 16.

Iuriſconſulto, cui viuit adultera coniux,
Papia lex placuit, Iulia diſplicuit.
Quæritis, vnde hæc ſit diſtantia? Semiuir ipſe
Scantiniam metuens, non metuit Titiam.

Eſt autem elegantis Epigrammatis ſententia, Eliæ Vineto illic in Notis, & poſt maiorum gentium criticos, ſupra pragmatici captum, *Stephano Gratiano* 1. *diſcept. forenſ. cap.* 186. *num.* 43. *& Camillo Borello de Magiſtr. edict.* 1. *cap.* 13. *num.* 46. elucidata ſcitè: Iuriſconſulto cuidam, qui vxoris adulterium diſsimulans, fauere ei videbatur, Papiam legem, quæ contra cœlibes, improleſque lata eſt, placuiſſe, Iuliam autem de adulterijs diſplicuiſſe; qua lenocinia, atque adulteria puniuntur; quia vxore adultera retenta, liberiſque, vel ex adulterio ſublatis, mariti, patriſque nomen vſurpare, & ſatis legi Papiæ facere nitebatur, dum in Iuliam de adulterijs peccabat: idque collatis alijs duarum legum nominibus lepidiſsimè oſtendit; ait enim, diuerſitatis huius cauſam eſſe, quòd Iuriſconſultus ipſe, ſemiuir, mollis, muliebriſque patientiæ ſcortum, vt Petronius alibi loquitur, metuebat legem Scantiniam, latam adversùs impudicos, de qua *Cælius apud Cicer. lib.* 8. *epiſt.* 12. *Sueton. in Domitiano cap.*

8.

8. *Iuuenal. Satyr.* 2. *Tertullian. de Monogamia, cap.* 12. *Plutarchus in Marcello. Sextus Philoſoph. lib.* 1. *Pyrrhon. hypothyp. cap.* 14. *modo* 10. *Epotheſ.* & *lib.* 3. *cap.* 24. *Prudentius in Periſtephano hymno* 14. *Romani Martyris*, vbi Iuvenalis, illud ſubæmulans, *cit..r ante omnes debet Scantinia*, ita ſcribit:

Qui, ſi citetur legibus veſtris reus,
Laqueis minacis implicatus Iuliæ,
Luat ſeueram victus & Scantiniam.

Ideoque, vt pæderaſtiæ vitium tegeret, vxorem adulteram retinebat maritus, metu Scantiniæ Papia vtens, nec tamen timens Titiam legem, qua ſcilicet cauebatur, ne quis, ob cauſam orandam, donum, pecuniamve accipiat, vt in *Tacito* legimus 11. *Annal.* incaſſum reclamante Lipſio, & alijs; quia cum nemo ei donum, munuſve, ob cauſam orandam, offerret, & imperitus, ac clientelarum inops eſſet, non erat, cur metueret Titiam legem de muneribus, quæ ipſe ab adulteris vxoris ſuæ capiebat ex lenocinio ſuo, rem faciens contra legem Iuliam.

5 Aliæ ſanè ab hac, de qua ſermo, nec temerè cum noſtra miſcendæ, miſceat licet *Alex. Neapol.* 5. *genial. cap.* 22. quia antiquiores omnino fuerunt, Papia lex de peregrinis, quæ ad exemplum Laconicæ ξενηλασίας, Ciuitatis vſu peregrinos, Romæ immorantes, prohibuit, exterminauitque, vt *Cicero* ſcribit *lib.* 3. *de officijs.* Lata verò à Caio Pappio Tribuno plebis, teſte Dione libr. 37. *Interim*, inquit, *omnes, qui Romæ commorabantur, peregrini, exceptis iis, qui eam, quæ nunc vocatur, Italia, incolunt, Ciuitate pulſi ſunt, lata ad hoc lege à Caio quodam Pappio Tribuno plebis, qui eos per Vrbem vagari, cernens, non idoneos eſſe, iudicabat, qui cum Romanis habitarent.* Item Papia lex de ſocijs, qua cautum, vt Latini ſocij in Ciuitates ſuas redigerentur, &, vt conſtitueretur iudicium ſocijs, ac Ciuitatibus exteris, repetendi eius cauſa, qui in Romani cenſus tabulas irrepſiſſet. *Cicero* in Oratione pro Cornelio Balbo: *Iudices, cum præſeferrent, palàmque loquerentur, quid eſſent lege Papia de Marco Craſſo, Mamertinis repetentibus, iudicaturi.* Et in Oratione pro Archia: *Quid? Cum cęteri non modò poſt Ciuitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerunt: hic, qui nec vtitur quidem illis, in quibus eſt ſcriptus, quòd ſemper Heraclienſem ſe eſſe, voluit, reiſcietur?* Et *lib.* 4. *ad Atticum epiſtol.* 15. *Valer. Maxim. lib.* 3. *cap.* 4. his verbis: *Non paruus Conſulatus rubor, M. Perpernæ, vtpote qui Conſul, antequàm Ciuis, cum interim, cuius vita triumphauit, mors Papia lege damnata eſt; namque patrem eius, nihil ad ſe pertinentia Ciuis Romani iura complexum, Sabelli iudicio petitum, redire in priſtinas ſedes coegerunt.* Aliæ tamen, vt dixi, & alienæ prorſus à Papia noſtra, hæ de iure peregrinorum, ſociorumque leges, ſicut & Mutiæ, aut Liciniæ illæ, apud *Appianum* 1. *Hiſtor. Ciceronem* 3. *de officijs*, & *in Bruto. Aſconium Pædianum in Cornelianam*; & enarrandæ pleniùs, ſi Deus volet, in Commentarijs, quos paramus de iure publico, Romano, & Regio.

CA-

CAPVT III.

IVLIÆ, PAPIÆQVE LEGVM DIFFERENTIÆ, ET CONSONANTIÆ inſigniores; itemque legum, legiſue nomine, quando Iulia, Papiaque noſtræ, aut illarum alterutra intelligendæ.

ARGVMENTVM.

IVlia, Papiaque leges, non tantùm tempore, & nominibus, ſed & capitibus quibuſdam diſtinctæ. Notatæ differentiæ tres nobiliores. Frequentior tamen conſonantia vtriuſque legis capitum; quia pleraque ex Iulia in Papiam tranſlata: inde legum nomen expoſitum de Iulia, & Papia noſtris, apud Tacitum, Plinium, Quintilianum, Tertullianum, Ambroſium, Euſebium, Papinium, Apuleium, & alios minoris cenſus: non item apud Hieronymum, cuius nobilis ſententia aliò pertinet; tametſi alia, & ignotior Senecæ, apud eumdem ad leges noſtras. Sed & in libris iuris expoſita legum appellatio de Iulia, & Papia, & legis de vtraque, aut alterutra, mille locis luſtratis, & illuſtratis obſeruationis noſtræ, & aliorum. Denique ex coniunctione vtriuſque legis factum, vt quæ propriè vna cauit, tribuantur non ſemel alteri. Exemplum in l. lege 23. l. lege 44. D. de ritu nupt. quin, & alia alibi quæ elucidantur.

1 Ecciſta Iuliæ legis de maritandis ordinibus, item Papiæ Poppææ certa origo. Ex qua conſtabit iam, duas iſtas, & quidem diuerſas, leges eſſe, non vnam, eamdemque, vt ſciolis quibuſdam perſuaſum (imò ex eruditis, poſt Rhodig. Connan. Corraſ. Balduin. *de lege Papia* in princip. quos notat Ioann. Robert. 1. *animadu. cap.* 1. Donell. 8. *Comm. cap.* 13. *litt. I.*) nec tempore dumtaxat, & nominibus, ſed & capitibus interdum, apertè diſtantes, quorum diſcrimina potiora ſummatim, rei elucidandæ, nunc recenſebimus, ſuis ſingula locis vberiùs expoſituri.

2 In primis itaque lex Iulia viginti quinque annorum ætatem matrimonio contrahendo præſcripſit, poſtquam, omnino contrahi iuſsit, niſi quis pœnis cœlibum teneri, & præmijs maritorum carere vellet, teſte Hermia Sozomen. *lib.* 1. *Eccleſiaſtic. Hiſtor. cap.* 9. Socrat. apud Caſsiodor. *lib.* 1. *Hiſtoriæ tripartitæ, cap.* 9. Lex autem Papia, liberis iure tollendis, ſuſcipiendis, viginti quinque annorum in maſculis, & viginti in fœminis iuſtam ætatem eſſe, voluit; poſquam omnino liberos exigit, vt Vlpianus loquitur *tit.* 16. Tertull. *in Apologet. cap.* 4. Deinde lex Iulia, nuptijs contrahendis, primùm triennij, mox biennij, poſt eam legem rogatam, vacationem indulſit. Sueton. *in Auguſto cap.* 34. & Auguſtus idem apud Dionem *lib.* 56. Lex autem Papia, annum, intra quem qui ei parere cæpiſſent, culpa vacarent, vt idem Dio notat *lib.* 56. Rurſus lex Iulia, fœminis ad nuptias contrahendas, à morte viri, anni vacationem dedit, à diuortio ſex menſium; lex autem Papia, à morte viri biennij, à repudio anni, & ſex menſium. Vlpianus *tit.* 14.

3 Sed, cum vtriuſque legis ferendæ eadem cauſa, formaque fuerit, lataque Papia lex, ſanciendæ, atque firmandæ Iuliæ de maritandis ordinibus, quam Auguſtus, præ multitudine recuſantium, perferre non potuerat, confuſa etiam ſunt, & commixta vtriuſque legis capita, & ex Iulia, quæ prior fuit, pleraque in Pa-

piam legem tranſlata, ſeu repetita, quæ, tamquam plenior, poſteriorque, & acerbior, rogationes Iulias abſorbuit. Idcircòque & à noſtris, & ab externis ſcriptoribus coniungi ſolent, & veteres iuriſprudentes ad vtramque ſimul ſcripſerunt, quorum libri in Indice Pandectarum inſcribuntur, ad leges, ſcilicet, Iuliam, & Papiam. Frequens enim eſt, nec vnius, alteriuſue loci, legum appellatione, Iuliam, & Papiam noſtras intelligi, per eminentiam ſcilicet, ſiue ἀντονομαςικῶς, quia nullæ his, inter Romanos, nobiliores. Tacit. lib. 15. Annal. *Satis pretij eſſe orbis, quòd multa ſecuritate, nullis óneribus, gratiam, honores, cuncta prompta, & obuia haberent, ſibi promiſſa legum, diu expectata, in ludibrium verti, quando quis ſine ſollicitudine parens, ſine luctu orbus, longa patrum vota repentè adæquaret.* Plinius in Panœgyrico ad Traianum: *Nullius ſtatus certus, non orbitas, non liberi proderant: auxerat hoc malum Principum auaritia. Aduertiſti oculos, atque, vt antea Caſtris, ita poſtea pacem foro reddidiſti: excidiſti inteſtinum malum, & prouida ſeueritate cauiſti, ne, fundata legibus Ciuitas, euerſa legibus videretur.* M. Fabius lib. 9. inſtitut. orator. cap. 2. *Nam, quia per leges inſtitui vxor non poterat hæres, id fuerat actum, vt ad eam bona per hoc tacitum fideicommiſſum peruenirent.* Valerius Tracchallus, vetus, & vocaliſſimus Orator, cuius meminit, poſt alios, idem *Fab. lib. 8. inſtitut. Orator. cap. 5. & lib. 10. cap. 1.* ad finem. *Placetne leges,* inquit, *diligentiſſimæ pudoris cuſtodes, decimas vxoribus dari, quartas meretricibus?* Tertullianus lib. de exhortatione caſtitatis, cap. 12. *Sufficiat ad conſilium viduitatis vel iſta præcipua cauſa, importunitas liberorum, ad quos ſuſcipiendos, legibus compelluntur homines, quia ſapiens quique nunquam libens filios deſideraſſet.* Idem lib. 1. ad vxorem, cap. 5. *Nimirum,* inquit, *neceſſaria ſoboles ſeruo Dei, ſatis enim deſunt noſtra: ſecuri ſumus, vt liberis vacemus: quærenda nobis onera ſunt, quæ etiam à Gentilium profanis vitantur, quæ legibus locantur, quæ parricidijs expugnantur.* *Ambroſius in cap. 3. Diui Lucæ,* vbi de concubitu Thamar cum ſocero: *Erat deforme, liberos non habere, quòd etiam legum ciuilium fuit auctoritate mulctatum.* Auctor Panœgyrici, Maximiano, & Conſtantino dicti, his verbis: *Quare ſi leges hæ, quæ multa cœlibes notauere, parentes præmijs honorarunt, verè dicuntur, eſſe fundamenta Reipublicæ, quia ſeminarium iuuentutis, & quaſi fontem humani corporis, Romanis exercitibus miniſtrarunt, quod huic veſtro in Rempublicam meritò poſſumus dignum nomen adſcribere?* Macrobius lib. 2. Saturnalium, cap. 4. *Mox idem ſubiecit, quòd, ad contrahendum matrimonium, legibus non paruiſſet, ille vxorem ſibi, & tres eſſe liberos dixit.* Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini, cap. 26. *Quibus nulli eſſent liberi,* &, vt græcè extulit, τοῖς ἄπαισι, *hos veteres leges fœcundorum, ſucceſſionis ademptione, plectebant.* Nicephor. lib. 1. Eccleſiaſtic. Hiſtor. cap. 45. *Abſurdas etiam illas apud Romanos leges, ne cœlibes in adeunda hæreditate coniugibus æquarentur, neue, præterquàm genere propinqui, quicquam ex teſtamento lucrarentur; præterea vt, qui liberos non procreaſſent, dimidia bonorum parte mulctarentur, abrogauit.* Statius Papin. *in Epithalam. Stellæ, & Violantillæ lib. 1. ſyluar.*

> *Fama tace: ſubijt leges, & fræna momordit*
> *Ille ſolutus amor.*

Apuleius apolog. 2. ad finem: *Vxorem*

rem ducis, *leges iubent*. Quibus in locis, legum appellatione, Iuliam, & Papiam ſignificari, quæ cœlibum, orborumque pœnis, patrum, & maritorum præmijs ad nuptias, prolemque ducebant, dubitabit, vt opinor, nemo, niſi cui in mera luce meditullium eſt noctis.

4 E contrario nobilem ſententiam Hieronymi ad Oceanum in Epitaphio Fabiolæ, tametſi ad leges noſtras referat diligentiſsimus, poſt Lipſium, Taciti ſcholiaſtes *Ludouic. Dorleanus ad annal. 3. pag. 366.* Pertinere tamen, potius crediderim, ad Iuliam de adulterijs, quatenus adulterium in marito non æque, atque in vxore, puniebat, de quo nos infra lib. 3. cap. 10. Audi interim Hieronymum: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & ſolo ſtupro, atque adulterio condemnato, per lupanaria, & ancillulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem ſeruitus pari conditione cenſetur.* Proprius magè, & ignotior adhuc *Hieronymi locus 1. aduerſ. Iouin. cap. vlt.* apud quem *Seneca* (quem noſtrum vocat, fortaſſe ex opinione illa, qua credebatur, Chriſtianus fuiſſe) *nam quid*, ait Seneca, *de viris pauperibus dicam, quorum in nomen mariti, ad eludendas leges, quæ contra cœlibes latæ ſunt, pars magna conducitur?*

Nec perſpicua minus videntur
5 alijs iam, vel ex litteratorum plebe, & ſupra illam *Emundo Merilio, lib. 3. obſ. cap. 16. & lib. 5. cap.* 10. ac poſt variantes ex *Cuiacio* lectiones, aliquotque, poſt hæc ſcripta, annis edito *lib. 2. obſeruat. nouiſsimarum, cap.* 10. obſeruata iuris auctorum teſtimonia in hac parte, qualia extant in principio *Inſtit. de nuptijs*, *qui ſecundùm præcepta legum coëunt. l. 3. D. de concub.* Nam quia *concubinatus per leges nomen aſſumpſit*, *l. liberorum 220. D. de V. S.* ibi: *Toties enim leges neceſſarium ducunt, cognationum ſingularum nominibus vti. Paulus lib. 3. ſentent. tit. 4. §. Conditiones: Conditiones contra leges, & veluti ſi vxorem non duxeris, ſi filios non ſuſceperis. l. Nemo 55. D. de legatis 1. l. Attilicinus 17. D. de pact. dotal. l. vn. §. Et cum triplici, C. de caducis tollend. l. vlt. D. de regula Catoniana. l. Princeps 31. D. de legibus. l. nec filium 12. Cod. de nupt. l. vnic. C. Theodoſ. ſi nuptiæ ex reſcripto pet. l. nulla 6. de Decurion. in eod. C.* cum alijs, in quibus indagandis ſæpe nouitia coniectura fallit, aut fallitur; & nos ſuis locis commodiùs recenſebimus. Clariora ſanè ſunt, & certiora quæ ſubiungimus, *ex lege obſeruandum 49. D. de ritu nupt. Quas hi, qui altioris dignitatis ſunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur. l. 2. D. de minoribus: Quod enim legibus cauetur, vt ſinguli anni per ſingulos liberos remittantur. l. in fraudem* 10. *cum lege ſeq. D. de his qu. vt indign. l. 1. Cod. de infirmandis pœnis cœlibatus. l. aſsiduis 12. verſic. Ad hæc, Cod. qui potiores. l. ſi quis ſub conditione 7. D. de conditionibus inſtit. l. qui non militabat 78. §. vlt. D. de hæredib. inſtit. l. ſi vacantia 5. Cod. Theodoſ. de bonis vacant. Vlpian. in fragm. tit. 16. Qui intra ſexageſimum, vel quæ intra quinquageſimum annum neutri legi paruerit, licet ipſis legibus poſt hanc ætatem liberatus eſſet.* Sic & de Iulia lege propriè exaudiendum legis nomen in *l. palam 43. §. Non ſolum. l. in eo 45. §. Deinde. l. filio 48. D. de ritu nupt. l. vlt. D. de diuort. l. libertæ 8. Cod. de operis libert. l. hoc modo 64. l. mulieri.*

74.

74. l. ſed ſi hoc 62. §. vlt. l. cum tale 72. §. Si arbitratu. l. hæres 79. §. vlt. D. de condit. & demonſtrat. l. vlt. D. de ſtatulib. l. ſi verò 64. §. Dabit cum ſeq. D. ſol. matrim. l. quæro 60. cum l. ſeq. D. de iure dotium. De Papia verò lege accipiendum in *l. ſi libertus 16. D. de iure Patronatus. l. 1. §. Interdum D. ſi cui plus quàm per leg. Falcid. l. qui teſtamentum 27. D. de probat. l. quod conditionis 36. D. de mortis cauſa donat. l. ſed ſi hoc 62. §. 1. D. de condit. & demonſtrat. l. quoties 67. D. ad leg. Falcid. l. ſi ita quis 51. D. de leg. 2. l. 5. D. de vulgari. l. 3. D. de iure fiſci.* Denique ad vtramque, ſcilicet Iuliam, & Papiam, referenda, videtur, ſingularis appellatio legis in *l. Senatus 35. D. de mortis cauſa donat. l. ſi is qui duos 28. D. de liber. legata. l. Plautius 43. verſic. diuerſum D. de condit. & demonſtr. l. ſi quis ſolidum 72. de hæred. inſtit. l. cum quis 37. §. Titia D. de legat. 3. l. in tacitis 103. D. de legat. 1. l. Si ſeruus 82. D. de acquirend. hæredit. l. Si cui 38. §. 1. D. ex quibus cauſis maiores. l. filij 9. §. 1. l. diui 17. D. de iure patronatus*, cum alijs ſexcentis, quas cumulare nunc putidum pene eſſet. Accedat Paulus *lib. 3. ſentent. tit. 5. §. omnibus.* Tacitus, *lib. 2. annal. Contra plerique nitebantur, vt numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex iudebat; lætabatur Tiberius, cum inter filios eius, & leges Senatus diſceptaret, victa eſt ſine dubio lex, ſed neque ſtatim, & paucis ſuffragijs, quomodo etiam cum valerent, leges vincebantur.* Ouid. *2. de arte amandi.*

Non legis iuſſu lectum veniſtis in vnum:
Fungitur in vobis munere legis amor.

Seneca *lib. 3. de benef. cap. 34. Licet tibi, in quantum velis, extendere beneficia filij, cum paternum munus, & ſimplex ſit, & facile, nec danti voluntarium; quid neceſſe eſt multis? Dedit etiam quibus, dediſſe ſe, neſcit, in quo conſortem habet, in quo ſpectauit legem patriam, præmia patrum, domus, ac familiæ perpetuitatem; omnia potiùs quàm eum, cui dabat.* Argutæ vanitatis auctor, Artemidorus Daldianus *lib. 1. Oneirocriticon cap. 26.* vbi de ſomniante, ſe pubeſcere, aut pubens habitu incedere, ita ſcribit: *Et cælibi nuptias portendit; nam ex legis præſcripto chlamys circumdatur, ex lege etiam vxor ducitur.*

Facit hæc Iuliæ legis, Papiæque coniunctio, vt quæ propriè vna ex his cauta, & inducta, ea etiam alteri legi interdum adſcribantur, quoniam, vt diximus, pleraque vtriuſque legis capita eadem, & confuſa omnino, ac permixta. Exempla rei exponendæ, & componendis locis, alioquin pugnantibus, hæc obſeruaui. Primum illud, primariumque Iuliæ legis de maritandis ordinibus caput, de nuptijs inter Senatorias perſonas, & libertinas, quod ex ea proponitur in *l. lege 44. D. de ritu nupt.* tribuitur Papiæ legi à Marcello in *l. lege 23. D. de ritu nupt.* Nec expediunt rem Recentiores, & inter eos Robert. Aurelianenſis 1. *animad. cap. 1.* qui ſuſpicantur, Papia lege fuiſſe adiectum, vt ingenuis omnibus, præter Senatores, libertinas vxores habere, liceret. *D. l. lege 23.* Iulia verò priùs, propriéque cautum, ne Senatores libertinas ducerent; nam & hoc ipſum Papiæ legi adſcribit Iuſtinianus in *l. ſi quis libertam 28. Cod. de nuptijs. Quia lex Papia inter Senatores, & libertas ſtare connubia, non patitur.* Et priùs illud de connubio ingenuorum cum libertinis, Iulia etiam lege conſtitutum, probat Dio *lib. 24. Hiſtoriæ in actis anni ab V. C. 736.* quo lex Iulia roga- 6

ga-

gata. *Ac quoniam maſculi*, inquit, *ingenui* (*ſic enim vertimus*) *numerum ingenuarum fœminarum multò ante ibant, liberum fecit, vt qui vellent* (modò Senatores ne eſſent) *libertinas etiam ducere poſſent*. Auguſtus apud eumdem Dionem *lib. 56. libertinarum quoque coniugia ijs, qui Senatorij non eſſent, conceſsi*. Et vtrumque hoc circa Senatores, & ingenuos ex Iulia, & Papia lege deſcendere, probat Vlpianus *in fragmentis titul. 16. §. Aliquando*. Fatendum itaque prorſus eſt, vt & Lipſius agnoſcit *in excurſu ad 3. annal. Taciti*, vtrumque priùs lege Iulia comprehenſum fuiſſe, & ab illa in Papiam translatum, ac repetitum. *l. obſeruandum 49. D. de ritu nupt.* cum alijs. Sic & delatio bonorum vacantium ad Fiſcum, vel ærarium, quæ Iuliæ legi caducariæ plerumque accepto fertur. *l. quidam 96. §. Quoties D. de legatis* 1. Vlpianus *tit. 28. §. Si nemo*: Papiæ legi imputari videtur à Tacito, niſi alia eius ſententia eſt, *lib. 3. annal.* illic: *Et lege Papia Poppæa præmijs inducti, vt ſi à priuilegijs parentum ceſſaretur, velut parens omnium, populus vacantia teneret. l. Si vacantia 5. Cod. Theodoſ. de bon. vacant.* Eadem forſitan ratione caput de nuptijs ſexagenarij, vel quinquagenariæ, Iuliæ, Papiæve legi, quaſi ſubdubitans, adſcribit Iuſtinianus *in l. Sancimus 27. C. de nuptijs*, cum tamen Papiæ legis proprium fuiſſe, ſignificent Vlpianus *d. tit. 16. verſ. Item ſi vtrique*. Sueton. *in Claudio cap. 23.* Seneca *apud Lactantium, lib. 1. de falſa Religion. cap. 16.* Sed & enumeratio cognationum ſingularum, quibus lex Papia ius antiquum ſervauit. *l. vnic. §. Et cum lex, Cod. de caduc. toll.* Vlpianus *in fragment. tit. 18.* Et agnoſcit Græcanicus interpres Thalelæus, Papio hoc caput adſcribens, *lib. 45. Baſilicon. tit. 1.* fieri legibus, dicitur *in l. liberorum 220. D. de V. S.* Et virilis portio patrono, lege Papia, delata in bonis centenarij liberti, §. *Poſtea Inſtitut. de ſucceſſ. lib. l. 1. §. Interdum D. ſi cui pluſquàm per leg. Falcid.* Pars ex legibus debita verecundiæ patronali vocatur in *l. ſi patronus 20. D. de donat.* Denique pœnæ cœlibum, & orborum, decimarumque inter coniuges ratio, & caduci, ereptitijque acquiſitio, quam ex lege Papia Poppæa deſcendere, ſcripſit Vlpianus *tit. 19. §. Lege, iuncta l. 2. Cod. de infirmandis pœnis cœlib.* tribuitur legibus Iulijs à Tertulliano *de monogam. cap. 16.* & abſolutè legibus in *l. 1. Cod. de infirm. pœn. cœlib. l. vnica, §. Quæ autem 12. Cod. de caduc. tollend. l. in fraudem 10. cum. l. ſeq. D. de his quæ vt indignis*, vt Ambroſij, Euſebijque, ac Nicephori locos omittam, quos propoſui ſupra.

* * *

CAPVT IV.

DE CAVSIS, SIVE FINE VTRIVSQVE LEGIS, ATQVE IN PRIMIS priore, frequentiæ ſobolis, & nuptiarum, ex noſtris, exteriſque ſcriptoribus.

ARGVMENTVM.

IVliæ, Papiæque legum primarij fines, ſobolis, & ærarij incrementum, quæ ciuilibus bellis exhauſta. De priore fine, ſeu cauſa primùm, & ex profeſſo. Sobolis procreatio pertinet ad ſtatum Reipublicę, cui æternitatem ſucceſsione introducit. Illuſtrati in ea re auctores iuris, & alij, & de Eſſenis locus Solini. Ex eodem fine prolis, & immortalitatis per ſucceſsionem, commendatæ nuptiæ, & earum vſus neceſsitas. Emendatus Panœgyriſtes. Hæretici, nuptiarum damnatores, damnati, quales Marcioniſtę inter alios. Pamelij ἁμάρτημα perſtrictum. Conciliorum, Patrumque locis in ea re curſim prælata fax. Nuptiarum rurſus frequentiæ laudes ex libris iuris, & alijs, itemque ex bono multitudinis ciuium, quę Imperij decus, & firmamentum.

1 DE origine, & nominibus legum noſtrarum, hæc ſemel cumulaſſe, ſatis, in commentationis lucem. Sequuntur earum cauſæ, in quibus illuſtrandis, liberiùs etiam nunc, & licentiùs peruagabimur; quia neceſſariæ in primis ſingulis legum partibus intelligendis, ſemelque hac opera defungi, pretium operæ erit. Fuit autem legis vtriuſque ferendæ cauſa duplex, notata à Tacito 3. *annal. incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario.* Prior cauſa reſpexit pœnas cœlibum, quas intendit, & auxit lex Papia, quò magis eos his excitaret ad nuptias contrahendas, & ſobolem procreandam, qui primarius noſtrarum legum finis. Secunda cauſa fuit, ærarij exhauſti repletio, ob quam inducta iura caducorum, ereptitiorumque, quibus locupletaſſe Fiſcum, & ærarium Iulias leges, ſcripſit in *Panægyrico ad Traianum* Plinius. Vtraque verò cauſa, & nomen, ac materia caducorum *ex bellis orta eſt, & aucta ciuilibus, quæ in ſe Populus Romanus mouebat*, vt Iuſtinianus præfatur in *l. vnic. Cod. de caducis tollend*: *ſiue*, vt idem alibi ſcribit, *in rebus non proſperè geſtis, & triſtibus temporibus, Romanis increbuit calamitatibus luctuoſum monumentum, bello coaleſcens ciuili. l. 2. §. Quintus. l. 3. §. De teſtamentis 6. Cod. de veteri iure enucl.* Præceſſerant nimirum Iuliam, Papiamque legem ciuilia bella Cæſaris cum Pompeio, & Auguſti cum Bruto, Sexto Pompeio, Lepido, & Antonio: & exhauſta Pharſalico, Mutinenſi, Philippenſi, Peruſino, Siculo, & Actiaco prælijs Reſpublica, pecuniarum, & hominum pariter indigebat, *quò poſſet iactura reparari, quæ ciuilibus bellis contigerat; nam prope octoginta millia armatorum interierant.* Vt commemorat, has legum cauſas exprimens, antiquus Scholiaſtes Horatij in ſæculari cantu. Sozomen. *lib. 1. Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* 9. Vbi de lege Iulia, Papiaue ſic ſcribit, Ioanne Chriſtophorſono interprete: *Hæc lex à veteribus Romanis ſancita fuit eo conſilio, vt non Vrbem Romam ſolùm, verùm etiam cæteram ſuam ditionem hominum multitudine complerent;*

-rent; *quandoquidem haud longo tempore ante legem latam quamplurimos bellis inteſtinis, ac ciuilibus amiſerant.* Nicephor. *lib. 7. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 46. Vbi de eiſdem legibus ita: *Contra conſuetudinem, quæ olim apud Romanos obtinuerat, qui leges tales tulerant, vt Vrbem ſeditionibus, belliſque ciuilibus antè eiuſmodi ſanctionem exhauſtam, ciuibuſque orbatam, matrimonijs, liberorumque procreatione frequentiorem redderent.*

2 Porrò, vt vtriuſque ſingillatim cauſæ, primæque in primis, vim illuſtremus, meminiſſe oportebit, ſobolis procreationem ad ſtatum Reipublicæ pertinere; vtpote non modò vtilem, ſed neceſſariam Reipublicæ tuendæ, augendæ, propagandę; adeo vt qui liberos non producit, patriam pro ſua parte extinguere videatur, vt eleganter Varro *de lege Mænia*, cuius fragmentum apud Nonium *in eunucha re. Si qui*, inquit, *patriam, maiorem parentem, extinguit, in eo eſt culpa, quòd facit pro ſua parte is, qui ſe eunuchat, aut aliqua liberos non producit.* Et agnoſcunt iuris auctores in *l. hoc modo* 64. illic: *Legem enim vtilem Reipublicæ, ſobolis ſcilicet procreandæ cauſa, latam, adiuuandam interpretatione. D. de condit. & demonſtrat. l. 1. Cum dotatas eſſe fœminas, ad ſobolem procreandam, replendamque liberis Ciuitatem, maximè ſit neceſſarium. D. ſoluto matrimonio. l. aſsiduis* 12. *verſ. Ad hæc, Cod. qui potiores. Maximè propter partus periculum, & ipſam liberorum procreationem, pro quibus multa noſtris legibus inuenta ſunt priuilegia.* Tertull. *de exhortat. caſtit. cap.* 12. *Forſan Reipublicæ proſpectu aguntur, ne diuites deficiant, ſi ſoboles non habent, ne leges, ne iura, ne commercia delabantur; ne templa derelinquantur, ne modò non ſint, qui exclament, Chriſtiani ad beſtias.* Muſonius, vel ex Agellio notus Philoſophus, apud Stobæum *ſermon.* 73. Vbi ad rem noſtram de legumlatoribus, vtiliſſimam Rebuſpublicis ſobolis frequentiam, cenſentibus: *Qui & eam ob cauſam vtrique ſexui multitudinis liberorum præmia, & ſterilitatis pœnam ſtatuerunt.* Ideoque non tantum parentibus, verùm etiam Reipublicæ naſci dicimur. *l.* 1. §. *Et generaliter D. de ventr. in poſſeſ. mitt.* Idque ex veteribus illis politicis eleganter, vt alios mittam, Plato expreſsit *dialogo* 4. *de legibus* in hanc fere ſententiam: *An non ſecundùm naturam primum generationis in Ciuitate principium, ante omnia legibus exornabit?* Et paulò poſt: *Cogitans, quòd natura quadam humanum genus quodammodò immortalitatem conſequitur: cuius rei quiſque natura ſummoperè cupidus eſt; genus itaque hominum immortale hoc modo in ſempiternum durat, quòd filiorum filios relinquendos vnum, & idem ſemper, per generationem immortalitatem adipiſcatur.* Idem *dialogo* 6. *de legibus.*

Illuſtrat eam Platonis ſententiam, de aſſerenda quodammodò immortalitate, per ſucceſsionem filiorum, & viciſsim, inde illuſtrandus noſter Calliſtratus in *l. Liberorum* 220. §. *vlt. D. de V. S.* illic: *Etenim idcirco filios, filiaſuè concipimus, atque edimus, vt ex prole eorum, earumuè, diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus.* Iuſtinianus in *l. lege* 14. *Cod. de legit. hæred.* ibi: *Cùm natura vtrumque corpus ediderit, vt maneat ſuis vicibus immortale.* Vnde rectè Triſmegiſtus in *Pimandro, cap.* 2. infortunio, aut inhumanitati tribuit, & quidem maximis, improlem aliquem vita defungi. Et obſervatum alijs iam, liberos *munimen-* 3

menta Imperij, vocari à Tacito *lib.* 5. *Hiſtor.* & *monumenta generis*, Plauto *in Milite*: *quaſi in diuturnitatis memoriam*, vt Calliſtratus loquitur, ſiue, vt Iuſtinianus *Nouella* 22. ἀθανασίαν ἐπιτεχνωμένην Accedant ſuperioribus Senecæ, & Apuleij loci: Senecæ, inquam, in Hyppolito *actu* 2.

Prouidit ille Maximus mundi Parens
Cum tam rapaces cerneret fati minas,
Vt damna ſemper ſobole repararet noua.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ ſupplet, ac reſtituit exhauſtum genus:
Orbis iacebit ſquallido turpis ſitu;
Vacuum ſine vllis claſsibus ſtabit mare,
Aleſque Cælo deerit, & ſyluis fera,
Solis & aër peruius ventis erit.
..... Cælibem vitam probet
Sterilis iuuentus; hoc erit, quicquid vides,
Vnius æui turba, & in ſe met ruet.
Proinde vitæ ſequere naturam ducem,
Vrbem frequenta; ciuium cœtus cole.

Apuleij de *Deo Socratis*, vbi ſic de hominibus: *Singulatim mortales, cunctim tamen vniuerſo genere perpetui, vicisſim ſufficienda prole mutabiles.* Queis ſimilia Apuleius idem *lib.* 11. *Mileſiar.* Expreſsit tamen, aut certè imitatus, Ariſtotelis illud *de nuptiſs lib.* 1. *œconom. cap.* 3. *Et ſimul natura per hunc circuitum adimplet ſempiternitatem, ex quo ſecundùm numerum non poteſt, at ſecundùm ſpeciem.* Lactant. *lib.* 1. *de falſa Relig. cap.* 8. *Nam profectò in hominibus, ceteriſque animantibus, diuerſitas ſexus, & coitio, & generatio nullam habet aliam rationem, niſi vt omnia genera viuentium, quando ſunt quotidie, conditione mortalitatis, obitura, mutua poſsint ſucceſsione ſeruari.* Ioannes Saresber. *in Polycr. lib.* 3. *cap.* 8. *Omnibus quoque ſuccedent alij, & ſic tranſiens homo manet in ſpecie, quemadmodum, aqua prætereunte, notus amnis manet in flumine.* Egregiè D. Thomas, aut quiſquis ille eſt, Auctor libelli *de regim. Princ.* 1. *cap. vlt.* Martianus *in Nouella tit.* 5. *de foris*, illic: *Quæ ab homine caduca ſunt, fiunt ſubrogatione perpetua.* Adde, ſi vacat, alia ex his, quæ iam de matrimonij laudibus. Quamquam cui hæc non ſatis? Illud ſaltem, vt rarum, non ſubticendum, quod de Eſſenis, interiora Iudææ ad Occidentem habitantibus, ex Plinio *lib.* 5. *Hiſt. nat. cap.* 17. ad verbum fere Solinus in *Polyſtore cap.* 36. *Receſsiſſe eos à more gentium vniuerſarum: nullæ ibi fœminæ: Venere ſe penitùs abdicarunt. Nemo ibi naſcitur: nec tamen deficit hominum multitudo. Ita per immenſum ſpatium ſæculorum, incredibile dictu! æterna gens eſt, ceſſantibus puerperis.* Locum quiſquis miraris, legito.

Quin & ob eamdem prolis cauſam, quæ connubij prima cauſa dicitur, Tertull. *lib.* 4. *aduerſùs Marcionem, cap.* 23. Et ob quam potiſsimùm, nempe in propagationem generis humani, inſtitutum matrimonium à Deo *Geneſ. cap.* 2. & confirmatum, *cap.* 8. & 9. qui proinde *Coniugium pro rei honeſtate benedixit, incrementum generis humani*, vt Tertullianus idem loquitur 1. *aduerſùs Marcionem, cap.* 29. Fuit matrimoniorum frequentiæ prima, magnaque cura omnibus legum, Ciuitatumque Con- 4

Conditoribus. Horatianum illud quis neſcit?

Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis.

Neque immeritò, nam, vt prudenter Plato *dialogo* 4. *de legibus*: *Principium generationis omnibus Ciuitatibus, nuptiarum conuentus eſt, atque communio; quare ſi nuptiales primùm leges ponantur, bene, ad omnem Ciuitatem rectè conſtituendam, poſita videbuntur.* Quintilianus *declamat.* 249. *Matrimoniis*, inquit, *etiam ſi ego tacuerim, ſcitis, Ciuitatem contineri; his populos, his liberos, & ſucceſsionem patrimoniorum, & gradum hæreditatum, his ſecuritatem domeſticam. Quomodò enim?* Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *ſtromat. Si enim*, inquit, *ductis vxoribus, liberos non ſuſceperint, quod in eis quidem ſitum eſt, hominum raritatem inuehent, & Ciuitates diſſoluent, &, qui ex eis conſtat, ornatum.* Vbi & pleraque in eamdem ſententiam. Ambroſius *lib.* 1. *de Virginibus. Nam quemadmodum duratura in ſæculum ætas ſuccedere poſsit ætati, niſi gratia nuptiarum procreandæ ſtudium ſobolis excitaret?* Vetus Panœgyriſtes, *ad Maximianum, Conſtantinumque: Hæc eſt vera pietas, hæc voluptas ſeruandi generis humani, exemplum dare gentibus ad matrimonia ſtudioſiùs expetenda, & liberos educandos, vt ſubſtituendis ſucceſsionibus ſingulorum, nihil obſit omnium poſteritate Reſpublica*; vbi libens emendo, quamdiu alij feliciùs: *nihil abſit omni in poſteritate Reipublicæ.*

5 Non defuerunt ſanè vernantis Eccleſiæ temporibus hæretici, qui nuptias, & procreationem damnarent, & interdicerent, de queis in vniuerſum Tertull. *in principio libri de Monogamia: Hæretici*, inquit, *nuptias auferunt, Pſychici ingerunt.* Eos, diuino Spiritu præmonente, damnauit Paulus 1. *ad Timoth. cap.* 4. vbi poſt Chryſoſtomum, & Ambroſium nouiores. Tales autem, poſt Tatianum, Ebionem, Saturninum, & alios, Marcion, Apelleſque, & eius ſectatores, de quibus Tertull. *lib.* 1. *ad vxor. cap.* 3. *& de præſcript. adu. hæreticos, cap.* 33. *Paulus*, inquit, *Timotheum inſtruens, nuptiarum quoque interdictores ſugillat, ita inſtituunt Marcion, & ſequutor eius Apelles.* In eoſdem inuehitur, *lib.* 4. *aduerſ. Marcionem, cap.* 11. *&* 34. *& lib.* 5. *cap.* 15. & pleniſsimè *lib.* 1. *cap.* 29. vbi inter alia: *Iam verò*, ait, *ſementem generis humani compeſcere totum, neſcio, an hoc quoque Optimo Deo congruat.* Hieronym. 1. *adu. Iouin. cap.* 1. *Neque verò nos*, ait, *Marcionis, & Manichæi dogma ſectantes, nuptijs detrahimus.* De eiſdem ex D. Irenæo *lib.* 1. *contra hæreſes, cap.* 22. *&* 30. Latè Euſebius *lib.* 4. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 27. Nicephor. *lib.* 4. *eiuſdem Hiſtoriæ, cap.* 3. *&* 11. Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *ſtromateon* quem, non nominatim contra Marcionem ſcribere, inconſpectè negat, vir aliàs doctus, Pamelius. Clementis verba ſunt latinè reddita à Gentiano Heruetto, & Heinſio: *Iam verò ſi & ipſe Plato, & Pithagorei, ſicut etiam poſtea Marcioniſtæ, malam, exiſtimarunt, eſſe generationem, longè abfuit, vt communes ipſe poneres vxores. Sed Marcioniſtæ quidem dicunt, malam eſſe naturam ex mala materia; & à iuſto factam Opifice, ac Creatore. Qui quidem ratione nolentes implere mundum, qui factus eſt à Creatore, volunt abſtinere nuptijs.* D. Ambroſius *lib.* 1. *de Virginibus*, ibi: *Dicit aliquis, ergo diſ-*

ſuades nuptias? Ego verò ſuadeo, & eos damno, qui diſſuadere conſueuerunt. Et paulò poſt: *Qui enim copulam damnat, damnat & filios, & ductam per ſucceſsionem ſeriem, generis ſocietatem damnat humani.* Atque inibi tandem: *Vnum ſanè licet ſacrilegi homines habent, quod in his etiam à ſapientiſsimo probetur: qui coniugia damnando profitentur, ipſi non debuiſſent naſci.* Tales etiam Manichæus, & Priſcilianus, quorum error damnatur in Concilio Bracharenſi 1. *can.* 11. *ſi quis coniugia humana damnat, & procreationem naſcentium perhorreſcit, ſicut Manichæus, & Priſcilianus dixerunt, anathema ſit.* Damnantur etiam in vniuerſum in Concilio Gangrenſi *can.* 1. 9. & 10. quos Gratianus propoſuit in *cap. ſi quis* 4. *cum ſeq. cap. ſi quis nuptias* 12. *diſtinct.* 30. *cap. quicumque* 9. 31. *diſtinct.* Sed hæc alijs relinquamus, alias etiam hæreſes referentibus, & refellentibus. Videſis Photium in *Nomocanone tit.* 13. *cap.* 11. & ex nouioribus Baronium 1. *tom. annal. anno Chriſti* 57. *num.* 191. Bellarmin. *lib. vnic. de matrim. cap.* 1. Seuerinum Vinium in *notis ad can.* 50. *Apoſtol.* Creſpetium *in ſumma Eccleſiaſtica verbo nuptiæ licitæ.* Ant. Auguſt. in *Epitome iuris Pontif. lib.* 11. *tit.* 30. *& lib.* 28. *tit.* 1. Iodocum Cotium in *theſauro cathol. tom.* 2. *lib.* 9. *art.* 1. quorum ſcrinia non compilamus. Illud ſaltem hiſce, & alijs hæreticis libens ingeſſerim, quod in Epicurum, eiuſdem, inter Philoſophos, erroris auctorem, aiebat Epictetus apud Arrianum *lib.* 1. *cap.* 23. in fine: *Si mater, paterque tuus diuinaßent, te huiuſmodi ſententiam dicturum* κἂν σε ἐρρίψαν *nequaquam tui enutriendi ſatagerent.*

6 Nobis autem nunc potius, vt in propoſito pergamus, illud Tryphonini ſuccurrit, qui nuptiarum vtilitatem, publicam eſſe, ſcribit in *l. in bello* 12. §. *Medio D. de Capt.* Quia ſolæ nuptiæ prolem legitimam Reipublicæ præſtant, & immortalitatem artificioſè introducunt, vt poſt Maiorianum Cæſarem *Nouella de ſanctimonialibus in princip.* graphicè Iuſtinianus extollit *Nouella* 22. *de nuptijs. Si enim*, inquit, *matrimonium ſic eſt honeſtum, vt humano generi videatur immortalitatem artificioſè introducere, & ex filiorum procreatione renouata genera manent; iugiter Dei clementia, quantum eſt poſsibile, noſtræ immortalitatem donante naturæ, rectè nobis ſtudium eſt de nuptijs. Alia namque omnia, quæ ſancita ſunt à nobis, non omnibus competunt nec hominibus, nec rebus, nec temporibus: Studium verò nuptiarum totius eſt, vt ita dicatur, humanæ ſobolis, ex quo etiam renouatur ſolo, & ampliori, quàm alia ſollicitudine dignum eſt.* Idem *Nouella* 39. *de reſtitut.* in fine præfationis. *Maximè in nuptijs, quibus nihil eſt hominibus vtilius, tamquam ſolis facere homines valentibus.* Subæmulati ſunt has matrimonij laudes ſucceſſor Iuſtiniani, nepoſque ex filia, Iuſtinus II. cuius eſt *Nouella*, quæ inſcribitur, *vt poſsit matrimonium ſolui ex conſenſu*, & inter Iuſtiniani refertur *Nouella* 139. Eius priora verba ita vertit Iulianus anteceſſor: *Nuptijs decentius nihil eſt hominibus, ex quibus filij, cæteræque nationum ſucceſsiones, fundorum quoque, & Ciuitatum habitacula, & Reipublicæ eximius ſtatus.* Nec inferior ſententijs, quamuis inferior ſæculo, Leo Philoſophus *Nouell.* 26. *vt eunuchi adoptare poſsint. Magnum ſanè, ex-cellenſque donum, à Deo Creatore ad mortales promanauit, matrimonium. Non modò enim naturæ, mortis inglu-*

gluuiei obnoxiæ; opem fert, humanoque generi perpetuitatem elargitur, id, dum ab illa depaſcitur; non omnino deperire ſinens; verùm etiam per liberorum procreationem permagna alioqui hominum vitæ præſtat. Nam quid ea, quæ ex liberis percipitur, voluptate, ad oblectandos hominum animos, ſuauius? Aut verò quid in humanæ vitæ negotijs, cùm alijs, tùm quæ in ſenectute nobis ſe offerunt; vtilius? Idem Leò *Nouell.* 111. Ambroſ. *in cap. nuptiæ* 32. *quæſt.* 1. *Nuptiæ*, inquit; *terram replent; virginitas Paradiſum.* Hæc de nuptiarum laudibus; quatenus publicè vtiles, & neceſſariæ (nunc enim alia illarum bona non reuelamus) ad ſobolem procreandam; & augendam Rempublicam; multiſque hominibus legitimè progenitis frequentandam: vt ſcriptum eſt in *l.* 2. *in fine; Cod. de indicta viduitate*; ſiue, vt Lucianus loquitur *in amoribus*: *vt alij alijs ſuccedentes; identidem in æternum viuamus*; vbi multa in hanc rem; & paulò poſt: *Nuptiæ quidem ad vitam hominum promouendam; res in primis vtilis; & beata.* Plura in eamdem ſententiam; quæ ſuggerunt Ariſtoteles *lib.* 1. *æconomiæ*. Galen. 14. *de vſu part.* Columella. 12. *de re ruſtica.* Auguſtinus *de bono coniugij.* Latè Clemens Alexand. *lib.* 2. *ſtromateon*; & alij; quæ nunc ſciens mitto; & ſepono.

7 Nec ſanè mirum; procreationem ſobolis, & ob eam nuptias ad Reipublicæ ſtatum tantoperè commendari, cum inſtrumenta ſint frequentiæ, & multitudinis ciuium; cui procurandæ in bene conſtitutis Ciuitatibus mille illicia reperta, qualia apud Romanos ius aſyli; leges natos omnes tollendi, atque educandi, niſi monſtroſi, aut debiles; præmia; priuilegiaque ciuium, ſed præcipuè ratio, peregrinos, ac ſocios in Vrbem aſciſcendi; aut transferendi: adeo verum ſacrum illud oraculum Prouerb. *cap.* 14. *In multitudine populi dignitas Regis; & in parcitate plebis ignominia Principis* D. Thom. *lib.* 2. *de regim. princip. cap. vlt.* Queis conuenienter, Hadrianus Imperator reſcripſit; malle ſe Imperium ſuum hominum adiectione; quàm pecuniarum copia augeri. *l. cum ratio* 7. §. *Si plures D. de bonis damnator.* Iuſtinianus *in Nouell.* 24. *cap.* 3. *de Prætore Piſidiæ.* Eſt enim multitudo; copiaque ciuium; vel præcipuum diuturnæ publicæ felicitatis; Imperijque magnitudinis firmamentum; vtique ſi inſtituta bene ſit; vt agnoſcit Ariſtot. *lib.* 7. *Politic. cap.* 4. Auguſti. apud Dionem verba, auro contra non cara; *lib.* 56. libens ſubijcio. *At verò; inquit; Reipublicæ; cuius cauſa etiam contra animi noſtri ſententiam; multa nobis ſunt facienda; qui non ſit & vtile; & neceſſarium; ſiquidem vrbes, & populi durabunt; ac vos alijs imperabitis; alij ſubditi vobis erunt, multitudinem eſſe hominum; quæ pacis tempore terram colat; quæ nauigationes exerceat; quæ artes; & opera tractet; quæ in bello promptior, generis ſui cauſa; ſit ad res tuendas, & ex qua in amiſſorum locum alij poſsint ſubſtitui.* Vt proinde appareat; veriſsimè olim Metellum Numidicum ſuaſiſſe; *ſaluum eſſe Ciuitatem; ſine matrimoniorum frequentatione; non poſſe.* vt Agell. *ſcribit lib.* 1. *noct. atticar. cap.* 6. Nec eleganter minùs; vtramque cauſam complexus; Optimus, Maximuſque Princeps Philippus noſter; *in Reformationis generalis Capitibus num.* 19. ibi: *Item, porque en todo ſe ayude à la multiplicacion; como coſa tan importante, y à la felicidad; y frequencia del eſtado del matrimonio; por donde ſe conſigue.* Extat in *l.* 14. *tit.* 1. *lib.* 5. *compilationis.*

CAP.

CAPVT V.

DE EADEM CVRA NVPTIARVM, ET πολυπαιδίας EX ROMANOrum, & aliorum legibus ante Iuliam, Papiamque noſtras.

ARGVMENTVM.

NVptiæ olim in præcepto Diuino, aut naturali. Earum, & ſobolis incitamenta apud Lacedæmonios ex Lycurgi legibus. Cretenſium in eadem re inſtituta. Expoſitus ex his D. Paulus Epiſtola ad Titum cap. 1. Vbi & pederaſtiæ in Cretenſibus nefas notatum. Tentata coniectura ſimilis ad Paulum 1. ad Timoth. cap. 3. Platonis item nuptiales leges. Ad Romanos dein tranſitum, apud quos vetus lex obſeruata de vxoribus ducendis. Cenſorum cura, & iuſiurandum de vxoribus. Eorumdem animaduerſionis in cœlibes, quos ærarios faciebant, forma, formulaque. Metellorum Macedonici, & Numidici in hoc cenſorio munere exempla. Signata hæc ſingula Auguſti orationibus ad maritos, cœlibeſque apud Dionem.

1 SEd vt exemplis etiam, per quæ rei demonſtrandæ breue, & efficax iter eſt, priorem hanc legum noſtrarum cauſam confirmemus, quos in procreatione ſobolis, & matrimoniorum frequentia, referendæ iſtuc ſunt multæ veterum leges ad nuptias, prolemque præmijs, pœniſque excitantes; nec tamen omnium gentium omnes, ſed ex nobilioribus nobiliores. Extitit ſanè matrimonij contrahendi præceptum, ſiue iuris naturalis, ſiue Diuinum poſitiuum, indicatum, ſeu comprehenſum his verbis: *Creſcite, & multiplicamini.* Geneſis *cap.* 2. Idque præceptum ne poſt Chriſtum quidem ceſſaſſe, quin potiùs illo omnes ad matrimonium contrahendum hodie obligari, veteres, & nouiores hæretici calumniantur, in quos meritò inuehuntur Catholici, nos ſuo loco pleniùs. Ergo vt ad ethnicorum maritales leges pergamus, ſit, vt & certè fuit in hac ſobolis cura, primus apud Lacedæmonios Lycurgus, de quo præclarè poſt Xenophontem *in libello de Republica*, Lacedæmon *in princip.* Ælianum *lib.* 6. *de varia Hiſtoria cap.* 5. Athenæum *lib.* 13. *dipnoſophiſt. cap.* 1. Ariſtot. *lib.* 2. *politic. cap.* 7. Ioachimo Perionio interprete: *Cum enim*, inquit, *cuperet is, qui leges Spartis dedit, quamplurimos Spartas eſſe ciues, adhortatus eſt, vt quàm maximum liberorum numerum procrearent. Eſt enim apud eos lex, eum, qui tres filios ſuſceperit, præſidij, & ſtationis, qui quatuor, omnium munerum vacationem habere.* Plutarchus *in Apophtegm. Laconic. in Lycurgo.* Et latiùs in eiuſdem vita in hunc ſenſum. *Et quamquam hi quoque ad nuptias erant ſtimuli, pompas dico Virginum, veſtium detractionem, certamina, quæ inſpectantibus adoleſcentibus peragebant, non geometricis, ſed amatorijs (vt ait Plato) coactibus, ſugillabant tamen aliqua etiam ex parte cælibes, qui nudarum certantium ſpectaculo arcebantur. Bruma etiam hi ex Magiſtratuum edicto, cogebantur forum veſtibus ſpoliati obire, circulantes autem cantilenam in ſe compoſitam concinebant, meritò ita puniri ſe, quòd non parerent legibus. Præterea honoris erant, & obſeruantiæ, quam præſtabant ſenibus iuuenes expertes. Quare quod exprobratum Dercyllidæ fuit, quantumuis inclyto duci,*

ci, nemo reprehendit, cui interuenienti non ceſsit adoleſcens ſubſellio, adijciens: Neque enim tu mihi eum, qui ceſſurus ſit, ſubſtuliſti. Idem Plutarchus *in Lyſandro*, Clemens Alexandrin. *lib.* 2. *ſtromateon*, Interprete Gentiano Heruetto: *Iam verò Laconiū legislator, non ſolùm pœnam impoſuit ei, qui vxorem non duxiſſet, ſed etiam ei, qui vnam tantùm, vt ei qui duxiſſet feriùs, & ei qui ſolus viueret.* Agellius *lib.* 2. *noct. Atticar. cap.* 15. *Eumque morem accepiſſe Romanos à Lacedæmonijs traditum eſt, apud quos Lycurgi legibus, maior rerum omnium honos maiori ætati habebatur. Sed poſtquam ſoboles Ciuitati neceſsaria viſa eſt, & ad prolem populi frequentandam præmijs, atque inuitamentis vſus fuit; tum antelati quibuſdam in rebus qui vxorem, quique liberos haberent, ſenioribus, neque liberos, neque vxores habentibus.*

Sed & apud Cretenſes, è quorum inſtitutis pleraque Laconica mutuatus Lycurgus, ſi Platoni credimus *dialog.* 1. *de legib.* Ariſtot. *lib.* 2. *politic. cap.* 8. Plutarcho *in Lycurgo.* Iuniores ad vxores ducendas legibus compelluntur, teſte Strabone *lib.* 10. Vbi dum multa inter Spartanos Cretica inſtituta commemorat, *Apud Cretenſes*, inquit, *ad eiuſdem ætatis vxores capiendas cunctos compellunt, quos è puerorum grege deligunt.* Indeque forſitan, ſi eruditioribus quibuſdam credimus (interque alios, poſt Baronium *ad annum Chriſti* 58. *num.* 14. noſtro Baſilio Pontio Legionenſi, illuſtri, heu nuper, Academiæ noſtræ ornamento, *lib.* 7. *de matrim. cap.* 23. *num.* 1.) D. Paulus *ad Titum*, Cretæ relictum, ſcribens *cap.* 1. admonenſque, quales eſſe debeant qui Preſbyteri conſtituuntur, ſic ait: *Et conſtituas per Ciuitatem Presbiteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ.* Supponit ſcilicet Paulus, potiùs, quàm monet, non, niſi maritum, Epiſcopum eſſe debere, nempe ex Cretenſium, de quibus loquitur, inſtitutis, quibus ad vxores ducendas iuniores omnes adigebantur (ſicut eodem fortè reſpectu idem Paulus 1. *ad Timoth. cap.* 3. *verſu* 2. repetitò monet, oportere Epiſcopum eſſe *vnius vxoris virum.* Scribens nempe ad Timotheum, coadiutorem illum, ſociumque ſuum, & laudatiſsimum Epheſiorum Epiſcopum, alludenſque ſimiliter, aut reſpiciens Epheſiorum mores, ſeu leges de vxoribus ducendis, deriuatas, ſi conięctari licet, à Cretenſibus, quorum hæc, atque alia inſtituta, imitati olim variarum gentium legumlatores, teſtibus Strabone *lib.* 6. & 10. Libanio *orat.* 19. ſiue *Apologia pro ſaltatione*, & in Ionia fortaſſe Epheſij, vt ſubindicat fere Declamator Epheſius apud Achillem Statium *de amorib. Leucip. & Clitop. lib.* 8. vbi de Therſandro illo, qui cum primùm per ætatem licuit, vxorem κατὰ τοὺς νόμους, *ſecundùm leges* duxit. At hæc ſuſpicionis dumtaxat ſint, ſiue quia non facilè apud Ethnicos adultum hominem, ſimulque cœlibem reperire foret, quemadmodùm ad Cretenſium etiam mores reſpiciens, quos poſtea ſcitiſsima Epimenidis paræmia ſugillat, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*; vt expendit Socrates *lib.* 1. *Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* 14. Vult filios Ordinandi fideles eſſe, *non in accuſatione luxuriæ*, præcauens pæderaſtiæ, quæ apud eoſdem turpiter exercebatur, adeo vt nobiliores pueros amatum abducere, permiſſo publicè raptu, & duobus menſibus de-

tinere, mox donatos muneribus, appellatoſque κλεινοὺς (ſic enim amaſios vocant, ſicut amatorem φιλήτορα, ideſt ardentem) dimittere, inter conceſſa, ac veluti legitima patriæ ſcita haberetur, vt commemorat latè idem Strabo *lib.* 10. Heraclides *de politijs in Cretenſibus*. Sextus Philoſoph. *lib.* 3. Pyrrhon. *hypotypoſ. cap.* 24. Et tamen, vt Polygamos, bigamoſque ab ordinibus ſacris ſubmoueat, vnius vxoris virum, ſiue Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, eſſe debere ſcribit *d. cap.* 1. *Epiſt. ad Titum, & Epiſt.* 1. *ad Timotheum cap.* 3. Alioquin cœlibatus quin ſit commodior ad Sacerdotale munus, & contra implicatius coniugium, quoniam vt idem Paulus 1. *ad Corinth. cap.* 7. *Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ mundi ſunt, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt*; nec dubitari poteſt, & veteres Eccleſiæ Patres ſatis exprimunt. Hieronymus *lib.* 1. *aduerſùs Iouinianum, & Epiſt.* 11. *ad Ageruch. de monogamia*, Ambroſius *de viduis*. Auguſtinus *de bono viduitatis cap.* 8. Syricius *Epiſt.* 4. *cap.* 9.

3 Deinde & ex Philoſophis (vt alia aliarum gentium ſcita taceam, quales ſunt Thebanorum leges à Philolao Corinthio ſcriptæ, quas illi τίκτικȣς vocant, ſiue de procreandis liberis, teſte Ariſtotele *lib.* 2. *polit. cap.* 10. Epheſiorum item, quas reſpexit fortaſſe Achilles Tatius *de Clitophontis, & Leucippes amoribus lib.* 8. loco nuper laudato) præſtantiſsimus eorum Plato, dum leges ſuæ Reipublicæ ponit, ſic edicit *dialogo* 4. *de legibus*, Marſilio Ficino interprete: *Vxorem quiſque à trigeſimo anno vſque ad trigeſimum quintum ducat; ſin minùs pecunia mulctetur, atque dedecore, pecunia quidem tanta, vel tanta, dedecore autem tali, vel tali.* Et paulò poſt: *Quicumque legi huic obtemperauerit, indemnis eſto. Qui verò non paruerit, & quinque, ac triginta annos natus, vxorem non duxerit, ne ſolitariam vitam lucro ſibi, & voluptati fore cenſeat, tanta in annos ſingulos mulctetur pecunia, neque eorum particeps honorum ſit, quos iuniores quotidie in Ciuitate ſenioribus exhibent.* Perſequitur diſtinctiùs idem *dialog.* 6. *de legibus. Si quis autem*, inquit, *ſponte non pareat, & alienus ab hoc conſortio viuat in Ciuitate, & ſine connubio quinque, & triginta egerit annos, ſingulis annis, ſi de maximo cenſu eſt, drachmis centum mulctetur; ſi de ſecundo, ſeptuaginta; ſi de tertio, ſexaginta; ſi de quarto, triginta. Quæ quidem pecunia Deæ Iunoni conſecranda eſt. Si quis autem ſingulis annis non perſoluerit, decuplum debeat. Cuius pecuniæ exactor ſit Deæ ipſius Quæſtor, ac niſi exegerit, ipſe debeat, atque huius rationem referre quiſque debeat. Sed pecunijs quidem, qui nolit vxorem ducere, ſic mulctetur, honore autem ſic. Primùm honores nullos à iunioribus conſequatur, nec iuuenum vllus aliqua in re ſponte ipſi obtemperet. Deinde, ſi aliquem cædere auſus fuerit, quilibet aduerſùs ipſum inſurgat, & ei auxilium ferat, qui accepit iniuriam. Si quis autem præſens hoc non fecerit, timidus, maluſque ciuis à legibus habeatur.* Adi & Clementem Alexandrinum *lib.* 2. *ſtromat.*

Ad Romanos iam ſe vertat oratio, non dumtaxat legum noſtrarum, 4
ſed & melioris omnis politiæ Duces. Fuiſſe autem apud eos legem veterrimam, qua per ætatem omnes ducere vxores compellebantur, ſingularis Dionyſij locus probat *lib.* 9. *Antiquit. Rom.* Vbi, dum vanum illum rumorem coarguit de trecentis, ac ſex

Fa-

Fabijs ad Cremeram cæſis, vnico puero ex tota gente relicto ſupeſtite, hoc ne fieri quidem potuiſſe docet: *Nec enim*, inquit, vertente Sigiſmundo Gelenio, *poterant omnes cœlibes eſſe, ac ſine filijs; nam priſca lege cogebantur, vxores per ætatem ducere, educareque liberos, quam diligenter vſque ad ſuum ſæculum ſeruatam, haud quaquam ſoli contempſiſſent Fabij*. Quibus reſpondent iſta Auguſti *in oratione ad cœlibes* apud Dionem *lib.56*. *Et quidem*, inquit, *neque ante me cuiquam permiſſum erat, coniugium, ac ſobolem negligere, cum initio ſub primam Reipublicæ conſtitutionem de ea re diligenter legibus ſit cautum; multaque inde de eadem Senatus, populuſque ſtatuerit, quæ recenſere ſuperuacaneum eſſet*. Obſeruat, alijs, quamuis non itidem perſpicuis, Dionis verbis innixus, olim in Academia noſtra anteceſſor, Regius nunc Conſiliarius, & grauioris, amœnioriſque doctrinæ in vtraque iuriſprudentia ſcholaſtica, & forenſi, diligens concinnator, noſter D. Franciſcus de Amaya *lib. 3. obſeru. cap. 6. num. 26.*

5 Fuit verò legis eiuſce ed effectum perducendæ, & primaria coniugiorum, proliſque cura Cenſoribus, qui cum æuitates, pecunias, familias, ſoboleſque cenſerent, ſolemne etiam iuſiurandum exigebant de vxoribus, vt ſcirent, quinam cœlibes eſſent. Teſtes mihi, vt alios mittam, Sueton. *in Claudio cap. 16.* vbi de eius cenſura ſic: *Plures notare conatus magna inquiſitorum negligentia, ſed ſuo maiore dedecore innoxios fere reperit, quibuſdam cœlibatus, aut orbitatem, aut egeſtatem obijceret, maritos patres opulentos, ſe probantibus*. Macrob. *lib. 2. Saturn. cap. 4. Mira etiam*, inquit, *Cenſoris Auguſti, & laudata patientia. Corripiebatur Eques Romanus à Principe, tamquam minuiſſet facultates ſuas: at ille, ſe multiplicaſſe, coram probauit: mox idem ſubiecit, quod ad contrahendum matrimonium legibus non paruiſſet: ille vxorem ſibi, & tres eſſe liberos dixit; tunc adiecit: poſthac Cæſar, cum de honeſtis hominibus inquiris, honeſtis mandato*. Agell. *lib. 4. noct. Attic. cap. 3.* ibi: *Quod iurare à Cenſoribus coactus erat, vxorem ſe, liberum quærendorum gratia, habiturum*. Itaque Ciceroni vel ex Romano more ficta lex illa *lib. 3. de legibus*: CENSORES EQVITVM, PEDITVMQVE PROLEM DESCRIBVNTO, COELIBES ESSE PROHIBENTO. Erat Cenſoriæ inquiſitionis, ſiue iuſiurandi formula hæc: EX ANIMI TVI SENTENTIA TV VXOREM HABES? Notum ex ioco Naſicæ, cuius Cicero meminit *lib. 2. de Oratore*: *Ridiculè etiam illud L. Porcius Naſica Cenſori Catoni; cum ille, ex tui animi ſententia tu vxorem habes? Non herculè, inquit, ex animi tui ſententia*. Agell. *lib. 4. noct. Atticar. cap. vlt. Cenſor agebat de vxoribus ſolemne iuſiurandum, verba ita erant concepta: vt tu ex animi tui ſententia vxorem habes: qui iurabat, cauillator quidam, & canicula, & nimis ridicularis fuit. Is locum eſſe ſibi ioci dicendi ratus, cum ita, vti mos erat, Cenſor dixiſſet: Tu ex animi tui ſententia vxorem habes? Habeo equidem, inquit, ſed non herclè ex animi tui ſententia*. Sic enim legimus, nec facilè receptam Ciceronis, & Agellij lectionem corrigimus, quamuis aliter Lipſio placitum, quem, ſi vacat, videſis *lib. 1. var. lect. cap. 1.*

Eiuſdem notæ ſunt quæ ſequuntur Cenſoriæ in cœlibes ſeueritatis. 6
M. Furius Camillus, & M. Poſthumius Cenſores anno ab V. C. 350. vt ſcribit Florus in *Liuiana Epitome* lib.

lib. 59. eos, qui vſque ad ſenectutem cœlibes permanſerant, æra, pœnæ nomine, in ærarium deferre primi iuſſerunt. Valer. *lib.* 2. *cap.* 9. Plutarchus *in Camillo* poſt principium: *Huius*, inquit, *recenſetur vnum in eo Magiſtratu eximium factum, quod cælibes partim blandè appellando, partim denuncianda mulcta, viduis, quæ ob bella erant multæ, matrimonio copulauerit.* Mulcta hæc, ſiue æs, quod cœlibes pendebant, vxorium vocatur, vt monet Feſtus in voce, vxorium, Athenieſibus ἀγαμίου δίκη, Lacedæmonijs verò ἀγαμίου ζημία, itē ὀψιγαμίου καὶ κακογαμίου, vt Scaligero, & alijs notatum. Qui autem, notæ cauſa, à Cenſoribus æs graue pendere iubebantur, ærarij facti, nuncupatique fuere, ſi Pædiano Aſconio fides, *in Ciceronis diuinationem*, quia ad hoc tantùm in albo ſuæ Centuriæ, Tribuque manebant; vt æs pro capite, tributi nomine, conferrent, ſine vrbani ſuffragij, aut militaris ſtipendij iure, vt & Dionyſ. Halicarnaſ. indicat *lib.* 6. *ad finem*: digladientur quamuis nouiores, quos non moramur. Addimus tantùm, ignotū in re hacce vulgo Varronis locum apud Nonium *in ærarium. Hoc eſt magnum Cenſorem eſſe, ac non ſtudere multos ærarios facere.* Cenſoriæ porrò animaduerſionis, ſiue increpationis formula hæc, quam Valerius ſuggerit *d. cap.* 9. *Natura vobis quemadmodum naſcendi, ita gignendi legem præſcribit, parenteſque, vos alendo, nepotum nutriendorum debito (ſi quis eſt pudor) alligauerunt. Accedit his, quòd etiam fortuna longam præſtandi huiuſce muneris aduocationem eſtis aſſecuti, cum tamen interim conſumpti ſint anni veſtri, & mariti, & patris nomine vacui. Ite igitur, & nodoſam exſoluite ſtipem, vtilem poſteritati numeroſæ.*

7 Caput autem, vt alia minutiora prætercam, inter hæc Cenſoriæ coniugiorum curæ documenta, extulerunt Orationes Metelli Macedonici, & Metelli Numidici. Cenſor ille fuit anno ab V. C. 623. cenſuitque, *vt omnes cogerentur, ducere vxores, liberorum procreandorum cauſa.* Ita ex veteribus libris legendum apud Florum in *Epitom. lib.* 56. Orationem eius de prole augenda inſcriptam, Auguſtus Cæſar, cum de maritandis ordinibus ageret, Senatui, & populo recitauit, quò magis perſuaderet, rem illam non à ſe primùm animaduerſam, ſed antiquis etiam curæ fuiſſe. Ita, præter Florum, Sueton. *in Auguſto cap.* 89. Poſtea ex eadem gente Metellus Numidicus, Cenſor etiam anno Vrbis 651. Orationem in cenſura dixit ad populum de ducendis vxoribus, cum eum ad matrimonia capeſſenda hortaretur, cuius orationis elegans hoc fragmentum recitat Agell. *lib.* 1. *Noct. Att. cap.* 6. *Si ſine vxore, Quirites, poſſemus eſſe, omnes ea moleſtia careremus: ſed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis vllo modo viui poſſit, ſaluti perpetuæ potiùs, quàm breui voluptati conſulendum.*

Hæc, ante leges noſtras nuptijs, ſobolique curandæ, Romana ſcita, in quibus enarrandis non contemnendas veteris iuriſprudentiæ reliquias, collegimus. Claudat excurſum hunc, præcipuamque hanc legum noſtrarum cauſam confirmet, Auguſti oratio ad maritos, & patres, itemque in cœlibes, cuius verba ex Dione *lib.* 56. quamuis prolixiora, quia mirificè rationem hanc fulciunt, ſimulque totam fere noſtrarum legum ſententiam illuſtrant, non grauabor adſcribere, & quidem latina potiùs ex verſione Xylandri, quam græca, quò magis omnibus peruia ſint. Augu-

ſtus

ſtus igitur cum prius cœlibes ſeorſum, ſeorſum maritos, aut patres in concionem vocaſſet, atque hos illis longè inferiores numero, animaduerteret, ſic prius ad maritos, patreſque locutus, fertur: *Etſi reſpectu tantæ huius Vrbis molis perpauci, longèque alijs, qui officium ſuum detrectant, pauciores eſtis; tamen propter hoc ipſum magis vos laudo, ac gratias maiores habeo, quod & audientes dicto fuiſtis, & patriam ciuibus impletis. Qui enim veſtro more viuunt, multos poſteritati Romanos relinquent. Ita ab initio, cum Romanorum eſſet perquàm exiguus numerus, nuptijs ſtudentes, liberoſque procreantes, non virtute modò, ſed etiam multitudine hominum omnes mortales ſuperauimus. Quorum memores nos, mortalitatem naturæ conuenit perpetua ſtirpis ſucceſsione, quaſi facem alijs, ſubinde alijs porrigentibus, compenſare; vt quæ ſola re à Diuina felicitate abſumus, eam perennitatem mutuò nobis inuicem tradamus. Quam potiſsimùm ob cauſam primus iſte, ac maximus, qui nos condidit Deus, humanum genus in duas partes cum ſeuiſſet, ac maſculam vnam, alteram muliebrem feciſſet; amorem eis, ac neceſsitatem coitus inter ſe indidit, ac fœcundam eorum conſuetudinem eſſe, voluit: vt ex his, qui ex alijs, alij naſcerentur, humanum quoque aliquo modo ſempiternum exiſteret genus. Quin ipſorum quoque Deum viri quidam, aliæ mulieres eſſe, genuiſſeque alij alios, traduntur, adeo etiam his, nihil harum rerum indigis nuptiæ, & procreatio liberum pulchra viſa ſunt. Proinde rectè vos Deos imitati, ac parentum veſtrorum exempla ſecuti eſtis, vt quomodo vos ij progenerarunt, ita vos aliam ſobolem ſufficiatis: vt iſtos maiores veſtros ducitis, ac vocatis, ita vobis idem alij nomen tribuant: vt quas res illi vobis cum gloria præclarè tradiderunt, eas alijs vos tranſmittatis: quæ bona ij parta vobis reliquerunt; eadem vos alijs, ex vobis ortis, relinquatis; quid enim cauſa eſt, cur non optima res ſit, vxor pudica, cuſtos, adminiſtratrixque domus, liberorum nutrix, quæ & ſanum exhilarare, & ægrum curare, lætis vtenti rebus ſocia eſſe, aduerſas conſolari poſſit, iuuentutis nimiam animi naturam coërcere, effœtam ſenectæ auſteritatem temperare? Non ſit ſuaue, ex vtriſque natum infantem alere, ac educare, imaginem corporis, animique ſui, vt in eo adoleſcente alter tute naſcaris; non beatiſsimum, vita abeuntem, proprium, ac ex te ipſo editum relinquere, qui in facultates, ac ſtirpem tuam ſuccedat; ac naturæ humanæ ratione diſſolutum, eius ſucceſsione viuere, neque quod in bello fit, inter alienos verſari, ac protinus ſemel perire. Hæc commoda priuatim eos ſequuntur, qui nuptijs, & liberis ſtudent; at verò Reipublicæ, cuius cauſa, etiam contra animi noſtri ſententiam, multa nobis ſunt facienda, qui non ſit, & vtile, & neceſſarium (ſiquidem Vrbes, & populi durabunt, ac vos alijs imperabitis) multitudinem eſſe hominum, quæ pacis tempore terram colat, quæ nauigationes exerceat, quæ artes, & opera tractet, quæ in bello promptior, generis ſui cauſa, ſit ad res tuendas, & ex qua in amiſſorum locum alij poſsint ſubſtitui. Vos itaque, ò viri (ſoli enim vos hoc nomen meremini) atque, ò patres (hæc enim vobis meritò communis eſt mecum appellatio) hac de cauſa & amo, & laudo, præmiiſque, quæ conſtitui, vos orno, ac alijs præterea honoribus etiam, magiſtratibuſque decorabo: vt & vos magnos inde fructus percipiatis, & non minora veſtris liberis bona relinquatis. Nunc verò ad reliquos*

deſcendam, qui, vt omnia veſtris factis diſsimilia agere, ita diuerſa quoque omnia habebunt; vt non verbis modò, ſed & re ipſa magis adhuc intelligatis, quantò iis vos præſtetis.

9 Dein à patribus, mariſque ad cœlibes digreſſus Auguſtus, eos in hanc ſententiam compellaſſe fertur: *Miro modo veſtrum cauſam affectus ſum, ò vos, quos neſcio quo nomine compellem, virorumne? At virile nihil exhibetis: Ciuium? At quantum in vobis eius ſitum eſt, Ciuitas perit: Romanorum? Atqui hoc nomen deſtruere intenditis. Quicunque verò tandem eſtis, aut quocunque nomine vos appellari, auetis, inuſitata, inquam, res mihi accidit; ſolitus enim nihil non ſemper agere, quò magnam veſtrum efficerem multitudinem, nunc ad vos verba facturus, ægrè fero, tantam eſſe veſtrum copiam, maluiſſeque, tot illi potiùs eſſent alij, quos priùs ſum allocutus, vos autem aut cum iſtis fuiſſe, aut omnino mihi non viſos, qui nulla neque Deum prouidentiæ, nec maiorum curæ veſtrorum habita ratione, omne veſtrum genus abolere, ac verè morti obnoxium efficere, omne nomen Romanum perdere, ac finem ei imponere in animos veſtros induxiſtis. Quod enim generis humani ſemen relinquetur, ſi factum veſtrum omnes alij populi imitentur? Cuius cum initium apud vos ſit, iure vniuerſalis interitus culpam ſubſtinebitis. Quod ſi nemo exemplum veſtrum ſequetur, optimo iure, hanc ipſam ob cauſam, odio omnibus eritis, cum ea negligatis, quæ nemo alius: & eas leges feratis, ea ſtudia introducatis, quæ ſi imitari velint vniuerſi, in perniciem incidant; ſin odio habeant, vos damnent. Neque enim quia non omnes homines latrocinia, aut ſacrilegia (aliaue flagitia) perpetrant, ideo in his deprehenſis parcitur. Quin imò pœnam luere coguntur ob hoc ipſum, quod ſoli, aut cum paucis ea egerint, quæ nemo alius. Quamquam ſi quis omnia maxima flagitia enumeret, nec ſingula quidem, ſed vniuerſa cum eo, quod nunc tractatis, componat; tamen ea omnia magnitudinem veſtri non adæquent. Nam & homicidium eſt, quod facitis, qui eos ne gignitis quidem, quos naſci ex vobis conueniebat: impietatis vos obligatis, qui nomina, ac honores maiorum ceſſare cogitis: ſacrilegium committitis, qui genera veſtra à Dijs immortalibus monſtrata aboletis: maximumque donariorum iis ſacrorum, humanam naturam peſſundatis, eoque templa eorum, araſque euertitis; quin etiam Ciuitatem diſſoluitis, legibus non obtemperantes: proditis patriam veſtram, ſterilem eam, atque infœcundam reddentes; imò verò funditus eam demolimini, dum habitatoribus eam orbatis, neque enim Ciuitas domibus, porticibus, aut foris, hominum Manibus, ſed viris conſtat. Conſiderate verò, an non ſummam iram iure Romulus Author noſter concepturus ſit, ſi ſuos natales cum veſtro inſtituto conferat, qui ne legitimis quidem nuptijs prolem generare vultis? Quid eos, qui cum eo fuerunt, Romanos? Si expendant, ſe alienas virgines rapuiſſe; vos ne veſtras quidem amare: ſe bello prolem quæſiſſe; vos neque ex ciuibus velle? Quid Curtium, qui mortem pertulit, ne nuptijs ſui ſpoliarentur? Quid Herſiliam, quæ filiam ſuam ſequuta, nuptiales vobis ritus oſtendit? Enim verò patres noſtri, & bellum contra Sabinos pro nuptijs geſſerunt, & pacem compoſuerunt, ipſis eos mulieribus, ac natis in gratiam inuicem reponentibus, iureque iurando, & fœderibus eas ſtabiliuerunt; vos hæc omnia confunditis. Quam ob rem? Vt ſcilicet cœlibes ſitis, exemplo Veſtalium virginum? Ergo, ſi pudicitiam non ſeruaueritis, itidem vt illæ, ſuppli-*

plicio afficiendi. Atqui ſatis compertum habeo, acerbum vobis meum, aſperumque ſermonem videri: ſed primùm cogitandum vobis eſt, à medicis quoque permultos, quando aliter nequeant, vrendo ſanari; deinde me non libenter hanc ad vos orationem habere, qui idipſum quoque crimen vobis obijciam, quòd in hæc verba me prouexeritis. Quòd ſi verba mea moleſta ſunt vobis, nolite ea agere, ob quæ neceſſariò malè ſit vobis audiendum. Si enim vos mea dicta mordent, quantò magis me, & reliquos Romanos facta veſtra? Ergò ſi verè ea vos lædunt, pœnitentiam agite, vt laudandos vos, & gratias agendas habeam, quem natura, haud quaquam difficili, præditum, omnia, quæ bonum legumlatorem decebant, conſtituiſſe, ipſi quoque noſtis, & quidem nec, ante me, cuiquam permiſſum erat, coniugium, ac ſobolem negligere: cum initio ſub primam Reipublicæ conſtitutionem de ea re diligenter legibus ſit cautum, multaque inde de eadem Senatus, populuſque ſtatuerit, quæ recenſere ſuperuacaneum eſſet. Ego autem multam non obedientibus adauxi, vt eius metu in officio continerentur; præmia autem obtemperantibus tot, ac tanta, quanta nulli virtuti præterea eſſent propoſita, conſtitui, vt ſi nihil aliud, ea ſaltem ad coniugia, & liberorum procreationem vos excitarent; vos autem neque præmia appetentes, nec pœnam timentes, omnibus his ſpretis, ac quaſi in nulla viuentes Ciuitate, conculcatis: expeditam iſtam, ac liberam vitam extra matrimonium, & ſine ſobole, prætuliſſe vos dicitis, cum interim latronibus, ac immaniſsimis belluis nihilo præſtetis; neque enim adeò ſolitudo vos viuendi capit, vt abſque mulieribus degatis, ac non quilibet veſtrum menſæ, ac lecti ſociam habeat; ſed licentiam libidini, ac laſciuiæ veſtræ exercendæ quæritis. At ergò teneras adhuc puellas, & viris immaturas, vt ambiretis, vobis permiſi; vt, cum ſponſorum propediem nuptias celebraturorum, nomen ferretis, eò magis rem familiarem curaretis: libertinarum quoque matrimonia ijs, qui patritij non eſſent, conceſsi: vt ſi quem eò amor, aut conſuetudo impelleret, lege id facere poſſet, neque feſtinare vos quicquam coëgi, primùm triennio, deinde biennio ad parandam rem dato; atqui neque minando, neque hortando, neque differendo, neque orando quicquam profeci. Ipſi videtis, quàm multò plures maritis vos ſitis; cum debueritis totidem, imò verò multiplices veſtrum iam liberos nobis dediſſe. Qua enim alia ratione genera conſtabunt? Qua Reſpublica conſeruabitur, neque vxores ducentibus vobis, neque prolem creantibus: niſi forte expectatis dum, quod in fabulis fertur, ex terra aliqui exiſtant, qui res veſtras, publicamque excipiant. Nefas verò ſit, vos, noſtro genere, ac nomine Romano extincto, alienigenis hominibus, Græcis, barbariſue Vrbem tradere: an in hoc potiſſimum mancipia libertate donabimus, vt quamplurimi ex ijs ciues fiant: ſocijs Ciuitatem communicabimus, vt ea frequentior ſit: vos autem ipſi, à prima origine Romani, Quintos, Valerios, Iulios enumerantes, cum vobis ſimul & gentes, & nomina abolere in animo habetis? Verecundia profectò moueor, quod hæc mihi dicenda ſunt, quæ vos facitis. Ea propter inſaniæ modum ponite, ac iam nunc reputate demum, fieri nullo modo poſſe, vt, cum multi identidem morbis, ac bellis abſumantur, ſalua Vrbs eſſe queat, niſi multitudo eius ſubinde, alijs natis, expleatur, ac ne quis putet, ignorare me, eſſe quædam etiam in matrimonio, & liberorum procreatione, difficilia, ac moleſta: ſed hoc cogitate, cum nullum bo-

bonum habeamus, cui non aliquid acerbi admixtum ſit, tum plurimis, & optimis bonis adnata eſſe plurima etiam, ac maximè triſtia; quæ, ſi declinare velitis, ne bona quidem appetenda vobis erunt, quando ad virtutem, ac voluptatem nullam ſinceram perueniri poteſt, niſi in ea paranda, obtinenda, ac ſeruanda labor impendatur. Quæ ſingula prolixè referre quorſum attinet? Quin ſi etiam in coniugio, & ſuſcipienda prole quædam ſunt moleſta, meliora cum ijs conferte potiùs, eaque plura, & magìs neceſſaria inuenietis: quippe præter ea commoda, quæ res iſta, ſuapte natura, ſecum fert, ipſa etiam legibus propoſita præmia, quorum vel exigua pars ad mortem ſubeundam aliquos pellicit, vtique ad parendum mihi omnes adducere debent; turpe enim profectò ſit, eorum cauſa, propter quæ alij vitam ſuam concedunt, vos nolle mulieres ducere, ac liberos alere. De his ego vobiſcum, ò ciues (iam enim vos perſuaſos, velle ciuium nomen retinere, ac virorum, patrumque cognomen accipere, confido) ita expoſtulandum dixi; illibenter quidem, ſed neceſſariò; nec vt inimicus, nec qui odio vos, ſed qui amore proſequerer, cuperemque veſtrum ſimiles multos acquirere: vt Penates legitimos habitantes, domoſque plenas progeniei habentes, cum coniugibus, liberiſque ad eos accedamus: æquatiſque inter nos ijs, quæ in publicum conferunt, ac inde fructus percipiuntur, conuerſemur. Quomodò enim ego præeſſe vobis rectè poſſim, ſi ſemper diminutionem de vobis aliquam fieri patiar? Quomodò pater ampliùs veſter iure dicar, ſi vos nullam prolem educetis? Quare ſi verè me diligitis, ac nomen mihi patris non adulationis, ſed honoris gratia dediſtis, date operam, vt mariti, patreſque fiatis, quo & ipſi participes eius reddamini, & ego meritò id geram.

CAPVT VI.

DE SVPPLENDI ÆRARII CVRA, QVÆ CAVSA ALTERA NOſtrarum legum; & earum odio, & fauore.

ARGVMENTVM.

POſterior cauſa legum noſtrarum, quæ fuit ærarij exhauſti repletio, commendata modicè. In pecunia robur patrimoniorum; in tributis nerui Reipublicæ. Vlpianus, Conſtantinuſque illuſtrati. Ex vtriuſque noſtrarum legum cauſæ veluti fonte fauor, odiumque ipſarum legum quaſi deducta. Fauor in primis præter vulgi mentem, ex priore fine frequentię ſobolis, & nuptiarum. Expenſa lex, hoc modo 64. D. de condit. & demonſtrat. Odium item ex poſteriori fine ærarij repletionis, cui adiunctæ delatorum calumnię, ciuiumque querimoniæ, & inuidia. Iuſtiniani in ea re loci adornati.

1 SEd de prima, ac primaria legum noſtrarum cauſa ſatis: iam verò quod ad alterum earum finem attinet, qui fuit ærarij exhauſti repletio, paucis præmoneo, publicarum opum, ſiue vt apertiùs dicam, ærarij, fiſciue intra modum, modiſque honeſtis quæſitam affluentiam, rem eſſe in primis vtilem, neceſſariamque ſecuritati Imperij firmandæ: & quidem in pecunia robur omne patrimoniorum veteres poſuiſſe, Conſtantinus alibi ſcrip-

ſcripſit *in l. quæ tutores 22. in fine Cod. de adminiſtrat. tutor.* ſcitè Demoſthenes Olynth. 2. Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστὶ γενέσθαι τῶν δεόντων *opus ſunt opes, ac ſine iјs nihil fiet, quod opus.* Artemidor. *lib.* 1. *Oneirocrit. cap.* 18. Sed de illarum in priuatis negotijs vſu non quærimus; in Republica verò audiamus, quæſo, poſt Ariſtotel. *lib.* 1. *Politicor. cap.* 7. in fine, Byzantinum Principem, Leonem, cognomento Philoſophum *Nouell.* 52. vt tam veterum Principum, quàm recentiorum numiſmata. *Si pecuniarum*, inquit, *nerui, ſufficiens, & copioſa illarum materia eſt, remque publicam illarum vis ſtabilit, rectè profectò veteres earum defectum, velut morbum, quem, ad tabem inde profugarunt, dum omne genus numiſmatis, etſi ad veteres, & priſcos Principes referretur, ſimiliter valere voluerunt.* Audiamus & Mutianum, callidum Veſpaſiani amicum, qui cum multa in ærarium ſæpè referret, & vndequaque pecuniam colligeret, νεῦρα τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα ἀεί ποτε εἶναι ἔλεγε *Neruos Imperij pecuniam eſſe, ſemper dicebat*, ſiue, vt Cicero pro lege Manilia, *ornamenta pacis, & ſubſidia belli.* Quam & ob cauſam in tributis neruos eſſe Reipublicæ, Vlpianus docuit *in l.* 1. §. *In cauſa D. de quæſtion.* iuncta *lege 2. Cod. de exactor. tribut. lib. 10. l. 1. C. de condict. ex lege.* idque ex Demoſthene, Æſchine, Euſtachio, Laertio, Plutarcho, Floro, & alijs, illuſtrat alibi magnus Cuiacius.

Mihi Iuſtini iſta ſufficiunt, *Nouell.*
2 149. vt Dei amantiſsimi Epiſcopi *cap.* 2. *Impoſsibile enim eſt*, inquit, *vt ſacris tributis non illatis, alioqui Reſpublica, conſeruetur. Militares namque copiæ aſsignato ſibi ſalario inde percepto, hoſtibus reſiſtunt, & collatores à Barbarorum incurſionibus, & truculentia vindicant: deinique agros, atque Ciuitates à latronum, alioquè modo incompoſitam vitam ſectantium vi, & irruptionibus, agendis excubijs, defendunt: ex illis etiam reliquæ cohortes ea, quæ ipſis attributa ſunt, accipiunt: muri, atque Ciuitates indidem inſtaurantur: publicarum balnearum hinc calefactiones procedunt; poſtremò ſpectacula, aliaque omnia, quæ ad delectationem ſubditorum inuenta ſunt, ex iiſdem curantur; vt quæ ab illis contribuuntur, partim in ipſos, partim propter ipſos inſumantur, & impendantur.* Expreſsit hæc eadem, ad verbum fere, Tiberius, Iuſtini iunioris ſucceſſor in *Nouell.* 161. *de Prouinciarum Præſidibus cap.* 2. & confirmat eleganter Tacitus 13. *annal. Eodem anno*, inquit, *crebris populi flagitationibus, immodeſtiam publicanorum arguentis, dubitauit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum eius, multùm priùs laudata magnanimitate, attinuere Senatores, diſſolutionem Imperij docendo, ſi fructus, quibus Reſpublica ſuſtineretur, diminuerentur.* Eadem mente apud eumdem *lib.* 4. *Hiſtor.* Petilius Cerialis *in Oratione* ad Treueros, & Lingonas: *Nos*, inquit, *quamquam toties laceſsiti, iure victoriæ id ſolùm vobis addidimus, quo pacem tueremur; nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Plinius in Panœgyrico ad Traianum: *Onera Imperij pleraque vectigalia inſtitui, vt pro vtilitate communi ita ſingulorum iniurijs coërgerunt.* Et, vt Prudentius in Periſtephano Hymno 3. Laurentij Martyris.

Hoc poſcit vſus publicus,
Hoc Fiſcus, hoc ærarium,
Vt dedita ſtipendiis
Ducem iuuet pecunia.

Sed in his, alijſque eiuſdem notæ teſtimonijs colligendis, quæ plura ſanè, & pluribus ocurrent, non immoror, ne vel in obuio, communique, vt dicitur, loco, politicum potiùs, quàm iuriſconſultum agere videar, aut aſſentandi vitio, cuius cauſas procul habeo, fiſci locupletandi, & tributi indicendi, velut colores ſuppeditare Principibus, quibus, vt bellè quondam Panœgyriſtes: *Nunquàm defuerunt qui fronte graui, & triſti ſupercilio, vtilitatibus fiſci contumaciter adeſſent, & cum eſſent ipſi ſua ſponte auidi, & rapaces, & qui magiſtris non egerent, plura tamen ſemper à nobis, contra nos, didicerunt.*

3 Illud ad rem præſentem, & vtriuſque legum noſtrarum cauſæ vim aperiendam animaduertimus, adeo ex cauſarum varietate ipſarum etiam legum ſententiam, varijs interpretationibus in contraria diſtractam, vt quemadmodum ob priorem illam, quæ matrimonium, & ſobolis frequentiam reſpexit, valde fauorabiles fuerint, ita odioſæ non minùs ob poſteriorem hanc, quæ pœnis cœlibum, orborumque fiſcum locupletabat. Scio, primum illud, quod poſui, præter vulgarium interpretum mentem eſſe, qui leges noſtras tanquam odioſas paſsim, atque indiſtinctè coërcent, quales multi in Olani *Paralipomenis lib.* 3. *cap.* 3. *ex num.* 2. cum, è contra vtiliſsimas Reipublicæ, ac pernicioſiſsimo exemplo ſublatas à Chriſtianis Cæſaribus, cenſeat politico, an hæretico, contra Chriſtianum cœlibatum ſpiritu, Ioannes Bodinus *lib.* 6. *de Republica cap.* 2. reprehenſus à Dominico Arumæo *tom.* 1. *de iure publ. in diſcurſu Antibodiniano corollario* 8.

4 Sed tamen lucem noſtræ aſſertioni dat, & debet Terentius Clemens *lib.* 5. *ad legem Iuliam, & Papiam in l. hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſt.* dum ad priorem legum noſtrarum cauſam alludit, ibi: *Legem enim vtilem Reipublicæ, ſobolis ſcilicet procreandæ cauſa latam, adiuuandam interpretatione.* Et eadem omnino mente Anonymus Panœgyrici Author Maximiano, & Conſtantino dicti, leges noſtras indigetat: *Fundamenta Reipublicæ, quia ſeminarium iuuentutis, & quaſi fontem humani corporis, Romanis exercitibus miniſtrarunt.* Iunge appoſita ad rem verba Hadriani *in l. cum ratio* 7. *§. Si plures D. de bon. damnat. Fauorabilem apud me cauſam liberorum Albini, filiorum numerus facit.* E contrario poſteriorem ob cauſam, publicè odioſam fuiſſe noſtrarum legum obſeruationem vulgò non ignoratur, vtpote cum caducis, ereptitijſque bonis Fiſco delatis, præmijſque delatoribus propoſitis, & illum cum priuatorum damno ditarent, iſtis viam ad graſſandum in aliorum fortunas velut ſternerent, *à queis omnes domus ſubuertebantur, creſcente in dies multitudine periclitantium, vtque antehac flagitijs, ita nunc legibus laborabatur, cum altiùs etiam penetrarent, Vrbemque, & Italiam, & quod vſquam ciuium corriperent, multorumque exciſi ſtatus, & terror omnibus intentabatur,* vt verbis vtar Taciti 3. *annal.* quibus non diſsimilia Plinius in *Panœgyrico.*

Itaque euenit hìc Romanis Principibus quod omnibus fere in hac re, vt legibus ad augendum ærarium latis, excirent ciuium gemitus, ploratus, monſtra quædam non hominis, ſed feræ, neſcio cuius, immanis, vt exclamat alibi Cicero 5. *ad Atticum Epiſt.* 16. ſiue, vt appoſitè magis Tacitus 3. *Hiſtoriar. pecunijs acerbè conquirendis plus inuidiæ ſibi, quàm virium adderent.* Nec ſine cauſa Populus Romanus 5

nus harum legũm abrogationem ſæpe, ac pertinaciter poſtulauit, vt memorant Sueton. *in Auguſto cap.* 34. Dio *lib.* 56. in principio. Et variè à poſterioribus Cæſaribus carptas, correctaſque, earumque inuidioſum vigorem quoad caducorum obſeruationem, iuris, & æquitatis conſultis diſplicuiſſe, & teſtamentorum conditoribus grauiſsimum viſum fuiſſe; multas excogitantibus vias, per quas caduca non fierent; his fere verbis Iuſtinianus teſtatur in principio *l. vnicæ, Cod. de caducis toll.* Queis ſimilia fere idem in *l.* 2. §. *Quintus in fine, Cod. de veteri iure enucl.* Nec diſsimilia ante eum Cæſares in *l.* 1. *Cod. de infirm. pœn. cælib. l.* 2. *Cod. de iure liberor.* Et Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores, ſacro cœlibatui; & virginitati fauentes; eoque reſpectu vocantes Iuliam, Papiamque legem απηνων *duram, crudelemue*; vt Euſebius 4. *de vita Conſtantini cap.* 26. & ατοπον, ſiue abſurdam. Vt Nicephor. 7. *Eccleſiaſt. Hiſt. cap.* 46. & ante eos, *vaniſſimas Papias leges*; Tertullianus *in Apologetico cap.* 4. Nos iſta nunc legum noſtrarum clauſtra, reſeraſſe contenti, exemplis non firmamus; quæ de nuptiarum, proliſque fauore, & caducorum odio crebra in legibus, libriſque noſtris, & ſuis ſingula locis tempeſtiuius ſuggeremus.

(:§:)

AD

AD LEGEM IVLIAM DE VICESSIMA HÆREDITATVM.

LIBER EXCVRSVS.

CAPVT VII.

DE ORIGINE, ET AVTHORE IVLIÆ LEGIS DE VICESSIMA; & primario eius capite, aut cautione.

ARGVMENTVM.

IVliæ legis ferendę de viceſsima hæreditatum occaſio ex anguſtijs militaris ærarij. Diſtinctio eius, & in pluribus conſenſio cum Iulia, Papiaque noſtris. Auctor Viceſſimariæ idem Auguſtus, quatuor circiter ante Papiam annis. Diuerſa hæc hęreditatum ab alijs Viceſsimis: eiuſdemque, & aliarum in noſtris, alijſque ſcriptoribus mentio. Quænam viceſsima manumiſſorum. Arriani lectio defenſa: & expoſitus Pomponius in l. 2. §. Ab hoc 44. D. de orig. iur. Offilij I. C. ætas. Primarium caput legis Iuliæ propoſitum. An imitabile hodie id vectigal, diſquiſitum modicè cum Politicis: Æmilius Macer iuriſconſultus, Iuliæ viceſsimæ illuſtrator, quo æuo floruerit.

1 FVit verò, vt corollario, neque inutili, vt ſpero, neque iniucundo, commentarij noſtri munus adornem, quo leges noſtræ latæ ſunt tempore, non minor ærarij ſupplendi, quàm Ciuitatis neceſsitas: exhauſta nimis vtraque bellis ciuilibus, & cum Auguſtus quicquid vbique militum eſſet, ad certam ſtipendiorum, præmiorumque formulam adſtrinxiſſet, definitis pro gradu cuiuſque, & temporibus militiæ, & commodis miſsionum, neque perpetuò, ac ſine difficultate ſumptus ſuppeterent ad tuendas, ſeu proſequendas viginti quinque Legiones, quas ordinarias eo tempore fuiſſe, vel ex Tacito notum *lib.* 4. *annal.* Dione *lib.* 55. militare ærarium cum vectigalibus nouis inſtituit, teſte Suetonio *in Auguſto cap.* 49. Huic tuendo inter alia, cum de perpetuo quodam reddit constituendo ſæpiùs tractatum eſſet, tandem viceſsima hæreditatum, ac legatorum ſtabilita, lata in eam rem ab Auguſto Iulia lege de viceſsima, quæ, quoniam Iuliæ, Papiæque noſtris coæua, fine, argumentoque ſimillima, & in quibuſdam capitibus mirè conſentiens (vnde & illam cum Iulia, Papiaque Zaſius, Goueanus, Godeleuæus, Stephanus Forcatulus *dialog.* 22. Charondas, Forſterus, Corraſius, & cum his pragmatici noſtrates, alijque confundunt) noſtram etiam ſuo veluti iure opellam deſiderat.

Lata Iulia lex de viceſsima ab Au- 2
guſto, quatuor circiter ante legem Papiam annis, M. Aimilio Lepido, & L. Arruntio Nepote Conſulibus, anno ab V. C. 757. locuples rei teſtis Dio Caſsius *lib.* 55. *in actis eiuſce anni*, vbi poſt multa, quæ militari ærario ſupplendo, & viceſsimæ ſuadendæ reperta memorat, *Inſtituit, vt vigeſima pars hæreditatum, ac legatorum, exceptis iis, quæ proximè genere iunc-*

tis

tis, ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in ærarium militare inferrentur, quaſi ſcriptum in Cæſaris commentarijs id penſionis genus reperiſſet. Hæc viceſsima hæreditatum, legatorumque, cuius diſerta mentio in *l. vlt. C. de edicto Diui Hadriani tollendo,* & apud Plinium in Panœgyrico ad Traianum, & *lib. 7. Epiſt. 14. ad Coreliã.* Capitolinum *in M. Antonio.* Lampridium *in Heliogabalo,* atque in veteribus lapidibus, & inſcriptionibus quorũdam capitum in Pandectis ex Æmilij Macri libris εἰκοστῶν, ſiue ad legem viceſsimam hæreditatum, de queis poſtea. Diuerſa certè ab hac, nec temerè cum illa miſcenda alia vectigalia, quibus nomen viceſsimæ datum in legibus, libriſque priſcis. Talis viceſsima prouentuum, quam Piſiſtratus, eiuſque filij tyrannidem exercentes, ab Athenienſibus exigebant, teſte Thucydide *lib. 6. belli Peloponneſ.* & Athenienſes ipſi à maritimis populis ſubiectis, vt idẽ memorat *lib. 7.* de qua fortaſſis Ariſtophanes loquitur in ranis. Θωρυκίων ὢν εἰκοστολόγος κακοδαίμων hoc eſt, vt ſcholiaſtes eiuſdẽ explicat εἰκοστολόγος ὁ τὰ εἰκοστὰ ἐν τῇ κρίσει συνάγων, viceſsimarius viceſsimas in iudicio colligens. Talis apud Romanos viceſsima portorij, qualem Syracuſis ſolutã indicat Cicero *act. 4. in Verrem,* viceſsima frumenti, quã Hiſpani noſtri Romanis vendere cogebantur, ſic tamen ne frumenti æſtimationẽ Magiſtratus Romanus haberet, neue quanti ipſe vellet, quod ſaluberrimo Senatuſconſulto cautum ſcribit Liuius *lib. 43.* vini, & lardi viceſsima, cuius meminit *l. modios 9. C. de ſuſcept. lib. 11.* alia denique, ac celebrior viceſsima depenſa à Dominis ex pretio eorum, quos manumitterent, & introducta primùm à Caio Manlio, lege in Caſtris ad Sutrium lata; *Quam Senatus probauit, quia non paruum ea lege vectigal inopi ærario addebatur,* verba hæc Liuij *lib. 7.* Ab iſta viceſsimariũ aurum, quod *in ſanctiore ærario ſeruatum* ait Liuius *lib. 27.* eruditiores dictum volunt. De eadem Cicerò *lib. 2. ad Atticum epiſt. 31. Eò magis quòd portorijs Italiæ ſublatis, agro Campano diuiſo, quod vectigal domeſticum ſupereſt præter viceſsimam? Quæ mihi videtur vna conciuncula, & clamore pediſſequorum noſtrorum, eſſe peritura.* Arrian. *lib. 2. diſſert. Epicteti cap. 1.* vbi in hanc ſententiam: *Quando quis ſeruum ſuum apud Pratorem verterit, num iſta vertigine nihil effecit? Enim verò fecit aliquid. Quidnam? Nempè ſeruum vertit apud Prætorem. Numquid aliud? Nihil aliud, ſed & viceſsimam ſerui dependere neceſſe ei eſt.* εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. Similia de ſeruo manumitti cupiente, Arrianus idem *lib. 3. cap. 26.* in quo, pro εἰκοσώναις reponit εἰκοστώταις magnus Lipſius, ex veteribus gloſsis, quibus εἰκοστώνης ὁ τὰς εἰκοστὰς ἀπαιτῶν *viceſsimarius viceſsimas exigens,* mihi εἰκοσώναις haud diſplicitum pro redemptoribus viceſsimæ, quos propriè εἰκοστώνας diceremus, ſicut δεκατώνας, σιτώνας ac ſimilia. Illuſtrandus ex his Pomponij locus in *l. 2. §. Ab hoc 44. D. de orig. iur.* vbi quod proditum, Aulum Ofilium de legibus viceſsimæ primum conſcripſiſſe, referendum, me quoque iudice, ad legem Manliam de viceſsima manumiſſorũ, & ſi quæ aliæ antiquiores, namque vt de lege viceſsima hæreditatum Offilius ſcripſerit (quod diligenti alioquin iuriſconſultorum Chronologo Bertrando de *vitis iuriſconſultorum in Ofilio,* & ante eum Gril. Fornerio ad *l. mille 154. D. de verbor. ſignific.* & alijs creditum) vix probabile, quam nec fortaſſe vidit Ofilius, cum eſſet inter celebres Romæ iuriſconſultos, Seruij Sulpici coætaneus, bello gallico Cæſaris incipiente, vt colligere eſt ex Cicerone *libro 7. familiarium epiſtolarum epiſt. 22.* atque ita, vt in animum inducimus, prouectæ iam ætatis, ſexaginta circiter annis ante

legem de viceſsima hæreditatum, quæ lata, vt diximus, Auguſto iam ſeniore, ab V.C. 757. nec veriſimile, tamdiu vixiſſe, præſertim cum eius, inter longioris vitæ exempla, non meminerit Plinius *lib. 7. natur. Hiſtor. cap. 48.* vbi Clodiam Offilij vxorem in ea re nominat.

3 Sed de origine viceſsimæ legis hæreditatum hactenus; iam verò eiuſdem capita, & quæ, exponendis illis, veterum iuriſconſultorum teſtimonia occurrunt, perluſtremus, oportet. Inter quæ primum fuit, potiſsimumque illud, cuius ex Dione meminimus, ſcilicet, *vt quæ hæreditates, legataue, aut mortis cauſa donationes;* (has enim, etiam vox τῶν δωρεῶν complectitur, quæ apud Dionem *dict. lib. 55.*) *extraneis, aut locupletibus obuenirent, earum pars viceſsima militari ærario inferretur.* Vectigal certè non tantùm neceſſarium, vt Paulus noſter vocat *lib. 4. ſentent. tit. 6. §. vlt.* ſed etiam tolerabile hæredibus, ſaltem extraneis, vt cenſet Plinius *in Panægyrico*, atque imitabile noſtro etiam ſæculo, vt videtur nouioribus Politicis Sturmio, Lipſio, Bodino, & alijs apud Beſoldum *tom. 2. politic.* diſcurſu *de ærario cap. 4. ſect. 14. num. 2.* Gaſp. klochium *de contributionib. cap. 1. num. 123.* Qui tam promptum, obuiumque hoc, neque graue etiam pendentibus, cum lætitia inſperatæ obuentionis leniat, minuatue ſenſum inferendi, neglectum vſque adhuc mirantur. Quin & hodie Venetijs vigere audiuimus, & Peruſij, vbi ex legatis gabellam ſolvi, ad rationē ſex denariorum pro libra æſtimationis legati, ſcripſit Angelus Peruſinus *in l. omnium 29. de vſufruct.* & de Mantuano, Parmenſi, aliiſque Italiæ Vrbium ſtatutis, quoad Gabellam hanc ex legatis, meminere Baldus, Caſtrenſis, Decius, & reliqui in *l. vlt. Cod. de edicto D. Hadriani toll.* iidemque, & Angelus, Imola, Cumanus, Iaſo in *l. in ſuis 11. D. de lib. & poſth.* Caſtrenſis, Alexanderque in *l. hæreditatum 68. D. ad leg. Falc.* Et ex nouioribus Cyriacus Niger *lib. 1. controu. cap. 94. & 97. ac ſeqq.* Argell. & alij practici, quos nunc ſeponimus, & ſimile apud Turcas, qui decimam bonorum defuncti partem, ad exercituum alimenta, Imperatori ſuo ſoluunt, vt teſtatur Calchondilas *de rebus Turcicis lib. 8.* Sanè cum tam multa alia tributa excogitentur, odioſa magìs, fructuoſa minùs, viceſsimam hanc ſubſtitui è Republica videri poſsit, quamquam non ignoretur durum illud, & inhumanum habere, quod ad eius deductionem, & æſtimationem hæreditatis, neceſſe ſit publicatione, ac pompa rerum familiarum, aut paupertatis detegi vilitatemi, aut inuidiæ exponere diuitias, vt re ſimili Cæſares in *l. 2. Cod. quando, & quibus quarta pars debeatur lib. 10.* & iniuſtius vectigalibus alijs viſum ſit Quintiliano *declam. 341. Quin & iniuſtius*, inquit, *illud, quo partem hæreditatis ſibi vindicat?* Sed de his alij viderint; ac tu videſis noſtrum ſemper cultu, & affectu, & magni pro merito nominis, D. Ioannem Solorzanum *Emblemate 87. ex num. 22. & ſeqq.* vbi, & acerbè vectigalium hoc genus damnat, & Noſtri in hiſce commentarijs amicè meminit. Nos interim, quæ huc pertinent, veterum prudentum loca explicemus, atque in primis Æmilij Macri, quem, poſt Seuerum, Alexandri temporibus floruiſſe, diſcimus ex *l. ſi minor 61. D. de adquir. hæred. l. vn. D. ſi pendente appell.* tametſi forſan Paulo, Vlpianoque annis inferiorem, quos laudat in *l. ſciendum 15. §. 1. D. qui ſatiſd. cog. l. hæreditatum 68. D. ad legem*

gem Falcid. l. 1. D. de veteranor. & militum ſucceſſ. Denique & ſcripſiſſe εἰκοστῆς βιβλία δύο, vt inſcribuntur in Pandectarum Indice, ſiue ad legem viceſsimam hæreditatum libros duos, vt alibi in eiſdem legimus; & animaduertit iam pridem clarum illud Hiſpaniæ noſtræ decus, Antonius Auguſtinus.

* * *

CAPVT VIII.

AD ÆMILIVM MACRVM IN L. NVLLI 13. D. DE tranſactionibus.

ARGVMENTVM.

EXponuntur deinceps loci, qui in Iuſtinianæo iure ad primum caput Iuliæ de Viceſsima pertinent. Ad *leg. nulli 13. D. de tranſactionib.* Accurſianorum intellectus. Tranſactio in prædijs minorum, & Eccleſiarum; & in bonis maioratus Hiſpani, & ſimilibus, quando, & quatenus licita. Refutatus is intellectus ad d. *L. nulli* 13. eaque expoſita de viceſsima, de qua Procuratori Cæſaris tranſigere non licet, inconſulto Principe. An & idem circa tranſactionem in Procuratoribus priuatorum. Notata in ea re Fabri oſcitantia. Expoſitus Hermogenianus, & illuſtratus ex Baſilicis: adminiſtratorum Vniuerſitatum; item Tutorum, Curatorumque plenius in tranſigendo ius, & quare. Expenſa, & explanata *Lex cum hi* 8. *§. Tranſactiones* 18. *D. de tranſactionib.* Nodus alter in d. *L. nulli* 13. quem Balduinus vix diſſoluit. Militaris ærarij cura Romę primùm apud Prætorios, ſeu Conſulares, deinde apud Præfectos: variatum item in cura ærarij Saturni. In Prouincijs Viceſsima interdum publicanis locata, qui Promagiſtri XX. hæreditatum, ſępe exacta à Procuratoribus hęreditatum. Quinam hi: & illuſtrata inſcriptio *L. 1. Cod. de vſuris rei iudic.* Simulque libri, & lapides priſci, præter mentem Panciroli, & aliorum. Relata diſputatio ad forenſem vſum. Suſceptores Regiorum vectigalium, ſupremique eorumdem Curatores, an & quatenus poſsint transigere. Quando item Conductores, & alij, qui ſuo periculo exigunt. Expenſę, & adornatæ Regię leges.

1 OCcurrit autem prima ex his libris in Iuſtiniani Pandectis, *lex nulli 13. D. de tranſactionibus*, vbi ſic ſcriptum; *Nulli procuratorum Principis, inconſulto Principe, tranſigere licet.* Hoc ita, poſt Accurſium, Bartholus, & antiquiores alij accipiunt, vt non liceat Procuratoribus Cæſaris, inconſulto Cæſare, tranſigere, ſi tranſigendo eiuſdem rem alienent, alioquin ea retenta, & pecunia viciſsim data, tranſactio rata erit, etiam ſine permiſſu Principis, in eamque rem Accurſius vtitur minoris exemplo, cuius prædia, quamuis nec tranſactionis ratione diſtrahi ſine decreto poſsint, *l. non ſolùm 4. Cod. de præd. & alijs reb. minorum l. ſi pro fundo 33. C. de tranſact.* valebit tamen tranſactio, etiam ſine decreto, non tantùm ſi de mobili re fiat à tutore, ac decidendi potiùs cauſa, quàm diminuendi. *l. Lucius 46. §. vlt. D. de adminiſtr. tutor. l. pactum 22. Cod. de pactis. l. ſi pignore 54. §. Vlt. l. interdum 56. §. Qui tutelam D. de furt.* ſed etiam ſi de prædio ruſtico, vel vrbano, dum tamen id retineatur, quamuis viciſsim aduerſario aliquid detur, vt argumento ex dicta *l. ſi pro fundo 33.* adnotarunt antiquiores ibi, & poſt Accurſium Bartholus in noſtra *l. nulli 13.* Gomeſius 2. *variar. cap. 14. num. 15.* Tiraquell. *de retractu lignag. §. 1. gloſ. 14. num. 67. & ſeqq.* Idemque in Prælatis circa Eccleſiarum

rum bona immobilia, docent Pontificij iuris interpretes in *cap. cum tempore 5.* vbi & probatur de arbitris; *&* *in cap. contingit 3. de tranſactionibus.* Panormitan. *conſil. 57. & 63. volum. 1.* Padilla *in l. præſes 12. num. 21. C. de tranſactionib.* Gratian. *diſcept. forenſ. lib. 3. cap. 476. num. 16. & ſeqq.* D. Valenç. *conſ. 175. num. 15.* Quin & in maioratibus Hiſpanis, quorum de bonis, citra regiam facultatem, nec compromitti poſſe, nec tranſigi magis obtinuit, quia prohibitione alienationis tranſactio, & compromiſſum continetur. *d. l. non ſolùm 4. Cod. de prædijs minor. cap. cum tempore 5. de arbitris*; placuit tamen noſtratibus, vtrumque valere, ſi bonis maioratus, de quibus contenditur, retentis, aliud inſuper, litis finiendæ cauſa, aduerſario tradatur. Ita ex ſententia Accurſij *in d. l. nulli 13. D. de tranſact.* ſtatuit Ludouicus Molina *lib. 4. de primog. cap. 9. num. 22.* ad quem in Additionibus plures. Gregorius Lopez in *l. 10. quæſt. 45. tit. 26. part. 4.* & ex nouioribus, tricennio fere poſt hæc ſcripta viſus, accuratè, vt ſolet, & doctè D. Alf. Olea *de ceſsione tit. 2. quæſt. 1. num. 46. & ſeqq.*

2 Sed quamuis traditiones iſtas & iudiciorum vſu inualuiſſe, & iuris noſtri regulis conuenire ſciam, vereor tamen, vt Macro interpretando, qui generatim, & indiſtinctè negat, licere Procuratoribus tranſigere, inconſulto Principe, & quidem in tributaria re, ſiue in viceſsima hæreditatum, ad quam inſcripta eſt dicta *l. nulli 13.* excerptaque, vt Epigraphe præſefert, ex *lib. 1. Æmilij Macri ad l. viceſsimam hæreditatum.* Porrò in viceſsimam, cum pecuniaria tota ſit, eiuſque maior, minorue quantitas variet pro æſtimatione legati, hæreditatiſue huic vectigali obnoxia, cuius idcirco computatio fit. *l. hæreditatum 68.* aliàs *l. computationum D. ad leg. Falcid.* Non video, qui cadere poſſit diſtinctio illa, an ſcilicet pecunia data, fiſcalia bona, de queis tranſigitur, retineantur, an verò tranſigendo alienentur. Ecquis enim inficias ibit, ſi hæreditatis viceſsima ſit quinquaginta, atque à Procuratore Cæſaris, tranſactionis nomine, decem dentur, tantumdem ex viceſſima minui, quæ iam neque integra viceſsima dici poterit, atque hactenus fiſcales res non retineri, ſed alienari; quoniam in pecuniaria quantitate diminutionem ipſo iure fieri ratio admittit. *l. quod dicitur 5. D. de impenſis in res dotal. l. ſi is qui ſtichum 56. §. vlt. D. de iure dot.* Itaque placet magis, Macri ſententiam eam eſſe, vt Cæſaris Procuratoribus, inconſulto Cæſare, non liceat, tranſigere de viceſsima hæreditatis, legatiue, ſi forte controuerſia ſit, an debeatur, vel quanta debeatur. Nec ſingulare ius, aut ratio quærenda, qua in hac parte Procuratores Cæſaris diſtinguantur ab alijs priuatorum procuratoribus, in quo Faber poſt Caſtrenſem laborat, ſed incaſſum; quia quemadmodùm alijs procuratoribus, ſiue ad lites dati ſint, ſiue ad bona, tranſigere non licet. *l. ſed ſi tantùm 13. D. de pactis, l. tranſactionis 7. Cod. de tranſact.* ne quidem ſi generale mandatum habeant, quo non continetur tranſactio, decidendi cauſa facta, vt legimus in *l. mandato 60. D. de Procuratoribus*; ſemper enim qui tanſigit, diminuit, cum tranſactio non aliter conſtet, niſi dato aliquo, retento, vel promiſſo, *l. tranſactio 38. Cod. de tranſact.* non poteſt autem diminuere procurator, etiam generalis. *l. reſcriptum 10. §. vlt. l. contra 28. §. vlt. D. de pactis. l. creditor 60. §. Lucius D. mandati. l. procurator 63. D. de procurator.* ſicut neque tranſigere,

re; vt dixi, niſi vel id ſpecialiter mandato permittatur. *l. nam & nocere* 12. *D. de pactis. l. iuſiurandum* 17. §. *vltim. D. de iureiur.* aut liberam bonorum acceperit adminiſtrationem. *l. procurator.* 58. *D. de procuratorib. l. qua ratione* 9. §. *Nihil D. de acquir. rer. dominio.* Ita ſimiliter Procurator Cæſaris, quamuis generalis ſit procurator, tranſigere non poteſt, quoniam, vt diligenter gerat, committitur, non vt alienet. *l.* 1. §. 1. *D. de Offic. procurat. Cæſar*; cuius immemorem Fabrum fuiſſe, non tam moleſtè fero, quàm miror, dum ſcribit ad *d. l. nulli* 13. non dubitare ſe, quin Procurator Cæſaris alienare poſsit. At de re, multis ex vtraque paratura ſcholæ, & fori, poſt hæc ſcripta, Romanus Valeronius *de tranſactionib. tit.* 4. *quæſt.* 5. *ex num* 59. *& ſeqq.* & eſt in idem ſpecialis, *lex vectigalia* 10. *de publican. & vectigal.* ſi Curatorem illic exaudias, de Procuratore Cæſaris, vt in *l. vlt. Cod. de quadrien. præſcript.* & quomodò acceperunt Baſilica *lib.* 56. *tit.* 1. in queis pro nomine *Curatoris*, legitur τῳ κατολίκῳ ſiue Fiſci Procuratori. Conducunt *l.* 4. *Cod. de annon. & trib. l.* 3. §. *Illud verſ. prouidentibus Cod. de Canon. largit. lib.* 10.

3 Nec ad rem magìs pertinet exemplum adminiſtratorum Ciuitatum, & Magiſtrorum Societatum, quibus trãſigere permittitur, dummodo nihil ambitiosè, ſiue fraudulenter remittant. *l. præſes* 12. *Cod. de tranſact. l. item Magiſtri* 17. *l. Imperatores* 37. *D. de pactis. l.* 4. *D. de decretis ab ordine fact.* ſicut & pupillorum tutoribus, adultorumue curatoribus. *l. Lucius* 46. §. *vlt. D. de adminiſtr. tutor. l. pactum* 22. *Cod. de pactis. l. ſi pignore* 54. §. *vlt, l. interdum* 56. §. *qui tutelam, ff. de furtis,* niſi ruſtica, vel vrbana prædia diſtrahant, tranſigendo. *l. non ſolùm* 4. *Cod. de prædijs minor. l. ſi pro fundo* 33. *Cod. de tranſactionibus.* His enim, ac ſimilibus alienorum bonorum adminiſtratoribus, ob imbecillitatem perſonarum, quarum negotia gerunt, quæ nec plerumque facilè conſuli, nec ipſæ ſibi ſatis poſſunt conſulere, plenior, liberiorque adminiſtrandi facultas, lege tribuitur, adeo vt & dominorum vice habeantur, dum adminiſtrant. *l. qui fundum* 7. §. *Si tutor, D. pro emptore. l. tutor.* 27. *D. de adminiſt. tutor. l. is qui in puteum* 11. §. *An ignoſcitur, D. quod vi, aut clam. l.* 2. *Cod. de quæſt.* quod in Procuratore Cæſaris dici non poteſt, argumento ex *l. quoties* 21. §. *Si tutor D. de noxalibus,* iuncta *l.* 1. *D. de Offic. Procurator. Cæſar.* vbi aliter de hac re Accurſiani, & ex noſtratibus nouiores ad *l. præſes* 12. *Cod. de tranſact.* quos non moramur; nam & cenſemus interim de re, dumtaxat ex diſciplina iuris Romani, & ſepoſitis hodiernis moribus, ac legibus.

4 Vrget ſanè propiùs quod ſcriptum in *l. cum hi* 8. §. *Tranſactiones* 18. *D. de tranſact.* tranſigi de alimentis poſſe, apud Procuratorem Cæſaris, vel præfectos ærarij, ſcilicet, ſi alimenta à Fiſco petantur, hoc eſt, ſi Fiſcus alimenta debeat, fortè quia in bonis ei oneri obnoxijs ſucceſsit, quamuis alij aliter fingant, ſed id ſic accipiẽdum, vt tranſactio de alimentis, quæ ſine auctoritate Prætoris, aut Præſidis rata eſſe non ſolet *d. l. cum hi* 8. *in princip. & §. arbitratu cum ſeqq. l. de alimentis* 8. *C. de tranſact.* valeat tamen, ſi fiat apud Procuratorem Cæſaris, vel Præfectum ærarij, de alimentis à Fiſco debitis, quoniam inter priuatos, & Fiſcum non Prætoris, Præſidiſue, ſed Romæ quidem Præfectorum ærarij iuriſdictio eſt. *l. cum quidam* 12. *D. de his quæ vt indignis.*

l. 2. §. *Hoc interdictum* 4. *D. ne quid in loco publico*. In Prouincijs autem procuratorum Cæſaris. *l. ne quicquam* 9. *D. de Offic. Proconſul. l.* 1. 2. *&* 5. *Cod. vbi cauſæ Fiſcales. l.* 2. *Cod. ſi aduerſus Fiſcum*. Non tamen id eò vſque producendum, vt & tranſigere, inconſulto Principe, poſsint de alimentis: aliud enim tamquam litigatorem tranſigere, aliud pro officio iuriſdictionis, auctoritatem tranſigenti accommodare; & inciuile, vel abſurdum eſſet, vnum, eumdemque, litigatoris, ac iudicis partibus defungi, atque in rem ſuam auctorari.

5 Illud in *d. l. nulli* 13. Balduinum, commentatione ad leges, & ad hanc de viceſsima, non leuiter pupugit, quod Æmilius ſubindicat, viceſsimæ curandæ, quærendæ, colligendæ procuratores præfuiſſe. Et tamen ex Dione ſcimus *lib.* 55. militaris ærarij, in quod viceſsima referebatur, curam primùm ab Auguſto tribus prætorijs viris, forte in triennium delectis, mandatam, deinde ab his ad tres ex conſularibus tranſmiſſam, nam quod Balduinus prætorios iſtos, ſeu conſulares, dici etiam potuiſſe Procuratores Cæſaris, ſcribit, in eo largiter ſanè peccat. Quippe Procuratorum nomen, & munus, quod vel libertis, vel equitibus mandari ſolitum, & Dio memorat, *lib.* 53. Capitolinus *in Macrino*, Strabo *lib.* 3. *& vlt. Geographiæ*, & ad ſummum, vt Tacitus in Agricola loquitur, *Equeſtris nobilitas eſt* multùm infra prætoriam, aut conſularem curam; cenſebitque ita, ſcio, quiſquis haud imperitus Romani moris, & iuris. Ego nihil eſt, quod tam facile expedire poſsim, quia quemadmodùm ſub Auguſto, Prouincijs, & earum adminiſtratione, ac vectigalibus inter Senatum, populumque, ac Cæſarem diuiſis, cura publici ærarij Romæ à Quæſtoribus vrbanis ad Ædiles primùm, deinde ad Prætores, ſiue prætorios, denique ad Præfectos ærarij translata eſt, apud quos tandem ſedit, reſedit vſque ad Conſtantini Magni memoriam: teſtes, vt alios taceam, Tacitus *lib.* 13. *annal.* Sueton. *in Auguſto cap.* 36. *& in Claudio cap.* 24. Agell. *lib.* 13. *noct. Atticar. cap.* 22. Dio *lib.* 53. *in Claudio*, Capitolinus *in M. Antonino*, Vopiſcus *in Aureliano*: ita ſimiliter in militari ærario variatum ſcio. Præfuere primùm illi Prætorij, dein Conſulares, de queis Dio *d. lib.* 55. mox Præfecti ex prætorijs lecti, ad quos forſitan referenda hæc de P. Vitellio, qui prætura functus, teſte Suetonio *in Vitellio cap.* 2. verba Taciti *lib.* 5. *annal. Illum Iudices arguebant, clauſtra ærarij, cui præfectus erat, & militarem pecuniam rebus nouis obtuliſſe.* Sub Traiano certè Plinius & ærarij Saturni præfectus fuit, vt ipſe memorat *in Panægyrico, & lib.* 10. *epiſt.* 20. & militaris etiam, iſta vetus inſcriptio apud Onuphrium *in faſtis ad annum* 853. C. PLINIVS. C. F. C. N. CÆCILIVS SECVNDVS COS. Ac deinceps PRÆF. ÆRARI. SATVRNI. PRÆF. ÆRARI. MILITARIS. Sed & in Prouincijs interdùm viceſsima exigenda publicanis locabatur, qui Promagiſtri XX. hæred. in lapidibus priſcis dicùntur, & indicat Plinius *lib.* 7. *epiſt.* 14. & *in Panægyr.* plerumque verò Procuratores Cæſaris viceſsimam hæreditatum curabant. Lampridij *in Heliogabalo* verba huc trahenda: *Ad viceſsimam hæreditatum, mulionem curare iuſsit, iuſsit & curſorem, iuſsit & cocum, & clauſtrarium artificem.* Clarius id ex lapidibus priſcis, in quibus non ſemel legimus PROC. XX. H. ideſt, *Procurator Viceſsimæ hæreditatum.* Et SVPPROC. XX. hoc eſt, *Supprocurator Viceſsi-*

mæ

mæ. Tales, vt alios mittam laudatos alijs, Tarraconenſes duo, quos ſubijcio ex fide Ambroſij de Morales, cui vetus Hiſpaniarum Hiſtoria quantum debeat, agnoſcunt, vt opinor, boni omnes, docti omnes. Primus ex his lapidibus extat in Cathedrali Eccleſia Tarraconenſi, iuxta Beatæ Barbaræ ſacellum, vbi hæc leguntur: XV. S. F. LEG. AVGG. PR. PR. PROVIN. H. C. ET IN EA DVCI TERRÆ MARIQVE. ADVERSVS REBELLES. H.H. P. R. ITEM ASIÆ ITEM NORICI DVCI EXERCITVS ILLIRICI EXPEDITIONE ASIANA ITEM PARTHICA ITEM GALLICA LOGISTÆ CIVIT. SPLENDIDISS. NICOMED. ITEM EPHESIOR. LEG. PR. PR. P. ASIÆ. CVR. CIVITATIS THEANENSIVM. ALLECTO INTER PRÆTORIOS ITEM TRIBVNICIOS PROC. XX. HÆRED. PER GALLIAS LVGDVNENSES, ET BELG. ET VTRAMQVE GERM. PRÆP. COPIAR. EXPEDITIONE GERM. SECVND. TRIB. MIL. LEG. II. AVG. PRÆF. COH. SEC. CIVIVM ROMANOR. SILIVS HOSPES HASTATVS LEG. X. GEM. HASTATORVM EIVS OPTIMO PRESIDI. Alter in Horto quodam Vrbis eiuſdem. FELICI AVG. LIB. A COMMENT. XX. HÆR. H. C. HILARVS COLLIB. TABVL. XX. HÆR. PROV. LVSITANIÆ. Diuerſi ſanè ab iſtis Procuratores hæreditatum, quorum mentio in veteribus monumentis, quale illud quod Anconæ, ſe legiſſe Smettius teſtatur. PETRONIÆ SABINÆ FILIÆ. L. PETRONI SABINI P. P. BIS PROCVRATOR. AVGG. RATIONIS HÆREDITATIVM. ITEM PROVINCIÆ NARBONENSIS. Item illud apud Gruterũ *pag.* 426. quo apertè Procuratores Viceſsimæ diſtinguntur à Procuratoribus hæreditatum. C. IVNIO C. F. QVIR. FLAVIANO. PROC. A. RATIONIBVS. PROC. PROVINCIARVM LVGDVNENSIS. ET AQVITANICÆ. PROC. HEREDITAT. PROMAGISTRO XX. HÆREDITATVM. Et apud Scribon. Largum in *libello de compoſitione medicamentorum*; & *in l.* 1. *Cod. de vſuris rei iudicatæ*; quæ inſcripta in emendatioribus Codicibus ſic eſt: *Imp. Antoninus A. procuratoribus hæreditatum Fiſci*, hoc eſt procuratoribus per Prouincias diſpoſitis, vt caduca; vacantia, aut ereptitia bona, aut alio iure publicanda, in Fiſcum; ſiue ærarium cogerent; vt indicatur non obſcurè in *d. l.* 1. & in *l. ſed ſi accepto* 32. *D. de iure Fiſci*, in queis non de viceſsima, ſed de vniverſis bonis Fiſco vindicandis quæritur, inconſpectè in his diſtinguendis hallucinante Pancirola *ad notit. Imper. Orient. cap.* 73. & alijs. Cæterùm, vt concludam quod attinet ad noſtram *l. nulli* 13. liquet iam ſatis ex propoſitis, procuratores Cæſaris viceſsimæ exigendæ præfuiſſe, ideoque rectè de his quæſitum, an tranſigere poſsint.

Porrò ex ſententia, atque inter- 6
pretatione *d. l. nulli* 13. quam aperuimus, vtiliter ad praxim, & nouè forſitan colligi poteſt, exactores, & ſuſceptores regiorum vectigalium, ſeu tributorum, quos vocamus *fieles*, *cogedores*, *receptores*, *y recaudadores de pechos*, *y drechos reales*; ſi ea Regio nomine, ac periculo exigant, tranſigere non poſſe, inconſulto Principe, non ſolùm ſi de

de immunitatis iure ſit controuerſia, quæ citra generalis procuratoris conſenſum fruſtra conuentione deciditur, etiam ſi fiat inter Vniuerſitatem, & eum, qui ſe immunem eſſe contendit, vt in Sabaudiæ Senatu iudicatum, teſtatur Faber *in ſuo Codice lib.2. tit. 4. definit.* 11. & ex noſtratibus Otalora *de nobilit. 2. part. 3. princip. cap. 9. num.* 18. Sed & quod magis eſt, quamuis tranſactio ſit ſuper controuerſia de reliquis tributorum, qualia ſcilicet, quantaue debeantur, namque & hæc, ſine ſpeciali permiſſu Principis, remitti non poſſe, pactione, vt aiunt, ſeu tranſactione, atque amicabili compoſitione, & iuri Cæſareo, ac Pontificio congruit, *d. l. nulli* 13. *cap. cum tempore 5. in fine de arbitris*, & apud nos circa ſupremos publicæ, ſeu Fiſcalis pecuniæ Curatores, & Iudices, *Contadores mayores, y del Conſejo de la Contaduria mayor de Hazienda*, item, *Contadores mayores de Quentas*, quos non malè Quæſtoribus vrbanis, Præfectis ærarij, & Comitibus ſacrarum largitionum, & rerum priuatarum comparabimus. *l.* 10. *tit.* 18. *part.* 4. non obſcurè expreſſum videtur in *l.* 1. *num.* 39. *tit.* 2. & in *l.* 11. *&* 20. *tit.* 5. *lib.* 9. *compilat.* quibus omnes tranſigendi, ſiue, vt loquuntur, componendi, ac remittendi Fiſcalia debita, facultas, citra Regiam conſultationem, inhibetur, ſub pœna debiti cum duplo ſolvendi. Et reſtrictus hiſce legibus (quæ ſingulæ habent auctorem Philippum Secundum, & in illius cum Carolo, aut ſub eius exceſſum regnandi primordijs editæ) Regiorum Quæſtorum, ſeu Regij patrimonij curatorum exlex abuſus, qui pleraque eo tempore licenter de re Fiſcali ſtatuebant, facti ſuo Principi non tam Miniſtri, quàm Coadiutores, & Monarchia fere in Rempublicam verſa, vt ſcripſit Ludouicus Cabrera in *Philippi 2. Hiſtor. lib.* 1. *cap.* 8. Sed hæc vera, vt præmonui, in his, qui vectigalia Regio nomine, ac periculo exigunt. At in eorum conductoribus, redemptoribus, ſeu publicanis, qui pro his Fiſco locanti penſionem certam inferunt, ſed & in Ciuitatibus ipſis, ſiue Vniuerſitatibus, quæ vectigalia eadem, ſua cura, & periculo exigenda ſuſcipiunt, mercede pro his conuenta, Fiſco ſoluenda, per incapitationem, vt aiunt, ſiue *encabeçamiento*, diuerſum omnino eſt; nec enim dubitãdum, quin ſuper eorum controuerſijs poſsint tranſigere, inconſulto Principe, quippe nec eius res, cui ſemper quantitas promiſſa pendenda eſt, ſed priuata ipſorum conductorum, vel vniuerſitatum agitur, quam tranſactione decidi poſſe, ſi nihil aliud impediat, ſatis conſtat: quin &, quod magis eſt, gratioſè remittere, ſicut & fieri ſolere à publicanis, ſcripſit iam olim Martianus in *l. vlt.* §. *Si quis profeſſus* 12. *D. de publicanis.* Eoque iure vtimur, dummodo remiſsio, tempus, fineſue conductionis, ſiue incapitationis non egrediatur.

CAP.

CAPVT IX.

AD LEG. 2. COD. DE TRANSACTIONIBVS. L. FILIVS FAMILIAS 114. §. Diui 14. D. de legatis 1. L. ſi mutus 7. D. qui teſtam. facere poſsint.

ARGVMENTVM.

LVſtrata tria Viceſsimæ veſtigia. Primum apud Antoninum in *l. 2. Cod. de tranſact.* Breuiter, & bifariam ea lex explicata. Secundum, & celebrius apud Martianum in *d. l. filius familias* 114. *§. Diui* 14. *verſic. Sed hæc*. Accurſij, & practicorum ad eum locum notę notatæ. Ob delictum inſtitutoris maioratus bona, etiam alienari prohibita, in Fiſcum veniunt; ſicut & vſusfructus ob noxam hęredis prohibiti, ſi ſola tacita prohibitio fuerit. Aliud in hoc poſtremo, ſi expreſſa. Alia ad Martianum expoſitio de viceſsima rerum venditarum. Rauardi in ea re lapſus, & illuſtratus Plinius. Obiter de πεντηκοστῇ, ſiue quinquageſima, aut, vt alij volunt, quinta, & viceſsima venalium mancipiorum, itemque de centeſsima, & octauario, ſeu venalitio. Prælata fax Vlpiano in *l. debet* 27. *D. de ædilit. edict.* Teſtamentaria expreſſa prohibitio alienationis impedit translationem dominij: ex venditione ipſo iure nulla, non debetur venalitium, neque moribus noſtris decima venditionis. Ad Martianum in *d. §. Diui*, noſtra olim cogitatio, cui nunc vix adiubeſcimus. Aſſentimur potiùs Cuiacio referenti ad viceſsimam. Tertia eiuſdem vola apud Macrum in *l. Si mutus* 7. *D. qui teſtam. facere poſſ.* De teſtamento muti, & Surdi quædam, Macro illuſtrando. Facultate Regia impetrata ad bona maioratus diſtrahenda, debetur decima venditionis.

1 AD eumdem viceſsimæ tractatum referri ſolet Antonini Conſtitutio in *l. 2. Cod. de tranſact.* in qua Luctatio cuidam reſcribit, qui cum ſorore ſua de hæreditate tranſegerat, eoque nomine certam pecuniam ei ſe debere caueret, cum tamen nulla fuiſſet controuerſia hæreditatis. Quærebatur, an cautio de pecunia ob tranſactionem factam de hæreditate, de qua lis nulla erat, rata eſſet. Dubitandi ratio ex eo, quia tranſactio non niſi de re litigioſa fieri dicitur, *l. 1. D. de tranſact. l. in ſumma* 65. *§. 1. D. de condit. indebit.* Lite autem deficiente, ex cautione ſine cauſa interpoſita, petenti exceptio doli obijcietur. *l. 2. §. Circa D. de doli except.* Reſpondet tamen Antoninus propter timorem litis, tranſactione interpoſita, pecuniam rectè cautam intelligi, quoniam ſcilicet ad tranſactionem, hoc ipſum quod à lite diſceditur, iuſta cauſa eſt, licet res nulla media fuerit; ac ne lis quidem præſens, ſed futura. *d. l. in ſumma* 65. §. 1. ſequuntur mox hæc verba in *d. l. ex qua cauſa: ſi Fiſco ſoluiſſes, repetere non poſſes.* In quibus, noua Fiſci mentione, atque aliena, vt videtur, ab hypotheſi, commotus Faber, voce, *Fiſco*, ablegata, reponendum eſſe, *illico*, coniectatur; vellem tamen, emendaret cauſatiùs. Nam cum in Cæſarum reſcriptis ad conſultationes accommodatis, quarũ nullæ nobis reliquiæ, pleraq; circa facti ſpeciem ſuppleri neceſſe interdum ſit, neque id nouum, aut inſolens, maiorum, vt ſic dicam, gentium interpretibus, poſsint illa verba referri ad viceſsimam hæreditatis, de qua tranſactum; eam enim ſi Luctatius, idemque frater, qui hæreditatem retinuit, vtpote iam illius indubitatus poſſeſſor, Fiſco ſoluiſſet, repetere nõ

poſſet, vt interpretatur Cuiacius *lib. 9. obſeru. cap.* 24. eique ex pragmaticis, pedariè ſubſcribens, Cæſar Argellus, vtique ſi ponamus tranſactum inter fratrem, & ſororem fuiſſe de hæreditate extranei, non de paterna, ex qua Fiſco viceſsima non deberetur, vt opportuniùs poſtea dicemus. Si quem tamen ab hac expoſitione auocabunt verba, *ex qua cauſa*, quibus ſignificatur non viceſſimæ nomine, ſed ex ipſa tranſanctionis cauſa, quæ præceſſerat; Fiſco ſolutum fuiſſe, licebit cum Accurſio ſupponere, cui præceptores noſtri, poſt veteres, & nouiores interpretes, adlubeſcunt; quin & pridem Baſilica *lib.* 11. aptata ad eam legem 2. *hypotheſi*; ſucceſsiſſe Fiſcum ſorori, aut publicatione ob delictum, aliaue ex cauſa, eius ad Fiſcum bona veniſſe, ſicut in *l. Granius* 71. *D. de fideiuſſ. l. Statius* 48. *§. Cornelio, ff. de iure Fiſci*, queis ſanè caſibus ſi frater Fiſco pecuniam ex cautione ob tranſactionem ſorori debitam, ſoluiſſet, repetere non poſſet, & à Fiſco, ſi nondum ſoluiſſet, iure conueniretur ex cautione, ſiue, quod idem eſt, ſtipulatione. *l.* 3. *Cod. de Verbor. ſignificat. l. lecta* 40. *D. de rebus cred.*

2 Deinde & hoc ex capite legis viceſsimæ, explicandus & nobilis Martiani locus, multo, vt aiunt, & emendicato puluere ab interpretibus aſperſus, in *l. filius familias* 114. *§. Diui* 14. *D. de legat.* 1. vbi cum proponatur, prohibitionem alienationis teſtamento, codicilliſue factam nullius momenti eſſe, vtpote nudum, ſimplexque præceptum, niſi perſona, cauſaue exprimatur, cui conſultum teſtator voluit, putà liberis, libertis, aut alijs è familia; tunc enim prohibitionem ſeruandam, ſubijcitur confeſtim, *ſed hæc nec creditoribus, neque Fiſco fraudi eſſe.* Quæ verba poſt Accurſium, ſic pragmatici noſtri acceperunt, vt prohibitio alienationis nec noceat creditoribus defuncti, eiuſdem debitoris, qui prohibuit, qui minùs vel ex bonis alienari prohibitis, ſuum conſequi poſsint. *l. qui ſolidum* 78. *§. vlt. D. de leg.* 2. *l.* 1. *Cod. debitor. vendit. pignor. imped. non poſſe. l. cum fidei* 9. *D. de fideicom. lib. l. pater* 38. *D. de leg.* 3. neque fiſco, ſi quid ei teſtator debuerit; vt poſt alios exponunt Iaſo in *d. §. Diui lectura* 2. *num.* 19. Ferrettus *num.* 99. aut ſi ob delictum teſtatoris bona eius publicentur, quo caſu cum & teſtamenti factionem amittat; irrita facta prohibitione, ac fideicommiſſo, ea etiam, quæ alienari prohibuit, in Fiſcum venient. *l. eius qui* 8. *§. vlt. D. qui teſtam. fac. poſſ.* Cuius argumento in maioratibus, teſtamento, aut codicillis inſtitutis; ſi bona inſtitutoris ob delictum confiſcentur, idipſum probant Molina *de primogen. lib.* 4. *cap. vlt. num.* 20. Peralta in *l.* 3. *§. Qui fideicommiſſam num.* 128. D. *de hæred. inſtitut.* Simancas *de Catholicis inſtit. cap.* 9. *num.* 2 26. Tellus *in l.* 17. *Tauri num.* 128. aut deniquè ſi ex crimine ipſius prohibiti, bona publicò vindicentur, namque, & tunc vindicari publicò poſſe, ſic vt eorum vſusfructus, quamdiu delinquens viuit, ſit penes Fiſcum, probari vulgò ſolet ex *l. Statius* 48. *§. Cornelio D. de iure Fiſci. l. peto* 69. *§. Prædium. l. cum pater* 77. *§. Hæreditatem* 4. *D. de leg.* 2. *l. ex facto* 17. *§. Ex facto* 5. *D. ad S.C. Trebell.* Sunt tamen, quod ad Fiſcum attinet, ne moremur, hæc ſingula partim falſa, ad interpretationem dicti *§. Diui.* Nam priora illa duo de Fiſco creditore, vel cui bona ob delictum teſtantis vindicantur, aliena

na prorſus à verborum ſerie; *neque Creditoribus*, *neque Fiſco*; in queis parùm concinnè Fiſcus à Creditoribus diſtingueretur; ſi & Fiſcus creditor eſſet; neque eleganter ſatis diſputaretur de parte teſtamenti; nempe prohibitione alienationis euacuanda; ſi conſtaret, ob delictum teſtantis bona publicari; in qua ſpecie totum teſtamentum irritum eſſe; pluſquàm manifeſtum eſt; *d. l. eius* 8. §. *vlt. D. qui teſtam. fac. poſſ.* Poſtremum verò illud; quòd ſupponitur propter hæredis prohibiti crimen; bona fideicommiſſo ſubiecta confiſcari; vix à falſimoniæ culpa exſoluerit vllum acumen; eſt enim receptum apud noſtros in fideicommiſsis familiæ relictis; noſtriſque maioratibus, ſeù primogenijs, expreſſam prohibitionem alienationis, qualis proponitur in *d.* §. *Diui*, efficere; vt ne quidem ad vitam prohibiti, qui deliquit, bonorum vſusfructus adijci Fiſco poſsit. *l. Imperator* 12. *D. de fideicom. lib. l. iura* 4. *D. de iure Patron. l. eorum* 9. *D. ad leg. Iul. Maieſtat. l.* 3. *D. de interd. & releg. l. ſi in libertinum* 28. *D. de bon. lib. l. cum pater* 77. §. *Libertis* 27. *D. de leg.* 2. (vſusfructus ſcilicet ius perſonale, non commoditas illa, ſiue perceptio fructuum; quatenus ab vſufructu diſtinguitur. *l. ſi vſusfructus* 66. *D. de iure dot.* illam enim tranſire ad Fiſcum pro tempore vitæ delinquentis; nec prohibitione alienationis comprehendi; perinde inter eoſdem receptum eſt; argumento ex *l. Lucius* 88. aliàs *l. Codicillis* 91. §. *Inſtituto*; vbi Bartholus *D. de leg.* 3.) quamuis longè aliud ſit; ſi ſola tacita legis prohibitio obſtet alienationi; hæc enim non impediet; quin ob delictum; quamdiu ſuperſtes ſit delinquens; bona apud Fiſcum maneant, vt in ſpecie *d. leg. Statius* 48. §. *Cornelio*, iuncta *auth. res quæ*, *Cod. commun. de legat.* docent ſic; & diſtingunt poſt Bart. *in d. l. Imperator D. de fideicomm. lib. Alexand. conſ.* 23. *num.* 3. *cum ſeqq. lib.* 1. Tellus *in l.* 27. *Tauri num.* 19. Peregrin. *de fideicomm. art.* 40. *num.* 5. Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 9. & *lib.* 4. *cap. vlt. num.* 11. Mieres *de maiorat.* 4. *part. quæſt.* 23. Fachin. *lib.* 4. *controu. cap.* 50. & ex Salmanticenſibus noſtris, poſt alios D. Præſes Chumacero *ſelectar. dodec. cap.* 11. *num.* 6. Pichard. *ad l. Gallus* §. *Et quid ſi tantum num.* 72. & *ſeqq. D. de lib. & poſth.* Amaia *lib.* 1. *obſeru. cap.* 11. *num.* 24. & *ad l. vn. Cod. pœnis Fiſcal. cred. præf. num.* 2. (vtcumque ſibi adſcribens; aſſerenſque; non ſine animi offenſa; & querela; interpretationem illam §. *Cornelio felici*; quæ fuit ante eum Cuiacij in *recitat.* ad eum locum *ſub tit. de iure Fiſci*) noſter item Valentia *lib.* 3. *illuſtr. tract.* 2. *ad tit. de legatis cap.* 3. *num.* 6. & 8. in fine; agnoſcens diſtinctionem receptam, at in diſputando diſſentiens; & pro confiſcatione ad vitam delinquentis; ſtans indiſtinctè ex ratione *l. peto* 69. §. *Prædium D. de leg.* 2. iunctis *l. ex facto* 17. §. *Ex facto* 5. *in fine D. ad S. C. Trebell. l. cum pater* 77. §. *Hæreditatem* 4. *D. de leg.* 2. & vice verſa; abſciſeque contra confiſcationem etiam commoditatis; Thomas Sanctius *ad præcepta decal. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 16.

3 Nec felicior in explicanda re, Ræuardus *lib.* 3. *var. cap.* 16. cui videtur, accipi Martianum debere de viceſsima rerum venditarum; vt proinde verborum, quæ propoſuimus, ſententia ſit; prohibitionem alienationis Fiſco fraudi non eſſe, quò mi-

minùs illis venditis conſequatur viceſsimam, quam ex pretio venditarum rerum Fiſcò ſolutam fuiſſe, inſinuare Plinius videtur, *lib.* 1. *epiſt.* 14. *ad Coreliam. Tu quidem*, inquit, *honeſtiſsimè quod tam impensè rogas, & exigis, vt accipi iubeam à te pretium agrorum, non ex ſeptingentis millibus, quanti illos à liberto meo, ſed ex nongentis, quanti à publicanis partem viceſsimam emiſti.* Non felicior, inquam, Ræuardus; nam Plinij locus, quem affert, referendus omnino ad viceſsimam hæreditatis, quæ pro quincunce Plinio obuenerat, & cum ea, prædia, quæ Plinianus libertus ſeptingentis millibus Coreliæ addixerat, vt liquet ex eiuſdem *epiſt.* 11. *ad Fabatum lib.* 7. cum tamen pars viceſsima hæreditatis nongentis millibùs redempta eſſet à publicanis, qui nonnumquam eam exigendam conducebant, vt ſignificat idem Plinius in *Panægyrico*, ibi: *Ratus improbè, & inſolenter, ac pene impiè his nominibus inſeri publicanum, nec ſine piaculo quodam, ſanctiſsimas neceſsitudines, velut intercedente viceſsima, ſcindi.* Quia & quod ſciam inauditum hactenus, viceſsimam venalium rerum Fiſco dependi; cum eſſet potiùs quinta, & viceſsima venalium mancipiorum, ſi fides Tacito 13. *annal.* ibi: *Vectigal quoque quintæ, & viceſsimæ venalium mancipiorum remiſſum ſpecie magìs, quàm vi, quia cum venditor pendere iuberetur, in partem pretij emptoribus accreſcebat.* Vel quinquageſima venalium mancipiorum πεντηκοστή vt Dio loquitur, niſi mendoſus eius locus eſt *lib.* 55. *in actis anni* 760. ab V. C. aliarum verò rerum venalium centeſsima, quæ & auctionum dicitur, inſtituta primùm ab Auguſto poſt bella ciuilia, in ſubſidium militaris ærarij, de qua videſis parùm ſibi conſtantes, Tacit. *lib.* 1. *&* 2. *annal.* Dionem *lib.* 58. *in Tiberio, & lib.* 59. *in Caligula.* Sueton. *in eodem cap.* 16. Ad id autem vectigal refertur non malè à noſtris pragmaticis, & eos inter, Laſſarte *de decima vend. cap.* 15. *num.* 3. Vlpianus in *l. debet* 27. *D. de ædil. edicto*, ibi: *Quid ergo, ſi fortè vectigalis nomine datum eſt, quod emptorem fortè ſequeretur.* Quaſi ſcilicet Vlpianus inſinuet caſum, quo penſio hæc venalis mancipij, ſpeciali aliquo iure emptoris onus eſſet, contra quam fuit regulariter venditoris, poſt Neronem, vt ex Tacito oſtendimus, niſi, ſi quis mauelit, accipiendum eſſe Vlpianum in *d. l.* 27. de octauarij vectigali, hodie *almoxarifazgo*, apud nos, quod ex rebus promercalibus ſoluebatur portorij nomine. *l. ex præſtatione* 7. *cum leg. ſeq. Cod. de vectigal. l.* 2. *Cod. de Eunuch. l. ſi cum Hermes* 7. *Cod. de locato.* Rurſus, vtcumque, & quantùmcumque fuerit id vectigal, quod venalitium, ſiue ob venditionem proponendam, iuris noſtri authores appellare videntur. *l. inter* 17. *§.* 1. *de V. S. l.* 1. *Cod. de veteran. & l.* 4. *Cod. de proxim. ſacr. ſcrin. lib.* 12. illud certum, non poſſe ex eo, vel alio ſimili, explicari verba *d. §. Diui*, quia expreſſa alienationis prohibitio teſtamento, codicilliſue adſcripta, dominij translationem impedit, facitque, vt bonorum prohibitione comprehenſorum venditio nullius momenti ſit, vt argumento ex *leg. peto* 69. *§. Fratre. l. cum pater* 77. *§. Libertis*, vbi Accurſius *ſcholio, ne id alienarent D. de legat.* 2. *l. pater* 38. *§. Fundum à filio D. de legat.* 3. voluit Bart. in *d. §. Diui num.* 14. Accurſiani congeneres ibidem, & in *l. ea lege Cod. de condict. ob cauſam dat.* Gomeſius in *l.* 40. *Tauri num.* 38. Molina *lib.* 1.

de primog. cap. 12. *num.* 30. *& cap.* 16. *num.* 32. atque vtrobique Addentes. Menchaca *de ſucceſſ. creat. lib.* 1. §. 10. *num.* 87. à queis immeritò diſcedit Faber *de error. pragmat.* 4. *part. dec.* 87. *error.* 10. cui facit ſatis, ſcienterque noſter Valentia 3. *illuſtr. ad tit. de legat. tract.* 2. *cap.* 2. *ex num.* 2. Ex venditione verò, quæ nullius momenti ſit, non deberi venalitium, ſimileue vectigal, proditum eſt in *l.* 2. *Cod. de Eunuchis*, idque in ſimilibus, vt loquuntur, Gabellis, docent Barthol. Caſtr. & Iaſo in *l. vlt.* §. *Sin autem*, *&* §. *Sed quia noſtra Maieſtas*, *Cod. comm. de legat.* Baldus, & alij Claſsici in *l. non dubium* 5. *Cod. de legib.* Alexand. *conſ.* 104. *num.* 5. *lib.* 1. *& conſ.* 36. *num.* 6. *&* 9. *lib.* 4. Tiraquel. *de retractu lignag.* §. 1. *gloſſ.* 2. *num.* 7. Bertachin. *de Gabell.* 5. *part. princip. num.* 7. Rolandus à Valle *conſ.* 46. *num.* 39. *lib.* 1. & in venditionum decima, quæ noſtris moribus in locum viceſsimæ quintæ mancipiorum venalium, & centeſsimæ aliarum mercium ſucceſsit, Auendaño *de exequendis mandatis* 1. *part. cap.* 17. *num.* 10. *& reſponſo* 13. *num.* 3. Segura *in l.* 1. §. *Si vir*, *num.* 157. *de acquir. poſſeſſ.* Parlador. *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. §. 3. *num.* 36. Gironda *de Gabell.* 5. *part. num.* 25. *& ſeqq.* Laſſarte *de decima vendit. cap.* 14. *num.* 1. Gutierrez *lib.* 1. *pract. quæſt.* 129. *num.* 2. *& lib.* 7. qui *de Gabellis*, *quæſt.* 9. *&* 15. *num.* 5. alij apud Collectarium Barboſam *ad l.* 2. *Cod. de Eunuchis num. vlt.*

4 Mihi verò aliquando placebat Seueri, & Antonini reſcriptum, ex quo ſuperior ſententia proponitur in *d.* §. *Diui*, partem, aut caput eſſe, ſiue vnum, idemque cum eo, quod eiſdem Cæſaribus Authoribus, & ad eamdem rem pertinens, extat in *l.* 1. *C. debitorem vend. pign. imped. non poſſe.* Vbi proditum eſt, non poſſe debitorem creditoris ſui ius facere deterius, prohibita prædiorum alienatione; proinde neque impediri creditorem, quominus prædia ſibi obligata diſtrahat, quamuis ſcriptura teſtamenti vetuerit debitor, prædia venundari, pœnamque addiderit, vt Fiſci fierent, ſi veniſſent; ſicut in *l. pater filium* 38. §. *Fundum à filio D. de legat.* 3. cui deciſioni non inconcinnè aptatur in *d.* §. *Diui*, ſententia illa: *Sed hæc neque creditoribus, neque Fiſco fraudi eſſe.* Nec enim prohibitio alienationis ad ſuperiorem ſpeciem relata, fraudi eſt creditoribus, quibus, ea neglecta licet, prædia ſibi obligata vendere; neque Fiſco, cui quemadmodum pœna tunc non committitur, quia nec iniuria ei fit, ſi poſtponatur in pœnæ petitione creditoribus, ſuum perſequentibus, ac recuperantibus. *l. non poſſunt* 11. *l. in ſumma* 17. *l. quod placuit* 37. *l. Statius* 48. §. *vl. D. de iure Fiſci. l. vn. C. pœn. Fiſcal. cred. præferri.* Ita, ſi non à creditoribus, ſed ab hærede ex cauſa voluntaria prædia vendantur, poterit ea, iure pœnæ, perſequi. Queis conuenienter in *d.* §. *Diui* ſubiungitur, quòd *ſi hæredis propter teſtatoris creditores, bona venierint* (ſic cum Thuſcis Pandectis legimus) *fortunam communem fideicommiſſarij quoque ſequentur.* Hoc eſt, non tantùm Fiſcus damnum ſentiet, cui bonis à creditoribus diſtractis pœna non committitur, ſed etiam fideicommiſſarij, quibus alienationis prohibitione teſtator proſpexerat, namque & eis commune cum hæredibus damnum erit in bonis, quæ creditores, dum diſtrahunt, detrahunt fideicommiſſo. *l. qui ſolidum* 78. §. *vlt. D. de leg.* 2. *l. pater* 38. *D. de leg.* 3. hodie verò, re penitiùs inſpecta, vereor, vt coniectatio hæc, quæ iuueniliter quondã arriſit, parùm congruat verbis,

ac menti Vlpiani in *d.* §. *Diui*. Itaque placet magis quod à Cuiacio Magno, Ræuardum cenſoriè increpante *lib.* 9. *obſeruat. cap.* 24. *& lib.* 5. *cap.* 16. indicatum, probarunt ex noſtratibus nouiores (& poſt hæc ſcripta, noſter Amaia pro prælatione militaris ſeruitij, quod, *Lanças*, dicimus, in bonis alienari prohibitis, exemplo illo viceſsimæ, & verbis *d.* §. *Diui*, vtens, *ad l.* 3. *num.* 90. *Cod. de annon. & tribut.*) ſic nempe Vlpianum accipit, vt affirmet, prohibitionem alienationis non eſſe fraudi, damnoue Fiſco, quominus ex hæreditate, legatoue bonorum, prohibitione apprehenſorum, detrahat viceſsimam, quam perinde ex legatis, atque ex hæreditate ſolet redigere per legem Iuliam, vt ex Dione oſtendimus *lib.* 55. de quo & mox; & conſequenter plurimum Fiſci interſit, non omnino inhiberi alienationem, ne alioquin viceſsimam amittat.

5 Pertinet præterea ad hunc ordinem, Æmilij Macri locus ex *lib.* 1. *ad legem viceſsimam hæreditatum*: extat in *l. ſi mutus* 7. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* Vbi ſcriptum eſt, valere teſtamentum ſurdi, aut muti, ſi à Principe hi impetrauerint, vt ſibi teſtamentum facere liceret; nam quamuis mutus natura, & ſurdus, in quo ſcilicet vtrumque vitium indiſcretum concurrit, teſtari non poſsit, ne quidem iure nouiſsimo inſpecto. *l. diſcretis* 10. *Cod. qui teſtam. fac. poſs.* §. *item ſurdus inſtit. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* Harmenopulus *lib.* 5. *promptuarij tit.* 1. §. 17. *&* 18. *l.* 13. *tit.* 1. *part.* 6. Mutus verò, vel ſurdus ex accidenti, inteſtabilis etiam eſſet iure vetere, ante Iuſtianum ſcilicet, *l. qui in poteſtate* 6. §. *vlt. l. filius familias* 16. *D. qui teſtam. fac. poſs. l. ex facto* 43. *D. de vulgari. l. octaui* 9. §. 1. *D. vnde cognati*, quia neque mutus verba nuncupationis loqui, aut accire, & rogare teſtes; neque ſurdus verba familiæ emptoris, aut teſtes, ſibi teſtimonium perhibentes, exaudire poteſt, vt ratiocinatur Vlpianus, ſic ſupplendus in *fragm. tit.* 20. §. *Mutus*. Licuit tamen & muto, & ſurdo non ita natis, ſed factis, teſtamentum facere, ſi nec ipſi omnino, intelligendi, & exprimendi animi ſui ſenſa incapaces, veluti ſi litterarum aliàs gnari, aut non inſimul vtroque vitio laborabant, & inſuper teſtamenti factionem à Principe impetraſſent. Quis enim neget, poſſe Principem legibus ſolutum, teſtamenti factionem dare, non tantum ſurdo, & muto, ſed & alijs, quibus ſola iuris ſcrupuloſitas refragatur? *l.* 1. *l.* 4. *l. ſi à milite* 29. §. *vlt. D. de teſtam. mil. l. ſi quando* 35. *Cod. de inoffic. teſtam.* In qua tamen largienda, eò indulgentiores Cæſares fuiſſe, non dubito, quod muto, ſurdoue teſtantibus, viceſsimæ detrahendæ ex hæreditatibus, aut legatis ab eiſdem relictis ratio ſubeſſet, quæ, inteſtatis illis morientibus, ceſſabat, quoniam ab inteſtato hæreditas ob coniunctionem ſanguinis, liberis, aut parentibus, item legitimis, aut cognatis deferri ſolet, qui plerumque à viceſsimæ præſtatione immunes ſunt, vt inferiùs monebimus. Itaque hoc reſpectu ad legem viceſsimam hæreditatum Macer ſcribens, adnotauit, ſurdi, & muti teſtamentum, Principe permittente, factum valere, nempe vt in eo relicta, liqueat, obnoxia eſſe viceſsimæ; nec enim Princeps, data teſtamenti factione ſurdo, vel muto, viceſsimæ immunitatem largiri creditur, ſed facultatem ſolam teſtandi, libello ſupplici petitam. Quemadmodùm etſi liberam teſtamen-

menti factionem libertino tribueret, videretur quidem ei remiſiſſe neceſſitatem portionis, debitæ patrono, relinquendæ, non tamen alia legitima teſtandi ſolemnia. *l.* 3. *D. de bonis lib. l. Eunuchis* 5. *Cod. qui teſtam. fac. poſſ. Neque enim credendum eſt, Romanum Principem, qui iura tuetur, huiuſmodi verbo, totam obſeruationem teſtamentorum multis vigilijs excogitatam, atque inuentam, velle euerti.* Vt Iuſtinianus grauiter fatur in *l. ſi quando* 35. *Cod. de inoffic. teſtam.* Quo exemplo, vt hoc de viceſsima coniectura foro, & arenæ practicæ ſeruiat, facultate Regia impetrata, quales ſæpe moribus noſtris petuntur, ad diſtrahenda maioratus, vel primogenij bona, valere quidem alienationem, venditionis tamen decimam, quam *alcaualam* dicimus, deberi non dubito, quia nec remitti facultate Regia intelligitur, quæ alienationem ſolam permiſit, quamuis ſi abſque illa, bona eadem diſtraherentur, nec venditio conſiſteret, nec venalitium, aut Gabella deberetur, vt ex *l.* 2. *Cod. de Eunuchis*, probauimus ſupra, idque mihi, tametſi noſtris adhuc, quod ſciam, pragmaticis haud notatum, viceſsimæ exemplo, quibuſque ad illam iuris rationibus nuper ſum vſus, tam in comperto eſt, vt teſtibus non egeat; ſpero item alijs, qui paulò attentiùs rem ipſam perpenderint: confer tamen, ſi libet, Gutierrez *de Gabellis quæſt.* 15. *num.* 5. *& ſeqq.*

CAPVT X.

AD LEG. COMPVTATIONI 68. ALIAS L. HÆREDITATVM 68. D. ad legem Falcidiam.

ARGVMENTVM.

ÆMilij Macri locus, qui in *d. l. Computationi* 68. relatus ad viceſsimam, &
1 illuſtratus ex profeſſo. Computatio legatorum neceſſaria ad viceſsimam; non exacta ea ex tenui hereditate. Seruanda hodie ea computatio, vbi & vectigal ex legatis ſoluitur. Macri ſententiæ recitatio παραφραστικη. Computationis eius ratio quadantenus expoſita. Petita ex electione medij inter extrema vitæ integræ, & abruptæ. Sexaginta numeri aptitudo, & concinnitas. Sexageſimus annus otij, & quietis. Poſt eum Senatoribus vacatio à Curia. Sexagenarij depontani cur dicti. Emendatus Macrobius leuiter; elucidatus Prudentius, & alij. Maiores annis quinquaginta quinque excuſantur à Decurionatu; maiores ſeptuaginta à ciuilibus muneribus. Meta, etiam militiæ, ſexageſimus annus apud Hebræos, & Romanos, tametſi in eo olim, hodieque variatum.

EIuſdem notæ, & numeri eſt vexata diu noſtris interpretibus, lex *computationi* 68. *D. ad leg. Falcid.* cuius inſcriptionem, quæ in vulgatis codicibus Venuleium, in Haloandrinis Maximum, ad legem Falcidiam præfert Authorem, incipitque *hæreditatum computationi*; & deinceps reſtituit ex Hetruſcis Pandectis Ant. Auguſtin. *lib.* 1. *emend. cap.* 4. itaque iam ſic habet: *Æmilius Macer libro ſecundo ad legem viceſsimæ hæreditatum.* Et mox: *Computationi in alimentis.* Rei verò intelligendæ præmonere paucis iuuabit, neceſſariam omninò fuiſſe computationem hæreditatis, legatorumque, viceſsimæ deducendæ; alioqui qui ſciri poſſet, quantum viceſ-

ceſsimæ nomine Fiſco ſoluendum ex hæreditate, legatoue, niſi vtriuſque iniretur certa æſtimatio? Proinde verè, bellèque Plinius, dum de viceſsima, parentibus in hæreditate filiorum remiſſa, loquitur in *Panægyrico*: *Nemo recentem*, inquit, *& attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogatque patrem, quid reliquerit filius, ſcire*: apertiùs idem *lib. 7. epiſt.* 14. *ad Coreliam*. Sed & neceſſaria hæreditatum computatio vel ideo, quia viceſsima ex tenui, & exili hæreditate non ſoluebatur, hæreditatiſque in eam rem certus modus legibus definitus, quamuis qualis, quantulque fuerit, nuſquam expreſſum. Author eius conſtituti Traianus, de quo Plinius in *Panægyrico*: *Ac ne remotus quidem, iamque deficientis affinitatis gradus, à qualibet quantitate viceſsimam inferre cogetur. Statuit enim communis omnium parens ſummam, quæ publicanum pati poſsit. Carebit onere viceſsimæ parua, & exilis hæreditas.* Et paulò poſt. *Cuicumque modica pecunia* (ſic enim lego, non, vt vulgò vitioſè, *cuiuſcumque modi ea pecunia*) *ex hæreditate alicuius obuenerit, ſecurus habeat, quietuſque poſsideat. Ea lex viceſsimæ dicta eſt, vt ad periculum eius perueniri, niſi opibus, non poſſit: conuerſa eſt iniquitas in gratulationem; iniuria in votum; optat hæres, vt viceſsimam debeat.* Hac itaque occaſione Macer *libro 2. ad legem viceſsimam hæreditatum* de computatione legatorum tractauit in *d. l. Computationi* 68. ex qua iam illud rectè colligitur in his locis, in quibus hodie viceſsima, ſimileue vectigal ex legatis, & hæreditatibus ſoluitur, veluti Venetijs, Peruſio, ſi alimenta, vel vſusfructus alicui relicta proponantur, ineundam eſſe eorum æſtimationem, iuxta normam dictæ *l. Computationi* 68. Idque, quod mirum, tametſi viceſsimariæ legis, & eorum quæ animaduertimus, ſæculi iniuria neſcij, diuinarunt Caſtrenſis in *d. l. Computationi*, *ipſi, hæreditatum* 68. *in princip.* Alexand. *num.* 7. & Peruſinis ſuis adnotandum proponunt, Angelus in *l. omnium* 29. *D. de vſufr. & in l. cum hi* 8. *§. Modus D. de tranſact.* Baldus *ibidem*, *& in §. Nihil autem in fine*, *d. leg. cum hi* 8.

Verùm quando incidimus in ſententiam *d. l. Computationi* 68. quæ 2
toties interpretibus noſtris cerebrum excuſſit, breui eam, & frugali, vt ſic dicam, enarratione aperiamus, oportet; in quo, vt grauiter Tertullianus *de anima cap. vlt.* *Iuſtæ dumtaxat, & neceſſariæ curioſitati ſatiſfaciemus: enormi autem, & otioſæ tantum deerit diſcere, quantum libuerit inquirere.* Igitur ſi alimenta legata ſint, ſic fieri computationem ex Vlpiano, Macer ſcribit, vt à prima ætate vſque ad annum viceſsimum, quantitas alimentorum triginta annorum computetur, eiuſque quantitatis Falcidia ſoluatur, hoc eſt, vt ſi inter legatarios, & hæredes controuerſia ſit de æſtimatione legati alimentorum; vt ſciatur, an dodrantem excedat, & Falcidiæ locus ſit, cum id definiri certò non poſsit, quia incertum, quamdiu legatarius victurus, & alimenta percepturus, ea forma ſeruetur, vt à prima ætate, ſiue à primis annis legatarij vſque ad viceſsimum, perinde quantitas legati æſtimetur, ac ſi triginta annorum alimenta legata eſſent. Proinde computatione facta eius ſummæ, quam triginta annorum alimenta conficiunt, putà trecentorum, ſi dena ſingulis annis, alimentorum nomine, legata proponerentur, animaduerti facilè poterit, an tota ea quantitas egrediatur dodran-

drantem, & Falcidiæ locum faciat, ac ſi fecerit, deductione quadrantis minuetur. Eadem ratione, & ſenſu Macer ſubiungit, ab annis viginti vſque ad annum viceſsimum quintum, annorum viginti octo computationem fieri. Ab annis XXX. vſq; ad XXXV. annorum XXII; ab annis XXXV. vſque ad XL. annorum XX; ab annis XL. vſquead L. tot annorũ, quot ætati legatarij deſunt; ad annum LX. remiſſo anno vno, hoc eſt, eo non computato, quem tunc legatarius agit. Ab anno verò L. vſque ad LV. annorum nouẽ; ab annis LV. vſque ad annum LX. annorum ſeptẽ. Denique ab annis LX. cuiuſcumque ætatis ſit legatarius, annorum quinque quantitas legati, alimentorum computatur. Porrò hàc computationem, & in vſusfructus legato ſeruandam, eoque iure nos vti, Vlpianus ſcripſerat, cuius ſententiam Macer notat, vſu iam receptũ affirmans, vt à primis quibuſque legatarij annis vſque ad trigeſimum, triginta annorum computatio fiat, à trigeſimo verò tot annorum, quot ad annum ſexageſimum legatario deſunt. Quæ, ſicut non omnino expedita, facilior ſaltem eſt, & felicior, quàm perplexa illa, & varia cõputatio, quam ex Vlpiano Macer deſcripſerat.

Pertinet autem, quicquid Accurſius, & coæui interpretes argutentur, tam ad legatum vſusfructus, quàm alimentorum, & in vtroque ſupputationẽ hanc, tamquã ſimpliciorem, Macer amplectitur. Sed etſi Reipublicæ vſusfructus legetur, ſiue ſimpliciter, ſiuè ad ludos, triginti annorum computationem iniri docemur, *in verſ. ſic denique d. l. Comput.* 68. vt perinde ſcilicet habeatur, ac ſi infanti legatus eſſet, in quo non aliter computatio fit, vt poſt Cuiacium olim ſcripſimus *in diſſertatiuncula extemporanea ad Titum Caium de vſufructu municipibus legato, ad l. ſi vſuſfructus* 8. *D. de vſuſr. leg. ex num.* 9. *&* 14. confer, ſodes, ſi vacat, & iuuenili ſtylo, ac iudicio in octodecimo anno, quem tunc agebam, calidiùs, quàm par eſt, luxurianti clemens ignoſce.

Computationis huius, quam perſpicua paraphraſi elucidare tẽtauimus, ſi quis rationem quærat, nullam profectò propriam, ac perpetuam inueniet. Videntur tamen iuris auctores, cum certa forma, normaue circumſcribi non poſſet, quãtum legatarius victurus, propter varios, lubricoſque humanæ vitæ fines, & exitus, mediocritatem quamdam conſentaneam his, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον, & vt plurimùm accidunt, ſecuti *l. cum hi* 8. §. *Modus* 10. *D. de tranſact.* quomodò circa ſimilem computationem *Leuitici cap.* 27. conſiderat Abulenſis ibi, *quæſt.* 25. id circo cũ frequenter hominum vita ſexageſimum annum pertingat, nec tamen ea præſumptio accipi pro re certa poſsit, quia non rarò ante annũ ſexageſimum immatura morte vita præſcinditur, ita ratiocinati ſunt, vt compenſatione facta incertitudinis vtriuſque integræ vitæ hominis, quanta veriſimiliter eſſe poteſt, & frequentiùs ſolet, & immaturæ mortis, quæ non minùs frequenter ſuperuenit, rem ad dimidium deducerent, & legatario infanti, quem ſexagenarium fore, ſperatur, triginta dumtaxat annos computarent: & ſic de inceps, quia nec aliter conſtitui poterat, nec probabiliùs, aut commodiùs incertum illum vtriuſque extremi oppoſiti vitæ integræ, & abruptæ certa regula æſtimari, ſeu circumſcribi, quàm ſi reduceretur ad medium totius incerti, quod & medium eſt inter maiorem, minoremque inæqualitatem; vt conſiderat, ne quem debita laude fraudem, iudicioſè, ac ſupra fori captum, Gaſpar Rodriguez *de annuis reddit. lib.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 16. *&* *ſeqq.* & præiuit, diſtinctè minùs, D. Couarruu. 3. *var. cap.* 9. *num.* 8.

Planè dum ad rationem ſexageſimi anni, ſupputationes alias metiuntur Vlpianus, Macer- 4

que in *d. l. Computationi* 68. non tantùm flexum illum ſenectutis defectæ, & ad metam maioris Climacterici appropinquantis; quem in ſexagenarijs Hebræi agnoſcebant, vt ex alijs probat Lorinus in *Leuiticum cap. 27. verſu 3. & 7. in fine.* ſed & aptitudinem numeri ſexaginta, eorum omnium, qui infra centum ſunt, ad minores alias ſupputationes, & ſectiones dirigendas, commodiſsimi (vnde & priſcis Aſtronomis prima menſura dicitur, quia perfacilè in tenuiſsimas quaſque partes, ſeu numeros diſtrahi poteſt) & quod præcipuum fuit, inſpexiſſe videntur Romanas leges, & mores, quibus *maiores annis ſexaginta otio redduntur; nam & prima vitæ tempora, & media patriæ, extrema nobis imperti- ri debemus*, vt eleganter Plinius ſecundus *lib. 4. epiſt. 23. ad Pomponium Baſſum.* Vnde & hic annus hyperbolicos, pro longiſsimo, Iuuenali vſurpatur *Satyra* 14.

Vt locupletem Aquilam tibi ſexageſimus annus
Afferet.

& quietis annus Senecæ patri dicitur, ſi viro docto credimus, ſic emendanti, *in eius controuerſ. vlt. lib. 1. Senator poſt ſexageſimum, & quietis annum in Curiam, venire non cogitur, nec vetatur.* Nam, quod vulgati libri præferunt *ſexageſimum quintum*, non tantùm Plinij loco repugnat, cuius meminimus, ſed & Senecæ filij verbis *de breuit. vitæ cap. vlt. Lex*, inquit, *à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat: difficiliùs homines à ſe otium impetrant, quàm à lege.* Et conſentiunt his veteres ſcriptores, qui ſexagenarios, *depontanos* dictos, ſiue, quod in parœmiam abijt, de ponte deijci oportere, atque oſca voce, *Caſnares*, memorant, quia cum in quintum illum ætatis gradum perueniſſent, tum denique ab omnibus publicis negotijs liberi, atque otioſi nullo munere fungerentur, nec in comitijs ſuffragium ferrent, quorum ad ſepta per pontes ingreſſus, vt ex Varrone *lib. 2. de vita populi Romani*, refert Nonius Marcellus in voce *ſexagenarios*. Feſtus in *depontani*, & in *ſexagenarij*. Varro *lib. 6. de lingua Latina*, & in *ſexageſi*. Cicero in *Oratione pro Sexto Roſcio*. Ouid. *lib. 5. faſtor.* quos Beroaldus, alijque laudarunt. Sed illaudati forſitan in hac re, Dionyſ. *lib. 1. antiquit. Roman.* Prudent. *lib. 2. contra Symmachum.*

Præcipitet ſcythica iuuenis pietate Vietum
Votiuo de ponte patrem: ſic mos fuit olim.

Macrobius *lib. 1. Saturnal. cap. 5. Hiſne tam doctis viris, quorum M. Cicero, & Varro imitatores ſe gloriantur, adimere vis in verborum comitijs ius ſuffragandi; & tamquam ſexagenarios maiores de ponte deijcies?* Vbi legerim, *ſexagenarijs maiores.* Porrò in libris noſtris maiores annis quinquaginta quinque, inuitos Decuriones (qui minores Senatores dicuntur) creari non poſſe, legimus. *l. 2. §. vlt. l. non tantùm* 11. *D. de Decurion. l. à muneribus* 13. *Cod. eodem tit. l.* 3. quam ſic accipio, *Cod. qui ætate, vel profeſſ. lib.* 10. maiores verò ſeptuaginta annis à cæteris ciuilibus muneribus vacant. *l. 3. §. Quamuis, & §. Cura D. de munerib. & hon. l. 1. §. vlt. l. 2. §. 1. l. in honoribus* 8. *D. de vacat. muner. l. 3. D. de iure immun. l. ſi vltra* 10. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l. 1. Cod. qui numero tutelar. l. 35. tit. 16. part. 3.*

Quin & in militaribus ſtipendijs 5
finem, ſeu metam fuiſſe ſexageſimum annum, adſtruit vetus Scholiaſtes Iuuenalis, qui ad eiuſdem illud *Sa-*

Satyra 14. de Aquila poſt ſexageſimum annum ventura, cuius nuper meminimus, ita ſcribit: *Vt ſignifer ſis ſtipendiis emeritis* (ſic enim legimus) *anno ſexageſimo, quo militiam deponebant*. Cornel. nepos, ſiue quis alius auctor eſt, *in Pomponij Attici vita*: *Incidit Caeſarianum ciuile bellum, cum haberet annos circiter ſexaginta: vſus eſt vacatione aetatis, neque ſe quoquam mouit ex Vrbe*. Et de Romanis ſimul, & Hebraeis innuit D. Hieronymus in *quaeſtion. Hebr. ad lib.* 1. *Paralipomen*. *A viginti annis*, inquit, *& ſupra, ad bellum deſcribebantur, vſque ad annum ſexageſimum. Ab anno ſexageſimo, & Leuitae miniſtrare, & milites pugnare deſinebant, vnde & Romani eos emeritos vocant, qui iam militare deſierunt*. Nec ignoro, variatum ſaepe in hac re, & ex Seruij Regis ſcito, quadrageſimum ſextum annum, dein verò quinquageſimum militiae vacationem dediſſe. De quo videſis Lipſium, tametſi eorum, quae pro ſexageſimo diximus, immemorem, *lib.* 1. *de milit. Rom. dialog.* 2. Valtrinum *lib.* 2. *de milit. Rom. cap.* 4. Hodie ſanè, nonniſi poſt ſeptuageſimum annum, vacatio militiae eſt, ex noſtrati Regia, *l.* 3. *in fine tit.* 19. *part.* 2. & poſt ſexageſimum in Equitibus armatis, de queis *l.* 1. *in fine tit.* 1. *lib.* 6. *compilat. l.* 4. *tit.* 1. *lib.* 4. *ordinam*. Denique & noſtris legibus, non tantùm ſexagenariorum nuptiae improbantur, ſed, & quod magìs eſt, vacationem poſt eam aetatem habent, & liberantur poenis coelibum, orborumque, teſte Vlpiano *tit.* 16. *in princip. &* §. *qui intra*, de quo nos pleniùs ſuo loco. Interim ſaltem haec de ſexagenarijs, quoad Senatoria, & Militaria munia, praenotaſſe, cum trieennis non dum eſſem, eò magìs placitùm nunc, & volupe, quia diuino beneficio, haec recolo, recenſeoque, ſexagenario iam maior, ſimulque Regio indulto vacans à iudiciario in Senatu aſſeſſu, niſi ſi quando adeſſe velim; & permiſſum extrema haec tempora mihi impertire; atque vtinam vacarem ſoli animo chriſtianè ad extremam vitae lineam apparando potiùs, quàm litteratis hiſce lineis.

(:§:)

CAPVT XI.

RETRACTA, ET REDACTA AD NVMEROS COMPVTATIO MACRI in d. l. 68. & an ea hodie ad praxim producenda.

ARGVMENTVM.

IN *d. l.* 68. agnita Triboniani manus, qui computationem viceſsimae propriam applicuit Falcidię, in qua rationes calculandi expeditiores: vitia computationis Macri ad Falcidiam detortae; in alimentis infanti legatis, iniqua ea computatio, & iniuria haeredibus, gratioſa legatario, incerta, & inęqualis plerumque: vitioſa etiam in vſufructu legato Reipublicę; & quale eius legati, atque anni Reipublicae, & alimentorum infantis diſcrimen in proportione computationis. Inaequalitas eiuſdem aeſtimationis in legatario quinquaginta, & nouem annorum. Humana, & tolerabilis eadem in viceſsima, quia in odium vectigalis, & Fiſci. A viceſ-

ceſsima immunia ſunt alimenta legata pauperi, non item diuiti. Computatione dictæ *l.* 68. vtuntur in fere omnibus ſimilibus cauſis plerique ex claſsicis, practiciſque; ſed abutuntur. Exempla ex fori paratura. Æſtimatio annui redditus ad vitam, quęnam hodie apud nos? Eius norma, & ratio ineunda in æſtimatione redditUum maioratus ad vitam poſſeſſoris, qui vel arrhas, vel ſponſalitiam largitatem promiſit, vt ſciatur, an ea ſint intra modum legibus Regijs præſcriptum. In vectigali, ſeu Gabella venditionis vſusfructus, cum ſit decima pretij, quo venditur, vitioſè, otioſèque induceretur computatio d. *l.* 68. in eoque Bartholi, & aliorum incogitantia reuelata.

1 HÆc, etſi pro firmanda Macri computatione in *d. l. Computationi* 68. aduocari poſſe videantur, mihi tamen (dicam quod ſentio, nec veritati vnquam ſciens præuaricabor) probatur magis nunc, quod iam pridem, poſt Cuiacium, viri magni tentarunt, & inter noſtrates Primarius Salmanticæ, emeritis in Pontificio iure ſtipendijs Anteceſſor, ac demum Regius in Suprema Caſtellæ Curia Senator, D. Ioannes Parexa in *Otio quadrimeſtri 2. parte num.* 4. Fragmentum Macri, ad viceſsimam pertinens, ad Falcidiam à Triboniano fuiſſe translatum, ſiue quis eius manum agnoſcat, in principio *d. l. Computationi* 68. vbi Falcidiæ computatio applicatur, ſiue dumtaxat in verſic. *Solitum*, quem Triboniano adſcripſit Faber *de error. pragmat. dec.* 10. *errore* 10. *num.* 5. Eius ſuſpicionis argumenta hæc, doctis cenſenda, & exponenda ſubijcio. Primum, quia quod ad poſitionem Falcidiæ legis attinet, in legatis alimentorum, atque vſusfructus, de quibus ex Vlpiano Macer in *d. l. Computationi* 68. expeditiores aliæ computandi rationes, in ſimilibus legatis proditæ occurrunt, & quidem ab Vlpiano, & alijs in *l.* 1. §. *Si in annos* 16. *l.* 3. §. *vlt. l. lex Falcidia* 47. *l. cum Titio* 55. *D. ad leg. Falcid.* Nec fuit, cur vel Vlpianus ipſe, vel alij in exquirenda impeditiore illa, & ſcrupuloſa computatione ſudarent, alijs longè certioribus, & facilioribus ſuppetentibus. Secundum, quia quoad ipſam Falcidiam iniquior certè hæredibus, atque inæqualis computatio illa videtur, de qua in *d. l.* 68. Agnoſcunt enim auctores noſtri, poſſe quem viuere centum annos. *l. an vſusfructus* 56. *D. de vſufr. l. vlt. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l. ſi vſusfructus* 8. vti diximus in *diſſertatiuncula num.* 4. *& ſeqq. D. de vſufruct. leg.* Atque, vt ſpatium vitæ hoc, tamquam longiſsimum, mittamus, conſtat ſaltem ſeptuageſimum annum, aut ſupra, non rarô homines attingere, vt vel diuinus Vates cecinit *Pſalm.* 89. *Anni noſtri, ſicut aranea, meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus octoginta anni, & ampliùs, eorum labor, & dolor.* & concinunt Phyſici, auctore Macrobio *lib.* 1. *ſomn. Scip. cap.* 6. Solon apud Laertium *in eius vita*, & ex eius *Elegia*, Cenſorinus *de die natali cap.* 14. Philo *lib. de mundi opificio*, Clemens Alexandrinus 6. *ſtromat.* Ambroſius *enarratione altera in Geneſim ad Horontianum*, & iam olim Herodotus *lib.* 1. &, vel Romanis ipſis auctoribus, quorum inſtituta ſupra deſcripſimus, ſexageſimum. Atqui, ſi infanti vſusfructus, vel alimenta legata ſint, quem ſexagenarium futurum, ſperari poſſet, triginta dumtaxat annorum ad æſtimationem legati, & Falcidiæ deductionem computatio fit, quaſi non vltra legatarius victurus. Id autem, niſi poſtea illo tringinta annos egrediente, noua computatione emendatur, vt Accurſius, & veteres crediderunt in *d. l. Compu-*

pu-

putationi 68. repugnantibus, neque immeritò, Couarruuia, Barboſa, & alijs, iam laudandis. Apertè legatario gratioſum eſt, & iniurium hæredi, cui contra frequentiorem humanæ vitæ præſumptionem, Falcidiæ quantitas iuſta detrahitur, ſi ſemel habita triginta annorum ratione, legatario iam eos egreſſo vſumfructum, aut alimenta præſtare cogitur. Sin verò tunc res emendanda, denuoque altera computatione, Falcidiæ ratio ponenda eſt, vitioſam, vel otioſam computationem primam eſſe fatendum, quæ nec communioribus humanæ vitæ terminis congruit, & rem adhuc in incerto relinquit. Nec obiectioni facies ſatis, ſi dixeris, compenſatione facta incertitudinis vitæ longioris, & immaturæ, æſtimationem ad dimidium, tamquam inter extrema medium, deduci: vt ſupra expendebamus; id enim, ſi ita eſſet, vtique in legato vſusfructus poſt trigeſimum annum legatarij, non fieret computatio triginta annorum, ſed dimidij illorum, hoc eſt quindecim; & tamen contra ſcriptum eſt in *d. l.* 68. *verſ. ſolitum.*

2 Tertium, vt Faber rectè conſiderat, apertè iniquum eſt, in vſufructu Reipublicæ legato triginta dumtaxat annorum computationem fieri, vt in *d. l. Computationi* 68. *verſ. ſic denique*, cum certum ſit, niſi Reſpublica capite minuatur (quod & infrequens eſt, nec niſi inhumanè ſperandum. *l. an vſusfructus* 56. *D. de vſufruct.* iuncta *l. inter ſtipulantem* 83. §. *Sacrum verſic. ſed hæc D. de V. O.*) centum annis vſumfructum manſurum. *d. l. ſi vſusfructus* 8. *dicta l. an vſusfructus* 56. Solaque ratio incertitudinis vitæ in vſufructu homini legato, ſuperiorem computationem admitti, cogat, quia neſcitur quamdiu duraturus. Dices, fauere potiùs computationem hanc hæredi, quàm legatarijs, quia in legatario infante æſtimantur alimenta, vel vſusfructus, ad rationem vnius pro triginta, iuxta *d. l.* 68. & tamen, ſi æſtimarentur iuxta formam annui redditus ad vitam legatarij, non excederet rationem vnius pro decem, aut paulò plus, ſicut nouiſsimè moribus, legibuſque noſtris, ad vitam redditus æſtimantur. *l.* 12. *tit.* 15. *lib.* 5. *compilation.* & conſequenter minor Falcidia apud hæredem remaneret, ſi detraheretur, ex legato decem, quàm ſi detrahatur ex triginta, vt in *d. l.* 68. ſic etenim & legatum annuum Reipublicæ relictum, æſtimatur ad rationem trientis vſuræ, hoc eſt, vnius pro viginti quinque. *l.* 3. §. *vltimo D. ad leg. Falcid.* & ſic quanti hodie plerumque perpetui redditus redimibiles æſtimantur; & tamen iuxta formam *d. l.* 68. *verſic. ſic denique*, magìs hæredi fauetur, quia vſusfructus, Reipublicæ legatus, æſtimatur ad rationem vnius pro triginta, ac proinde maiorem ex eo Falcidiam detrahet, vtpote ex legato triginta, quàm ſi detraheret ex viginti quinque. Sed vt hoc tibi largiar, ſic quoque inæqualem videri computationem. *d. l.* 68. vtpote cum tuo ſenſu, tantò magìs hæredi ſine cauſa faueat, quàm legatarijs. Reſpondeo, diuerſam eſſe cauſam redditus ad vitam, qui minoris æſtimatur, quia qui eum quot annis ſoluit, pretium eius, ſeu ſortem ab eo, cui ſoluit, accipit, eamque, illo mortuo, lucratur: diuerſam etiã in legato annuo perpetuo, quod, quoniam tempore non circumſcribitur, non poteſt aliter æſtimari

niſi quanti plerumque perpetuus redditus redimibilis vendi ſolet, hoc eſt, ad rationem vnius pro viginti quinque; at in legato alimentorum, quod, moriente legatario, finitur, debuit quarta longe pluris æſtimari, & legati computatio iniri, iuxta frequentiorem humanæ vitæ præſumptionem, hoc eſt, ad rationem vnius pro ſexaginta, ita vt illorum quarta penes hæredem maneret, non autem ad rationem vnius pro triginta, ne alioquin, ſi diutius legatarius viuat, quod ſæpe eueniet, eique adhuc alimenta præſtanda ſint, non maneat integra quarta apud hæredem, quam immunem, atque indelibatam ei, lex Falcidia ſeruari voluit.

3 Quartum, quia, vt vel vitium hoc tam ſcrupuloſæ, & anxiæ computationis, nunquamque exactè ad numeros, proportionemque reſpondentis, admota manu reuelemus, ſcriptum eſt in *verſic. ſolitum*, à trigeſimo anno tot annorum computationem fieri, quot ad annum ſexageſimum legatario deſunt, nec vnquam amplius, aliterue computandum. Proinde ſi nouem, & quinquaginta annorum ſit legatarius, vnius dumtaxat anni, qui ad ſexageſimum deeſt, computatione facta, eius ſolius Falcidia deducetur. Et tamen, ſi ſexagenarius eſſet, aut longè maior ſexagenario, quinque ſaltem annorum, quaſi & eos victurus, ratio haberetur in computatione, vt proditum eſt in *d.l. 68. verſic. Ab annis ſexaginta*. Id verò abſurdum, & inconcinnum eſſe, quis non videat, cum ſic legatarij, non dum ſexagenarij, breuior futura vita præſumatur, quàm ſexagenarij, vel ſeptuagenarij, aut longè ſenioris, cuius ætas quantò magis in flexu conſiſtens, tantò celerius præcipitare, & extremæ lineæ appropinquare ſolet? Hæc itaque ſuperioris computationis vitia ſunt, quibus, quemadmodum illam iniquam, inæqualemque eſſe, apparet, ſi Falcidiæ deducendæ applicetur, quia in pleriſque in fraudem Falcidiæ, legatarijs apertè fauet, & cum illis quodammodò in necem, damnumque hæredis conſpirat; ita ſi ad viceſsimam hæreditatis, & legatorum referatur, de qua Macer tractabat, vt ex *Epigraphe* liquet in *d. l. Computationi 68.* humana, & fauorabilis cenſenda eſt; fauet enim legatarijs in odium vectigalis, & Fiſci, habita ætatis eorum ratione, quanti minoris poteſt, quamuis plus eos victuros, ſit veriſimile, ſumpto tamen colore ex lubrico, atque incerto vitæ humanæ, vt ſic, pauciorum annorum computatione facta, in legato alimentorum, & vſusfructus, & conſequenter minoris æſtimato legato, minor etiam ex eo viceſsima Fiſco pendatur. Solent enim veteres illi iuris, & æquitatis conſulti (contra quàm hodie, moribus in deterius verſis, fit) in re præſertim dubia, priuatorum, quàm Fiſci cauſam, potiorem ducere, & contra Fiſcum facilè reſpondere. *l. non dubito* 10. *D. de iure Fiſci. l. vnic. in principio, &* §. *vlt. Cod. de cad. toll. l. 2. de aduocato Fiſci in Cod. Theodoſ.* & nos alibi commodius dicemus. Supponimus autem, dum de viceſſima, ex legato alimentorum debita, loquimur, relicta fuiſſe alimenta diuiti, quo caſu inter pia legata non recenſentur: ſed, ſi pauperibus relicta, proponerentur, immunia eſſent à viceſsima dependenda, quia ex relictis, pietatis cauſa, non debetur, vt dicemus infra, qualia ſunt procul dubio legata alimentorum, relicta pauperibus. *l. Mela* 14. §. 1. *D. de alim. vel cibar. leg. l. ſancimus* 21. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Nouell.* 132. *de*

de Eccleſiaſt. tit. cap. 11. & 13. verſ. in captiuorum; docet, vt alios mittam, in terminis Gabellæ ex legatis Baldus in l. illud num. 1. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. & in viceſsima ipſa alimentorum diſertè Ann. Robertus 2. rer. iud. cap. 2. in extremo. Tandem, ne ſcrupuloſius in Macri computatione hæreas, licebit in commune, vt addas, proportiones computationum eiuſmodi in rebus moralibus, incertiſque, non exactè, & ad mathematicam amuſsim diſquiri poſſe, nec rationes earumdem reddi, quæ omnino concludant, & ſignent, quomodo in ſimili illa computatione ætatum pro ſiclis Sanctuarij ad Leuitici cap. 27. obſeruarunt, poſt Abulenſem inibi. quæſt. 13. & ſeqq. Biblici Scholiaſtæ nouiores.

4 Ex his, vt & pragmaticis noſtris indulgeamus, liquebit, puto, ſatis, quid ſentiam de inueterata illa interpretum traditione, quæ docet, computationem, quæ proponitur in d. l. Computationi 68. non tantùm in ratione Falcidiæ, ſed etiam in ſimilibus omnibus controuerſijs de æſtimatione redditus ad vitam, & præſumptione humanæ vitæ, ſeruandam eſſe. Ita, ſenſiſſe Accurſius, videtur, in l. omnium 29. D. de vſufr. & in l. cum hi 8. §. Modus D. de tranſact. & ſequuntur poſt Barthol. alioſque ex Claſsicis in d. l. Computationi 68. Speculator tit. de iniur. §. vlt. num. 6. Panormitanus in cap. 1. & cap. olim de iniur. Rodericus Suarez in l. quoniam in prioribus ampliat. 3. num. 9. & ſeqq. Cod. de inoffic. teſt. D. Couarruu. 2. var. cap. 10. num. 7. & poſt Gomeſium, Pinellum, Padillam, Guterrium, Surdum, Farinacium, atque alios, Caſtillo lib. 4. contr. cap. 13. num. 15. Thom. Sanctius conſil. mor. lib. 1. cap. 4. dub. 2. & quoad alimenta, poſt Laram, D. Ioannes de Larrea deciſ. Granatenſ. 66. num. 31. Mihi autem longè verius videtur, computationem, de qua Macer in d. l. 68. cum ad viceſsimam propriè pertineat, nec in Falcidiæ quidem ratione recipi vſu, &, vt vulgò loquuntur, practicari oportere, in qua certiores, & faciliores aliæ computationes occurrunt. d. lege lex Falcidia 47. l. cum Titio 55. D. ad leg. Falcid. Multòque minus in alijs extra Falcidiam controuerſijs, ad quas computationem illam præcisè, & strictè (ſiue nonniſi prout vir bonus arbitrabitur) producendam non eſſe, meliores, nec pauciores interpretes cenſent. Alexander in d. l. Computationi 68. num. 9. poſt alios Iaſo in l. eum qui ita 56. §. Qui ita 1. num. 11. D. de verb. oblig. Duaren. in paraphraſi ad tit. D. ad leg. Falcid. cap. 8. pag. mihi 568. egregriè noſter Couarruu. lib. 3. var. cap. 9. num. 8. Molina de primog. lib. 1. cap. 19. num. 40. Barboſa in l. maritum 13. num. 12. D. ſol. matrim. Gaſpar Rodrig. de ann. reddit. lib. 1. quæſt. 5. num. 17. & poſt alios, Eſcobarius comput. 2. Cancerius 2. part. variar. cap. 17. num. 79. plures apud Zeuallos comm. quæſt. 552. & 893. & cum Theologis Molina, Leſsio, Becano, & alijs, Diana 5. part. tract. 4. reſol. 53. Idque paucis exemplis, & quidem ex frequentioribus iudiciorum, apud nos, controuerſijs, libens firmabo.

Primum ſit, in æſtimatione annui redditus ad vitam, quæ ſi fieret ad vitam infantis, iuxta formam d. l. Computationi 68. vt voluiſſe, videtur, poſt Baldum, & alios, Caſtr. num. 22. Iaſo num. 8. in l. ſi pater puellæ Cod. de inoffic. teſtam. eſſet ad rationem vnius pro triginta, quanti ho- 5

dis

die nemo, niſi omnino ſtultus, ſtupiduſque, redditum ad vitam emere vellet, cum poſſet non tantidem perpetuum redditum redimibilem comparare: itaque rectiùs moribus noſtris obtinuit, vt iuſtum pretium annui redditus ad vitam ſit ad rationem vnius pro ſeptem, ſicut, amputatis interpretum contentionibus, definitum apud nos fuit in *l.* 8.*tit.*15.*lib.*5.*compilat.* ſeu potiùs ad rationem vnius pro decem, vt nouiſsimè placuit. *l.*12. *tit.*15.*lib.* 5. *compilat.* videndi, poſt Oldradum *conſil.* 207. Couarruu. *lib.* 3. *variar. cap.*9. *num.* 7. & 8. Felician. de Solis *lib.* 2. *capit.* 1. *num.* 21. Michael Salon *in diſputat. de cenſib. art.* 5. *contr.* 2. Rodriguez de annuis reddit. *d. l.* 1. *quaeſt.* 5. *num.* 10. Auendaño *de cenſibus cap.* 33. *num.* 3.

6 Secundum eſt, in æſtimatione redditυum bonorum maioratus ad vitam poſſeſſoris, quam ſœpe certa regula definiri permultùm intereſt, veluti ſi tractetur de promiſsione illarum, quas, *arrhas*, dicimus, quæque in Hiſpania ex crebriori noſtratium placito in locum donationis propter nuptias ſucceſsiſſe, creduntur. *l.* 1. *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 87. *tit.* 18. *part.* 3. nec promitti vxori à marito vtiliter poſſunt, ſi egrediantur decimam partem bonorum, quæ maritus habuit, cum promittebat, iuxta *leg.* 1. *tit. de las arrhas lib.* 3. *fori*, quæ hodie extat *in l.* 50. *Tauri*, & *in l.* 2. *tit.* 2. *lib.* 5. *compilat.* In his itaque, ſi ponamus, maioratus poſſeſſorem arrhas promittere, quæraturque, an exceſſerint quantitatem decimæ partis bonorum, neceſſe eſt computatione inita maioratus redditus, ſiue bona ad vitam poſſeſſoris (namque & hactenus illius ſunt) æſtimari, idque faciendum dinumeratione vitæ poſſeſſoris, inita iuxta normam *d. l Computationi* 68. cenſuit Palat. Rub. *in repetit. Rubr. de donat. int. vir. & vxor.* §. 25. Padilla *in authentic. res quæ num.* 30. *Cod. de legat.* Mieres *de maioratib.* 3. *parte*, *quæſt.* 9. *num.* 13. Gregor. Lopez *in l.* 4. *gloſſ.* 1. *verſic. ex prædictis etiam titul.* 15. *part.* 2. Gomes Arias *in l.* 48. *Tauri num.* 16. Valaſcus *tom.* 1. *conſult.* 16. *num.* 11. Cenſent tamen haud rectè; eſt enim expeditior, vſuque iam receptior alia ratio, ſcilicet, vt maioratus redditus omnes, deductis impendijs, æſtimentur ad rationem vnius pro ſeptem, ſiue octo, quanti apud nos antiquiori lege Regia anniuerſarij ad vitam redditus æſtimari ſolebant, ex *l.* 8. *titul.* 15. *libro* 5. *compilat.* ſeu potiùs ad rationes vnius pro decem, quanti nouiſsimè æſtimantur. *l.* 12. *titul.* 15. *dict. libr.* 5. ſicque totius, vt ſic dicam, vſuſfructus bonorum maioratus computatio ineatur, vt proinde maioratus poſſeſſor, cuius redditus anniuerſarij bis mille aureorum ſunt, poſsit hodie integrum vnius anni redditum, arrharum nomine, promittere, hoc eſt, aureorum duo millia, quæ ſunt decima pars æſtimationis vniuerſorum redditυum, ad rationem vnius pro decem. Ita primus, qui fere inter pragmaticos noſtros primarius, Molina *de primogen. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 41. Gutierrez *libr.* 2. *practic. quæſt.* 17. *numer.* 8. Sanchez *de matrimonio libr.* 6. *diſputation.* 31. *num.* 3. Quo exemplo & circa ſponſalitiam largitatem, quam patrio idiomate, *viſtas*, vocamus, nec promitti vxori à marito poteſt, vltra octauam partem dotis acceptæ. *l.* 1. *titul.* 12. *libr.* 5. *compilation.* ſi, ad octauam partem taxandam, quæratur de æſtimatione dotis

tis in perſonā mulieris, quæ, cum maioratum poſsideret, eiuſdem redditus in dotem contulit, non dubitauerim, affirmare, æſtimari dotis, ſeu maioratus redditus oportere, ad rationem vnius pro decem, ſicut in arrhis dixi, non autem iuxta formam *d. l. Computationi* 68. quamuis illa ad hanc ſpeciem abutantur Mieres *de maiorat. d.* 3. *parte quæſt.* 9. *num.* 15. Valaſcus *conſult.* 16. *num.* 1.

7 Tertium exemplum ſit, in æſtimatione vſusfructus venditi, cuius ex pretio vectigal, ſeu Gabellam deberi, quæ ex venditionibus aliarum rerum ſolui ſolet, neque dubitandum quidem eſt, vtique ſi vſumfructum, vt poſuimus, venditum, non fructuum locationem factam conſtiterit, namque & viceſsima ex legato vſusfructus pendebatur, *d. l. Computationi* 68. notant ad rem, poſt alios, Gironda *de Gabellis part.* 11. *num.* 30. Laſſarte *de decimi vendit. cap.* 2. *num.* 50. *& ſeqq.* æſtimandum verò tunc vſumfructum iuxta rationem *d. l. Computationi* 68. vt liqueat, quantum, Gabellæ nomine, ex venditione eiuſdem ſoluendum, ſcribit Bart. in *d. l.* 68. *in fine*, notabilem illam in hanc rem affirmans, &, poſt Caſtrenſem, Alexander *ibidem num.* 9. ſequuntur ex noſtratibus Palat. Rub. *in repet. Rubricæ de donat. inter* §. 25. *num.* 2. Suarez *in l. quoniam in prioribus ampliat.* 3. *num.* 9. *Cod. de inoffic. teſt.* Gomez Arius *in l.* 48. *Tauri num.* 17. Mihi verò (deprecor læua Numina, quòd fidenter hoc dicam) ineptè, atque inconſpectè Bartholus, & congeneres loqui, videntur; quorſum enim vſusfructus venditi æſtimatio ineunda, iuxta *d. l.* 68. niſi vt ex ea Gabella ſoluatur, reſpondens quantitati æſtimationis? Quænam autem, obſecro, neceſsitas incertæ, atque impeditæ computationis, & æſtimationis faciendæ in venditione, ex qua ipſa certior, & expeditior æſtimatio conſtat? Pretium nempe, quo vſusfructus venditur, ſine quo, & quidem certò, conſiſtere venditio non poteſt. §. *Pretium autem Inſtit. de empt. & vendit. l. hæc venditio* 7. §. *vlt. D. de contrah. empt. l. vlt. Cod. eod. tit.* Apud nos certè frequens illud vectigal ex venditionibus, quod, *Alcabalam*, dicimus, eſt decima pars pretij, quo venditur. *l.* 1. *tit.* 17. *lib.* 9. *compilat.* Proinde, ſi vſusfructus venditus proponeretur, putà, mille, ſepoſita æſtimatione *d. l. Computationi* 68. ſolvenda eſſet, Gabellæ nomine, decima pars pretij, quo venditus vſusfructus, nempe ex mille centum, nec viceſsimæ exemplum, quo ſœpiùs in Gabellis noſtris vtimur, nos ab hac aſſertione mouet, aut mutat. Quippe in viceſsima, cùm ſolvatur ex legato vſusfructus, cuius certa æſtimatio definita teſtamento non eſt, neceſſe omninò fuit retrocurrere ad computationem, quæ proponitur in *d. l.* 68. Illa verò in vectigali ex venditionibus vitiosè induceretur, cum poſsit, debeatque ex pretio conuento, quo venditus vſusfructus eſt, vectigal ſolui, taxarique.

CAPVT XII.

AD MACRVM IN §. VLT. DICT. L. COMPVTATIONI 68. ET VLPIAnum in l. 2. §. Si quid 16. D. de hæredit. vel act. vendit.

ARGVMENTVM.

VVlgata lectio, & expoſitio *d. §. vlt.* relata, & collata cum Baſilicis, & Synopſi, ex qua & Florentina firmatur. Propria eius loci quęſtio ad viceſsimam pertinens. Ad eamdem fortaſſe reſpicit Papinianus in *l. 5 §. Qui non habita D. de cenſibus.* Dubitandi ratio apud Macrum, ex comparatione Falcidiæ, qua indignus hæres, ſubtrahens rem hereditariam. Notata occulta alluſio ad viceſsimam in *d. §. vlt.* decidendi ratio ex diſcrimine interuerſionis, & inficiationis. Palam peccantibus, vt errantibus, plerumque ignoſcitur, aliter, atque clam delinquentibus, vt contumacibus. Nexus adhuc, ſolutuſque in *d. §. vlt.* non leuis nodus. Differentiæ legandi per damnationem, & vindicationem, perſtrictæ obiter, quoad res legatas, & earum fructus, ex queis, vel curſim, non vulgaris lux data Vlpiano, Gordiano, & alijs, pleniorque, & ex profeſſo, Macro in *d. §. vlt.* Senatus Conſulti Neroniani quæ, & qualis cautio. Tranſitum ad *d. l. 2. §. Si quid* 16. Vectigalia legatæ rei quando, & quatenus legatario ſint oneri, vel hęredi, quando, item venditori, aut emptori. Petita inde explicatio *d. §. Si quid* 16. & in eo viceſsimæ veſtigium, coniectura audaciuſcula, perquiſitum. Ex venditione hæreditatis hodie decima, ſeu Gabella ſoluitur, eaque onus venditoris eſt, neque hæreditatis emptori imputandum.

1 SVpereſt explicanda in *d. l. Computationi* 68. (in qua diutius, quàm putauimus, morati ſumus, dum catena veluti ducimur cohærentium inter ſe rerum) quæſtio quæ ſequitur in §. *vlt.* eiuſdem legis. Vbi ſi quis ex hæredibus rem propriam eſſe, contendat, & hæreditariam eſſe, conuincatur, ſcriptum, ex quorumdam ſententia, eſt, eius quoque Falcidiam non poſſe retineri, quia nihil interſit, ſubtraxerit, an hæreditariam eſſe negauerit, ſubijcit tamen poſtea Macer ſic: *Quod Vlpianus rectè improbat.* Quæ verba cum in vulgatis ſic legerentur: *Quod Vlpianus rectè probat*, quomodò, ſiue eodem ſenſu lectionem, *Falcidiam non retinet*, in hærede negante, & conuicto, rem hæreditariam eſſe, iam olim reperiſſe ſe in Baſilicorum quibuſdam Codicibus, adnotauit græcanicus Scholiaſtes Cyrillus ad *lib.* 41. *tit.* 1. *in d. l.* 68. §. *vlt.* Ita Macri ſententiam Bartholus, atque eiuſdem factionis Gloſſematarij, imò & nouiores aliquot acceperunt, quaſi cum quibuſdam illis probaret, perinde inficiatione, ac ſubtractione rei hæreditariæ hæredem eius Falcidiam non retinere, in pœnam ſcilicet mendacij, de cuius odio multa multis inferuntur, ad *d. l.* 68. §. *vlt.* ſed id, quàm falſum ſit, poſtrema eiuſdem verba demonſtrant, quæ in Florentinis Pandectis extant, & agnoſcunt Baſilica *lib.* 41. *Synopſis* à Leunclauio editæ *tit.* 1. *de Falcidia cap.* 57. ita: *Rerum ſubtractarum hæres non retinet Falcidiam; ſed ſi contendat, propriam eſſe rem, poſtea autem oſtendatur, eſſe hæreditariam, retinet Falcidiam.* Agnoſcunt & extra Synopſim Baſili-

li-

lica ipſa *lib.* 41. *tit.* 1. *in d. l.* 68. §. *vlt.* ſuadet denique orationis ipſa iunctura, quia poſt primam illam aſſertionem de hærede non retinente Falcidiam rei legatæ ab eo ſubtractæ, dum ſubiungitur per aduerſatiuam: εἰ περιλεκτέχει ἴδιον εἶναι τὸ πρᾶγμα ideſt: *Sed ſi contendat, rem propriam eſſe*; ſeries hæc Textus flagitat diuerſam, aut aduerſam priori aſſertionem, cuiuſmodi eſt, Falcidiam retinet, ſeu παρακρατεῖ. Iam verò hoc ſuppoſito, vt paucis rem explicemus, hæc quæſtio eius §. eſſe videtur; An vnus ex hæredibus, qui rem legatam propriam eſſe reſpondit, ſi hæreditariam eſſe conuincatur, non poſsit ex eadem deducere viceſsimam Fiſco debitam, de qua potiſsimùm Macer tractabat in *d. l. Computationi* 68. vt ex illius inſcriptione liquet; quamque ex legatis etiam hæredes ipſos Fiſco ſoluiſſe, eamque legatarijs legata petentibus reputaſſe, deductione viceſsimæ ex ſingulis legatis facta; probant mihi veteres inſcriptiones aliquot, in quibus lego, cum ex legatis viceſsima non ſoluitur, hæredes legata præſtare, *ſine vlla deductione XX.* quaſi ſcilicet alioquin ipſi, eam Fiſco ſoluendam ex legatis deducerent, vt Capite ſequenti exponam: eoque non immodicè referri poteſt Papiniani locus in *l. cum poſſeſſor* 5. §. *Qui non habita D. de cenſibus*, vbi ſcribit, hæredibus, qui ex legati, aut fideicommiſsi cauſa prædia reſtituunt, non habita ratione tributorum, vt putà ſine deductione viceſsimæ ex legato, aut fideicommiſſo, Fiſco ſolvendæ, actionem competere ex reſcripto Diui Pij, quaſi plus debitò ſolverint, dum quod deducere poterant, eoque nomine ſibi cauere, per errorem omittunt. *l.* 3. §. *Item* 5. *&* §. *vlt, D. ſi cui pluſquàm per leg. Falcid. l. ſi quis cum* 39. *D. de condit. indebiti.*

2 Sed in quæſtione, quam propoſui, dubitandi rationem præbet Falcidia, quam hæres ex re, quam ipſe amouit, retinere non ſolet; quin potiùs quarta eius rei, ei velut indigno erepta, Fiſco defertur. *l reſcriptum* 6. *D. de his quæ vt indignis. l. Falcidiæ* 24. *D. ad leg. Falcid. Nouell.* 1. *de hæred. & Falcid. cap.* 2. indignus enim eſt beneficio legis Falcidiæ, qui id egit, vt legata interciderent. *l. beneficio* 59. *D. ad leg. Falcid.* ſicut & indignus legatarius legato, cui, cum certa hæreditatis portio relicta eſſet, res hæreditarias ſubtraxit, vnde & ei earum rerum petitionem negari, reſponſum, & reſcriptum eſt. *l. Paulus* 48. *D. ad S. C. Trebell. l. non eſt dubium* 5. *Cod. de legat.* cur non igitur perinde puniatur hæres, qui rem hæreditariam ſuam eſſe affirmauit, cum hoc ipſo & ſibi afferat, & legatarijs ſubtrahat, *nihilque interſit*, vt cum quibuſdam Macer ponit in *d.* §. *vlt. ſubtraxerit, an hæreditariam eſſe negauerit*? Aut cur non, ſi in Falcidia id admittitur, cuius deductio fauorabilior longè eſt in perſona hæredis, in viceſsima non admittatur? Quibus ſanè rationibus moti, non defuerunt ex veteribus, qui exiſtimarēt, ſi hæres rem hæreditariam propriam eſſe, contenderit & conuincatur, *eius quoque Falcidiam non poſſe retineri*; vt ſcriptum eſt in *d.* §. *vlt.* hoc eſt, non tantùm viceſsima (in qua, ſi de Falcidia idem conſtaret, dubitari minùs poterat) ſed etiam Falcidiam ab hærede retineri non poſſe, & nihilominus hæredem, habita etiam eius rei ratione, quamuis legata ſit, viceſsimam de ſuo, Fiſco præſtiturum, ſicut & Falcidia eius rei, quam ſubtraxit, in Fiſcum cogitur, *d. l. reſcriptum* 6. *D. de his quæ vt indign.*

Sed

Sed Vlpianum, Macrumque ipſum fortior ratio mouiſſe videtur, & ſententiam hanc improbarent, & quidem rectè, vt tandem concluditur in extremo *d.* §. *vlt.* namque, vt illud largiamur, à Falcidia ad viceſsimam argumentum in hac parte valere, idque, quod in Falcidia quidam putabant, ſi in ea verum ſit, faciliùs in viceſsima admittendum; affirmari tamen, niſi abſurdè, non poteſt, nihil intereſſe, ſubtraxerit hæres, an hæreditariam rem eſſe, negauerit, & eamdem pœnam eſſe debere inficiationis, & furti. *Inficiando depoſitum*, ait Celſus, *nemo facit furtum, nec enim furtum eſt ipſa inficiatio, licet prope furtum eſt. l. inficiando 67. D. de furt.* in furto contrectatio, & ea quidem fraudulenta, cum clam, & obſcurò fit, interuenit. *l. 1. in princip. & §. 1. & ſeqq. l. vulgaris 21. §. Qui furti D. de furtis. l. ſæpe 53. §. vlt. D. de verb. ſignif.* in inficiatione ſolus animus verbis expreſſus ſine contrectatione, & quantò magìs palàm apertè, tantò à furto, fraudeque alienior præſumitur. *l. 3. §. Si rem D. de acquir. poſſ. l. ſi quis vxori 52. §. neque 19. D. de furtis.* Obtinuit autem fere in pleriſque, vt palàm delinquentes, tamquam errantes, maiori pœna excuſentur; clam committentes, vt contumaces, grauiùs plectantur, vt eleganter Paulus in *l. vlt. D. de ritu nupt.* iuncta *l. vlt. D. de effractorib.* ita, qui ex latere conſanguineam, quam, vetatur, aut affinem, quam, impeditur, vxorem duxerit, ſi palàm fecerit, leniùs, ſi clam commiſerit, grauiùs punitur *d. l. vlt.* Ita tutor clam, & latenter, aut per perſonam interpoſitam, & à pupillo emere, & pecuniam eius mutuam accipere prohibetur, palàm, aperteque non vtique. *l. non exiſtimo 54. D. de adminiſtr. tutor. l. pupillus 5.* §. *Item ipſe D. de author. tutor. l. 5. Cod. de contrah. empt.* Ita denique legatum, fideicommiſſumue, palàm incapaci relictum, in Fiſcum non cogitur, cum in tacitis contra ſit. *l. 3. in princip. &* §. 1. *D. de iure Fiſci. l. in tacitis* 103. *l. Lucius* 123. §. *vlt. D. de legat.* 1. & omnino, vt alibi Seneca *Epiſt. 95. Ex Senatus Conſultis, plebeiſque ſcitis ſæua exercentur, & publicè iubentur, vetita priuatim; quæ clam commiſſa capite luerent, tamen quia palàm fecere, laudamus*, niſi cui magìs placeat, *tamen, quia paludati fecere*, quæ vulgata, & probiſsima lectio eſt. Diuus Hieronymus in *Eſaiam cap.* 12. *In computatione duorum malorum, leuius eſt apertè peccare, quàm ſanctitatem ſimulare*; rectè itaque ex Vlpiano Macer affirmat, eum, qui rem hæreditariam eſſe palàm negauit, quamuis hæreditariam eſſe conuincatur, neque Falcidiæ, nec viceſsimæ deductione cariturum, quibus, ſi ſubtraxiſſet, careret, cum pœnales cauſæ, & odioſæ contrahi potiùs debeant, quàm ampliari; & interpretatione molliri, non aſperari. *l. cum quidam 19. D. de lib. & poſth. l. pen. D. de pœnis.*

Illud in *d.* §. *vlt.* adnotatu digniſsimum videtur, cur ſcilicet, cuiuſue emolumenti dulcedine pellectus hæres inficiari potuerit, hæreditariam eſſe rem legatam (de illa enim, non de hæreditaria ſimpliciter, quæſtionem proponi, indicat mentio Falcidiæ in *d.* §. *vlt.* quæ ex legatis rebus detrahitur) & propriam eſſe affirmauerit, cum, etſi propria hæredis eſſet, conſtet, eam vtiliter legatam eſſe, ſiue teſtator ſcierit, ſiue ignorauerit. *l. vnum 67.* §. *Si rem D. de legat. 2. l. hæredum 25. Cod. de fideicommiſſ.* & quidem ita, vt valeat legatum, etiam ſi ratio Falcidiæ 3

diæ

diæ legis interuenit. *l. pater* 14. §. *Quod auus. l. Falcidiæ* 24. §. *vlt. D. ad leg. Falcid.* Mihi, ne in alijs recenſendis morer, quæ poſt Accurſium, Cumanum, & Albericum recentiores tentarunt, iam pridem placitum cum Cuiacio, cum principalis quæſtio aliò ſpectet, ſupponendum eſſe in *d.* §. *vlt.* teſtatorem nominatim res ſuas legaſſe, aut etiam ſimpliciter rem per vindicationem, quo genere legandi, non niſi propriæ teſtatoris res, teſtamento relinqui poterant iure antiquo, teſte Vlpiano in *fragm. tit.* 24. *de legatis* §. *Per vindicationem* 7. *&* §. *Per præceptionem* 11. Caio *lib.* 2. *inſtit. tit.* 5. §. 2. *&* 3. Res autem aliena, aut hæredis, inutiliter per vindicationẽ legatur. *l. Stichus* 39. *D. de manum. teſt. l. tantùm* 88. *D. de V. S.* per damnationẽ verò poteſt. *l. Pomponius* 13. §. *Sed & legatario in fine D. de acquir. poſſeſſ. l. Falcidiæ* 24. §. *vlt. l. alienus* 61. *D. ad leg. Falcid.* eòque referendus, me pridem indice, ad legatum ſcilicet damnationis, Vlpiani locus, in quo Accurſius, & Albericus fluctuabant. *l. cum verò* 26. §. *vlt: in fine D. de fideicom. lib.* Non fuiſſe autem damnationis legatum in *d.* §. *vlt.* vel ex eo liquet, quod ſic otioſa de Falcidia ipſius rei quæſtio, & deciſio eſſet, cum in legatis per damnationem inficiando lis creſceret, & duplum ab hærede præſtaretur. §. *Ex quibuſdam Inſtit. de oblig. quæ quaſi ex contr.* tum etiam quia in legato per damnationem inepta indignaque veteribus illis iuriſconſultis, quos Macer refert, eſſet comparatio illa ſubtractionis, & inficiationis in verſ. *Quia nihil*; per ſubtractionem enim, re legata non extante, legatum intercideret, idque, quia egiſſe hæres videtur, punitur. Per inficiationem verò non intercideret, quin potiùs deberetur legatum per damnationem, quamuis rem legatam propriam hæredis eſſe conſtaret; vt ſupra diximus. Ergo ſi per vindicationem, vt ponimus, res hæreditaria legata ſit, eamque hæres, vt legatum euertat, ſuam eſſe contenderit, & conuictus ſit, adhuc Falcidiam, & viceſsimam retinebit, ex Vlpiani ſententia, quam Macer probat in *d.* §. *vlt.* Hodie ſanè ſeptempartito noſtro iure, quod & vulgatam lectionem *d.* §. *vlt.* & receptam veterum interpretationem ſequitur, contra ſtatuitur in *l.* 6. *tit.* 11. *part.* 6.

4 At reſtat adhuc, nec diſsimulandum, offendiculum, quippe quamuis verum, vetuſque ſit aſſertum illud ius de non legandis olim per vindicationem niſi rebus, quæ vtroque tempore teſtandi, & mortis fuerint in dominio teſtantis, ex iure Quiritium, de quo ſupra, cautum fuit tamen poſtea, vt quicquid minus pactis, ſeu legitimis verbis legatum eſſet, perinde haberetur, ac ſi optimo iure legatum eſſet, vnde & obtinuit, vt legata per vindicationem re, quæ non vtroque tempore teſtamenti, & mortis fuit teſtatoris, legatum ſubſtineretur, idque ex Senatus Conſulto Neroniano, cuius, non recenſentibus Antonio Auguſtino, & alijs Romanæ Nomotheſiæ concinnatoribus, teſtata mentio apud Vlpianum *tit.* 24. *de legat.* §. *Per præceptionem* 11. *verſ. ſi ea res.* Ex quo & Salmanticę ante ſex luſtra, Academica Orcheſtra annuente, de Agatheæ ancillæ per vindicationem legato ſubſtinendo in ea, quæ teſtamenti tempore teſtatoris non fuit, exponebamus Paulum in *l. filiæ* 28. §. 1. *D. de condit. & demonſtrat.* Sed amouebimus, nec morabimur, obicem, ſi obſeruetur, quantumcumque ſupponamus, legatum vindicationis, etiam ſi res non hæreditaria foret, conſtitutum, & ſubſtinendum ex

Q Ne-

Neroniano in *d. l.* 68. §. *vlt.* interfuiſſe tamen multùm hæredis, ſubſtineri tamquam legatum rei non hæreditariæ, & ex Neroniano, quia ſubſtineretur tamquam legatum, non vindicationis, quod iure ciuili non valeret, ſed damnationis, & rei alienæ, vt Vlpianus cenſet, aut ſentit. *d. tit.* 24. §. *Per præceptionem* 11. legati autem per damnationem, ſit licet, habeaturque eidem Vlpiano optimum ius, quia expeditius legato ſubſtinendo, *d.* §. 11. non eſt tamen perinde plenum, atque vtile legatario, ac vindicationis, imò vtilius hæredi, vel in eo ſaltem quòd in legatis damnationis, & fideicommiſsis, fructus, & emolumenta rei relictæ non pertinent ad legatarium, niſi poſt litem conteſtatam, vel, ſi ante eam mora facta ſit, ex die moræ, & ea non antecedente percepti, ſunt hæredis. *l.* 3. *l. equis* 8. *l. reſpondit* 14. *l. equis* 39. *l. Herennius* 42. *D. de vſuris. l. quæſitum* 91. §. *vlt. D. de legat.* 1. *l. quod ſeruus* 38. *l. ſi quis ſeruo* 84. *l. Titia* 87. §. 1. *D. de legat.* 2. *l. Patronus* 35. *D. de legat.* 3. *l.* 1. & 2. *l. vlt. Cod. de vſuris & fruct. legatorum*, in qua verba illa, *ſiue in rem agatur*, referenda eſſe non ad vindicationem, ſed ad remedium miſsionis in rem, quod fuit proprium fideicommiſſorum, monui pridem ex Paulo *lib.* 4. *ſent. tit.* 1. §. *Rem*, & §. *pen.* & *vlt. l.* 1. *Cod. commun. de legat.* E contra autem rei per vindicationem legatæ, fructus, emolumentaque pertinent ad legatarium, vtpote dominum à tempore mortis, etiam ante moram hæredis. *l. ſi dominium* 47. *l. ſi is qui* 66. §. 1. *iuncta l. à Titio* 64. *D. de furtis. l. huic ſcripturæ* 15. *D. ad leg. Aquil.* iuncta *d. l. Herennius* 42. *D. de vſuris*, ſiue, quod idem eſt, ex die aditæ hæreditatis, cum retrotractione ad tempus mortis. *l. ſi tibi* 86. §. *Cum ſeruus. l. nihil* 120. §. *vlt. D. de legat.* 1. excepto ſcilicet caſu *l. quæſitum* 45. *D. de acquir. rer. domin. verſ. quia etſi*, vbi ad rem Cuiacius, quamuis differentiam propoſitam ille idem alibi, & alij non ſatis extricent, de qua tamen, & alijs, in queis fauorabilius, quàm vindicationis, legatum damnationis hæredi, ideoque & illius intererat, ſubſtineri tamquam damnationis, & rei non hæreditariæ, in *dict.* §. *vltim.* Plura nunc nec licet, nec libet; ſed an & Viceſsimam colliment verba illa, *quod ad Falcidiam pertinet*, in *l. ſerui.* 43. *D. ad leg. Falcid.* deliberamus nunc, & dicemus fortaſſe *lib.* 4. *reliquatione* 17. in extremis.

Eſt & aliud, ignotum, puto, hac- 5.
tenus, Viceſsimæ veſtigium apud Vlpianum, in *l.* 2. §. *Si quid* 16. *D. de hæred. vel act. vend. credimus, an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?* Somnium erit fortaſſe: ita tamen iam pridẽ in mentem venit, cum Vlpiani ſententiam expenderem attentiùs: quæſtio hæc eſt, an venditor hæreditatis, ſi quid, publici vectigalis nomine, præſtiterit, recuperare ab emptore poſsit; ambigendi ratio ex eo, quòd placuit, hæredem rerum hæreditariarum vectigalia ſoluere cogi. *l. cum ſeruis* 39. §. *hæres D. de legat.* 1. *l. commiſſa* 14. *D. de publicanis*, quamuis, ſi res legatæ ſint, legatarius quoque, vtpote poſſeſſor, præteriti temporis tributum agnoſcere debeat *l. prædijs* 36. *D. de iure Fiſci. l.* 2. *Cod. de annon. & tribut. lib.* 10 *l.* 2. *Cod. de fundis rei priuatæ. lib.* 11. eoque nomine conueniri à Fiſco poſsit *l. cum poſſeſſor* 5. §. *vlt. D. de cenſibus.* Dum tamen ſi reliqua ſint præteriti temporis, quæ Fiſco legatarius ſoluit, indemnis ab hærede ſeruetur, quemadmodum eodem exemplo

plo emptori, ſi ignorauit ob vectigal præteriti temporis ſolutum, aduerſus venditorem actio datur *d. l. cum poſſeſſor* §. *vlt. l. Imperatores* 7. *D. de publicanis. l. in venditione* 41. *D. de action. empt.* iuncta *l. ſi minor* 9. *Cod. eod. tit.* ſin autem ſint tributa eius ipſius temporis, quo legatarius poſſidet, omnimodò ad ipſius onus pertinent, nec regreſſum aduerſus hæredem habet. *l. vſusfruct.* 7. §. *Hactenus in fine. l. ſi pendentes* 27. §. *Si quid Cloacarij D. de vſufruct. l. quæro* 28. *D. de vſufruct. leg.* niſi ſcilicet ea quoque ab hærede dependi, teſtator iuſſerit. *l. vſufructu* 52. *D. de vſufruct. l. inter* 42. *D. de pactis. l. qui quatuor* 30. §. *Qui hortos D. de legat.* 3. Ergo in quæſtione propoſita in *d. l.* 2. §. *Si quid*, cum vectigal illud publicum fuerit onus hæreditarium, vt Vlpianus fatetur, debuit omnino à venditore, eodemque hærede præſtari, nec ſi præſtiterit, vlla ei, eo nomine, actio contra emptorem dari poteſt. Sed Vlpianus contra reſpondet, aitque, agnoſcere emptorem venditori, qui præſtitit, etiam hoc vectigal debere, *namque hæreditaria*, vt inquit, *onera hæc etiam ſunt*; hoc eſt, quia quamuis in ſpeciebus alijs, quarum meminimus, vectigalium onus hæredi, aut venditori iniungatur, idcircoque in propoſito etiam venditor hæreditatis, vtpote hæres conueniri, vectigalis nomine, à Fiſco potuerit, & præſtiterit, debet tamen ab hæreditatis emptore indemnis ſeruari, eique emptor onus hoc agnoſcere, quoniam vendita hæreditate, & ſtipulationibus emptæ, & venditæ hæreditatis interpoſitis, illud agitur, vt quemadmodùm ad emptorem hæreditatis omnia commoda transferuntur, ita viciſsim ipſe onera hæreditaria ſubſtineat. *l. in illa* 50. §. 1. *D. de verborum obligat. l. cum ſtipulamur* 97. *D. de verbor. ſignifi. l. liber* 20. §. 1. *D. de ſtipul. ſeru. l. quiſquis* 95. *D. de legat.* 3. *l. hæredem* 14. §. *vlt. D. mandati. l. ſi creditor* 37. *D. de pecul. l.* 2. §. *Cum quis* 18. *D. de hæred. vel act. vend.* Eſt autem hoc vectigal onus hæreditarium, vt appoſitè Vlpianus ratiocinatur in *dict. l.* 2. §. *Si quid* 16. illud interim ad rem notamus, mentionem vectigalis publici, & quæſtionem totam propoſitam in *dict.* §. *Si quid* 16. referri commodiſſimè poſſe, & debere ad viceſſimam hæreditatis, quam venditor, idemque hæres, Fiſco præſtiterit. Sunt certè & alia vectigalia publica, quæ, rerum hæreditariarum nomine, Fiſco præſtantur. Cui tamen propriè magis, quàm viceſsimæ noſtræ, publici vectigalis, propter hæreditatem debiti, generalis deſcriptio congruat, quodue potiùs vectigal, ἀντονομαστικῶς onus hæreditatis dici poſſit, ego non video. Accedit quod in fine *dict.* §. *Si quid*, Vlpianus ſubiungit, idem eſſe dicendum, etſi fortè tributorum nomine, quibus ſcilicet obnoxiæ res hæreditariæ eſſent, venditor hæreditatis quid dependerit. Proinde, ne otioſè eadem inculcaſſe Vlpianus videatur, intellexit procul dubio in principio, ſingulari vectigalis publici appellatione, vectigal aliquod, quod ipſius hæreditatis proprium onus eſſet. Quod autem tale potiùs, quàm viceſsimæ neceſſarium vectigal? Vt Paulus loquitur *lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. §. *vlt.*

Porrò, ne quiſpiam ſententia, & interpretatione noſtra *dict. l.* 2. §. *Si quid* 16. in praxi abutatur, adnotandum breuiter eſt, hodie moribus noſtris ex venditione hæreditatis decimam pretij, quam Gabel- 6

bellam vocamus, Fiſco deberi, vt admonuerunt ex noſtratibus, Parlador. *lib.* 1. *rerum quotid. cap.* 3. §. 6. *num.* 43. Laſſarte *de decima vendit. cap.* 9. *numer.* 38. Gironda *de Gabell.* 11. *part. numer.* 9. Gutierrez *eod. tract. lib.* 7. *pract. quæſt.* 61. *num.* 6. & quidem ſoluendam à venditore, ad cuius onus regulariter Gabella pertinet. *l.* 1. *tit.* 17. *lib.* 9. *compilat.* ſic tamen, vt pro immobilibus rebus hæreditarijs in his locis, in quibus ſitæ ſunt, dependatur Gabella. *l.* 9. *tit.* 17. *lib.* 9. *compilat.* pro cæteris autem, iuxta varietatem locorum, in quibus venditæ, aut traditæ, aut venditionis tempore conſtitutæ, iuxta formam *l.* 5. *titul.* 17. *lib.* 9. *compilat.* notant Laſſarte *de decima vendit. cap.* 4. *num.* 39. Gutierrez *de Gabellis quæſt.* 112. *numer.* 11. Proinde quæri nouè, & dubitari poteſt non inſubtiliter, an venditor hæreditatis, qui vectigal hoc pretij iam dependit, recuperare id ab emptore poſsit. Et ſanè ſi ſtipulationes emptæ, & venditæ hæreditatis, ſi genus ipſum venditionis, ſi ſententiam Vlpiani in *dict. l.* 2. §. *Si quid* 16. dumtaxat intuemur, decisa res videtur, & affirmandum, emptorem hoc etiam Gabellæ onus agnoſcere, & venditori ſarcire debere, ſicut & commoda hæreditatis percipit, idque non tantùm exemplo aliorum tributorum, de quibus in *d.* §. *Si quid* 16. ſed etiam publici vectigalis viceſsimæ, à qua toties in alijs quæſtionibus ad Gabellam noſtram vtiliter argumenta collegimus, & colligemus. Mihi tamen (dicam quod ſentio) longè alia ſententia ſedit, nam cum Gabella noſtra ſit decima pars pretij venditionis, cui propriè hoc onus imponitur. *l.* 1. *tit.* 17. *lib.* 9. *compilat.* conſequens eſt, prꝺſtari eam omnino debere à venditore hæreditatis, qui eiuſdem pretium percipit, atque ita quidem, vt ab emptore, quod, Gabellæ nomine ſoluerit, non recuperet per actionem ex empto, aut ex ſtipulatu emptæ, & venditæ hæreditatis; quoniam, vt appoſitè ad rem de quinta, & viceſsima venalium mancipiorum ſcribit Tacitus *lib.* 13. *annal. Vi ipſa, dum venditor pendere iubetur, in partem pretij emptoribus accreſcit.* Nec mouemur exemplo aliorum tributorum, aut viceſsimæ, quæ in hac quæſtione à Gabella noſtra nimiùm quàm diſcrepant; quippe tributa alia ſunt onera rerum hæreditariarum, aut certè hæreditaria, & ipſius hæreditatis onera, ſicut viceſsima, de qua ita ſcriptum eſt in *d.* §. *Si quid* 16. proinde æquum eſt, emptorem hæreditatis hæreditaria hæc onera ſubire, & à venditore ſuſcepta ei ſarcire, cum ad emptorem cum hæreditate ipſa rerum hæreditariarum commoda transferantur. At Gabella venditæ hæreditatis non eſt onus hæreditatis ipſius, ſed pretij, nec à venditore exigitur, tamquam onus hæreditarium, ſiue quia hæres eſt, ſed tamquam onus pretij, & quia vendidit.

CAP.

CAPVT XIII.

AD LEG. DECEM. 6. D. DE FIDEICOMMISSARIIS libertatibus.

ARGVMENTVM.

DE exceptionibus rerum, & perſonarum, quæ à viceſsima immunes. Prima in relictis, pietatis intuitu. Talis olim præceptio ponendi ſigni Dei in *l. Titia* 38. *§. vlt. D. de auro, & arg. leg.* Non exaudienda ea de ſigno Crucis. Referenda potius ad ſigna, & ſimulachra Deorum gentium. Legandi ea, & teſtamento poni iubendi, mos illuſtratus. Oblationes, & dona Dei quęnam apud Conſultos. Ponebantur *ſine vlla deductione XX.* Elucidata ea formula ex Seneca, & Marmoribus Aſtigitanis. Occaſio inde commentationis ad Paulum in *d. l. decem* 6. Prioris partis ſententię quorumdam in *d. l.* obſeruatus Author Marcellus in *l. in teſtatoris* 34. *D. ad l. Falcid.* Item in *l. planè* 35. *eodem tit.* Viceſsimæ veſtigium, nouaque nota in ſeruo teſtatoris legato, vt manumittatur, ceſſat Falcidia, non autem in legatarij ſeruo, aut alieno ex Marcelli, & Mæciani mente: & quare? Diſſenſio eorum à Paulo in *d. l. decem 6.* & in *l. Sed ſi non 36. ad leg. Falcid.* Tentata conciliandi ratio, & reiecta. Ad poſteriorem partem ſententię quorumdam in *d. l. decem* 6. Notatus Scholiaſtes Baſilicon. Fortaſſe an auctor huius etiam ſententiæ Marcellus? Expenſa, & explanata *lex generaliter* 24. *§. Si quis alienum D. de fideicommiſſ. libertat.* Num & veſtigium eius opinionis in *l. ſi libertus* 41. *D. de bonis libert.* Affirmatum, non eſſe, & expoſitus Papinianus in *d. l.* 41.

1 SEd hem, pergamus iam, & exceptiones rerum, perſonarumque, quæ à viceſsima immunes, ſaltuatim attingamus. Et ex his, quædam ipſius relicti genere, cauſæque fauore nituntur, qualis illa tenuis hæreditatis, cuius meminimus ſupra *cap.* 10. quædam verò ob ſingularem perſonarum, quibus relictum eſt, prærogatiuam, viceſsimæ non ſubijciuntur. Inter priores primatum velut obtinet invulgata adhuc, ignotaque, vel melioris notæ Interpretibus obſeruatio, qua ducente, didicimus ex legatis, fideicommiſsiſue, pietatis intuitu, ſiue, vt vulgò loquuntur, *ad pias cauſas* relictis, viceſsimam deduci non ſolere, putà ſi, vt alibi Scæuola proponit, teſtatrix ſignum Dei ab hæredibus fieri, & in publico loco ſtatui, iuſſerit. *l. Titia* 38. §. *vlt. D. de auro, & argent. leg.* vbi quod *ſignum Dei* nominatur, *Crucem* exaudiunt, redduntque ex Latinis Hugo, vetus Gloſſographus apud Accurſium, & Græci omnes magno aſſenſu, ſi credimus Theodoro Balſam. in *Nomocanone Photij tit.* 12. *cap.* 1. ſic enim *Dei ſignum*, Crucis venerandum trophæum in Cæſarum Conſtitutionibus vocari ſolet. *l. vlt. §. Sin autem 2. Cod. de iure deliber. l. Iudæos* 11. *Cod. de Epiſcop. & Cleric. l. vlt. de Pagan. Sacr. in Cod. Thodoſ. Nouell.* 5. *de Monachis cap.* 1. *& in Rubrica Cod. Nemini licere ſignum Saluatoris Chriſti humi, vel in ſilice, vel marmore ſculpere, aut pingere,* quia tamquam Teſſera, Vexillumque Chriſti Induperatoris, ſeu potius, quia omnes Dei conſtitutiones, quantas accepimus, hoc veluti Regio ſigillo, annuloq; ſignamus, vt eleganter apud Cuia-

cium Chryſoſtomus; & illuſtrat ex alijs eximius noſtri æui iuriſconſultus, multiſque nominibus noſter, D. Ioannes à Solorçano Pereyra *lib.* 1. *de Indiar. iure cap.* 15. *num.* 45. Sed id, quod attinet ad *leg. Titia* 38. §. *vlt.* alienum valde eſt à mente Scæuolæ, moribuſque eius ſæculi, quo, quis credat, niſi qui non dum ære lauatur, Idololatria paſsim vigente, ethnicíſque Cæſaribus in Chriſtianos ſæuientibus, teſtatricem fuiſſe, quæ iuberet, Crucis ſignum publicè in patria, Ædeque ſacra poni, & Scæuolam reſpondiſſe, ponendum? Rectiùs itaque cum Accurſio Albericus, tametſi in alijs miſerè cæcutientes, Dei ſignum accipiunt de imagine, putà Iouis, Herculis, aut alterius ex gentium Dijs, quorum ſigna, ſimulachraque expreſſo argenti, vel auri pondere, publicè collocari iubere, eoque nomine hæredes damnare, frequens fuit teſtatoribus Romanis. *l. Quintus* 7. *verſ. ad authoritatem D. de ann. leg. l. cum quidam* 17. §. *vlt. D. de vſuris. l.* 5. *D. de operib. public. l. Seia* 6. §. *vlt. D. de auro, & arg. leg. Statius Papin. lib.* 5. *Syluar. in carmine*, cui titulus, *Abaſcantij in Priſcillam pietas*, vbi hanc, veluti teſtamenti Priſcillæ partem, inſerit, doctiſsimo Lipſio 1. *electorum cap.* 9. emendatam; quem illaudatum Bernartius exſcribit.

. . . . . . Tu, limite capto,
Tende libens, ſacrumque latus, Geniumque potentem
Irrequietus ama, & quod cupis ipſe iuberi,
Da Capitolinis æternum ſedibus aurum,
Quo niteant ſacri centeno pondere vultus
Cæſaris, & propriæ ſignet cultricis amorem.

Clarius id ex Inſcriptionibus, monumentiſque priſcis, in quibus paſsim hæ iuſsiones occurrunt, ad exemplum *d.* §. *vlt.* & cum ſolemni nota illa, T. P. I. hoc eſt, *teſtamento poni iuſsit*, quemadmodum & vxoribus mariti donare ſoliti ad oblationem Dei, ſiue vt donum Deo darent, conſecrarent. *l. ſi ſponſus* 5. §. *Proinde etſi maritus D. de donat. inter.* quæ Dei dona dicuntur in *l.* 4. §. 1. *l. ſacrilegij* 6. *D. ad l. Iul. peculat.*

Ergo, vt iam à diuerticulo in viam, ſi Dei ſignum, ſimileve quid ab hærede publicè collocari teſtator iuſſerit, aut in aliud pietatis opus legauerit, hæres ex legato viceſsimam non deducebat, quia nec ea tunc Fiſco debebatur, idcircoque ſine vlla deductione viceſsimæ, & teſtatores poni iubere, & heredes poſitum teſtari, in ſubſcriptione dedicationis moris fuit: vtriuſque rei fidem mihi faciunt Hiſpanienſia marmora duo, qui Aſtigi hodie viſuntur in pariete maioris Delubri Diui Franciſci, è Regione Aſtigitani fori. Primus ſic habet. CÆCILIA. TROPHIME. STATVAM. PIETATIS. TESTAMENTO. SVO. EX. ARG. P. C. SVO. ET CÆCILII. SILONIS. MARITI. SVI. NOMINE. PONI. IVSSIT. D. CÆCILIVS HOSPITALIS. ET CÆCILIA D. F. MATERNA. ET CÆCILIA. PHILETE. HÆREDES. SINE. VLLA. DEDVCTIONE XX. POSVER. Alter, huic ſimilis, ſic. P. NVMERIVS. MARTIALIS. ASTIGITANVS. SEVIRALIS. SIGNVM PANTHEI. TESTAMENTO. FIERI. PONIQVE. EX ARGENTI. LIBRIS. C. SINE VLLA DEDVCTIONE IVSSIT. Videntur verò hæc verba, *ſine vlla de-* 2

ductione, vſurpata in hac re, tamquam ſolemnia (tametſi prætermiſſa, quod miror, diligentiſsimo formularum concinnatori Briſonio) ad quæ veluti alluſit Seneca noſter *lib. 2. de benefic. cap. 4. Hæc itaque curæ habebis, ſi gratè æſtimari, quæ præſtabis, voles, vt beneficia tua illibata, vt integrà ad eos, quibus promiſſa ſunt, perueniant, ſine vlla, quod aiunt, deductione.*

4 Nec, exceptione hac firmanda, domeſticis deficimur teſtimonijs iuris auctorum; hinc enim lucem accipit, ac viciſsim ei præbet Pauli locus, in *l. decem 6. D. de fideicommiſſ. lib.* in quo illuſtrando, ſimulque implicatiſsima inter veteres quæſtione explicanda, ero fortaſſe longior, cum gratia tamen, ſcio, ſpero & cum fructu iuuentutis, cui conſultum it hæc ſcriptio. Species hæc eſt: decem Titio legata ſunt, rogatuſque ille, Stichum alienum ſeruum emere, & manumittere, finge Falcidiæ legi in teſtamento eius, qui decem legauit, locum eſſe, & tamen Stichi dominum minoris, quàm decem, eum vēdere nolle. Ambigua inter prudentes quæſtio fuit, in qua, quoſdam exiſtimaſſe, Paulus ait, legatum decem per Falcidiam diminui, ac dodrantem dumtaxat legatario ſoluendum eſſe, nec eum cogendum manumittere, quia non tantum acceperit, quantò redimere Stichum poſſit. Idemque eſſe affirmabant, ſi legatarius ſeruum ſuum manumittere rogatus eſſet; namque & hoc caſu ſi ex decem legatis dodrantem tantum acceperit, non cogetur ſeruum ſuum manumittere, qui ſit decem, vel longè pluris. Huius verò ſententiæ, quam quibuſdam, ſuppreſſo illorum nomine, Paulus tribuit, quod ad priorem eius partem attinet, de Falcidia ex legato decem deducenda, præcipuus author fuiſſe videtur Marcellus in his *Notis*, quas ad Iulianum ſcripſit, *lib. 42. Digeſtorum*, in quo, cum Iulianus non omnino diſsimilem ſpeciem tractaſſet, quæ proponitur in *l. ſi mihi Stichus 97. D. de leg 2.* & ſubiunxiſſet, quod ex eodem forſitan Iuliani libro Valens refert in *l. ſi minor 34. D. de minoribus*: his, alijſque ſimilibus, quæ ad eamdem rem pertinentia *lib. 42. Digeſtorum* Iulianus ſcripſerat, adiecit notam illam Marcellus, quæ extat in *l. in teſtatoris 34. in vulgatis. l. Iulianus notat D. ad leg. Falcid. In teſtatoris*, inquit, *ſeruo non erit Falcidiæ locus; ſi verò pecuniam, aliudue quid legauerit, fideique legatarij commiſerit, vt alienum ſeruum, vel legatarij manumitteret, locus erit.* Extat & in *Synopſi Baſilicon lib. 41. tit. 1. cap. 32.* ſentit nempe Marcellus, quod dici ſolet, & Iulianus forſitan indicauerat, ſeruo legato, vt manumittatur, Falcidiam ceſſare, quod & Senatus cenſuit, teſte Paulo in *l. ſi ſeruus 33. D. ad leg. Falcid.* (niſi ſcilicet, præter ſeruum, aliud quid ipſi ſeruo manumittendo, aut legatario, vel eius ſeruo legetur, quo caſu ex eo, quod præterea legatur, vtriuſque legati quarta deducitur. *l. ſed duobus 5. §. 1. D. de leg. 2. l. ſed ſi non ſeruus 36. §. Si ſolus. l. cum quo 56. §. Stichum. D. ad leg. Falcid. l. ſi legatario 22. D. de fideicommiſſ. libert. Et in eo, quod præterea legatum eſt, Falcidia ità admittitur, vt inde & quod pro ſeruo præſtandum eſt, ſumatur*, hoc eſt, vt deducatur etiam quod, viceſsimæ nomine, pro ſeruo Fiſco præſtandum eſſet, niſi manumittendus legaretur, quomodò propriè forſitan magis, quàm vulgò ſolent, ſuperiora verba exaudienda in *l. planè 35. D. ad leg. Falcid.*) hoc, inquam, verum eſſe in ſeruo teſtatoris legato, quia cum ante

tur, ſemper in legato decem Falcidiam patitur, & nihilominus cogitur manumittere, quoniam, quamuis pluris ſit ſeruus, quàm ex legato capiat, tanti tamen videtur æſtimaſſe, vt apertè Paulus ſcribit in *d. l. ſed ſi non ſeruus* 36. *D. ad leg. Falcidiam*; iuncta *d. l. decem* 6. *verſ. videamus. l. ſi legatario* 22. *l. ſi debitor* 45. *§. In fideicommiſſaria D. de fideicommiſſar. libert. l. ſi ea* 13. *Cod. ad leg. Falcid.* Proinde verius eſt, & Marcellum, vt diximus, ſenſiſſe in *d. l. in teſtatoris* 34. & ſententiam eius, quoad alienum ſeruum, temperari, ſiue corrigi à Paulo in *d. l. ſed ſi non ſeruus* 36. & in *d. l. decem* 6. *in fine*, de quo poſtea.

5 Sed & quod ad ſecundam partem attinet ſententiæ quorumdam, relatæ à Paulo in *d. l. decem* 6. notanda in primis eſt Græci Baſilicon Interpretis oſcitantia ad *libr.* 48. *titul.* 4. *in dict. l.* 6. vbi ſcribit, Paulum fuiſſe, qui diceret, eum, qui iuſſus eſt manumittere, etiam ſi ſuum ſeruum, ſi dodrantem legati tantùm acceperit, non cogi manumittere; inconſpectè ſanè, cum eam ſententiam alijs ipſe Paulus adſcribat in *d. l.* 6. ibi: *Ibidem putant*, quam & ipſe in ſequentibus apertè repudiat, & in *d. l. ſed ſi non ſeruus* 36. *D. ad leg. Falcid.* ergo ſi diuinare licet, ego potiùs tentari poſſe, puto (neſcio an audenter) eius etiam authorem Marcellum fuiſſe, qui in *d. l. in teſtatoris* 34. poſtquam priorem illam partem expreſsit de deductione Falcidiæ, adiecit etiam, ni fallimur, poſteriorem, nempe legatarium, qui dodrantem ſolùm accepit, nec ſuum ſeruum manumittere, nec alienum emere, vt manumitteret, cogi poſſe. Idque ita (quamuis à Triboniano prætermiſſum in *d. l. in teſtatoris* 34. quò magìs veterum diſſenſionis veſtigia confunderet) ſenſiſſe Marcellum mihi colligi poſſe, videtur, ex *l. generaliter* 24. *§. Si quis alienum* 12. *D. de fideicommiſſ. libert.* Vbi cum quis alienum, ſuumue ſeruum manumittere rogatus eſſet, minuſque ſit in eo, quod iudicio teſtatoris accepit, plus verò in pretio ſerui (finge legatum eſſe decem; ſeruum verò duodecim, vel pluris) Marcellus ſcripſiſſe, dicitur, etiam ſi legatum agnouerit, non tamen aliter alienum ſeruum manumittere cogi, quàm ſi tanti poſsit redimere, quantum ex iudicio teſtatoris conſecutus eſt. Et tamen eo caſu, dubitari magìs poterat, an adhuc emere, & manumittere cogendus eſſet, quia qui iudicio teſtatoris minus accepit, quàm ad pretium ſerui ſufficeret, idque cum ſciret, agnouit, ipſe ſe oneri ſubieciſſe, videbatur, & tam apertè voluntatem probaſſe, idipſum accipiendo quod relictum erat, vt eam poſteà improbare non poſſet. Ergo quo caſu minor dubitandi ratio eſt, veluti cum ponimus iudicio teſtatoris tantum relictum, quantum pretio ſerui ſufficeret, ac poſt facto, inducta Falcidiæ ratione, imminutum legatum eſt, & dodrantem dumtaxat legatarius accepit; faciliùs vtique Marcellus ſenſit, legatarium, qui iudicium teſtatoris ſecutus, minus in legato per Falcidiam minuto accepit, quàm ex iudicio ſperauit, minuſque quàm in pretio ſerui eſt, non cogendum eſſe manumittere. Argumento ex *dict. l. generaliter* 24. *§. Quòd ſi legatum D. de fideicommiſſar. libertat. l. ſi verò* 8. *l. Paulus* 46. *D. de bonis libertor.* nec dumtaxat alienum ſeruum, ſed nec ſuum, de quo etiam Marcellus ipſe loquitur in *dicta lege*

in teſtatoris 34. ſicut, & quidam illi apud Paulum, in *d. l. decem* 6. Nec quod ad proprium legatarij ſeruum attinet, repugnat ſibi ipſi Marcellus, ſic acceptus apud Vlpianum, in *d. l. generaliter* 24. §. *Si quis alienum*, cuius haud ſatis integra ſumma extat in *Ecloga, ſeu Synopſi Baſilicon lib.* 48. *tit.* 1. *cap.* 25. Docet, alienum quidem ſeruum non cogi legatarium emere, & manumittere, ſi iudicio teſtatoris minus acceperit, quàm redimendo ſeruo ſufficeret, ſuum verò ſeruum omnimodò manumittere cogi, cum legatum acceperit. Id enim meminiſſe oportebit, à Marcello proponi, cum ab initio minus relictum eſt iudicio teſtantis, quàm in pretio ſerui ſit, in qua ſpecie dubium non eſt, quin ſuum ſeruum manumittere omnino debeat, qui ſemel iudicium teſtatoris agnouit, & quantum ſperauit, totum non imminutum accepit, quia, & videtur accipiendo, tanti ſeruum ſuum, quamuis pluris ſit, æſtimare. Quæ ratio ceſſat in alieno ſeruo, quia non perinde illius, ac proprij, legatarius cenſetur arbiter, atque æſtimator. *l. in re mandata* 21. *Cod. mandati. l. ſed ſi non ſeruus* 36. *D. ad leg. Falcid.* At cum legato per Falcidiam minuto dodrantem eius legatarius accepit, ſeptem putà, & ſemiſſem, ex decem, quæ legata erant, aliud fuit Marcelli iudicium, exiſtimauitque, nec ſuum, nec alienum ſeruum manumittere legatarium cogendum, eo colore, quia, qui integrum id, quod iudicio teſtantis relictum fuerat, ſe accepturum ſperauit, *alia contemplatione agnouit legatum, quod ex inopinato deminutum eſt.* Vt in re ſimili Vlpianus ſcribit in *d. l. generaliter* 24. §. *Quod ſi legatum* 16.

Aliud etiam extare, Cuiacius autumat opinionis quorumdam veſtigium *in recitacionibus ad Papinianum lib.* 12. *quæſtionum ad l. ſi libertus* 41. *D. de bonis libert.* in eo, quod Papinianus illic proponit, Patronum à liberto ex debita parte inſtitutum, & ei præterea decem legata, rogatumque manumittere ſeruum proprium, qui ſit decem, vel minoris pretij, iniquumque eſſe ait, & legatum velle ſuſcipere, & libertatem ſeruo non dare, quaſi ſcilicet à contrario ſenſu Papinianus ſignificet, ſi ſeruus proprius pluris ſit, quàm decem, quæ Patrono, vt manumitteret, legata ſunt, æquum non eſſe, eum cogi manumittere, quamuis legatum acceperit. Quod in Patrono quidem, de quo Papinianus in *d. l. ſi libertus* 41. rectè colligitur, quia cum non poſſit portio verecundiæ Patronalis debita relictis onerari, vel minui. *l. ſiue* 21. §. 1. *& ſeqq. D. de iure Patron. l. cum Patronus* 28. *D. de legat.* 2. *l.* 1. §. *Interdum D. ſi cui plus, quàm per leg. Falcid. l. Patronus* 60. *D. ad S. C. Trebell. l. ſi Patronus* 45. *D. de bonis liber. l. ſi Patronus* 20. *D. de donat. l. quia autem* 6. §. *Si Patronus D. ſi quis omiſſa cauſa teſtam.* iniquum eſſet cogi Patronum ex parte debita inſtitutum, cui decem legata ſunt, proprium ſeruum manumittere, niſi ille decem ſit, vel minoris pretij, & quantitas emolumenti, quæ ad Patronum ex iudicio liberti peruenit, reſpondeat pretio ſerui, quem rogatus eſt manumittere, vt in minore Vlpianus ſcripſit in *l. ſi rogatus* 20. *D. de manumiſſ. vindicta.* iuncta *leg. ſi minor* 33. *D. de minoribus. l. tutor* 26. *D. de liberat. leg.* In alijs verò legatarijs præter Patronum, & quidem extra terminos diminutionis Falcidiæ, quos Papinianus non attingit in *d. l. ſi libertus* 41. nec Marcellus quidem dubitaret, cogendum eſſe legatarium ſe-

ſemel legatum decem agnoſcentem, manumittere ſeruum proprium, qui ſit pluris, quam decem, quæ ei relicta iudicio teſtatoris ſunt. *d. l. generaliter* 24. §. *Si quis alienum.* Et multò minus Papinianus, qui generaliter, conſtanterque auctor fuiſſe eius ſententiæ, videtur, vt ſiue iudicio teſtantis, ſiue propter Falcidiæ deminutionem, legatarius minus in legato accipiat, quàm ſit in pretio proprij ſerui, quem manumittere, aut alterius rei propriæ, quam reſtituere rogatus eſt, cogatur nihilominus, ſi legatum agnouit, vel manumittere, vel reſtituere, quia quamuis pluris ſit, non pluris æſtimaſſe videtur. *l. Imperator.* 70. §. *Si centum in fine D. de legat.* 2. *l. ſi legatario* 22. *D. de fideicomm. libert.*

CAPVT XIV.

AD DICT. LEG. DECEM 6. CONTINVATA explicatio Pauli.

ARGVMENTVM.

PErgimus à ſententia quorumdam ad propriam Pauli. Vox, *videndum*, non dubitantis, ſed modeſtè affirmantis eſt. Legatarius decem, ſi dodrantem accepit, cogitur ſeruum proprium manumittere, quamuis pluris ſit. Ita etiam in alieno ſeruo Mæcianus in *l. pœnales* 32. *§. vlt. ad l. Falcid.* An audiendus legatarius, paratus dodrantem reddere? Affirmaſſe Vlpianus videtur in *l. generaliter* 24. *§. Quod ſi legatum de fideicommiſſ. libertat.* Negat, notatque tacitè Vlpianum, Paulus in *d. l. decem* 6. Compoſita ea, & expoſita cum eiuſdem Pauli nota ad Mæcianum in *d. l. Sed ſi non* 36. *§.* 1. *ad leg. Falcid.* Et vniuerſim redacta ad diſtinctionis Calculos tota hæc quæſtio. Obſeruata voxa viceſsimæ in *d. l. decem* 6. Cur non exacta ea ex legato decem, vt manumittatur ſeruus? Falcidiam prohibere, teſtatori non licuit antiquo iure: licuit vicesſimam: & cur tam varie? Legati pij à viceſsima immunitas, firmata exemplo impenſæ funeris, & ſiliquatici. Promota eadem ad praxim Gabellæ venditionis. Hæc quatenus ex venditis pro expiatione animæ, aut ſumptu funeris debeatur, diſtinctè traditum, breuiterque.

1 HÆc illuſtrandæ, & eruendæ, quatenus coniecturis licet, eorum ſententiæ, quæ proponitur in principio, *d. l. decem* 6. ſubiungit deinde Paulus ibidem: *Videndum eſſe, ne vtique aliud dicendum ſit in hac ſpecie*; in hac ſcilicet, quam vltimam poſuerat, quando quis ſeruum proprium manumittere rogatus eſt, & dodrantem ex legato decem accepit. Porrò hæc verba, *videndum vtique*, non dubitantis ſunt, ſed modeſtè affirmantis, & decidentis, quibus ſæpe noſtri Authores vtuntur, vt Duareno, & aliis notatum. *l. videamus* 26. *D. de ædil. edicto. l. vlt. D. de eo, quod certò loco. l.* 4. §. *Cato D. de verbor. obligat. l. in perſonam* 30. *D. de pactis. l. habere* 57. §. 1. *D. de euict. l. poſtquam* 43. *D. de hæred. petit.* ſignificat itaque in hac poſtrema ſpecie, contra quorumdam ſententiam, cuius meminerat, omnimodo cogendum legatarium, manumittere proprium ſeruum, quia quamuis pluris ſit dodrante legati, quem accepit, non tamen pluris eum æſtimaſſe creditur, vt Paulus idem probat in *l. ſed ſi non ſeruus* 36. *D. ad leg. Falcid.* iuncta *l.*

l. Imperator 70. §. *Si centum in fine D. de legat.* 2. *l. generaliter* 24. §. *Si quis alienum. l. ſi debitor* 45. §. *In fideicommiſſaria D. de fideicom. lib. Sed in ſuperiore*, hoc eſt etiam in ſuperiori ſpecie, cum quis ſcilicet alienum ſeruum emere, & manumittere rogatus eſt, *ſunt qui putant*, ait Paulus, *cogendum legatarium redimere ſeruum, & ſe oneri ſubieciſſe, dum accipit vel dodrantem.* Ita certè putat Mæcianus, cuius perſpicua in hanc ſententiam verba extant in *l. pœnales* 32. §. *vlt. D. ad leg. Falcid.* vbi moueri ſe, ſignificat, fauore libertatis, quæ ſæpe benigniores alias ſententias extorſit, cum ſatius ſit, eum, qui agnouit legatum, onerari, dum ſeruum, qui pluris eſt, emere, & manumittere cogitur, quàm libertatem intercidere, vt ſcriptum eſt in *d. l. ſi debitor* 45. §. *In fideicommiſſaria. l. cum pater* 77. §. *Cum exiſtimaret D. de leg.* 2. iuncta *l. iudicatæ* 29. *D. de except. rei iudic. l. qui graui* 11. *D. de iure Codicill.* Improbat autem hanc Mæciani opinionem, poſt Marcellum, ac veluti ex eo, Vlpianus *in l. generaliter* 24. §. *Si quis alienum* 12. *D. de fidei-commiſſ. libert.* & noſtræ *l. decem* auctor Paulus in *d. l. ſed ſi non ſeruus* 36. §. 1. dum aſſerit: *ſi alienus ſeruus fuerit*, quem legatarius rogatus ſit emere, & manumittere, *in eo non plus, quàm accepit ad redimendum, cogi impendere.* Qua aſſertione corrigi illam Mæciani, quæ extat in *d. l. pœnales* 32. §. *vlt.* quoad alienum ſeruum, ſubintellexiſſe videtur Græcus adnotator Cyrillus ad *lib.* 48. *baſilicon tit.* 1. qui, omiſſo Mæciani Textu, ſic rem ad ſummam redigit: *Quamuis in legato nihil plus ſit, legatarius ſeruum ſuum manumittere cogitur; alienum non item.*

Sed adhuc, vt cum Paulo progrediar in *d. l. decem* 6. videndum eſt, an paratus legatarius dodrantem, quem accepit, refundere, audiendus ſit, ne ſcilicet cogatur emere, aut manumittere. Et verò audiendum eſſe legatarium, exiſtimaſſe Vlpianus, videtur in *l. generaliter* 24. §. *Quòd ſi legatum*: idque in minori viginti quinque annis legatario circa ſeruum proprium, admittunt Vlpianus, & Valens in *l. ſi minor* 33. *D. de minoribus. l. ſi rogatus* 20. *D. de manumiſſ. vind.* Vlpianum autem (niſi ſi eum, vt cum Paulo, & alijs componas, ad ſpecialem caſum coarctes, quo poſt legatum agnitum, cum à principio legi Falcidiæ locus futurus non crederetur, tamen poſtea *ex inopinato*, vt Vlpianus ait, ſiue *repente* ἀθρόον, legatum deminutum ſit, inducta ad rem ratione, aut exemplis. *l. ſciendum* 6. *verſ. ſed hoc Inſtit. de hæred. qual. & differ. l. ſi verò* 8. *l. Paulus* 46. *de bonis libert.*) tacitè, vt alias ſæpe Paulus notat in *d. l. decem* 6. *in fine*, dum opinione illius quaſi propoſita, & cum alijs, quarum meminerat, omiſſa, tandem concludit, *cogendum eſſe hæredem tota decem præſtare, perinde atque ſi adieciſſet teſtator, vt integra præſtentur.* Quibus verbis omnes, 1
quotquot retulerat ſententias, improbans, aliam fauorabiliorem libertati, nec legatario iniuriam ſequitur, nimirum, vt, ceſſante Falcidiæ deductione, procliuior ſit ad agnitionem legati, eoque agnito cogatur redimere, & manumittere. Diuerſum autem eſt, non contrarium, quod ex eodem Paulo *libr.* 3. *fideicommiſſorum* proponitur in *d. l. ſed ſi non ſeruus* 36. §. 1. ibi enim, cum id forſitan ageret, vt notaret Mæciani ſententiam (de legatario omnimodò cogendo, ſuum vel alienum ſeruum

ma-

manumittere) ex eiſdem fideicommiſſorum libris relatam in *d. l. pœnales* 32. §. *ult.* illud tantùm expreſſit, cogi ſcilicet ſuum manumittere; *Quòd ſi alienus ſeruus fuerit, in eo non plus, quàm accepit, ad redimendum cogi impendere.* Quod vti & verum eſt, ſufficitque notando Mæciano, qui affirmauerat, omnimodò legatarium libertatem præſtare debere, vel ſuo, vel alieno ſeruo, ita non exprimit quantum accipere legatarius debeat, dodrantem ſcilicet, an integrum legatum. Atqui hoc de accipiendo integro legato ab hærede, eſt ex eodem Paulo ſupplendum, ac petendum, in *d. l. decem* 6. *in fine, & ex l. ſi ea* 13. *in fine,* quam ſic exaudio, *Cod. ad leg. Falcidiam.*

3 Enim verò notata duobus hiſce capitibus, de re, alioquin inuoluta, paucis complecti, ſic licebit: ſi teſtatoris ſeruus legatus ſit, vt manumittatur, ceſſat in eo legato Falcidia. *l. in teſtatoris* 34. *l. ſed ſi non ſeruus* 36. §. *Si ſolus D. ad leg. Falcid.* niſi, ſi præter ſeruum manumittendum, aliud legatario, vel eius ſeruo legatum ſit, quo caſu ex eo legato, vtriuſque legati Falcidia deducitur. *l. planè* 35. *l. ſed ſi non ſeruus* 36. §. *Si ſolus. l. cum quo* 56. §. *Stichum D. ad leg. Falcid. l. ſi legatario* 22. *D. de fideicommiſſ. libert. l. ſed duobus* 5. §. 1. *D. de legat.* 2. Atque hæc in ſeruo teſtatoris legato, vt manumittatur, quam ad theſin propriè non pertinet *lex decem* 6. *D. de fideicommiſſar. libert.* Aſt, ſi ſeruus ſit proprius legatarij, vel alienus, quem, rogetur, manumittere, atque in id, decem ei legentur, omiſsis nunc Pauli, aut Marcelli, ad Iulianum, Mæcianum, & Vlpianum notarum coniecturis, & rei ad ſummam redigendæ, & componendæ, diſtinguere ita oportebit, in ſeruo proprio legatarij, ſi legatum ſemel, tametſi per Falcidiam deminutum, accepit, & pluris ſeruus ſit, quàm ex legato capiat legatarius, cogendum eum, vt manumittat, ex ratione, & ſententia *d. l. ſed ſi non ſeruus* 36. *l. pœnales* 32. §. *ult. D. ad leg. Falcid. l. debitor* 43. §. *In fideicommiſſaria. l. ſi legatario* 22. *l. generaliter* 24. §. *Si quis alienum* 12. *l. decem* 6. *verſ. videamus D. de fideicom. lib.* niſi ſi ex inopinato, aut repente Falcidiæ deductio emerſit, & velit aceptum legatum reddere, ad quem caſum, ſi reprehenſum nolis, referendus Vlpianus in *d. l. generaliter* 24. §. *Quod ſi legatum* 16. vel niſi minor legatarius ſit. *l. ſi minor* 33. *D. de minor. l. ſi quis rogatus* 20. *D. de manumiſſ. vind.* At in alieno ſeruo, quem emere, & manumittere rogatus eſt legatarius decem, cum pluris ſeruus ſit, non cogi eum impendere plus, quàm accepit, ſtricta iuris ratio ſuaſit, quàm reſpexit Paulus in noſtra *l. decem* 6. *in princip. & in l. ſed ſi non ſeruus* 36. §. 1. Vlpianus in *l. generaliter* 24. §. *Si quis alienum* 12. *verſic. quòd ſi alienum.* Et tamen idem Paulus in fine eiuſdem *l. decem* 6. non contraria, ſed alia via, rem expedit, nempe, vt cogatur hæres integrum legatum decem, ſiue ſine deductione, præſtare, quo facto & legatarius non impendet plus, quàm ceperit, & dabitur ſeruo libertas, cuius fauor expreſsit benigniorem hanc ſententiam, ad quam & ad hunc Pauli ſenſum reducere licet Mæcianum, ſi incorrectum velis, in *dicta lege pœnales* 32. §. *ultim. D. ad leg. Falcid. l. ſi ea* 13. *Cod. eod. titul.*

iunctis in eumdem ſenſum, *l. cum pater* 77. §. *Cum exiſtimaret* 29. *l. cum filius* 76. *D. de legat.* 2. *l. duobus* 30. *verſ. commodius D. de liberal. cauſa. l. qui graui* 11. *cum l. ſeq. D. de iure Codicill. l. iudicatæ* 29. *D. de except. rei iud.*

Tandem, ne obliuiſcamur viceſsimæ, cuius occaſione tot apud Paulum veterum tricas, coniectura, ni fallimur, haud fallaci, extricauimus, animaduertendum eſt, probari apertè poſtremis in verbis *d. l. decem* 6. tota decem integra legatario præſtanda eſſe, & conſequenter ex his hæredem nec viceſsimam deducturum, quia nec ea Fiſco debetur. Id verò in ea ſpecie reſpondetur libertatis fauore, quæ forſan intercideret, repudiante legatario legatum, ſi id per viceſsimam minuendum timeret, nec ſuffecturum pretio ſerui, quem redimere, & manumittere rogatus eſt; & præterea, quoniam viceſsima legatorum ex eo tantùm debetur, quod legatario ſupereſt deducto onere, ut argumento ex *l. circa* 66. §. 1. *cum l. ſeq. D. ad l. Falcid. l. ſed ſi hoc* 62. §. 1. vbi Angelus, Bartoluſque *D. de condit. & demonſtr. l. non amplius* 26. *D. de legat.* 1. docent in terminis ſtatuti Gabellæ, ex legatis ſoluendæ, Baldus in *d. l. non amplius* 26. vbi latè poſt alios Iaſo *num.* 2. *& ſeqq.* vt omittam, ſubſtineri etiam propriè Paulum in *d. l.* 6. ſingulari illo iure, quo fieri diximus ſupra *cap.* 13. vt ex legatis, pietatis intuitu, viceſsima non penderetur. Scitum enim, & decantatum, vel pragmaticis noſtris, eſt, libertatis conſeruandæ rationem inter alias pietatis non mediocriter eminere. *l. contra* 7. *Cod. de teſtam. manum. l. ancillam* 15. *Cod. de fideicommiſſ. lib. l.* 1. §. *penult. Cod. de communi ſeru. manum.* Adſtipulantur huic cogitationi ipſiſsima Pauli verba, quæ parum commodè Falcidiæ applicantur (tametſi aliter Cuiacius velit) & appoſitiſsima ſunt viceſsimæ. Ait Paulus: *Perinde atque ſi adieciſſet teſtator, vt integra præſtentur*; atqui quamuis teſtator adieciſſet, vt hæres integra legata ſine deductione Falcidiæ, ſiue ſine vlla præceptione præſtaret, poſſet ea retineri, quæ nec prohiberi quidem à teſtatore potuit antiquo iure. *l. Seius* 27. *l. quod de bonis* 15. §. 1. *D. ad l. Falcid. l. nemo* 55. *D. de leg.* 1. nec libertatis quidem fauore, alioquin neceſſarium non fuiſſet Senatuſconſultum, quo cautum, ceſſare Falcidiam ſeruo teſtatoris legato, vt manumitteretur. *l. ſi ſeruus* 33. *D. ad l. Falcid.* niſi vel prohibitioni teſtatoris Principis reſcriptum accedat. *l. ſi legatus* 30. §. *vlt. D. ad S. C. Trebell.* vel Falcidia in legato vno prohibita, ex alijs integra poſsit deduci. *l. ſi in teſtamento* 64. *l. qui quadringenta* 88. §. *Quære D. ad leg. Falcid.* vel denique, ſi prohibeatur legatario, aut fideicommiſſario. *l. pœnales* 32. §. *Si Titio D. ad leg. Falcid.* qui Falcidiam ex ſua perſona inducere non poſſunt. *l. lex Falcidia* 47. §. *vlt. D. ad leg. Falcid.* Nihil autem ex his, niſi omnino diuines, rectè ſupponitur in *d. l. decem* 6. Ergo quamuis deciſio Pauli, de cogendo hærede integra decem præſtare, complectatur etiam Falcidiam, de qua initio locutus, tamen adiectio illa, *verſ. perinde*, applicatur propriè magìs ad id, quod tacitè Paulus ſignificauerat, dum ait, hæredem tota decem præſtaturum, nempe viceſsimam ex his non deduci ab hærede, quoniam ſcilicet perinde habetur, ac ſi teſtator adieciſſet, vt decem integra præſtarentur, hoc eſt, *ſine vlla deductione*, qua, veluti ſolemni formula, teſtatores hæredibus viceſsimæ ex le-

legatis deductionem adimere ſolebant, vt ex veteri Hiſpanienſi inſcriptione probauimus ſupra *cap.* 13. Seneca *lib.* 2. *de benefic. cap.* 4. & quidem poterant, etiam ſi libertatis, aut ſimile pium legatum non eſſet, quia iubendo, ſine vlla deductione, legatum præſtari, non Fiſco, aut legibus derogabant, ſed viceſsimæ ſoluendæ onus à legatarijs in hæredes transferebant, quod non inhibitum. *l. vſufructu* 52. *D. de vſufruct. l. qui quatuor* 30. §. *Qui hortos D. de legat.* 3. iuncta *l.* 1. §. *vlt. D. de cenſib. l. vſufructu* 7. §. *Hactenus l. ſi pendentes* 27. §. *Si quid Cloacari; D. de vſufr. l. cum ſeruus* 39. §. *Hæres D. de legat.* 1. *l. quæro* 28. *D. de vſufr. legato.*

5 Liceret, ſi expatiari largiùs liberet, ſuperiorem exceptionem firmare, exemplo impenſæ funeris, quæ viceſsimæ deductioni obnoxia non eſt, vt mox dicemus, vel ideo, quia præcipuum pietatis munus eſt funerare. *l. & ſi quis* 14. §. *Sed interdum* cum §. *ſeq. &* §. *Idem Labeo D. de Religioſ. l. cum quidam* 27. *D. de condit. inſtitut.* ſummaque ſemper ratio cenſetur, quæ pro Religione facit, cùm & publicè interſit, ne inſepulta iaceant cadauera. *l. ſunt perſonæ* 43. *D. de Religioſ.* Liceret & inducere ſiliquatici curialis exemplum, quod ex pietatis cauſa relictis non ſoluitur. *l. ſancimus* 22. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* de quo infra *hoc eodem libro.* Illud tamen potiùs ex ſuperioribus adnotandum pragmaticis relinquimus, poſſe nempe ex vetere, & bene fundata iuriſprudentia defendi, quod moribus noſtris inualuit, ex venditione rerum, quas teſtatores pro expiatione animæ, vel in alios pietatis vſus diſtrahi, & erogari iubent, aut quæ pro funeris impenſa venduntur, decimam venditionis, quam, *Alcabalam*, dicimus, non deberi, vt poſt alios docent, ex noſtratibus Parlador. *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. §. 1. *num.* 18. Gironda *de Gabell.* 11. *parte num.* 4. Aluarado *de coniectur. mente def. lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. *num.* 17. Laſſarte *de decima vendit. cap.* 20. *num.* 60. Gutierrez *de Gabell. cap.* 74. latè Flores de Mena *lib.* 2. *var. quæſt.* 21. §. 4. *num.* 191. Idque certum eſt, & receptum, quotieſcumque res ita ad pios vſus venduntur, vt ſi ex pretio vectigal ſolveretur, tantumdem pio legato decederet, ſeu tantò minus pia cauſa caperet, quantum pro Gabella ſolutum, veluti ſi teſtator, fundum certum, aut etiam bona omnia, diſtrahi iuſſerit, pretiumque, ex venditione redactum, in pium aliquem vſum erogari; cæteroquin ſi qui ducenta in bonis reliquit, quinquaginta in pias cauſas expendi præceperit, eoque nomine neceſſaria bona venundari, erit venditio obnoxia vectigali, quia quicquid ex titulo ſolvitur, non tam pietatis vſibus detrahitur, quàm hæredis, qui ſemper quinquaginta, ſeu quantitatem aliam pijs vſibus deſtinatam, eſt erogaturus; eſſetque, ſi contrarium ſtatueretur, non piæ cauſæ, cuius nihil tunc intereſt, ſed hæredi in necem Fiſci fauere, vt rectè Auctores, quorum nuper meminimus, arbitrantur. Sed, vt præmonui, prior illa pars aſſertionis de Gabella neutiquam debita ex venditione ad pios vſus, ſiue funeris cauſa facta, vt congeſta à noſtratibus argumenta mittamus, defendi nouè poteſt exemplo viceſsimæ, quo iam ſæpe ad noſtras Gabellas, non inconcinnè forſitan, vſi ſumus, cum placuerit ex legatis, pietatis intuitu, relictis viceſsimam non ſolui, *d. l. decem* 6. *in fine D. de fideicommiſſ. liber.* ſic-

ſicut neque ex impenſa funeris. *l. funeris* 37. *D. de Religioſis*, de qua ſtatim videbimus. Conducit & authoritas antiquiorum Interpretum affirmantium, ex legatis pro animæ expiatione, vel ex alia pietatis cauſa relictis, non deberi Gabellam, quæ alioquin ex forma ſtatuti ex legatis cæteris deberetur. Ita Baldus in *l. illud. num.* 1. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. & in l. ſi ſeruo D. de hæred. inſtit.* Ioann. de Anania *conſil.* 57. *in princ.* Gironda *de Gabell.* 11. *parte num.* 22. Alder. Maſcardus *de ſtatutis concluſ.* 1. *num.* 22. latè Marta *de iuriſdict.* 4. *part. cent.* 1. *caſu* 14.

CAPVT XV.

AD ÆMILIVM MACRVM IN L. FVNERIS 37. D. DE RELIGIOSIS, Commentatio iuſta.

ARGVMENTVM.

Exceptio altera rerum, quæ à viceſsima immunes, eſt in impenſa funeris. Examinatus ea in re Plinij locus. Illuſtrata epigraphe *d. l. funeris* 37. Falcidiæ falx fauorabilior, quàm viceſsimæ. Deinceps ad contextum *d. l. funeris* 37. ſingillatim, & ex profeſſo. Vnguenta inter erogationes funeris, propriéque in vſu mortuorum, aut ſi viuorum, perituro, & caduco; idcirco qui ea emit, *in re mortua impendit*. Prælata lux Vlpiano in *l. quod autem* 7. *§.* 1. *D. de donationibus inter.* Vnguentorum vſus an fuerit temporibus Iliacis, vel Roma naſcente? Plinij negantis impugnata aſſertio, cum pluribus; propugnata nouè, & expoſita de exoticis vnguentis. Funebris vnctio facta odoribus, & aromatibus. Adornata *lex & ideo* 7. *§.* 1. *D. de in rem verſo.* Prima vnctionis feralis ſpecies, quæ cadaueris, & reliquiarum, firmata electis veterum locis. Recepta hæc funebris vnctura Hebræis, & eorum, ſeu potiùs Chriſti, exemplo Chriſtianis. Myrrhæ frequens vſus in funere, eiuſque, velut ſymbolum, inter munera Ieſu à Magis oblata. Elucidati Sacri Sctiptores. De oleo ad extremum ſuperinfuſo cadaueri, & apud Alexandrinos oleo ſacro, ſeu chriſmate: & Balſamonis de eo abuſu cenſura.

1 SVccedat alia exceptio, cuius præcipuus conſignator Macer *lib.* 1. *ad legem viceſsimam hæreditatum, in l. funeris* 37. *D. de Religioſis, & ſumptib. funer.* Vbi funeris ſumptus, quatenus accipiatur, quæ-namque eo nomine contineantur, ex profeſſo definit, eo, vt doctis perſuaſum, reſpectu, quia ante omnia ſepulchri, & funeris impenſam ex hæreditate deduci oportet; tum deinde viceſsimæ rationem iniri, id à Traiano conſtitutum, qui pleraſque viceſsimæ exceptiones induxit, Plinius ſignificat in *Panægyrico. Carebit*, inquit, *onere viceſsimæ parua, & exilis hæreditas; & ſi ita gratus hæres volet; tota ſepulchro, tota funeri ſeruiet; nemo obſeruator, nemo caſtigator aſsiſtet.* Quamquam, ne quid diſsimulem, Plinij hæc verba aliò trahi poſſe videntur, & ſanè debent, nempe ad tenuem, exilemque hæreditatem, quam totam funeri, & ſepulchro erogari poſſe, ait, quia tota eſt infra eam quantitatem, quæ viceſsimam pati ſolet, vt monuimus ſupra *cap.* 10. alioquin ſi de opulenta, & locupleti hæreditate intelligantur, eamque totam funeri ſeruire poſſe, ita vt viceſsimam non ſentiat, exiſtimabimus non modò interpretando Macro in *d. l. funeris* 37. Plinius iuuabit, ſed cum

Ma-

Macro potiùs pugnabit, qui modicos dumtaxat, neceſſarioſque ſumptus contra viceſsimam admittit, non verò ampliores, ſuperuacuoſque, ne dum, vt totam locupletem hæreditatem funus, & ſepulchrum exhauriat. *d. l. funeris* 37. §. *vlt*. Itaque mihi quidem certior, idoneiorque exceptionis huius probatio eſt, ea ipſa diſputatio Macri *de ſumptu funeris ad leg. viceſsimam hæreditatum, in d. l. funeris* 37. quæ, haud dubiè, eò pertinet, vt definiat, quænam ſit funeris impenſa, quam viceſsimæ obnoxiam non eſſe, conſtabat. Accedit, rei firmandæ, exemplum legatorum, pietatis intuitu, relictorum, ex queis viceſsimam non ſolui, ſatis ſuperque oſtendimus, & cum funeris ſumptu contulimus ſupra *cap*. 14. Accedit & exemplum Falcidiæ, cuius deductio fauorabilior longè eſt, quàm viceſsimæ, quippe Falcidia quadrantem apud hæredem reliquit, quamuis præter teſtantium voluntatem, quodammodò tamen ipſorum gratia, quorum intereſt, ne inteſtati moriantur, & conſequenter legata, aliaque teſtamento relicta, intercidant, recuſantibus ſcriptis hæredibus, pro nullo, aut minimo lucro, hæreditates adire, vt ſcriptum eſt, *in princip. Inſtit. de lege Falcidia*. Vnde & pater, aut filius teſtatoris, in legatis, quæ eiſdem relicta, extraneo hærede inſtituto, Falcidiam patiuntur. *l. pater* 28. *D. ad leg. Falcid.* Et perinde ex tenui, exilique hæreditate, atque ex locupleti, ſi modò vtraque vltra dodrantem exhauſta, ſoluitur. At viceſsima omnino contra voluntatem teſtantis, nulloque illius fauore, hæreditates, & legata minuit, ſolius Fiſci compendio, ideoque nec filijs, nec parentibus hæredibus inſtitutis, aut legatarijs, viceſsimæ ſoluendæ onus iniungitur, vt affatim poſtea dicemus, neque ea tenui hæreditate detrahitur. Et tamen, hæc ita cum ſint, exploratum etiam eſt, impenſam funeris, ante omnia, in ære alieno deduci, in ratione legis Falcidiæ ponenda, neque quadrantis deductioni obnoxiam eſſe. *l. Papinianus* 8. §. *Quarta D. de inoffic. teſtam. l. pen. D. de Religioſ. l.* 1. §. *vlt. D. ad leg. Falcid.* §. *Cum autem Inſtit. de lege Falcidia*. Ergo in viceſsima, quæ non vſque adeo fauorabilis eſt, faciliùs multò admittendum, eidem ſumptum funeris non ſubiacere, & ante omnia illum in ære alieno præcipi, quoniam & tantò minus ex hæreditate capitur, quantò in funus impenditur. Concors autem vel inter Accurſianos ſententia eſt, vectigal, ſeu gabellam ex hæreditate, vel legato ſoluendam, non deberi, niſi ex eo quod reuera lucrum penes hæredem, vel legatarium manet, deducto onere, ſumptuque, vt præter laudatos ſupra *cap*. 14. docet Caſtrenſis in *l. vlt.* §. *In computatione num.* 1. *Cod. de iure deliber.*

Hæc, explicandæ Macri diſputationi, obſeruatio præluſerit. Ipſam iam illuſtremus, prælata paraphraſtica face: *Funeris ſumptus*, ait Macer, *accipitur, quicquid, corporis cauſa, erogatum eſt, veluti vnguentorum*; & deinceps. Extat plenior alia ſumptuum funeris deſcriptio in *l. & ſi quis* 14. §. *Funeris* 3. *D. de Religioſ.* Nos nunc propoſitæ in *d. l. funeris* 37. quia ad viceſsimam propriè pertinet, adhærebimus, & quæ ſingillatim complectitur, attingemus. Recenſentur verò inter alia, quæ corporis cauſa erogantur, vnguenta, quæ vſque adeo propria funerum Romanis moribus habentur, vt ſi ſeruus odores, & vnguenta mercatus, in funus impenderit, quod ad Dominum pertinebat,

in rem eius verſum videri, ex Labeone Vlpianus ſcribat in *l. & ideo 7. §. Illud D. de in rem verſo.* Quamquam, ſi vxor pecuniam à marito in vnguenta donatam, retinuerit, & de ſua pecunia tantidem vnguenta emerit, locupletior ex donatione facta non creditur, quia *in re mortua impendit*; vt ſcriptum eſt in *l. quod autem 7. §. 1. D. de donat. inter vir. & vxor.* nempe ſi vnguenta emit voluptatis, & luxuriæ cauſa, qualia ſunt ea, quibus inungi fœminas, quò mundiores, & elegantiores ſint, ait Pomponius in *l. argento 21. §. 1. in fine. l. argumenta 25. §. vlt. D. de auro & argento legato*; tunc enim propriè, verèque, nec in rem eius verſum, nec locupletior facta ex donatione mulier videbitur, quæ *in re mortua impendit*, hoc eſt, vt alibi Cuiacius, *in rem caducam, inanem, perituram.* Namque, vt grauiter Plinius *lib. 13. nat. Hiſt. cap. 3. Hæc eſt materia luxus è cunctis maximè ſuperuacui; Margaritæ enim, Gemmæque ad hæredem tamen tranſeunt, veſtes prorogant tempus; vnguenta illico exſpirant, ac ſuis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, vt, tranſeunte fœmina, odor inuitet etiam aliud agentes, excedunt que quadragenos denarios libræ. Tanti emitur voluptas aliena. Etenim odorem qui gerit, ipſe non ſentit.* Niſi quis malit, ideo locupletiorem mulierem non videri, quæ in vnguenta impendit, quia in rem impendit vti neceſſariam, ita & vſu perituram, conſumendamque, ſicut obſonia, cibariaque familiæ, quibus in hac re vnguenta comparantur. *l. ſed ſi vir 31. §. penult. D. de donat. inter.* iuncta *l. penult. D. de vſufr. ear. rer.* vel denique quia, cum, religionis ergo, ad funus, vel mortuum curandum donare coniugi liceat. *l. ſi ſponſus 5. §. Conceſſa, cum ſeq. D. de donat. inter.* non videtur locupletior facta *quæ in re mortua impendit*, hoc eſt in re mortui, vel ad mortuum pertinente. Græcanica loquendi forma. ἐν τῷ πράγματι νεκρῷ, pro, ἐν τοῖς νεκρικοῖς; ſunt enim, & dicuntur vnguenta res mortuorum. Martialis *lib. 3. epigram. 12.*

Qui non cænat, & vngitur, Fabulle,
Hic verò mihi mortuus videtur.

Clemens Alexandrin. *lib. 2. Pædagogi. cap. 8. Nimiæ enim* (inquit, vertente Gentiano Heruetto) *vnguentorum vnctiones, iuſta, quæ fiunt, mortuis potiùs, quam familiarem vitæ conſuetudinem redolent.* Firmicus *de profana Religione cap. 13. Vnguentum hoc reſerua mortuis, reſerua morituris.*

Sed, quod ad funebrem, feralemque, vt ſic dicam, vncturam attinet, vt de illius vſu apud varias gentes taceam, apud Romanos certè poſt Darium Regem ab Alexandro deuictum, in cuius caſtris vnguentorum ſcrinium cum reliquo apparatu captum fuit, voluptatem vnguentorum inter laudatiſſima, atque etiam honeſtiſſima vitæ bona admiſſam fuiſſe, honoremque eum & ad mortuos pertinere cæpiſſe, Plinius ſcribit *lib. 13. natural. Hiſt. cap. 1.* quem tamen in hac re, ſicut & in eo quod affirmat, vnguenta, Iliacis temporibus non dum cognita, ſubleſtæ fidei, aut ſaltem ἁμάρτημα τοῦ μνημονικοῦ, damnant nouiores, cum vel ex lege decemvirali, ſeruilem vncturam prohibente, de qua mox, liqueat, eam à Romanæ Vrbis incunabulis receptam fuiſſe; & Athenæus *lib. 15. Dipnoſophiſtarum*, poſt Euſtathium, affirmet, vnguenta Homerum nouiſſe, oleique voce ſignificaſſe ἐλαίῳ, vt Iliados ψ. ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ, & agnoſcunt veteres Scripto-

res

res in rebus Iliacis, Romaniſque incipientibus. Homerus *lib.* 18. *Iliados* in funere Patrocli: *& lib.* 24. *Odyſſ.* de Achillis corpore. Horatius de Hectore *Epoden ode* 17.

Vnxere Matres Iliæ addictum
feris
Alitibus, atque canibus, homicidam
Hectorem.

Virgil. de Miſeni funere *libr.* 2. *Æneidos.*

. . . Et ahena vndantia flammis
Expediunt, corpuſque lauant frigentis, & vngunt.

Ouidius de Remi nece, & funere, non κατὰ πρόληψιν vt Hieronym. Magius voluit *lib.* 3. *Miſcellan. cap.* 10. ſed ex recepto iam tunc more, *lib.* 4. *Faſtor.*

Arſuroſque artus vnxit; fecere
quod ille
Fauſtulus, & mæſtas Acca ſoluta
comas.

Ennius de Tarquino:

Tarquini corpus bona fœmina lauit,
& vnxit.

Mihi tamen his, & ſi quæ alia eiuſdem generis argumenta exaggerant, poſt Mercurialem, Ioann. kirchman. *de funerib. cap.* 7. Marſil. Cagnatus *lib.* 2. *variar. cap.* 9. Cæſar Bulenger. *lib.* 3. *de conuiuijs cap.* 26. & 28. Nouiſsimè, ex profeſſoque F. Fortunatus Scachus, multa etiam contra Plinium ex ſacris libris argumenta conducens, eorum tamen, quæ expendimus, non ſatis memor, quem cum, poſt hæc ſcripta, videre contigit, ſcripſiſſe non pœnituit, *Sacror. Elæochriſm. mirothec.* 1. *cap.* 16. nondum eſt perſuaſum, nec erit facilè, magnum illum, multiſciumque ſcriptorem Plinium tam largiter peccaſſe, immemorem non ſolùm legis duodecim Tabularum, ſed etiam rei notiſsimæ, & tot vatibus paſsim teſtatæ. Erat alia, vt prænotauit Iacobus Gutherius *lib.* 1. *de iure manium cap.* 15. Plinij mens, qui non de ſimplicioribus, vilioribuſque vnguentis loquitur, & ex oleo plurimùm conſtantibus (vnde ἐλαῖα Homerus vocabat) qualia ferè vetuſtiſsima fuiſſe, agnoſcit ipſe *d. lib.* 13. *cap.* 1. ſed de exoticis vnguentis, vt & Plautus appellat *in Moſtellaria*, in quibus ſumma luxus authoritas, cumuluſque ipſe deliciarum, quæque ſeriùs penetrarunt in Vrbem, & introducta Romæ primùm, atque interdicta, Antiocho Rege, Aſiaque deuictis, anno Vrbis 565. vt idem Plinius memorat *dict. libr.* 13. *cap.* 1.

Porrò funebris, & feralis vnctionis duæ potiſsimùm differentiæ, quibus elucidandis, exorbitaſſe liceat, in Æmilij Macri gratiam. Alia enim cadaueris, ſeu reliquiarum ante exequias, & collocationem, alia poſterior tumuli, aut rogi. Vtraque odoribus, & aromatibus, vt vel Vlpianus indicat, in *dict. lege & ideò* 7. §. 1. *D. de in rem verſo*, fieri ſolita; vnde & illis, funebrium, epitheton inditum. Martialis *lib.* 11. *epigr.* 55.

Vnguenta, & caſias, & olentem fu-
nera myrrham.

Iuuenalis *ſatyra* 4.

Et matutino ſudans Criſpinus a-
momo,
Quantùm vix redolent duo fu-
nera.

Apuleius *Apologia pro ſe ipſo* 1. *Et ſi thus, & caſiam, & myrrham, cæteroſque id genus odores, funeri tantùm emptos arbitreris, cum & medicamento parentur, & ſacrificio.* Ad priorem illam vnctionem, qua mortuos ipſos delibutos diximus, &, vt Græci loquiuntur, μυροβρεχῶς, pertinent propriè, præter Ennij, Virgilij, Horatij, Ouidijque locos, quorum memi-

minimus, hi præ cæteris conſpicui, electique, Perſius *Satyra* 4.

Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſsiſque lutatus amomis.

Corrippus *lib.* 3. *de laudibus Iuſtini minoris:*

Thura ſabæa crepant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco:
Centum aliæ ſpecies, vnguentaque mira feruntur,
Tempus in æternum ſacrum ſeruantia corpus.
Supremum patri talem celebrabat honorem
Auguſto melior Iuſtinus Cæſare Princeps.

Lucianus *libro de luctu: Poſt hæc autem eos lotos, & vnguento optimo delibutos corpora* καὶ μύρῳ τῷ καλλίςῳ χρίσαντες τὸ σῶμα. Apuleius *lib.* 4. *floridor. Iam miſeri illius membra omnia aromatis perſperſa, iam os ipſius vnguine odoro delibutum, iam eum pollinctum.*

5 Recepta etiam hæc odorum, & aromatum conditura, Chriſtianis moribus, Hebræorum exemplo, apud quos iam olim obtinuit, vt in Ioſephi Patriarchæ funere, de quo *Geneſis cap. vlt. in fine*, & in ſepulcro Saluatoris noſtri, Ioann. *cap.* 19. quin & illud ipſius de vnguento illo fragranti, ex ſpica nardi effuſo, Matthæi *cap.* 26. *Quod enim hæc vnguentum hoc miſit ſuper corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*; videſis & Marci *cap.* 14. Ioann. *cap.* 12. ſed de Chriſtianis, qui, præeunte, & veluti approbante, Chriſto, *Medicata corpora condimentis pigmentorum, Mauſoleis, & monumentis ſequeſtrare ſoliti, pluriſque, & cariùs Arabiæ merces ad ſolatia ſepulturæ profligare, quàm idolis fumigandis.* Vt Tertullianus loquitur *de Idololatr. cap.* 11. & in *Apologet. adu. gentes cap.* 42. Vbi multa Hiſpaniæ noſtræ Varro. P. Ioannes Ludouicus Cerda. D. Hilarius *in Panægyr. S. Honorati: Prælata tunc ante Feretrum ipſius aromata, & incenſum vidimus: ſed maiora de veſtris mentibus Deus in tanto, erga tantum paſtorem, affectu veſtro, adoramenta ſuſcepit.* Eleganter Prudentius in *Cathemerino Hymno* 10. vbi funeris, ſepulchrorumque curam ex futura carnis reſurrectione commendat his verſibus.

Hinc maxima cura ſepulchris
Impenditur; hinc reſolutos
Honor vltimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt;
Aſperſaque myrrha ſabeo
Corpus medicamine ſeruat.

Ex quibus ita aliud agens, affectu, & ſtudiorum ſimilitudine in non ſimili argumento, noſter P. Paulus Sherlogus *antiloquio* 11. *ad finem*; & ex Orientio, Hiſpano vate, & alijs, Henric. Spondanus in *Cæmeterijs Sacris libr.* 1. *part.* 3. *cap.* 3. & *parte* 2. *cap.* 2. Iulius Laborivs *var. elucubrat. titul.* 2. *capite* 1. *ex numer.* 49. & *ſequentib.* Baronius *ad martyrolog. die* 4. *Auguſti.* Exactè Iacobus Gratſerus *libr.* 1. *de funere Chriſtiano cap.* 3. & 4. Et ſanè myrrha, à qua Græci vnguentum omne Μύρον vocant, vt Athenæus ſcribit *libr.* 15. frequenter adeo adhibita funeribus, vt eorum velut ſymbolum ſit, itaque *olentem funera*, ſcitè Martialis indigetat *lib.* 11. *epigram.* 55. & veteres Eccleſiæ Patres de myſticis illis muneribus auri, thuris, & myrrhæ, quæ Ieſus à Magis accepit, au-

aurum tamquam Regi; thus Deo; myrrham homini, ad ſepulchrum oblata interpretantur. D. Baſilius *in Pſalmo* 44. *Erat itaque myrrha* ὅτι ταφῆς ἐστὶ σύμβολον, *quod ſymbolum eſt ſepulturæ, vt & Euangeliſta Ioannes nos docuit dicens, à Ioſeph ab Arimathia ſepultum eſſe cum myrrha, & aloe.* Et paulò poſt, ἔχεις οὖν σμύρναν μὲν διὰ τὴν ταφήν. *Habes itaque myrrham, propter ſepulturam.* Prudentius *Hymno* 12. *de Epiphania*, quem Eccleſia inter *Hymnos* Officij poſuit:

Regem, Deumque annunciant
Theſaurus, & fragrans odor
Thuris ſabæi: ac myrrheus
Puluis ſepulchrum prædocet.

Sedulius *lib.* 2.

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi;
Thura dedere Deo; myrrham tribuere ſepulchro.

Iuuencus Presbyter (quem Salmanticæ floruiſſe, & obijſſe, aſſerta Flauio Dextro, fragmenta enunciant ad annum Chriſti 337. & 402. vtinam eruditis perſuadeant) *lib.* 1. *Hiſtor. Euang.*

6 Illud, vt cum patre familias proferamus de theſauro noſtro noua, & vetera, pro Corollario funebris reſperſionis addideris, obtinuiſſe, iam inde à primo Eccleſiæ ſæculo, vt, mortuo extremum ſalutato, ante ſepulturam, oleum ſuperinfunderet Antiſtes, in memoriam vnctionis illius, ante baptiſmum acceptæ, ſignumque athletæ Chriſtiani, iam certaminibus ſuis perfuncti, vt ſcripſit S. Dionyſius, *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap.* 7. Et ex eo Simeon Theſſalonicenſis, penes Iacobum Zoarium in *notis Echologij*, ſiue *Ritualis Græcorum*, ad caput *de officio exequiarum pag.* 542. Ex quo vſu fluxit abuſus Alexandrinæ Eccleſiæ, vngendi, aut reſpergendi, non ſimplici oleo, ſed ſacro chriſmate Epiſcopos ſaltem, & Sacerdotes, vt liquet ex reſponſis Theodori Balſamonis, eum abuſum damnantis, ad interrogationem Macri Patriarchæ Alexandrini, *interrogat.* 22. Deſcripſit Ioannes Leunclauius *in iure Græco-Romano lib.* 5. Memorat Iacob. Grætſerus *libr.* 1. *de funere Chriſt. cap.* 3. *in fine* Zoarius *in Rituali, iam laudato, ad officium funer. Sacerdot. pag.* 582. Iunge Hugonem Menardum ad Sacramentar. S. Gregorij *pag. notarum* 265.

(!§!)

CAPVT XVI.

AD D. L. FVNERIS 37. DE VNCTIONE, SIVE RESPERSIONE tumuli, aut rogi, itemque pollinctura.

ARGVMENTVM.

POſterior vnctio, ſeu reſperſio tumuli, aut rogi. Illum vnguine oblinire; hunc aromatibus ſpargere, in more fuit. Multa in eam rem ex poetarum veterum meſſe. Hieremiæ, & Paralipomenon locis lux. Expenſæ *leges* 12. *Tabularum*, de ſeruili vnctura, & ſumptuoſa reſperſione. De pollincturæ vſu παρεκβάσις illuſtrando Vlpiano in *l.* 5. *§. Idem ait D. de inſtitoria act.* Pollinctorum volumina. Aſſerta, & explicata Arnobij lectio. Tertulliani tenebricoſo loco fax accenſa, præter mentem eruditorum. Seruilis vnctura in 12. tabulis, ea eſt, qua, vel pollinctores ſerui ſe ipſos, vel ſeruorum cadauera inungere, in vſu fuit. Vetitum id Solonis lege. Sumptuoſa reſperſio in eiſdem tabulis, vel exaudienda eſt de irroratione coronarum funebrium, quæ in more poſita, indeque ſæpe apud Scriptores veteres in hac re, vnguenta coronis iunguntur; vel de pretioſa perfuſione aromatum, aut vini. Præualuere tamen decemvirali, & poſthumiæ legibus mores, quibus recepta rogi reſperſio vnguentis, & vino.

1 NEc plura de priori vnctione cadaueris, ſeu reliquiarum. Poſterior vnctura ſequitur, ſiue reſperſio potius, vt leges 12. Tabularum vocant. Fuit quidem moris, tumulum ipſum, titulumque ſepulchri, odoro, vt ita dicam, vnguine oblinire, vt vel Anacreontis hęc indicat de ſe ipſo *in Odis*, Henrico Stephano vertente:

Tumulum, quid eſt, quod vngas?
Vel humo quod ebibenda
Peritura dona fundas?

Prudentius *in Cathemerino Hymno* 10. *in fine*.

Nos tecta fouebimus oſſa
Violis, & fronde frequenti:
Titulumque, & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

2 Præcipua tamen circa rogum vnguentorum, aromatum, florumque ſparſio, cum, vt Plinius de Arabia ſcribit *libr.* 12. *natur. hiſtor. capit.* 18. *beatam illam feciſſet hominum, etiam in morte, luxuria, quæ Dijs intellexerat genita, adhibens vrendis defunctis.* Multa ad hunc ritum Ioannes kirchmanus *lib.* 3. *de funeribus cap.* 5. *& lib.* 4. *cap.* 3. Quibus, pro auctuario, plura liceret, ſed adieciſſe, ſatis ſit, Hieremiæ verba, hinc illuſtranda *cap.* 34. *Et ſecundùm combuſtiones patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, ſic comburent te*, hoc eſt cum aromatibus, & vnguentis, iuxta Hebraicum morem, de quo D. Hieronymus *in tradit. Hebr.* & illud Paralipom. 2. *cap.* 16. de funere Aſâ Regis: *Et ſepelierunt in ſepulchro ſuo, quod foderat ſibi in Ciuitate David; poſueruntque eum ſuper lectum ſuum, plenum aromatibus, & vnguentis meretricijs, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum, ambitione nimia.*

Sed, in adſtructis tot de funebri vnguentorum vſu, elucidando Macro in *d. l. funeris* 37. peccare, & ille, & nos in Romanas leges videmur, antiquas illas dico, duodecim Tabularum, quæ &

& *ſeruilem vncturam* tollebant, & *ſumptuoſam reſperſionem* vetabant, authore Cicerone 2. *de legibus*. Nec Turnebum, aut alios audio, qui *ſeruilem vncturam* interpretantur, pollincturam; & pollinctorum munus (qui libitinariorum adiuuæ, & adminiſtri, atque ex eorum plerumque familia cadauera lauabant, vngebant, curabant) lege duodecim Tabularum vetari, affirmant, perquàm improbabiliter certè. Quippe pollincturam nunquam ſublatam, perpetuoque in vſu manſiſſe, vſque ad noſtrorum iuriſconſultorum ætatem, vel ex Vlpiano diſcere potuiſſent *in leg. cuicumque* 5. §. *Idem ait D. de Inſtit. act. Si libitinarius*, inquit, (*quos Græcè* νεκροθάπτας *vocant*) *ſeruum pollinctorem habuerit, iſque mortuum ſpoliauerit*: cui præter Plautum *in Aſinaria*, *in Pœnulo*, & *in Sticho*, Fulgent. *de priſco ſermone* ad Chalcidium Grammaticum in Pollinctores, Nonium Marcellum in eadem voce, Firmicum *lib.* 2. *cap.* 5. & *libr.* 4. *capit.* 6. Seruium *libr.* 9. *Æneidos*; do non vulgares adſtipulatores, Martialem *lib.* 10. *epigram.* 97.

Iam ſcrobe, iam lecto, iam pollinctore paratos
Hæredem ſcripſit me Numa, conualuit.

Ammianum *libr.* 19. *Circàque eum lectuli decem ſternuntur, figmenta vehentes hominum mortuorum, ita accuratè pollincta, vt & imagines eſſent corporibus ſimiles, iam defunctis.* Sidon. Apollinar. *libr.* 3. *epiſt.* 13. *Enim verò illa ſordidior eſt, atque deformior cadauere regali, quod, facibus admotis, ſemicombuſtum, moxque ſidente ſtrue torrium deuolutum, reddere pyræ, iam faſtidioſus pollinctor exhorret.* Arnob. *lib.* 1. *aduerſùs gentes*; vbi ſic de Chriſto; *Vnus fuit è nobis, qui redire in corpora iam dudum animas præcipiebat efflatas? Prodire ab aggeribus conditos? Et, poſt diem funeris tertium, pollinctorum voluminibus expediri?* Ita ex veteribus libris legendum, non, vt in vulgatis, *velaminibus*. Volumina pollinctorum vocant, ſepulchrales faſcias, inuolucraque, quæ Græci εἰλήματα, κειρίας, alludentes ad reſurrectionem Lazari, quem, quatriduum in monumenta habentem, dominus ſuſcitauit, prodijtque *ligatus manus, & pedes inſtitis, faciemque ſudario*, vt ſcriptum Ioann. *cap.* 11. namque & pollinctores Hebræis in vſu, vt liquet ex Ezechiel. *cap.* 39. *Donec ſepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog.*

Nondum tamen abſtineo, quin adſcribam, peſsimè vulgo acceptum Tertulliani locum, *libro aduerſùs Gnoſticos cap.* 7. *Si noſter quoque Deus propriè, hoſtiæ nomine, martyria ſibi depoſtulaſſet, quis illi exprobraſſet funeſtam Religionem, & lugubres ritus, & aram, rogum, & pollinctorem, Sacerdotem, & non beatum amplius reputaßet, quem Deus comedißet?* Hæc, quia non capiunt, corrigunt nouatores. Fridericus Lindembruchius *in notis ad Catalecta poetarum veterum*, inuerſa, vt putat, verba, ſic reſtituit: *Et aram Sacerdotis, & rogum pollinctoris.* Gutherius *de iure manium lib.* 1. *cap.* 15. Sacerdotium pollinctori tribui, ait, à Tertulliano, vt paganorum Sacerdotes derideat, qui tamquam pollinctores verè mortuos curabant, quos pro Dijs colebant. Sed longè alia ibi mens Tertulliani, qui aduerſùs Gnoſticos, & alios martyriorum oſores ſcribens, cum admonuiſſet, Gentilium Deos, veluti Scytharum Dianam; & Afrorum Saturnum, ho-

hominum victima placari ; nec eſſe tamen quemquam, ex ethnicis , qui ſanguinaria ſacra reprehendat , & non rationem in his aliquam præſumat, eleganter ſubiecit : *Si Deus quoque martyrio , vt hoſtia gauderet* (id quod deinde probat *cap.* 8. *& ſeqq.*) *Quis illi exprobraſſet ? Quaſi funeſta Religione gauderet , vt pro victima mortem , funuſque poſceret , ac lugubres ritus , atque aram , vbi hoſtia immolatur , in feralem rogum verteret , & Sacerdotem , qui ſacris præeſt , mutaret pollinctore , qui funeri ?* Quaſi dicat , neminem vtique hoc Chriſto exprobraturum , qui Dianæ , & Saturno non exprobrat ; quin potiùs beatiſsimum eum reputaturos omnes , quem Deus, tamquam hoſtiam, comediſſet. Gemella verba ſunt , rei illuſtrandæ, alia ipſius Tertulliani in *Apologet. cap.* 13. vbi de Dijs Gentilium ita : *Quid omnino ad honorandos eos facitis , quod non etiam mortuis veſtris conferatis ? Ædes proinde, aras proinde : idem habitus , & inſignia in ſtatuis : vt ætas , vt ars, vt negotium mortui fuit, ita Deus eſt. Quo differt ab epulo Iouis ſilicernium ? A ſympulo obba ? Ab aruſpice pollinctor ? Nam & aruſpex mortuis apparet.* & ſubæmulatus Lactant. *lib.* 2. *de orig. error. cap.* 4. *Pari enim ratione defunctorum corpora odoribus, ac pretioſis veſtibus illita , & conuoluta, humi condunt , qua Deos honorant.*

5 Ergo vt ad lineas , cum pollincturam ſubſtuliſſe decem viros, dici non poſsit , aſſentior potiùs kirchmano *lib.* 1. *de funeribus cap.* 9. alijs coniectantibus , ſeruilis vncturæ nomine, in duodecim Tabularum lege, non vulgarem vncturam funebrem , de qua tam multa diximus, vetitam videri, ſed ne inungerentur ſeruorum cadauera , in quorum funeribus ſuæ etiam , ſolitæque impenſæ fiebant. *l.* 2. *l. ſi filius familias* 31. §. 1. *D. de Religioſ. l. Iulianus* 13. §. *Præterea* 22. *D. de action. empti.* ſiue potiùs, ne ſerui ipſi, quales plerumque pollinctores fuerunt , funerarijque , capita inungerent , quod ſæpe ab his , ſicut & circumpotare magno impendio fiebat, fœtori cadaueris obuerendo. Meritò itaque inhibitum , ſumptumque hoc legis decemuiralis caput ex Solone , qui , vt Plutarch. *in eius vita , legem ſcripſit iubentem , ſeruos non inungi.* Et generaliter Solonem, vnguentariam exercere , ciuibus prohibuiſſe, prodiderunt , Athenæus *lib.* 13. *dipnoſophiſt.* Euſtathius *Iliad.* ξ. ſicut & de Lycurgo Athenæus idem *lib.* 4. Seneca *lib.* 4. *quæſt. natur. cap.* 13. Plutarchus *in Laconicis* , ex qua Solonis , leges duodecim Tabularum , magna ex parte, fluxere. §. *Et non ineleganter Inſtit. de iure natur. gent.*

Planè, quod ad alteram illam duodecim legem attinet , de ſumptuoſa reſperſione , cuius Cicero meminit , tentari poteſt, ſic Ciceronis verba 2. *de legib.* exaudienda , vt, vno velut ſpiritu , iungantur ſequentibus , in quibus longarum etiam coronarum mentio fit, ita vt vtrumque ſimul inhibeatur , nempe ſumptuoſa reſperſio coronarum funebrium , quas vnguentis irrorare , aut mergere moris fuit, vt indicant Plutarch. in *Artaxerſe , & in Sympoſiac. quæſt.* 7. Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *pædagogi. cap.* 8. Athenæus *lib.* 15. vnde & vnguenta cum coronis, paſsim iunguntur apud veteres. Sidon. Apollin. *carm.* 3. 6

Et madeſcentes nardo capillos,
Circumfuſa roſis ſerta ſiccarent.

Seneca *lib.* 2. *de ira cap.* 33. *Ad cœnam inuitauit eum eo die , vnguentum , & coronas miſit.* Nec in conuiuijs tantùm, & luxu , ſed in funere vnguen-

ta, coronis admixta. Propert. *lib.* 3. *eleg.* 15.

Afferet huc vnguenta mihi, ſertiſque ſepulchrum
Ornabit cuſtos, ad mea buſta ſedens.

Adi, ſi plura cupis, Bulenger. *lib.* 3. *de conuiuijs cap.* 26. 27. *&* 28. Hæc niſi admittas, fatendum certè eſt, ea lege prohibuiſſe decemuiros, pretioſis quibuſque liquoribus, & aromatibus, rogum reſpergi, ſiue perfundi, quemadmodum, eadem mente, Numæ Regis Poſthumia lex (quam conuiuialem fuiſſe, voluit eruditiſsimus Lipſius alibi, Catullianum illud ſic explicans:

Ingere mi calices amariores,
Vt lex Poſtumiæ iubet Magiſtræ.)

Ita concepta erat: *Vino rogum ne reſpergito*, propter inopiam, ſcilicet, vini, vt ait Plinius *lib.* 14. *natur. Hiſtor. cap.* 12. Poſteà tamen vtraque lex, malis, vt plerumqne fit, moribus, eas in poteſtatem ſuam perducentibus, exoleuiſſe, videtur, receptumque, non tantùm vnguentis rogum, tumuloſque perfundere, vt ſuprà oſtendimus, ſed etiam vino, eoque non dumtaxat inferijs, ac parentalibus, &, vt Feſtus ſcribit, verbo, *reſperſum*, in nouemdiali ſacro, quod kirchmano, & alijs notatum; ſed etiam die ipſo funeris, & rogi, vt vel Virgil. exprimit 6. *Æneid.*

Poſtquàm collapſi cineres, & flamma quieuit,
Relliquias vino, & bibulam lauere fauillam.

Papinian. 6. *Thebaidos.* Auſonius *in epitaph. carm.* 36. Vetus ſepulchralis inſcriptio:

Oſsibus infundam, quæ numquam vina bibiſti.

CAPVT XVII.

AD D. LEG. FVNERIS 37. DE PRETIO SEPVLCHRI, ET *vectigali funebri.*

ARGVMENTVM.

PRetium loci ſepulchri, inter legitima impedia funeris, nec obhoxium viceſſimæ. Pecuniæ, pro ſepultura, exactio, improbata ſacris Canonibus. Similes Eccleſiaſticorum hodie exactiones, an illicitæ, aut ſimoniacæ? Affirmatum, non eſſe, & quo reſpectu. Laicus laico an poſsit vẽdere ius, veluti proprietatis, ſepulchri in Eccleſia? Venditionis eiuſce decima non debetur. Ea ocaſione quęſitum, an Equeſtrium Militarium Ordinum inſignia vendere liceat? Aſſertum, non licere. Stabilita Florentina lectio apud Macrum, quæ habet, *vectigalia.* Expoſita de his, quæ in itinere, aut pòntibus, pro cadaueris tranſitu, penduntur. Illiſtrata *lex vlt. Cod. de Religioſ.* & Inſcriptio Narbonenſis. Funera collatiua Menenij Agrippæ, & aliorum. Collectę Chriſtianorum pro funeribus. Vectigal *d. l.* 37. an ſit obolus, trienſue, quem Charonti, vecturæ nomine, porrigere mortuos debuiſſe, fama, & fabula veterum fuit. Varia eius rei, & ritus nomina, & alluſiones. Reiecta ea expoſitio ad Macrum. Tentata noua alia de vectigali Libitinæ, pro morientibus. Suetonius, alijque elucidati. De vectigali, ſeu monopolio lugubrium apud nos, & quatenus permiſſum, aut improbabile, cenſura.

1 PRogrediamur cum Macro, qui in *dict. l. funeris* 37. recenſet etiam, inter funeris ſumptus, pretium loci, *in quo defunctus humatus eſt.* Quoniam, vt eleganter Vlpianus in *l. & ſi quis* 14. §.

Funeris 3. *D. de Religioſ. Neceſſario locus paratur, in quo corpus conditur.* & quemadmodùm, ſi proprius teſtatoris locus fuit, quamuis ab eo alij legatus, fit tamen religioſus, illatione ipſius teſtatoris defuncti, quia naturaliter ad mortuum pertinere, videtur, locus ſepulchri. *l.* 4. *D. de Religioſ. l. quid ergo* 53. §. *Sed ſi mortuum D. de leg.* 1. *l. Mæuio* 65. §. *In fundo D. de leg.* 2. Ita, ſi defunctus monumentum, ſepulchrumue, aut proprium locum non habuit, vbi commodè inferri poſſet, comparandum id eſt, pretiumque eius, non modò viceſsimam, de qua Macer in *d. l. funeris* 37. ſed etiam omne aliud creditum præcedit, vt expreſsit *Regia lex noſtra* 12. *tit.* 13. *part.* 1. ibi: *En comprar los monumentos.* Cum expediat, de ſuo potiùs defunctos, quàm de alieno ſepeliri. *l. & ſi quis* 14. §. 1. *&* §. *Idem Labeo D. de Religioſ.* Sitque hæc impenſa in locum, quo defunctus humatur, & ſecundùm memoriam humanæ conditionis, vt ſcriptum eſt in *l. quidam* 27. *D. de condit. inſtit.* & ex vetere, meliorique conſuetudine (vt *in Octauio* indigetat Minucius Felix) *qua corpus terræ redditur, & ita locatum, ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur.* Vti grauiter Cicero *lib.* 2. *de legibus.* De quo tamen, ſi vacat, adi, ad forenſem vſum, Tellium in *l.* 30. *Tauri num.* 5.

2 Illud his, quæ adnotauimus, ad vſum fori producendis, ſubijcio, vt quamuis Sacris noſtris Canonibus inhibita, & improbata ſit conſuetudo exigendi aliquid pro pretio ſepulturæ in Eccleſia, *capit. abolenda* 13. *de ſepultur. capit. quæſtu* 12. *cum tribus ſequentib.* 13. *quæſt.* 2. *cap. cum in Eccleſia* 9. *capit. audiuimus* 41. *cum ſeq. de Simon. Concil. Meldenſe can.* 63. *&* 72. *in Concil. Claromont. Gen. capit.* 8. *& in Placentino can.* 14 *Innocent.* 2. *in Concil. Rom. cap.* 18. *Eugen.* 3. *in Concil. Rhemenſi capit.* 16. Quo & argumento hodie pactiones Clericorũ, & Religioſorum cum laicis, de pretio ſepulturæ in Eccleſia, eſſe illicitas, & ſimoniacas, contendunt Greg. Lopez *in l.* 1. *gloſ.* 3. *tit.* 13. *part* 1. Padilla *in l. vlt. num.* 16. *Cod. de tranſact.* Molina *de primogen. lib.* 1. *capit.* 24. *ex num.* 38. Garcia *de expenſis capit.* 8. *num.* 52. Parlador. *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. *num.* 36. Certius eſt tamen, & receptius, pactiones iſtas, & venditiones iuris certæ ſepulturæ in Eccleſia, ſi modò pretium non exigatur pro ſolo ſacro, omnino neceſſario ad ſepulturam, ſiue, pro iure ſepulturæ Eccleſiaſticæ, quatenus ſpirituale eſt, & gratis debitum Chriſtianis omnibus, ideoque extra commercium, quò propriè reſpicit, & referenda eſt prohibitio *d. cap. abolendæ* 13. *de ſepultur.* cum adductis, poſt Angelicum Thomam, & Abulenſem, à Benedicto Pereyra, & alijs nouioribus, *in Geneſim cap.* 23. *diſp.* 1. *num.* 13. *& ſeqq.* Et, poſt Hieronymum, & Ambroſium, ab Henrico Spondano *de Cæmet. Sacr. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. *& lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 4. *&* 5. Ioanne Hieronymo Soprانio *Commentario in Dauidem digreſſ.* 2. *de funere Hebr. cap.* 5. Sed pretium ſit dignioris, & honoratioris loci ſepulturæ in Eccleſia, iuriſque, veluti proprietatis, ad eum locum, quatenus temporale vtrumque eſt, neque gratis cuicumque laico debitum, licitas eſſe, pretiumque accipi, & exigi poſſe, tamquam eleemoſynam, & ſubſidium Eccleſiæ, ad ſumptus fabricæ, & miniſtrorum, vt docent, poſt alios, Sotus *de Iuſt. & iure lib.* 9. *de Iuſt. quæſt.* 7. *art.* 1. Palacios *de contract. lib.* 2. *cap.* 7. *pag.*

pag. mihi 126. Salazar *de vſu, & conſuetud. cap.* 10. *num.* 24. Cabedo *de Patronat. Regiæ Coronæ cap.* 32. *num.* 2. Hugolinus *de cenſuris tabula* 1. *cap.* 44. §. 2. Suarez *de Religione tract.* 3. *de ſimon. lib.* 4. *cap.* 14. *ex numer.* 7. Garcia *de benef.* 5. *part. cap.* 9. *n.* 136. *& ſeqq.* Lara *de Anniuerſ. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 17. Gutierrez *lib.* 2. *Canonic. quæſt.* 21. *num.* 148. Steph. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 110. *& cap.* 210. *& deciſ. Marchiæ* 26. Anton. Diana 2. *parte reſol. moral. tract.* 1. *miſcell. reſol.* 57. Aug. Barboſa *ad dict. cap. abolendæ* 13. *num.* 5. &, ſi alterius notæ Auctores deſideres, Chriſtophorus Beſoldus *in conſiderat. vitæ, & mortis cap.* 3. *num.* 2. *tomo* 2. *Politicorum.* Qua etiam ratione, & reſpectu ſuſtineri poſſe venditiones iuris, veluti proprietatis certæ ſepulturæ in Eccleſia, etiam ſi laicus, ſepulchri quaſi dominus, laico vendat; & venditionis decimam deberi, docet Laſſarte *de decima vendit. cap.* 14. *num.* 5. Suarez *dict. cap.* 14. *num.* 18. Me tamen, quoad Gabellam venditionis, propendere in contrarium facit, ne ſcilicet ex venditione iuris ſepulturæ, quoties ſeparatim, & per ſe venditur, debeatur, & fori vſus, & ratio exemplumque viceſsimæ, cui obnoxium non eſſe pretium ſepulchri, cum Macro oſtendimus, in *dict. l. funeris* 37. & à qua toties ad vectigal venditionis argumentamur. Idque ipſum, alijs licet rationibus, tuentur Parladorius, qui ex facto ita reſpondit, *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. §. 1. *num.* 35. Gutierrez *de Gabellis, &* 7. *practic. cap.* 9. *num.* 26. &, palinodiam veluti recantans, Laſſarte *de decima vendit. in additionib. d. cap.* 14. *num.* 5.

3 Perſimili ratione, & exemplo ſuaſere, noſtra ætate, non pauci, imò & perſuaſere, poſſe Equeſtrium Militarium Ordinum inſignia, ſiue, vt loquimur, *Habitus*, in emptionem venire, ſiue, vt etiam loquuntur, in beneficium deduci, à Rege noſtro, perpetuo Militarium Ordinum Magiſtro, quia, vtcumque Ordines ipſi, Equites, & Habitus ſint Religioſi, & ſaltem Eccleſiaſtici, aut Eccleſiaſticis annexi, non fit tamen venditio eius, quod religioſum, ſiue eccleſiaſticum eſt, ſed temporalis illius honoris, quem hæc nobilitatis inſignia præferunt, & qui principaliter Regio beneficio indulgetur: id, quod proinde, nec ſimoniacum, nec illicitum eſſe, ſicut nec propriæ, & honoratioris in Eccleſia ſepulturæ emptionem, affirmat, poſt P. Villalobos *in Summa tom.* 2. *tract.* 37. *diff.* 14. *num.* 5. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſol.* 64. *& part.* 10. *tract.* 9. *miſcell. reſol.* 35. P. Fagundez *de contract. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 9. Ioſephus Ianuarius *var. reſol. part.* 1. *quæſt.* 6. At è contrario, non tantùm ſeuerior, ſed & verior ſententia eſt, quæ negat, poſſe eos Habitus in emptionem, ſiue beneficium venire; ſiue quia, non ſicut in ſepulturis, & patronatibus, potuit recens Eccleſiæ vſus, ac ſenſus, quod in illis eccleſiaſticum eſt, ſecernere à temporali, vt hoc ſaltem ematur, & vendatur; non itidem hoc ipſum poteſt temporalis, vtcumque Regia auctoritas, quoad ſeparationem honorifici, & eccleſiaſtici, pro vendendis Ordinum Militarium inſignibus; argumento *ex cap. ſi quis obiecerit* 8. *quæſt.* 3. ſiue quia, & ſepoſita quæſtione illa, an hi Ordines, Equiteſque ſint Religioſi, (quæ ſanè alia, & altior diſquiſitio eſt) non eſt Regiæ adminiſtratoriæ poteſtatis, inſignia hæc venalia efficere, contra ſtatuta, & inſtituta eorumdem Ordinum, contra Iuſtitiæ normam, in his præmijs diſtribuendis,

&

& demum contra ipſarum Equeſtrium Militarium decus, vileſcentibus, ob eum abuſum, nobilitatis honoribus, qui dum fuerunt rari, & dignis impertiti, *fuerunt & glorioſi*, nunc autem *efferſi, & obſoleti*, vt, ad rem, pridem ſcripſit Æmilius Probus *in Miltiade*; ac de Equeſtri Conchiliato torque apud Gallos, poſtquam indignis communicari, cæpit, Præſes Thuanus *lib.* 23. *Hiſtor.* ex militari dicterio, eſſe illum *non iam fortium virorum inſigne, ſed beſtiarum collare*. Quibus affinia, alia habet Gabriel Bartholomæus *lib.* 2. *Hiſtor.* vbi de Equitibus Sancti Spiritus. Prudentius Sandoualius *in Carolo V. lib.* 2. §. 35. Planè ex his ſingulis, quæ expreſsimus, non licerè Equeſtres hos Habitus vendere, eamque venditionem, quantumuis ſimoniaca non ſit, eſſe tamen mortali peccato obnoxiam, ſcripſerunt, Azorius *lib.* 13. *inſtitut. moral. cap.* 6. *verſ. tertiò quæritur.* Fuluius Conſtantius *ad l.* 1. *Cod. de filijs official. num.* 12. quibus acceſſere, reuerenter nuncupanda, duo Dominicani Ordinis decora, Primarius Salmanticenſis, & Segobienſis Epiſcopus Araujo *tom.* 1. *Eccleſiaſt. diſput. tract.* 1. *quæſt.* 6. & obſeruantia, affectuque, noſter, P. Ioannes Martinius, Regius Confeſſarius *diſcurſ. Eccl. & pol.* 10. §. 1. exacta vterque cura, & cenſura.

4 Legimus deinde, apud Macrum, *in dict. l. funeris, & ſi qua vectigalia ſunt, vel ſarcophagi, & vectura*. Deſignantur, his verbis, ſumptus, propriè pertinentes ad funus hominis, peregrè mortui, vt & ſignificant ſequentia illa: *Et quicquid, corporis cauſa, antequam ſepeliatur, conſumptum eſt*. In primis verò, *vectigalia*, quam vocem in *dict. l. funeris* 37. & Florentini Codices præferunt, & agnoſcunt Baſilica, ex quibus hæc ſuggerit Cuiacius *lib.* 5. *obſeru. cap. vlt. & lib.* 11. *cap.* 21. καὶ τὸ τέλος, καὶ ἡ σορὸς, καὶ ἡ στολὴ, hoc eſt, *& quod vectigal, vrna, veſtiarium*, quamquam ea verba, atque imò integer textus *dict. l.* 37. deſideretur in Baſilicis, à Nicolao Fabroto nuper editis, erutiſque, vt ille profitetur, ex Bibliotheca Regia *lib.* 59. *tit.* 1. & pro vulgata lectione, de qua poſtea, obnixè, contra Baſilica, & Cuiacium, ſtet Elbertus Leoninus, Louanienſis anteceſſor *lib.* 3. *emendat. cap.* 10. vtcumque ſit, & ſuppoſita ex Baſilicis aſſerta lectione, vectigalia hic accipimus, quæ in itinere, aut pontibus, pro tranſitu, præſtantur, dum ex loco in locum corpus peregrè mortui perfertur, à quibus nec immunem fuiſſe ſarcophagum, argumentari veluti, licet, ex *l. ſi quis ſepulchrum* 12. *verſ. præſes D. de Religioſ.* & liquet ex Græca conſtitutione, quæ ex *lib.* 59. *Baſiliqon. tit.* 1. ſupplenda eſt, ad *tit. Cod. de Religioſ.* Eius ſententia hæc: ἐν οὐδενὶ τόπῳ οὐδὲν τέλος, παρὰ οὐδενὸς ὁπεστων διακομιζομένων σωμάτων παρέχεται. Hoc eſt, *in nullo loco vectigal ab aliqua perſona, pro tránsferendis cadaueribus, exigatur*. Cuius conſtitutionis inſcius noſter Perez de Lara *lib.* 1. *de Anniuerſ. cap.* 25. illicitè poſtorium exigi, pro translatione cadaueris, longè, latèque diſputat. Ego potiùs, rei illuſtrandæ, ſupernumerariam adiungo (niſi tamen, quod vereor, aliorſum pertinet, nempe ad ſtipem, à ciuibus ad funus collatam, in funeribus publicis, ſeu collatiuis, qualia Agrippæ Menenij, Valerij Publicolæ, & Scipionis Serapij, de queis Liuius *lib.* 2. Valerius *lib.* 4. *cap.* 4. Dionyſ. Halicarn. *lib.* 8. Seneca *in conſolat. ad Heluiam cap.* 12. Plinius *lib.* 21. *natur. Hiſtor.*

cap.

cap. 3. *&* *lib.* 33. *cap.* 10. Plutarch. in *Publicola*. Qualia etiam funera egenorum, inter Chriſtianos, quæ accurabant Eccleſiarum œconomi, earum ſumptu, ex collectis, ſeu collationibus fidelium. *l. magna* 18. *Cod. de Sacroſ. Eccl. Nouella de officinis* 43. *&* *Nouella* 59. *de debita impen. in exequijs defunct.* Tertull. *in Apolog. cap.* 39. D. Cyprian. *epiſt.* 89. *ad Lucianum*) Narbonenſem hanc Inſcriptionem, quæ apud Gruterum *pag.* 430.

LIGVRI Æ. Q. FIL. FRONTINÆ.
Q. HORTENSI. KATVLLI.
HVIC ORDO NARBONENSIS
PVBLICE FVNVS, ET OMNES
VECTIGALES DECREVIT.

Propria magis eſt huius loci, vetus illa parœmia, quam celebratam valde, teſtatur Ariſtoteles *lib.* 2. *Rhetoric. cap.* 6. καν απο νεκρου φερει, *etiam à mortuo exigere tributum* (& vt D. Gregorius loquitur, *lib.* 7. *epiſt.* 56. *ad Ianuarium*, cuius pars extat in *cap. quæſtu* 22. 13. *quæſt.* 2. & ex eo Meldenſe Concilium *can.* 72. *Pretium de terra, conceſſa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium*, quamquam & aliò etiam referi, poſſe, ſciam.

5 Sunt tamen ex noſtratibus, & inter eos, Primarius ille noſter otij quadrimeſtris editor, *part.* 2. *num.* 6. qui, vectigalis nomine, in *d. l. funeris* 37. intelligant portorium illud, ſiue, vt Græci vocant, πορθμεῖον quod, vecturæ nomine, Charonti porrigere, mortuos debuiſſe, pro tranſmiſſione ſtygiæ paludis, veteres fabulantur, vt ex Ariſtophane in *Pſyches fabula*, Diodoro Siculo *lib.* 2. *rer. antiqu. cap.* 6. Apuleio *lib.* 6. *de aſino*, notatum Beroaldo, & alijs; quò alludens Albinouanus in *eleg. ad Liuiam de morte Druſi*, auarum portitorem, Charontem indigetat, ſicut & auarum nautam, Apuleius. Solebatque, eo reſpectu, in os defuncti obolus imponi, ſiue, vt Iuuenalis luſit, *Satyra* 3. triens, quem ore Charonti porrigeret, vt ad vlteriorem ripam nauicula deduceret commeantem, erraturum alioquin, & ſubmouendum tranſitu, vt infelix illa turba, quam, vel iſto reſpectu, inopem vocat Sybilla, apud Maronem, 6. *Æneid.* in quo ritu irridendo, multus eſt Lucianus in *Charontis, & Menippi dialogo*, & in *Cratetis*, & *Diogenis*, & in *Cataplo*, ſiue *Tyranno*, & *de luctu*. Naulum mihi, vocaſſe, Iuuenalis, videtur *Satyra* 6. ibi:

> *Furor eſt, poſt omnia, perdere naulum.*

quamuis, ea voce ſimpliciùs, pro cuiuſuis nauis vectura, Vlpianus vtatur. *l. cum ſeruus* 39. §. 1. *D. de legat.* 2. *l.* 6. §. 1. *D. qui potiores.* καρκαδόντα, vocat Suidas, & δανάκην Hæſychius, Gutherio laudati; viaticum, Plautus *in Pœnulo*,

> . . . . . . *Ipſe abijt*
> *Ad Acherontem, ſine viatico.*

Et ſimpliciter, æra, Propert. *lib.* 4. *eleg. vlt.*

> *Vota mouent ſuperos: vbi portitor æra recepit,*
> *Obſerat vmbroſos lurida porta rogos.*

quibus adijcio illaudatum Strabonis locum *lib.* 8. *Geograph.* παρ' Ἑρμιονεῦσι δὲ τεθρύλληται τὴν εἰς ᾅδου κατάβασιν σύντομον εἶναι· διόπερ οὐκ ἐντιθέασιν ἐνταῦθα τοῖς νεκροῖς ναῦλον. Quæ ſic verto: *Apud Hermionenſes autem vulgatum fuit, in inferos deſcenſum compendioſum eſſe, quo circa non imponunt ibidem mortuis naulum.* Alluſit in *Truculento* Plautus *actu* 4. *ſcæna* 3.

> *Si volebas participare, auferres dimidium domum:*
> *Nam itidem, vt Acherunti, hic ratio accepti ſcribitur;*

Z In-

Intrò accipimus, quando acceptum eſt, non poteſt ferri foras.

6 Verùm hæc, quod ad Macrum attinet, *in dict. l. funeris* 37. argute excogitantur, non verè. Quis enim credet, grauem, ſeriumque iuriſconſultum, inter legitimos funeris ſumptus computaſſe, & viceſſimæ præferendam cenſuiſſe, minutam adeo, vanamque oboli impenſam, quæque nemini, paulò cordatiori, non fuit ludibrio, præſertim cum & lege duodecim Tabularum, cuius Cicero meminit 2. *de legibus*, aurum mortuis addi, vetaretur, & mandatis principalibus caueatur, ne ſepulchris inferatur pecunia. *l.* 4. §. *Non fit in fine D. ad l. Iuliam pecul.* Denique, vt ſcitè Lucianus deridet, obolo in os defuncti impoſito, *non illud priùs expenderetur, cuiuſmodi numiſma legitimũ ſit, ambuletque apud inferos, ſeu valeat Atticus, an Macedonicus, an Æginenſis, ac ne illud quidem cogitarent, multò ſatius eſſe non poſſe, naulum reddere, ſic enim fieret, vt non recipiente portitore, poſtliminio in vitam redirent*; quid quòd, vt iam præmonui, tractat Macer in *d. l. funeris* 37. de impenſa peregrè mortui? Ideoque, & ad portoria, quæ pro viarum, pontiumue tranſitu, ſoluebantur, commodiùs refertur vox, *vectigalia*, ſicut *ſarcophagus, vecturaque*?

7 Iam, quoad vectigalia, ſeu tributa, in re funebri, non diſsimulamus, quamuis dolenter memoremus, irrepſiſſe inter recentes, & ſequiores, exquirendæ pecuniæ, vias apud nos Matriti, Cordubæ, & fortaſſe alijs in Vrbibus, monopolium lugubrium, ſiue, vt loquimur, *eſtanco de lutos*, quod monopolium exercetur in elocandis Feretro, & operimentis illius, & parietum templi, quò funus ducitur, alijſque id genus, funebri apparatui neceſſarijs, quomodo Romæ elocabantur à libitinarijs, vt colligere, eſt, ex Valerio Antiate, apud Agellium *lib.* 7. *noct. Attic. cap.* 9. *in fine*, Valerio Maximo *lib.* 5. *cap.* 2. Plauto in *aulularia, ſcæna, nimiùm libenter*. Plinio *lib.* 6. *natur. Hiſtor. cap.* 52. Seneca *de tranquillit. vitæ cap.* 11. *& lib.* 6. *de benefic. cap.* 38. Suetonio *in Nerone cap.* 39. non tamen prohibita alijs, præter libitinarios, lugubrium, & funebrium veſtium locatione, vt addiſcere, licet, ex *l. ſed ſi quid* 15. §. *Proinde* 5. illic: *Locaturum, tam ſcænicam, quàm funebrem veſtem. D. de vſufruct.* At apud nos prohibita, & ad monopolium redacta, Regio beneficio: id, quod quamuis permiſſum ſupremo Principi, contra vetitum *l. vnica Cod. de monop. l.* 12. 13. *&* 15. *tit.* 11. *lib.* 6. *comp.* iuncto, ex *millionum*, vt dicimus, *conditiones, cap.* 89. *quinti generis*, ſcilicet, *pro ſubleuando ærario*; nec improbabile Ariſtoteli *lib.* 1. *politic.* 7. & tolerabile, monopolio inducto, in ſpeciebus luxui ſeruientibus. *l. vlt.* §. *Species*, illic: *fucus, D. de publican. & vectigal.* aut ſaltem in rebus, vitæ tuendæ, non abſciſſè neceſſarijs, cuiuſmodi monopolia illa, inductæ à Philippo Secundo, de queis Lud. Cabrera *in illius Hiſtoria lib.* 12. *cap.* 26. &, poſt alios, cenſuit P. Molina *de iuſt. diſput.* 345. *num.* 3. & quamuis monopolio iſto lugubrium, neque offendi prohibitionem illam Canonicam, *cap. vlt. de rebus Eccleſ.* neque præiudicari Eccleſiaſticæ libertati, dummodo, ſi quæ Eccleſiæ propria id genus lugubria habeant, non impediantur, intra earum ſepta, & funera, illis vti, diſputet dextrè noſter Araujo *tom.* 2. *diſput.* 12. *diff.* 1. Negari tamen non poteſt, eſſe, monopolium lugu-

gubrium, rem, Chriſtianæ pietati, & moribus diſſentaneam, vtpote per quam fiunt, veluti vectigales, lugentium lacrimæ, & *coguntur miſeri, inter acerba luctuum, plorare diſpendia facultatum, vt monopolis creſcat de humana morte compendium.* Sicut appoſitè de venditoribus arcarum ad funera, legitur apud Caſſiodorum *lib.* 3. *var. formula* 19. adeo vt, quod eleganter in re ſimili, Ambroſius *lib. de Tobia cap.* 10. *nihil interſit inter funus, & fœnus, nihil inter mortem diſtet, & ſortem.* Iunge D. Gregorij, & Concilij Nannetenſis locos, laudatos ſupra. Sanè, meliore, & pientiore ſæculo, Conſtantinus Magnus, & ſecuti eum, Cæſares, vt ſine defunctorum, & lugentium ſumptu funera fierent, deſignauere in Eccleſia Conſtantinopolitana numerum hominum, qui funera gratis curarent, quos, *decanos lecticarios*, & *copiatas*, vocabant (quin & *laboratores, & foſſarios, ſub Clericorum vocabulo, infauſtis defunctorum obſequijs occupatos*, vt ſcriptum eſt *in l. plerique* 12. *Cod. Theodoſ. de Veteranis*) & ſubſidia funerum, ſumptibus ex officinis, & fundis, in eam rem, itidem deſignatis, quibus & eo intuitu, immunitatem tributariam indulſere. Liquent hæc ex *Nouella Iuſtiniani* 43. *&* 59. & Leonis Philoſophi 12. *l.* 4. *&* 18. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l.* 1. *de luſtrali collat.* cum *l. in Ariminenſi* 15. *de Epiſcop. & Cleric. in Codice Theodoſiano.* Quo exemplo, laudabiliter Romæ inſtitutum *Sodalitium*, vt vocant, *mortis* (cui ſimiles in alijs Vrbibus, Confraternitates, quæ nuncupantur, *miſericordiæ*, *charitatis*; Matritenſi in Curia, *Refugij*) pauperibus ſaltem ſepeliendis, memorat Baronius 3. *tomo annal. ad ann.* 336. *num.* 72. vbi & de *copiatis*, & ſimilibus. De eiſdem, poſt Cuiacium ad *Nouellam* 43. *&* 59. Heribertum Roſuueidium *ad vitas Patrum* in *Onomaſtico* in voce, *tumulum*: exactè Iac. Gothofredus ad *l.* 1. *de luſtrali collat.* *&* 15. *de Epiſcop. in Cod. Theodoſ.* Spondanus, Grætſerius, Kirchmanus, & alij, funebrium collectores.

CAPVT XVIII.

AD LECTIONEM, VESTIARIA, D. L. FVNERIS 37. COLLECTANEA de Veſtiario funebri.

ARGVMENTVM.

Expoſita vulgata lectio *d. l.* 37. in qua, pro, *vectigalibus*, ſunt, *veſtuaria*. Eorum duplex vſus in funere, & legitimus ſumptus. Collocatio veſtis in *l. & ſi quis* 14. *§. Impenſa* 4. *de Religioſ.* Legata veſte, in funus impenſa, an & quæ actio legatario in heredem? Illuſtrata *lex veſtis* 23. *de auro, & arg. leg.* Indumenta cadauerum ex Virgilio, Sidonio, Corrippo. Expoſita *lex* 3. *§. Aduerſus D. de ſepulc. viol.* Pollinctores, & Veſpillones furtis infames. Pecuniæ, & ornamenta, impunè ex monumentis eruta ab his, quibus ius eſt, & auctoritate publica. Noua inde lux, & pax Vlpiano, & Martiano, in *l. lgi* 1. *&* 4. *ad l. Iul. peculat.* Veſtimentum cadaueris toga, aut pallium. Ad *l. filius fam.* 19. *de in rem verſo*, paraphraſis. Neratij inibi ſententia, propoſita, & ad eamdem Pauli nota. Explanatus *verſic. funus enim in d. l.* 19. *Enim, quoniam*, & ſimiles non ſemper pro cauſalibus, ſed interdum *quoniam* pro *quamuis in l. ſi hominem* 19. *de vſu. cap. & in princ. inſtit. de ingenuis* & pro *poſtquam*

apud

apud Terentium, Plautum, & alios. Pater togam emptam à filio, in funus eius erogans, quatenus de peculio obnoxius, vel de in rem verſo. Funerariæ actioni nullus in ea ſpecie locus, & Gutheri obtrudentis nota extruſa. De funebri indumento martyrum, Eutichiani Papę canon enarratus. *Dalmatica* quod genus tunicæ? quando in Eccleſiam penetrarit, & à Diaconis Cardinalibus ad Diaconos alios, & Subdiaconos deſcenderit? Emendatus Seneca, illuſtrati Sacri Scriptores. *Colobium* itidem deſcriptum, & *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de habitu, quo vti oportet intr. Vrb.* lumen immiſſum. Idem quietum veſtimentum, & quare? Proprium Epiſcoporum ſub Pio I. *Dalmaticarum* vſus, inhibitus, vel in funere Pontificio. Explicatus, & emendatus *canon* 4. *Synodi.* 2. *Romanæ*, ſub Gregorio I. Emaculatæ in ſimili mendo *lex* 2. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l. nemo* 14. *Cod. de Religioſ.*

1 SVbſiſtamus tamen parumper. Vox enim, *veſtiaria*, quam pro, *vectigalia*, retinent vulgati Codices in *dict. l. funeris* 37. & pro, *vnctura*, Cuiacius ex Baſilicis reponit, noſtram quoque opellam deſiderat. Scimus, & antiquioribus, & noſtris Interpretibus placuiſſe, *veſtiaria* vocari, veſtes illas, quibus, aut ſepelienda cadauera induuntur (*mortaja*, idioma noſtrum nuncupat) quæue funebri lecto, ſarcophago, aut ſepulchro inſternuntur, vulgò, *paño de tumba*, dicimus, vel denique rogo inijciuntur. Vtramque in rem, frequens apud Romanos veſtium vſus. Vnde & Vlpianus in *l. & ſi quis* 14. §. *Impenſæ* 4. *D. de Religioſ.* vbi & in §. *præcedenti*, pleraque circa impenſam funeris, noſtræ *l. funeris* 37. quaſi è regione reſpondentia, proponit, recenſet etiam impenſam καὶ τὴν ἔνδυσιν, vt exprimit Synopſis Baſilicon *lib.* 59. *tit.* 1. *cap.* 1. & Baſilica ipſa *lib.* 59. *tit.* 1. in *d. l.* 14. §. 4. ſiue, quod idem eſt, *ad veſtem collocandam*, ſic enim propriè, & eleganter dicimus; quamuis, *elocandam*, malit Faber. Ouid. *lib.* 2. *Methamorph.*

.... *Chlamydemque, vt pendeat, aptè*
Collocat.

Eadem mente Scæuola, ſi hæres veſtimenta, alicui legata, erogarit in funus teſtatoris, vtique ſi ignorans, & neceſſariò fecerit, agnoſcit, nihil ei imputari poſſe, nec aut teſtamento teneri, cum neceſſariò, vtiliterque impenderit, neque ad exhibendum, quia neque veſtimenta poſſidet, nec dolo malo fecit, quominùs poſſideret, quamquam ſi hæreditas ſoluendo ſit, poſſitque legatarius indemnis ab hærede ſeruari, vtilem in factum ex teſtamento, actionem legatario in hæredem dari placuerit, cum priuilegio funerario. *l. vlt.* §. *vlt. D. de Religioſ.* iuncta *l. ſi hæres* 63. *l. Mæuius* 66. §. *In fundo D. de legat.* 2. *l. quid ergo* 53. §. *Sed ſi mortuum D. de legat.* 1. *l. ſcriptus* 4. *in fine. l. & ſi quis* 14. §. *Sed & ſi res legatæ. l. vlt. in princ. D. de Religioſ. l. ſi fundum* 105. *D. de condit. & demonſtr.*

Vtrumque verò hunc veſtimen- 2
torum, in re funebri, vſum complexus Vlpianus, videtur, in *l. veſtis* 23. *D. de auro & arg. leg.* dum veſtimentorum numero eſſe, ait, quæcumque induendi, præcingendi, amiciendi, inſternendi, inijciendi, incubandiue cauſa, parata ſunt; namque & induuntur non tantùm viui, ſed etiam mortui, funerandi, & inſternuntur veſtes, atque inijciuntur, non tamen accubantibus, aut dormientibus, ſed etiam lecto funebri, ſarcophago, ſepulcro, rogo. Et primùm quidem, illud, de cadauerum iudumentis, tam in comperto eſt, vt teſtibus non egeat; tales ſunt Ennius, apud Macrob. *lib.* 6. Sa-

Saturnal. cap. 2. Liuius *libr.* 34. Apulei. *lib.* 10. *de aſino.* Lucianus *de luctu.* Hieronym. *lib.* 2. *epiſtol. in vita Paulæ.* Lactant. *lib.* 2. *cap.* 4. alijque plures, quos non tranſcribo, niſi ſi cui collibitum, Virgiliana hæc notatis adijcere, non dum vulgata, *lib.* 11. *Æneidos*:

Harum vnam iuueni, ſupremum mæſtus honorem
Induit, arſuraſque comas obnubit amictu.

Sidon. Apollin. *lib.* 3. *epiſt.* 3. *Quibus, nec elutis veſtimenta, nec veſtitis ſepulchra tribuebant, iuſtè ſic mortuis talia iuſta ſoluentes.* Corrippus *libro* 1.

Purpureaque in veſte iacens requieſcere ſomno.

5 Illuſtrandus hinc potiùs Vlpiani locus in *l.* 3. §. *Aduerſùs D. de ſepulchro violato*, vbi ſcribit, interuenire Præſides ſeueriùs debere aduerſùs eos, qui cadauera ſpoliant, nempe vt veſtes, quibus circumamicta ſepeliebantur, auferrent, quod furum buſtuariorum genus, τυμβωρύχους, Græci vocabant, Latini, *veſpillones*, ideſt, *cadauerum nudatores*, vt ex Antidamo Heracleopolite, probat Fulgent. *de priſco ſermone*, in, *veſpillones*, quoniam vulgares hi, vileſque plebeiorum cadauerum elatores, exportatores (qui, *veſperones*, priùs dicti, mox *veſpillones*, *viſpelliones*, *veſpertiliones*, & in Gloſſarijs priſcis, *biſpelliones*, νεκροθάπται, νεκροφόροι) genus hominum fuit, furtis, rapiniſque veſtium, ſilicernij, aliarumque funebrium rerum infame, vt in pollinctore, quem cum veſpillone confundit, Sidon. *lib.* 3. *epiſtol.* 13. proponit Vlpianus in *l. cuicumque* 5. §. *Idem ait* 8. *D. de inſtitor. act.* vnde & frequens, ſolemniſque in venditionibus mancipiorum ſtipulatis illa, *furem non eſſe, viſpellionem non eſſe. l. ſi ita quis* 31. *D. de euiction.* iuncta *l. ſed ſi ſciendum* 7. *in fine D. ad S. C. Trebellian. l. qui decem* 72. §. *Qui hominem D. de ſolution.* Id circo verò, potiùs apud Vlpianum in *dict. l.* 3. §. *Aduerſùs*, ſpoliationem cadauerum refero ad veſtem, qua induta ſepeliuntur, potiùs quàm ad pecuniam, aliaue ornamenta, quæ ſimul cum corporibus condi ſolebant, quoniam hæc impunè ex monumentis erui poſſunt; ſed hæc ita, ſi eruantur, citra cadaueris, cinerumue iniuriam, cæteroquin nec Iudæi cadauer extrahi, pecuniæ obtentu, poteſt. *cap. ſicut Iudæi* 9. *D. de Iudæis*; & extra normam illam, nuper appoſitam *d. l.* 4. §. *penult.* habiti pro ſepulchrorum violatoribus, & puniti ſepulchrorum, pro extrahendis pecunijs, effoſſores, vt ex Caſsiodoro. *lib.* 4. *epiſt.* 18. Harmenopulo *in promptuario lib.* 6. *tit.* 5. ad finem; & perpluribus alijs, probat pluribus Spondanus in *cæmeterijs lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. *& ſeqq.* *& part.* 1. *cap.* 9. *ex num.* 7. nam, etſi in monumento inueniantur pecuniæ, aut ornamenta, non, quaſi religioſa, tolluntur; *quod enim ſepelire quis prohibetur, id religioſum facere non poteſt, at pecunia ſepeliri non poteſt*: ſicut nec ornamenta alia. *l.* 4. §. *pen. l. ſeruo* 113. §. *vlt. D. de leg.* 1. *l. & ſi quis* 14. §. *Non autem* 5. *D. de religioſ. l. vlt.* §. *vlt. D. de auro, & arg. leg.* iuncta priſca illa, *lege*, duodecim Tabularum, *de auro mortuis non addendo*, de qua Cicero 2. *de legibus. l.* 4. §. *penult. D. ad leg. Iul. pecul.* ſcilicet ab his, quibus ius eſt, & auctoritate publica, vt in *edicto* Theodorici, apud Caſſiodorum, *lib.* 4. *var. epiſtol.* 34. eòque refero, & compono cum *d. l.* 4. §. *penult.* quod ſcriptum eſt in *l.* 1. *eiuſdem tit. Ne quis ex*

pecunia ſacra, religioſa, aut publica auferat; &c. vt poſt inde excipitur, *niſi cui vtique lege licebit*: ſiue, vt Baſilica exprimunt, oſcitante illic Græco Scholiaſte, *lib.* 60. *tit.* 3. *præter ea, quæ lege conceſſa ſunt*. Quamquam aliter Gutherius *lib.* 2. *de iure Man. cap.* 32. Ioannes kirchmanus *de funer. lib.* 3. *cap.* 14.

4 Fuit verò frequens, vulgareque Romanorum cadauerum indumentum, *Toga*, ſicut Græcorum, *pallium*, ideoque illam voto, funerique parari, item pallio cadauera operiri, & Philoſophos amiciri, ſcripſit Apuleius *in Floridis lib.* 1. Iuuenalis illud cui non auditum, *Satyra* 3. vbi ſcholiaſtes vetus:

Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit, niſi mortuus.

Martialis *lib.* 9. *epigr.* 58. Me tamen interim funebris Pauli toga magis ſollicitat, quam ſarturum ſe, & in rem ſtudioſorum verſurum, Gutherius pollicitus, 1. *de iure man. cap.* 17. nimium quàm laceram, & detritam reliquit. Proponit Paulus in *l. filius famil.* 19. *D. de in rem verſo*, Filium familias, nummis vel peculiaribus, vel ab alio mutuis acceptis, togam emiſſe, quam pater, cum ignorans exiſtimaret, ſuam eſſe, filio mortuo dedicauit in funus eius, hoc eſt, in eo induendo impendit, vt ex ſolemni, ſtatoque more togatus humaretur, aut vreretur. Et Neratius quidem aiebat, *in rem patris verſum videri, ideoque*, patrem creditori filij, aut venditori togæ, ſi non dum ei pretium, ex peculio ſolutum, de in rem verſo actione teneri; quoniam, vt Neratius idem oſtendit, negotium hoc (nempe ſepultura, funuſque filij) æs alienum patris eſt. *l. In patrem* 21. *D. de Religioſ.* Proinde, cum inter funeris legitimos ſumptus, ſit veſtiarium, vt in noſtra *l. funeris* 37. non poteſt non videri in rem patris conuerſum togæ prætium, dedicatæ in funus, ad patrem pertinens. *l. &* *ideo* 7. §. *Illud D. de in rem verſo*. Actionem autem de peculio, negabat idem Neratius, in patrem competere, quia, cum toga, cum cadauere condita, vel exuſta, in rerum natura non ſit, non poteſt aliter inde peculio actione æſtimari, quàm ſi dolo malo patris factum eſſe, probetur, quominus toga ſit in rerum natura. Habet enim de peculio actio, etiam poſt mortem ſerui, filij familiaſue, illam adiectionem, ſeu clauſulam, & ſi quid dolo malo eius, cum quo de peculio agitur, factum ſit, quominus in peculio eſſet. *l. ſed ſi damnum* 9. §. *Prætterea. l. ſumma* 21. *l. in bonæ fidei* 37. *D. de peculio. l.* 1. *D. quando de peculio actio. l.* 1. §. *Filium famil. D. depoſiti*. In propoſito verò, dolus patris argui non poteſt, qui ignorans, cum togam ſuam eſſe, exiſtimaret, in funus dedicauit, conſumpſit.

Vtrumque tamen Neratij reſponſum Paulus notat perplexè, vt ſolet, & obſcurè, aſt ſatis, vt notare intelligatur, ex *verſic. atquin*: & primùm quidem, quod ad actionem de in rem verſo, in patrem dandam, attinet, alia, & quidem propiori ratione firmat, quia ſi ponamus, patrem filio togam emere debuiſſe, non nunc, quo tempore funus fit filio, ſiue non, quia in funus dedicata eſt, in rem patris verſum, videbitur; ſed ab initio, ex quo tempore filius emit, vt ea vteretur, quia empta eſt ad neceſſarios vſus, quos patris pietas non recuſaret. *l.* 3. §. *Proinde D. de in rem verſo. l. Macedoniani* 5. *Cod. ad* 5

S.

S. C. Macedon. *Funus enim filij, æs alienum patris eſt*, ait Paulus. *in d. l. filius fam.* 19. quæ ſanè verba, proximè præcedentibus iuncta, ſi vox, *enim*, tamquam cauſalis accipiatur, iuuabunt Neratij ſententiam, de actione de in rem verſo, in patrem danda, quia dedicata toga eſt in funus filij, potius quàm Pauli notam, de eadem danda actione, quia pater filio togam emere debuit. Itaque magnus ille Cuiacius 4. *quæſtionum Pauli ad d. l.* 19. pro verbis illis, *funus enim filij*, reponebat, *funus autem filij*. Tolerabilior ſanè eſt Accurſij expoſitio, quam & Caſtrenſis ſequitur, in *d. l. filius fam.* 19. Mihi tamen non nouum, vocem, *enim*, ſimileſque, pro cauſalibus non accipi, ſed vel abundare, & ornamento tantùm ſeruire, vt in, γαρ, Græcanico, ſæpè contingit, vel vicem diſiunctarum, & aduerſatiuarum fungi. Ita, *quoniam*, pro, *poſtquam*, ſiue, vt Albericus tentauit, pro, *quamuis*, obſeruaui, forſitan primus, neceſſaria alioquin Cuiacij emendatione reiecta, in *l. ſi hominem* 19. *in fine D. de vſurp. & vſucap.* vbi ſic obſcura illa exponenda clauſula: *Quoniam ea venditio propriè dici non poteſt.* Ità eſt, *quoniam*, pro, *quamuis*, explico, in *princip. Inſtitut. verſic. ſed & ſi quis de ingenuis*, correctione Hotmani ibidem exploſa. Namque &, *quoniam*, *poſtquam*, reciproca fuiſſe, adnotauit Donatus ad illud *Terentiani prologi in Adelphis*: *Poſtquam Poeta ſenſit*. Et pro, *quamuis*, vſurpat, *quoniam*, Plautus in *Prologo Aululariæ*, vbi id in, *quando*, multei correctores mutarunt:

Is quoniam moritur (ita auido ingenio fuit)
Nunquam indicare id filio voluit, ſuo,

Varro, & Verrius Flaccus, apud *Seruium* 11. *Æneidos*. *Si filius familias extra Vrbem deceſſiſſet, libertos, amicoſque obuiam proceſſiſſe, & ſub noctem corpus, in Vrbem illatum, in Cereris facibus quoniam prælucentibus.* Ideſt, *facibus tamen prælucentibus.* Ergo, quod Paulus ait, *funus enim filij, æs alienum patris eſt*, iungendum ſuperioribus non eſt, ſed particula, *enim*, pro aduerſatiua accepta, connectendum his, quæ ex eodem Neratio in Neratium Paulus petit, & promit, vt oſtendat, cùm funus pater filio, vel ex Neratij ſententia facere debuerit, in idque togam à filio emptam inſumpſerit, fieri quoque filij debitorem de peculio, quamuis in eo non ſit toga, vtpote iam conſumpta, quia debitum, nomenque patris eſt in peculio, ideoque & de peculio conueniri poteſt, intra annum ſcilicet à morte filij. *l.* 1. *D. quando de peculio actio ann. l. ei qui* 7. *cap. quod cum eo. l. Macedoniani* 5. *Cod. de S. C. Macedon.* venietque inde peculio actionem, & quod in rem patris verſum eſt; vna enim, eademque actio eſt, cui duæ ineſſe ſolent adiectiones, de peculio, & de in rem verſo. *l.* 2. *§. apud Iulianum* 12. *D. de hæred. vel act. vend. §. Præterea, verſic. licet Inſtitut. quod cum eo.* Neceſſaria autem erit, in propoſita ſpecie, adiectio de in rem verſo, ſi eo tempore agatur, quo iam, poſt mortem, filij annus exceſſit; tunc enim, perempta de peculio actione, quæ annalis eſt, ſola ſupereſt de in rem verſo actio, quæ perpetua eſt. *l.* 1. *§.* 1. *D. de in rem verſo. l. ei qui* 7. *Cod. quod cum eo.* Nec funerariæ actioni, contra patrem, vllus hic locus, vt puëriliter tentat Gutherius, cùm quia funeraria extraordinaria, & ſubſidiaria eſt, nec datur, vbicumque alia actio

actio competit. *l. & ſi quis* 14. §. *Labeo* 13. *D. de Religioſis.* in propoſito verò agi de peculio poteſt, vel de in rem verſo. *d. l. filius famil.* 19. tum denique, quia is dumtaxat funeraria experitur, qui funerauit, ſiue in funus impendit. *l. ſi quis ſepulchrum* 12. §. *Hoc edictum D. de Religioſis.* Is autem, qui, filio adhuc viuo, togam vendidit, aut ad eam emendam credidit, impendiſſe in funus filij, dici non poteſt.

6 Sed quando ita deſultoria hæc ſcriptio vagari amat, & inchoata ad Macrum de mortuorum indumentis commentatio, non auerſatur, adijciamus, in gratiam Pontificij Iuris Interpretum, vetus Eutychiani Papæ decretum, quod ei adſcribunt Damaſus *in Pontificali libro cap.* 28. & Anaſtaſius Bibliothecarius *in vitis Pontificum.* Nam cum ſummus hic Pontifex, Aureliano imperante, 342. Martyres, ſuis manibus, ſepeliſſet, conſtituit, *vt quicumque fidelium martyrem ſepeliret, ſine Dalmatica, aut Colobio purpurato, nullatenus ſepeliret.* Fuit *Dalmatica*, genus tunicæ manicatæ, talaris albæ, auroque ſæpe, aut purpura intertexta, quam chiridatam veteres vocant. Ea qui vterentur, quia, ad inſtar tunicæ fœmineæ, prolixa, & ad talos vſque demiſſa, manicis etiam brachia, vſque ad primores manuum digitos, amiciebat, molles, & cuirati habebantur, de quo multis multa Dempſterus *ad Roſinum lib.* 5. *cap.* 35. *in Paralipomenis*, & ad illud *Virgilij*, notarunt plures 9. *Æneidos*:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mithræ.

Seneca *Epiſt.* 33. *Sed in illo magìs annotantur, quia raræ interueniunt, quia inſperatæ, quia nimirum eſt aliquid fortiter dici ab homine mollitiem profeſſo. Ita enim plerique iudicant; apud me verò Epicurus eſt & fortis, licet manuleatus ſit*, vbi libens emendo: *Apud me vir Epicurus eſt & fortis, licet manuleatus ſit.* Poſtea Dalmaticæ, cum Senatoriæ, & Regiæ veſtes eſſe cæpiſſent, vti digniores, auguſtioreſque, translatæ ſunt ad Sacros Eccleſiaſticos vſus, & in, *Colobiorum*, locum ſubſtitutæ, efformatæ priùs in modum Crucis, vt ſcribunt deſcribentes etiam illarum formam. *Gemma animæ cap.* 211. Alcuinus *de Diuinis Offic. cap. quid ſignificent veſtimenta.* Rabanus Maurus *lib.* 7. *de Inſtitut. Clericor. cap.* 20. Ammalarius *de Eccleſiaſt. Offic. lib.* 2. *cap.* 21. D. Iſidorus *lib.* 19. *Orig. cap.* 22. & cum priùs Dalmaticarum in Eccleſia vſus, vel Sacerdotalis dumtaxat, vel Epiſcopalis fuiſſet, conſtituit Sylueſter Primus, vt Diaconi Cardinales in Eccleſia Romana Dalmaticis vterentur, auctore Damaſo *in Pontificali libro*, Vualfrido Strabone *de reb. Eccleſiaſt. cap.* 24. cautumque idem eſt *in Synodo* 2. *Romana cap.* 6. exteris autem Diaconis, non niſi ex Priuilegio Romanæ ſedis, conceſſum, Dalmaticis vti, primis Eccleſiæ temporibus, vt teſtantur D. Gregorius *lib.* 7. *epiſt.* 64. *in diction.* 2. & *epiſt.* 113. quæ extat in *cap. communis* 10. 23. *diſtinct.* quamuis poſtea, vt & hodie, promiſcuus Dalmaticarum vſus Diaconis, & Subdiaconis eſſe cæperit, ſicut indicatur in *cap. de ieiunio* 76. *diſtinct.* & nouiores Pontificij Interpretes adnotarunt.

De *Colubio*, cuius itidem meminit Eutychiani decretum, pleraque 7
ſe neſcire, ſcientiſsimi alioquin viri, fatentur, Briſſonius *de verbor. ſignif. in* voce *Colobum*, Pithæus *lib.* 1.

aduerſar. cap. 16. ſed obſeruarunt alij iam, interque alios, poſt Cuiacium *lib.* 12. *obſeruat. cap.* 39. Cæſar Bulengerus *lib.* 1. *de veſtib. Pontif. cap.* 22. Ioſephus Vicecomes *de Miſſæ apparatu lib.* 3. *cap.* 24. *& ſeqq.* Stephanus Durantius *de ritibus Eccl. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 28. ex alijs, Cerda in *aduerſ. ſacr. cap.* 22. *num.* 1. kirchmanus *de funerib. lib.* 1. *cap.* 10. Ioannes Meurſius *in Gloſſario Græco Barbaro in voce* κολόβιον. Talarem pectoralem tunicam fuiſſe ſine manicis, aurea plagula intertextam, vt monent, præter Alcuinum, & alios *de Diuinis Officijs*, D. Iſidorus *lib.* 19. *Origin. cap.* 22. Caſsianus *de habitu Monachorum cap.* 5. Talem forſan intelligit Ammianus Marcell. *lib.* 1. *Miniſtris fucandæ purpuræ tortis, confeſsiſque, pectoralem tuniculam ſine manicis textam, Maras quidam, nomine, indutus eſt (vt appellant Chriſtiani) Diaconus.* Colobij mentio fit in *l.* 1. *de habitu, quo vti oportet intra Vrbem in Cod. Theodoſian.* Vbi de Senatore ſic: *Sed Chlamydis terrore depoſito, quieta Coloborum, ac pænularum induat veſtimenta.* Colobum, vocatur interior Senatoria veſtis, cui *latus clauus*, ſiue, vt Dorotheus in doctrina deſcribit, σημεῖον τὶ πορφυρῶν, plagula quædam purpurea ſuperiniecta, vnde &, pro lato clauo, vſurpat Helenius Acron *ad Horatium lib.* 1. *Satyra* 5. & graphicè à Petronio depingi, Cuiacius noſter voluit, his verbis: *Expreſsit imprudentibus riſum; pallio enim corcino adraſum incluſerat caput, circaque oneratas veſte ceruices, laticlauiam immiſerat mappam, fimbrijs hinc, atque illinc pendentibus*; quietum verò veſtimentum vocatur in *d. l.* 1. eadem, qua Martialis notione, tunicatam quietem dixit (nam & Colobium tunica fuit) *lib.* 10. *epigr.* 51.

Quos, Fauſtine dies, qualem tibi Roma Rauennam
Abſtulit? ò ſoles, ò tunicata quies.

Sidon. *lib.* 2. *epiſtol. vlt. Iani Numæ, quæ ninguidos menſes in otio fuliginoſo, ſeu tunicata quiete tranſmittere.* Cæterùm ſicut Dalmatica, quæ priùs veſtis Senatoria fuit, teſte Diacono in *vita D. Gregorij*, ita & Colobium ſenſim ad Eccleſiaſticos tranſmigrauit, ac præcipuè ad Epiſcopos, quorum iam proprium indumentum fuiſſe, videtur, ſub Pio I. extat eius *epiſt.* 4. *ad Iuſtum Viennenſem Epiſcopum*, in qua ſic legimus: *Tu verò apud Senatoriam Vrbem Viennenſem eius loco à fratribus conſtitutus, & Colobio Epiſcoporum veſtitus, vide, vt miniſterium, quod accepiſti, in Domino impleas.* Meminit & Colobij, Gratianus *poſt cap. perlatum* 8:19. *quæſt.* 3.

Dignè itaque, meritòque Eutychianus Pontifex, cum Epiſcopali Colobio, aut Dalmatica ſepeliri Martyres voluit, vt eos Crucis, Chriſtique, pro quo paſsi, inſignia mortuos decorarent; ſanè cū increbuiſſet poſtea mos, obtegendi Dalmaticis corpora funeranda, non modò Romani Pontificis, ſed & aliorum ſacrorum miniſtrorum, feretroque ipſi aureum velamen obtendendi, prohibitum diſtrictè id ſub Gregor. I. vt ipſe memorat *lib.* 4. *Dial. cap.* 40. *& lib.* 4. *in Regis cap.* 48. extatque in eam ſententiam *can.* 4. Concilij Romani 2. ſub Gregor. I. cuius verba, quia & prohibitionis cauſam, valde illuſtrādo Eutychiani decreto, congruam exprimunt, volens adſcribam: *Sicut indignos nos pro Beati Petri Apoſtoli reuerentia mens fidelium veneratur: ita noſtram infirmitatem decet, ſemetipſam ſemper agnoſcere, & impenſæ ſibi venerationis onera declinare. Ex amore quippe fidelium huius ſedis rectoribus, mos vltra meritum erupit, vt cum eo-*

eorum corpora humana deferuntur. Ita hodie legitur apud Seuerinum Vinium; in alijs, *corpora deferuntur.* Ego non dubito, quin legendum, *corpora humanda deferuntur.* Vel, *corpora efferuntur.* Similis commutatio vocis eiuſdem, obſeruata iam doctis, in *l. 2. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l. nemo* 14. *Cod. de Religioſ.* in queis pro verbo, *humanis*, & *humanum*, reponenda ſunt, *humandis*, & *humatum*; vt liquet ex *l. penult. & vlt. Cod. Theodoſ. de ſepulchr. viol.* quamuis non neſciam, lectioni, quæ habet, *humanum corpus*, in *d. l. nemo* 14. conſpirare græcanicam, Textus Baſilicon, vbi σωμα ἀνθρώπινον, agnoſcit Scholiaſtes *ſynopſis lib. 60. tit.* 23. poſt *cap. 3. Hæc Dalmaticis contegant, eaſdem Dalmaticas, pro ſanctitatis reuerentia, ſibimet partiendas, populus ſcindat: & cum adſint multa à ſacris corporibus Apoſtolorum, Martyrumque velamina, à peccatorum corpore ſumitur, quod pro magna reuerentia ſeruetur. De qua re, præſenti decreto conſtituo, vt feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur.* Adde, ſi plura cupis, de Colobio, & Dalmaticis, poſt hæc elaborata, editos, & viſos, Octauianum Ferrarium, Magno Baronio parùm æquum, *de re veſtiaria lib. 3. cap. 8. & ſeqq.* Iacobum Gothofredum *ad l. 1. de habitu, quo vti oport. intr. Vrbem, in Theodoſiano Codice.* Andream Sauſaium *in Panoplia Epiſcop. lib. 6. cap. 2. & ſeqq.* Spondanum *in cæmeterijs ſacr. lib. 1. parte 3. cap. 4. num. 4.*

CAPVT XIX.

DE ALTERO VESTIARII FVNEBRIS VSV, CONDENDI, AVT comburendi cum defuncto, ad leg. ſeruo 113. *§. vlt. D. de legat. 1. cum alijs.*

ARGVMENTVM.

Papiniani, & Martiani, in *d l.* 113. *§. vlt.* cum Macro, & alijs, diſsidium. Compoſitum, diſtinctione duplicis vſus veſtium in funere. Earum pro cadaueris, & lecti funebris operimento, receptus ſumptus, legitimuſque, dumtaxat intra modum probabilem, qui & qualis hodie? Pretioſarum veſtium inſumptio in funus, ſuperuacua, improbataque. Defunctorum, qui inſumi eas volunt, ineptę voluntates reprehenſæ. Ornamentorum eadem cenſura, ex *l. & ſi quis* 14. *§. non autem* 5. *de religioſ.* Ad *leg. vlt. §. vlt. D. de auro & arg. leg.* interpretatio noſtra. Alia item Accurſij, Bartolique *in l. 4. §. non fit in fine.* Ad *leg. Iul. pecul.* coniectura. Veſtium modus in funere ex lege decemuirali. Elucidata, quæ de tribus ricinijs; ſed & alia, quæ, mortuis aurum addi, vetabat. Prohibitionis in vniuerſum cauſæ ex Alfonſo ſapiente, & Theodorico. Exceptio prohibitionis eiuſdem in his, quibus defunctis dignitatis inſignia, & ornamenta adijciuntur. Huiuſmodi Pallium Archiepiſcopi, ex *cap. 2. de auctorit. & vſu pallij.* Huiuſmodi etiam apud Romanos inſignia Magiſtratuum, Cenſorum, triumphalium, Imperatorum; & hodie in Principibus, aut militaribus viris arma & pretioſi panni. An & eiuſmodi *palla* Altaris, ſeu corporale? Exponuntur *cap. nemo* 40. *cap. conſulto* 46. *de conſecrat. diſtinct.* 1. Palla Altaris obtegere mortuum, non licet. Aruernenſis Synodi, ſub Vigilio, *canon* 3. expoſitus, emendatuſque, & in Gratiani decreto *cap. cum ſocietas* 17. 27. *quæſt.* 2. ſed & apud Petronium, & Optatum Afrum, correctiones nouæ tentatę, *miniſteria*, & *my-*

myſteria vocum, frequens commutatio. Miniſteria ſacra, pro rebus miniſterio ſacro ſeruientibus, ſæpe in Sacris Canonibus. Ita & in noſtris libris miniſteria, pro ſeruis, & miniſtris.

1 VErùm abſtineo; ac potiùs, vt iam alterum illum veſtiarij funebris vſum, quem indicaui, ſuperiori capite, in principio, cum ſcilicet rogo veſtes comburendæ inijciuntur, breuiter attingam, expendiſſe, & expoſuiſſe, iuuabit, Martiani locum, in *l. ſeruo* 113. §. *vlt. D. de legat.* 1. *Ineptas voluntates defunctorum*, ait Martianus, *circa ſepulturam; veluti veſtes, aut ſi qua alia ſuperuacua, vt in funus impendantur, non valere, Papinianus libro tertio reſponſorum ſcribit.* Nihil ſanè apertè magis contrarium his, quæ huc vſque poſuimus, ſcribi potuiſſe videtur. Nos enim veſtiarij ſumptum, inter receptos, iuſtoſque funeris ſumptus, recenſuimus, *dict. l. funeris* 37. adeò vt impenſæ factæ, ad veſtem collocandam, tamquam probabilis, neceſſariæque funeri, ſit repetitio per actionem funerariam, vel de in rem verſo. *l. & ſi quis* 14. §. *Impenſa* 4. *l. vlt.* §. *vlt. D. de religioſis. l. filius famil.* 19. *D. de in rem verſo.* At, ex Papiniano, Martianus veſtimentorum ad funus impenſam, ſuperuacuam adeò, & improbabilem cenſet, vt nec à teſtatore vtiliter præcipi poſſit, cum inepta eius, circa ſepulturam, voluntas valere non ſoleat. Nec ſanè alia, componendi diſsidij, ratio verior occurrit, quàm ſi duplicem illum, quem inſinuauimus, veſtimentorum in re funebri vſum, opportunè diſtinguamus. Quippe ſi quæratur de veſtibus illis, quibus inuolui ſepelienda cadauera, & operiri, in memoriam veluti humanæ conditionis, obtinuit, dubitandum non eſt, quin ad eas comparandas, ſiue collocandas, impenſa facta inter legitimos, ſolemneſque funeris ſumptus, meritò habeatur. *dict. l. & ſi quis* 14. §. *Impenſa* 4. *d. l. funeris* 37. Dum tamen erogatio hæc intra probabilem modum conſiſtat, veluti ſi Romanis moribus, vulgaris toga emeretur. *dict. l filius famil.* 19; noſtris verò moribus, linei panni, quibus inuolui, & tegi cadauera ſolent, aut quibus operiri Sarcophagus, ſeu funebris lectus, *Mortaja* dicimus, & *paño de tumba. l.* 12. *tit.* 13. *part.* 1. *l.* 2. *verſic. Que por ninguna tit.* 5. *lib.* 5. *compil.* Vel etiam pœnitentiæ indumenta, aut ſacratæ alicuius, ex regularibus, familiæ habitus, queis deuotionis, & pietatis ergo, plerumque mortui amiciuntur, & quidem probabiliter, honeſtèque, vt cenſuerunt Archidiaconus, Turrecremata, & alij in *cap. nemo de conſecrat. diſtinct.* 1. Cæterùm ſi pretioſæ veſtes ſint, quales olim ſæpe funeribus inſumptæ purpureæ, & auro intertextæ, non probant earum in funus erogationem, noſtri prudentes, vt mox ex duodecim tabulis dicemus; *cur enim*, vt D. Hieronymi verbis vtar, *in vita Paulæ, mortuos auratis obuoluamus veſtibus? Cur ambitio inter lachrymas, luctuſque non ceſſat? An cadauera diuitum, niſi in ſerico, putreſcere neſciunt?* Adiungendus ignotior, Ambroſij locus, *libro de Nabuth. cap.* 1. *Quis diſcernat*, ait, *ſpecies mortuorum? Redoperi terram, & ſi potes, diuitem deprehende. Eruderato tumulo, ſi cognoſcis egentem, argue: niſi fortè hoc ſolùm, quòd cum diuite plura pereunt: ſericæ veſtes, & auro intexta velamina, quibus diuitis corpus ambitur, damna viuentium, non ſubſidia mortuorum, ſunt.* Superuacua certè

tè hæc impendia ; vt & vocantur in *d. l. ſeruo* 113. §. *vlt.* & accedentia proximè ad alterum illum veſtimentorum vſum in re funebri, quo apud Ethnicos obtinuerat, pretioſas veſtes, nec tantùm illam, qua cadauer ipſum opertum, aut in ſepulchro ſimul condi, aut in rogum cremandas inijci, vt vel magnus Vates expreſsit, in Miſeni funere, *libro* 6. *Æneidos.*

Purpureaſque ſimul veſtes, velamina nota
Inijciunt.

Tacitus 3. *annal. Pro opibus loci veſtem, odores, aliaque funerum ſolemnia cremabant*, de quo nunc ritu, ſi liberet, liceret pluribus. Sed id, nec otij, nec negotij noſtri eſt.

2 Itaque adnotamus dumtaxat, ad hanc veſtimentorum in funere impenſam, referendum eſſe, quod ſcriptum eſt in *dict. l. ſeruo* 113. §. *vlt.* ineptas defunctorum voluntates, circa ſepulturam, veluti veſtes, aut ſi qua alia ſuperuacua, vt in funus impendantur, non valere. Ineptæ voluntates tales dicuntur, &, vt vocat *lex noſtra* 2. *tit.* 5. *libr.* 5. *compil. Vanas demoſtraciones, y apariencias.* Quoniam vulgaris hęc doloris, & luctus, velut teſtandi, conſuetudo, veſtibus, atque ornamentis cum mortuo conditis, aut combuſtis, aliena valde eſt à meliori, altiorique mente. Vnde, & in *Catone minore*, immodicum hunc funebrem ſumptum, tamquam ſimpliciorem, ἢ φιλοσοφώτερον ἐντυχεῖν, ſuggillat Plutarchus *in eius vita*, & in *Fundanio* notat Plinius, ſoloque pietatis prætextu, velut excuſat, *lib.* 5. *epiſt.* 16. Eademque ratione, & ſenſu, non oportere, cum corporibus condi ornamenta, vel quid aliud huiuſmodi (veluti aureum ſandalium, quod non crematum ſimul cum corpore, & muliebri mundo, conqueritur Demænete illa, ſeptima poſt mortem die reſurgens, apud Lucianum in *Philopſeude*) quod homines ſimpliciores faciunt, ſcribit Vlpianus in *l. & ſi quis* 14. §. *Non autem* 5. *D. de religioſis.* Exemplum rei extat, hinc explicandum, apud Scæuolam, in *l. vlt.* §. *vlt. D. de auro, & arg. leg.* vbi cum mulier decedens ornamenta vniuerſa Seiæ legaſſet, & eodem teſtamento ita adiecisset: *Funerari me arbitrio viri mei, volo, & inferri mihi quæcumque, ſepulturæ meæ cauſa, feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, & viriolas ex ſmaragdis*; & neque hæredes, neque maritus, cum humi corpus darent, ea ornamenta adiecissent, quæ adijci teſtatrix iuſſerat, Scæuola conſultus reſpondit, non illata ornamenta ad legatariam, cui vniuerſa relicta ſunt, non autem ad hæredes pertinere: idcirco, ſcilicet, quoniam verbis illis, *funerari me arbitrio viri mei volo, & quæcumque, ſepulturæ meæ cauſa, feram*, in arbitrio mariti poſuiſſe, teſtatrix, videtur, quæ ornamenta, ſepulturę cauſa, inferrentur, nec in alijs, aut aliter generale ornamentorum legatum minuit, Seiæue ademit, quàm in his, quæ re ipſa corpori humando adiecta, ſimulque illata fuiſſe, conſtiterit. Argumento *ex, l. Lucius* 85. §. 1. *D. de legat.* 2. cuius, & *d. l. vltim.* §. *vlt.* ſententiam ad praxim expendunt Tellius in *l.* 30. *Tauri num.* 6. & nouiſsimè præceptor noſter, & in veſpertina Academica iuris ciuilis Cathedra deceſſor, Regius nunc, in ſupremo Patrimonij Regij Senatu, Conſiliarius, D. Ioannes Baptiſta Larrea *deciſ. Granat.* 40. *num.* 6. & 62. Proinde cum hæredes, maritusque non adiecerint, quia neque ineptam teſtatricis voluntatem, circa ſepulturam, exequi debuerunt, *dict. l. ſeruo* 113. §. *vlt.*

vltim. l. quidam 27. D. de condit. inſtitut. ad legatariam, cui ornamenta vniuerſa, niſi, ſi quæ inferrentur, legata ſunt potiùs, quàm ad hæredes, ex voluntate defunctæ pertinent. Eaque ſingularis reſponſi Scæuolæ ratio eſt, niſi quis aliam malit, quam Accurſio, Bartolò, & alijs placuiſſe ſcio, idcirco, nempe ad legatariam ornamenta, ſepulchro non illata, pertinere, quoniam vno, eodemque teſtamento non videtur generali legato detrahi, atque à recenti adhuc iudicio, eodem fere momento, & contextu recedere voluiſſe, per ſpecialem diſpoſitionem, ſeu tranſlatio rem, niſi ea exitum habuerit. *l. cum ita 9. §. vlt. verſ. puto D. de optione, vel elect. leg.* Quamuis ſi inter viuos ſpecialis diſpoſitio eſſet, ea tamen, etſi inutilis, generali legato derogaret. *l. 3. §. vlt. D. de inſtruct. & inſtrum. leg. l. cum dominus 19. §. vlt. D. de pecul. legato. l. legatum 24. §. vlt. D. de adimend. legat.*

3 Porrò, quod in eamdem fere ſententiam ſcriptum lego, in *l. 4. §. Non fit in fine D. ad leg. Iul. pecul.* ſepeliri pecuniam prohiberi, vt & mandatis principalibus cauetur, mihi quidem ſubindicat, alijs etiam iuris conſtitutionibus prohibitionem hanc ſtabiliri. Et ſanè origo eius fluxit ex legibus duodecim Tabularum, inter quas, quod ad veſtium in funere impenſam attinet, vna fuit, quæ tribus ricinijs, & clauis purpureis ſumptum funeris extenuauit, teſte Cicerone *lib. 2. de legib.* Quippe ricinium ij, qui duodecim tabulas interpretati ſunt, veſtimentum omne quadratum, eſſe, dixerunt, vt ait Feſtus *de verbor. ſignificat. in, Recinium*, ſiue, vt alijs ex veteribus placuit, palliolum quadratum, fimbriatum, purpureum, quo tamquam mitra, ſiue operimento capitis, & Flaminicæ redimiri, & in luctu fœminæ amiciri ſolebant, vt colligere, licet, ex eodem Feſto in *voce, Rica.* Nonio Marcello in, *Ricinium.* Iſidoro *libro 19. orig. cap. 25.* Seruio *1. Æneidos.* Vtrumcumque autem ſit, exploratum iam eſt, apud eruditiores, & inter eos kirchmano *de funer. lib. 2. cap. 17.* Samueli Petito ad leges Atticas, *ſub tit. 8. de ſepulchris* (nec Ræuardum *ad leges duodecim Tabul. cap. 13.* audio, aut Gutherium *lib. 1. de iure man. cap. 17.* incaſſum refragantes) eam fuiſſe mentem legis decemuiralis, vt quoniam fœminæ mortuum, dum ſupra terram eſſet, riciniatæ lugere ſolitæ, ac poſtea, depoſitis ricinijs, & in funere ipſo pullis pallis amictæ, vt Varro ſcribit *lib. 3. de vita Populi Romani*, ricinia in funus erogare, & cum cadauere cremare, aut condere conſueuerant, prohiberetur deinceps, extenuandò ſcilicet funeris ſumptui, plura tribus ricinijs cum mortuo ſepeliri, aut comburi. Sic enim etiam in Solonis legibus, ex quibus caput hoc de tribus ricinijs translatum, teſtatur Cicero *lib. 2. de legib.* cautum erat, ne plura tribus pallijs in feralem lectulum conijcerentur, &, vt Plutarchus, in *Solone*, loquitur, τρία ἱμάτια, quibus in duodecim Tabulis reſpondent, *tria ricinia.* Sed & quod ad pecuniam, & ornamenta cum mortuis ſepelienda, vel cremanda pertinet, orta etiam prohibitio, ex alia duodecim Tabularum lege, quæ mortuis aurum addi, vetabat: *neue aurum addito*, ait Cicero *2. de legibus*, vbi exceptionem adijcit illius, cui auro dentes vincti eſſent, nobile ſatis Romanæ λεπτολογίας, in re funebri documentum. Vnde & conſuetudinem, annulos morientibus detrahendi, fluxiſſe, dici poteſt, de qua Plinius

lib. 33. *natur. Hiſt. cap.* 1. Sueton. in *Tiberio cap.* 37. iuncta *l. cum pater* 77. §. *Pater pluribus* 21. *D. de legat.* 2. prohibitionis verò ratio, namque & eam origini adtexere, iuuabit, nullibi expreſſa meliùs eſt, quàm apud Alphonſum noſtrum, cognomento ſapientem, in *l.* 13. *tit* 13. *part.* 1. vbi tres hæ cauſæ adſcribuntur, quæ ſuadent, veſtes, ornamenta, & pecuniam, cum corporibus condi non debere: *La primera, porque no tiene prò à los muertos, en eſte mundo, ni en el otro. La ſegunda, porque tiene daño à los viuos, ca las pierden, metiendolas en logar, donde las no deuen tomar. La tercera, porque los homes malos, por cobdicia de tomar los ornamentos, que les meten, quebrantan los lucillos, è deſotierran los muertos.* Iungenda hæc Theodorici apud Caſſiodor. *lib.* 4. *variar. epiſt.* 34. *Dudæ Saioni. Prudentiæ mos eſt, in humanos vſus, terris abdita talenta reuocare, commerciumque viuentium non dicere mortuorum, quia & nobis infoſſa pereunt, & illis in nulla parte profutura linquuntur*, & paulò poſtea: *Talenta non teneant qui viuendi commercia reliquerunt; aurum enim ſepulchris iuſtè detrahitur, vbi dominus non habetur: imò culpæ genus eſt, inutiliter abditis relinquere mortuorum, vnde ſe vita poteſt ſubſtentare viuentium.*

4 Habet autem, habuitque ſemper hæc prohibitio exceptionem illam, niſi quibus aut dignitatis, aut ſingularis dignationis ergo, pretioſas veſtes, & ornamenta aurea, aut argentea, propriaque inſignia defunctis adijci moris eſt, veluti Regibus, & Regio ſanguine prognatis proceribus, vt & Epiſcopis, Presbyteriſque, quos cum Epiſcopalibus, vel Sacerdotalibus indumentis ſepeliri, ſcimus, *d. l.* 13. *tit.* 13. *part.* 1. & pragmatici noſtri adnotarunt. In quam ſententiam pallium illud ſuperhumerale, Archiepiſcoporum inſigne, debere cum Metropolitano, cui conceſſum eſt, ſepeliri, ſingulariter proditum, memini, in *cap.* 2. *de auctorit. & vſu pallij*: id quod in pallio S. Norberti Archiepiſcopi Magdeburgenſis, & Præmonſtratenſium Patriarchæ, reperto hiſce annis ſimul cum ſacro illius corpore, cum è tumulo Pragam, Bohemiæ Regiam Vrbem, transferretur, commemorat Sauſaius in *Panoplia Epiſcopali lib.* 6. *cap.* 7. Quippe, vt Seruius ad illud *Virgilij* 11. *Æneidos*:

> *Addit equos, & tela, quibus ſpoliauerat hoſtem.*

In antiquis diſciplinis relatum eſt, quæ quiſque ornamenta conſecutus eſt, vt ea mortuum cum condecorarent. Ita apud Romanos efferri Magiſtratus in toga prætexta, Cenſores purpurea, triumphales palmata ſolebant, auctoribus Polybio *lib.* 6. Liuio *lib.* 34. & alijs. Ita & Cæſares cum diademate, & purpura, aliiſque Imperij, & triumphorum inſignibus, funerati, quæ inter alios deſcripſit, nemo meliùs Corrippo, Africano Grammatico in *laudibus Iuſtini minoris*, vbi de Iuſtiniani funere *lib.* 1.

> *Sic ſuprema ſuæ ſeruans inſignia vitæ*
> *Iuſtinianus erat, non mutans morte colorem.*

Et paulò poſt:

> . . . *Diademate comptus,*
> *Purpureaque in veſte iacens.*

Ac denique:

> *Hæc ideo fieri viuax ſapientia iuſſit,*
> *Ornatum vt proprijs funus Regale triumphis*
> *Auguſtum in tumulum fatalis duceret hora.*

Tandem ita etiam noſtris, priſciſque mo-

moribus; militares viri cum armis, aliiſque ſtipendiorum decoramentis, plerumque funerantur. *cap. in noſtra* 10. *de ſepulturis*, vbi id expreſſum credidit, Albericus, in *l. ſeruo* 113. §. *Ineptas D. de legat.* 1. Atque eò referenda *lex* noſtra 13. *tit.* 13. *part.* 1. Dum à regula non erogandi in funeribus pretioſa ornamenta, excipit Regia funera, & aliorum illuſtrium, ſiue honoratorum, vt ait, *à quien ſoteraſſen ſegun la coſtumbre de la tierra*. Cuius conſuetudinis, ſimulque Regiæ pietatis documentum veluti eſt, quod proditur in Ferdinandi Quarti Caſtellæ Regis *Chronico cap.* 3. de Regia illa Heroina Maria, Ferdinandi matre, quæ cum prope Valliſoletum efferrentur in Aragoniam Petri Infantis, & aliorum Aragoniæ magnatum cadauera, contagio abſumpta, non modò innocuum tranſitum copiarum hoſtilium reliquijs præberi iuſſit, ſed & tranſmiſit, Infantis, & aliorum nobilium feretris digne operiendis, pretioſos pannos, vt vocabant, *de tartari*.

5 Sed quod de pallio, cum Archiepiſcopis ſepeliendo, diximus, vt alio inſuper tot funebribus ornamentis addito, pergamus etiam, de Pontificij iuris cultoribus benemereri; ſuo veluti iure poſtulat, vt adnotemus, non idem dici poſſe de palla Altaris, hoc eſt de eiuſdem ſacro operculo, aut dominici corporis pallio, & indumento, quod communiori voce dicimus, *corporale*, quia imaginem, & quaſi munia ſubſtinet mundæ illius Syndonis, &, vt D. Ioannes indigetat *Euang. cap.* 19. ὀθονίοις, quo Chriſti corpus ad ſepulturam inuolutum nouimus: vnde & ab Euſebio, & à Siluestro I. in *epilogo Romanæ Synodi* ſtatutum, ne Altaris, ſeu dominici corporis conſecratio in panno ſerico, aut tincto fieret, ſed in palla linea, puraque, ad ſimilitudinem mundæ illius Syndonis, ſiue lintei, vt in *Pontificali libro* Damaſus memorat; & proponitur in *cap. conſultò* 46. *de conſecrat. diſtinct.* 1. iuncto *can.* 3. Concilij Rhemenſis. De quo ritu multa Durantus, & minores alij, Ritualium Eccleſiæ Collectores. Hæc itaque ſacrata palla, vt & vocatur in *cap. ſacratas* 25. 23. *diſtinct.* non proinde vti pallium, adhiberi ſepulchris poteſt. Quin potiùs de illa Clemens Romanus *epiſt.* 2. *ad Iacobum fratrem Domini*, ità ſcribit: *Nemo per ignorantiam Clericus, palla mortuum credat obuoluendum*. Et deinceps, ſicut refertur in *cap. nemo* 40. *de conſecrat. diſtinct.* 1. Confirmatur autem hæc ſanctio, vt prænotatum Magno Magiſtro Franciſco Suario, & ex eo maioribus Gratſero *de funere Chriſtiano lib.* 1. *cap.* 11. Spondano in *cæmeter. lib.* 1. *part.* 3. *cap.* 4. *num.* 4. &, ex Salmaticenſibus, noſtro Baſilio Legionenſi *var. diſput. part.* 1. *quæſt.* 2. *cap.* 24. in Concil. Antiſiodor. *can.* 12. Bituricenſi *can.* 13. apud Lemouicenſem Synodum *act.* 2. proprièque in Conc. Aruernenſi 1. *can.* 3. *Obſeruandum*, inquit, *ne pallis, vel miniſterijs Diuinis defunctorum corpuſcula obuoluantur*. Et prohibitionis ratio redditur *canone* 7. eiuſdem Synodi. *De opertorio dominici corporis, ſeu palla Altaris, nunquam Sacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur, quia ſacro velamine vſibus ſuis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur*. Fuit verò (nec diſſimulo) cum in *can.* 3. pro verbis illis *miniſterijs Diuinis*, reponendum putarem, *myſterijs Diuinis*. Sic etenim pallas Clemens appellat *d. epiſt.* 2. ibi: *Qui hæc fecerit, vel leuiter, quaſi nihil, & negligenter habuerit Diuina myſteria*.

Fre-

Frequenſque iſtarum vocum, *myſterij*, & *miniſterij*, etiam in alijs libris commutatio; ſic in *cap. cum ſocietas* 17. 27. *quæſt.* 2. pro verbis illis, quæ vulgata, apud Gratianum, lectio habet, & Gloſſæ exponunt: *Illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua non docetur nuptiale Miſſæ miniſterium*, reponenda vox *myſterium*, ex Archetypo Epiſtolarum Leonis *I. ad Ruſticum cap.* 4. *dict. cap. cum ſocietas* 17. & ex Iuonis Carnotenſis *decreto parte* 8. *cap.* 74. Ita & apud Petronium *Satyrici cap.* 78. *myſteria* pro, *miniſterijs*, eleganter ſubſtitui, putarim, illo in loco, quem ſic huc vſque vel eruditiores ediderunt. *Non enim*, inquit, *res geſtæ verſibus comprehendendæ ſunt, quod longè meliùs Hiſtorici faciunt, ſed per ambages, deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum, præcipitandus eſt liber ſpiritus, vt potiùs furentis animi vaticinatio appareat, quàm religioſæ orationis ſub teſtibus fides.* Ita & apud Optatum Afrum *lib.* 6. *aduerſùs Parmenianum*, vbi de Altaribus à Donatiſtis raſis, ſic inter alia: *Quid quòd ſi ſic coniuraſtis, vt quæ à nobis in nomine Dei in ipſo miniſterio tacta ſunt* (lego, *miniſterio*) *immunda viderentur; quis fidelium neſcit, in peragendis myſterijs ipſa ligna linteamine operiri. Inter ipſa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum*; atque ita pridem coniectabar, ante Optati editionem, Albaſpino cu- rante, & corrigente, publicatam, in qua ſic legitur. Sed quod ad Aruernenſem canonem attinet, miniſteriorum vocem libens retineo, quæ & retinetur in eo canone à Iacobo Sirmondo, Conciliorum Galliæ editore, & in eodem Concilio poſtea vſurpatur pro rebus miniſterio ſacro ſeruientibus, veluti palla, & ſimilibus, vt in *can.* 8. qui ſic habet. *Ne ad nuptiarum ornatum miniſteria Diuina præſentur, ne, dum improborum contactu, pompaque ſæcularis luxuriæ polluuntur, ad Officium Sacri Myſterij videantur indigna.* Extat apud Gratianum in *cap. ad nuptiarum* 42. *de conſecrat. diſtinct.* 1. quomodo & miniſteriorum appellatio exaudienda, de vaſis, pallis, ornamentiſque ſacris, in *cap. non licet* 32. *diſtinct.* 23. & in Concil. Bracharenſi 3. *can.* 2. Toletano. 17. *can.* 5. & in Pontificali Damaſi in *Sixto I.* & in *Vrbano I.* eadem prorſus notione, apud noſtros, miniſteria pro ſeruis, rebuſque, quæ in miniſterio habentur. *l. ſi ſeruus* 27. §. *Si fornicarius D. ad l. Aquil. l. obligatione* 6. *D. de pignorib. l. quæſitum* 12. §. *Idem Celſus* 31. *D. de inſtructo, & inſtrum. leg.* d. *cap. nemo* 40. *de conſecrat. diſtinct.* 1. ibi: *Subiecta ſibi non commonuerit miniſteria*, hoc eſt, *miniſtros*. Sextus Aurel. Victor in *epitome de vita, & morib. Imper.* vbi de *Theodoſio*: *Prohibueritque lege, miniſteria laſciua, pſaltriaſque comeſſationibus adhibere.*

(§)

CAP.

CAPVT XX.

COLLECTANEÆ DE VESTIARIO FVNEBRI, APPENDIX; De lugubrium impenſa, practica diſputatio.

ARGVMENTVM.

LVgubrium hodie impenſa, an legitima, vt vel in ære alieno præcipi, vel ex bonorum quinto, aut tertio, noſtris moribus, deduci poſsit? Pragmaticorum ſententiæ propoſitæ. Earum confutatio, & cenſura. Romano iure, ſumptus lugubrium inter ſolemnes funeris. Argumenta eius rei ex propria penu. Expenduntur noſtra *lex funeris 37. l. ſi quid 15. §. Proinde D. de vſuf. l. genero 8. D. de his qui not. infam.* Libitinarij locatores funebrium. Lugubrium forma, apud Romanos, deſcripta breuiter. Eorumdem de vſu, ex Regio Hiſpano iure, noua noſtra diſtinctio. Lugubria propriè neceſſaria ad funus ducendum, iuſtaque mortuo facienda, ſi intra probabilem modum ſint, neceſſariò eroganturideoque deducuntur ex quinto, aut tertio, liberis, aut parentibus ſuperſtitibus, & præcipiuntur ante alienum æs, ſi ſolvendo non ſit hæreditas. Lugubrium, queis, poſt funus, neceſſarij, & domeſtici luctum defuncto faciunt, non prefertur impenſa creditoribus; probabilis tamen eſt, neque illegitima, noſtris moribus. Eorum, ſi defunctus præberi iuſsit, deductio ex quinto, vel tertio. Ceſſante autem ea iuſsione, non item, & quare? Proprium, perſpicuumque diſtinctionis noſtrę argumentum ex *l. quid ergo 53. §. Sed ſi mortuum D. de legat.* 1. Defuncti famulis lugubria præbita detrahuntur ex quinto, aut tertio. Perpenduntur non ſemel, & exponuntur *Regiæ leges 7. tit. 1. ordinam. l. 2. tit. 5. lex 13. tit. 6. lib. 5. & l. 14. §. 21. tit. 12. lib. 7. compilat.*

ILlud denique, ne noſtra hæc, de funebri veſtiario, collectanea, deuiare prorſus à foro, & pragmaticorum ſubſellijs videatur, breuiter diſcutiendum, ſupereſt, an ſcilicet, quæ de legitima, receptaque veſtium, in funere, impenſa diximus, pertineant etiam ad lugubria indumenta, quibus aſſumptis defunctorum, liberi, parentes, vxores, hæredes, & alij ſanguine coniuncti, item eorum famuli, luctum, animique dolorem teſtari ſolent, vnde & idioma patrium, *lutos*, vocat, ſicut Latinum, *lugubria*, & *mortualia*. Videndnm ergo, an hæc vſque adeo inter ſolemnes funeris ſumptus computentur, vt ante omnia ex hæreditate deducantur, vel, noſtris moribus, ex quinta bonorum defuncti parte, in quam cætera funerum impendia imputari iubentur, Regia *l. vlt. tit. 6. lib. 5. compilat.* ac de qua ſola patres liberis ſuperſtitibus, liberam teſtandi facultatem apud nos habent, ſicut filij ipſi de tertia ſola, ſi ſuperſtites parentes relinquant. *l. 1. tit. 8. lib. 5. compilat. l. 12. tit. 6. eod. lib.* In hac autem quæſtione, nondum, inter noſtrates, ſatis conuenit, & vt vulgatum illud leuiter immutem, *certant pragmatici; & adhuc ſub Iudice lis eſt.* Alij veſtes has lugubres, ſiue vxori defuncti, eiuſque familiæ, ſiue hæredibus, eorumque famulis præbeantur, ac ſiue eas teſtator præberi, iuſſerit, ſiue non iuſſerit inter funeris probabiles ſumptus computari, aiunt, & ex quinto bonorum defuncti deduci, ſi is filios ſuperſtites reliquerit, ex tertio verò, ſi parentes. Ita Ciſuentes, & Gomez Arias in *l. 30. Tauri num. 5.* Caſtillo *ibid. num.* 11.

Angulo *de meliorationibus in l.* 13. *gloſ.* 1. *num.* 16. *tit.* 6. *lib.* 5. *compil.* Gamma *deciſ. Luſitan.* 309. *num.* 5. Velazquez de Auendaño in *d. l.* 30. *Tauri num.* 8. Alij ex aduerſo contendunt, erogationem in lugubria, pro funeris impenſa, haberi non debere, nec deduci, aut ex bonorum defuncti aceruo, aut ex quinta eorum, vel tertia parte; eiuſque ſententiæ, poſt Baldum, primus laudatur Auctor, Tellius Fern. in *d. l.* 30. *Tauri num.* 4. cui ſubſcribunt Matienço in *d. l.* 13. *gloſſ.* 1. *num.* 2. *tit.* 6. *lib.* 5. *compilat.* Ioann. Garcia *de expenſis cap.* 8. *num.* 22. latè Ayora *de part. tionib.* 2. *part. quæſt.* 12. *num* 24. Valaſcus *eod. tract. cap.* 19. *num.* 53. Alij denique erciſcundi diſtingunt inter lugubres veſtes hæredum, & familiæ, & inter eas, quæ vxori, famuliſque defuncti ex conſuetudine præſtantur. Illas enim, ex vniuerſa hæreditate deduci, & hactenus funeris ſumptus eſſe, non vt ante æs alienum, præcipiantur, ſed vt hæredis onus ſint potiùs, quàm legatarij tertij, vel quinti. Iſtas verò ex tertio, quintoue bonorum erogari ſemper, volunt Gregor. Lopez in *l.* 12. *gloſ.* 8. *ad fin. tit.* 13. *part.* 1. Azeuedo in *l.* 13. *num.* 6. *tit.* 6. *lib.* 5. *compilat.*

2 Ego tamen, *qui nihil temerè credo, niſi nihil temere credendum, temerè porrò credi, quodcumque ſine originis agnitione creditur*, vt Tertullianus alibi ſcribit *lib.* 5. *aduerſùs Marcionem cap.* 1. nihil in tot noſtratium opinionibus inuenio, quod veram ſapiat iuris rationem. Idque illa breuiter reuelata, ne ſingula ſingillatim refellam, liquebit ſatis. In primis autem, iure Romano, dubitare non poſſum, quin lugubrium veſtium impenſa, inter ſolemnes funeris eſſet, vtique earum veſtium, quibus amicti defunctorum liberi, parentes, liberti, & hæredes, funus proſequebantur, præ cæteris ille, qui funus faciebat, cui ſoli licuiſſe, prætexta pulla vti, Feſtus teſtatur *lib.* 14. in voce, *prætexta*. Huius autem ſententiæ, quam præſenſerunt laudati à Surdo *deciſ.* 255. *num.* 28. & ante eos, Accurſius, Bartol. & alij Claſſici in *l. ſi ex re* 28. §. *vlt. D. de ſtipulat. ſeru.* (leui quamuis argumento eius loci, de quo iam alio capite) hæc in libris noſtris veſtigia obſeruaui. Primum in *l. noſtra funeris* 37. quæ inter alias funeris impenſas recenſet, *veſtiaria*, ſi modò vulgatam lectionem ſequamur. Quo ſanè verbo, quamuis huc vſque veſtes, quæ, vel cadaueri operiendo, vel ſepulchris, aut rogo inijciuntur, intellexerimus, propriè tamen etiam ſignificari lugubres veſtes, quibus defuncto exequias ire, funuſque facere familia ſolebat, negari non poteſt; inficietur licet Garcia *de expenſ. cap.* 8. *num.* 17. Valaſcus *de partition. cap.* 19. *num.* 54. Secundum eſt in *l. ſed ſi quid* 15. §. *Proinde D. de vſufr.* vbi, ſi veſtis Scænicæ, vel Aulæi, aut alterius apparatus, vſusfructus legatus ſit, ſcribit Vlpianus, poſſe fructuarium locare tam Scænicam, quàm funebrem veſtem, tametſi qui legauit, commodare, non locare, ſolitus fuerit. Et tamen certum eſt, nec locationem, nec commodatum cadere potuiſſe in eam funebrem veſtem, quæ cum cadauere condenda, aut cremanda præberetur; quia ſic eam conſumit, & commodanti, vel locanti perire, neceſſe eſſet, quod commodati, aut locationis natura, in quibus vſu ad tempus conceſſo, eadem ſpecies reddenda eſt, non admittit. *l.* 2. *D. de rebus credit. l. rei commodatæ* 8. *D. de commodat. l. non ſolet* 39. *D. locati.* Quin neque fructuarius ſic ve-

veſte abuti poſſet, vt eam conſumendam locaret, maximè vbi veſtimentorum proprium vſumfructum, non ſicut quantitatis, legatum proponimus, vt in *dict. l. ſed ſi quid* 15. §. *Etſi veſtimentorum* 4. Neceſſe igitur eſt in *d.* §. *Proinde*, funebris veſtis appellatione, eam intelligi, quæ funus proſequentibus locari ſoleret, ita vt poſt exequias, aut luctum, eamdem redderent locatori. Tales libitinarij, qui vel funeri neceſſaria, veluti veſtes lugubres locabant, vel vniuerſum funeris apparatum, ſua impenſa, præſtabant, quod cum fieret, funus eis locari dicebatur. Vt ex Valerio Antiate, & alijs prænotauimus iam *cap.* 13. Agnoſcit ergo Vlpianus in *d.* §. *Proinde*, tamquam probabilem, receptamque lugubrium ad funus impenſam. Tertium eſt in *l. genero* 8. *D. de his qui notantur infamia.* Vbi de vidua, quæ poſt legitimum lugendi tempus mariti mortem cognouit, ex Labeone Vlpianus ſcribit, ipſa die ſumere eam lugubria, & deponere; ſolemnis adeo, ſtatuſque in funere lugubrium vſus, vt & tranſacto illius, & lugendi tempore, cum primùm mortuum maritum ſciuerit, lugubria viduam ſumere debere, veteres putent; iunge tamen *l. decreto* 15. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog.* & hæc quidem ex libris noſtris; ex peregrinis verò ſi quis plura de lugubrium in funeribus vſu, veſtiumque mutatione, quam, præeuntibus Ægyptijs, inter cæteras gentes Romani, in proximorum ſuorum interitu vſurparunt, teſte Seruio *ad libr.* 11. *Æneidos*, ita quidem vt filij atrati, velatiſque capitibus, filiæ verò, fœminæque aliæ propinquæ domi riciniatæ, extra verò pullatæ, toga Anthracina indutæ, vel amiculo nigello, apertis capitibus, capillo demiſſo, ſeu paſſo, prolixo circum caput reiecto negligenter, vt Terentius loquitur in *Heautontim*, mediocriter veſtitæ veſte lugubri, & ſub Imperatoribus albatæ in funus prodirent, vt ſubindicant Varro, apud Nonium, in *Anthracinis*, & Plutarch. *in Roman. problem.* 14. adeat kirchman. *de funerib. lib.* 2. *cap.* 17. Gretſerum *de funere Chriſt. lib.* 1. *cap.* 12. Gutherium *de iure man. lib.* 3. *cap.* 29. Sopranem *in Dauidem digreſſ.* 3. *de luctu cap.* 4. & 7. Bulengerum *de Imperatore Rom. lib.* 3. *cap.* 9. pro more, ac modulo ſuo, plura aggerantem, Iulium Laborium *vari elucubrat. tit.* 2. *de ritib. fun. cap.* 3. *num.* 138. & *ſeqq.* Ludouicum Dorleans in *Tacitum* 2. *annal.* vbi de Germani luctu, & funere.

Iure autem Regio noſtro, cuius, 3 vt ita dicam, in terminis noſtrates, quorum ſupra meminimus, loquuntur; diſtinguendus eſt vſus lugubrium veſtium neceſſariarum ad funus ipſum ducendum, iuſtaque mortuo facienda, ab alijs quibus poſt diem elationis, & exequiarum defunctorum proximi, vel hæredes vti, & teſtari luctum ſolent; nam, quod ad priora lugubria attinet, receptus adeo, frequenſque noſtris moribus eorum vſus eſt, quamuis pro dignitate, & facultatibus defuncti, locique conſuetudine modò amplior, modò minor, vt, ſine quadam veluti contumelia, mortui prætermitti non poſſit, vt Vlpianus aliàs ſcribit in *l.* & *ſi quis* 14. §. *Iudicem D. de religioſis*, nec Regiæ leges improbant, prohibentue, dum tamen intra formam eiſdem præſcriptam, conſiſtat. *l.* 7. *tit.* 1. *lib.* 1. *ordinam. l.* 2. *tit.* 5. *lib.* 5. *compilat.* Proinde horum lugubrium ſumptus, apud nos, non modò vtilis, probabiliſque, ſed etiam neceſſarius cenſendus eſt, vtpo-

pote ſine quo, ſalua dignitate defuncti, funus dici non poteſt. *l. & ſi quis* 14. §. *funeris* 3. *D. de religios.* Quibus conſequens eſt, vt non tantùm ex quinta bonorum parte, quæ, deducto ære alieno, ſupereſt, extrahi debeat, ſi defunctus ſuperſtites liberos relinquat, aut ex tertia, ſi parentes, iuxta *l.* 13. *tit.* 6. *lib.* 5. *compilat.* ſed & quod magìs eſt, ſi ſoluendo non ſit hæreditas, aut ſi liberi, vel parentes defuncto non ſuperuixerint, deducatur ex vniuerſa hæreditate, ante omne, æs alienum. *l. impenſa* 45. *D. de religios. l.* 2. *D. de priuileg. credit.* aliàs *l. quæſitum* 17. *D. de reb. auctor. iud. poſsid.* nihil enim, duobus his caſibus, circa priuilegium funerariæ innouatur, conſtitutione *d. l.* 13. vt agnoſcit D. Præſes Couarr. *in C. Raynaldus* §. 3. *num.* 2. *de teſtam.* poſt alios, clariſsimus præceptor meus, D. Antonius Pichardus in §. *cum autem num.* 10. *Inſtitut. de lege Falcid.* Amator Rodrig. *de cuncurſ. credit.* 1. *parte art.* 3. *num.* 9. Azeuedo *in d. l.* 13. *num.* 11. *&* 18. Gutierrez *lib.* 2. *practic. quæſt.* 72. dum tamen ſemper lugubrium ſumptus modicus ſit ex dignitate, & facultatibus defuncti, loco, tempore, & bona fide ſic coercendus, vt quamminimùm creditoribus noceatur. *l. ſi quis ſepulchrum* 12. §. *ſumptus. l. & ſi quis* 14. §. *hæc actio, verſic. æquum D. de religios. l.* 1. §. *vlt. D. ad leg. Falcid. l.* 12. *tit.* 13. *part.* 1.

Sed ſi de alijs lugubribus quæratur, quibus induti, poſt funus factum, neceſſarij, domeſticique, defunctorum memoria, luctum habere ſolent, longè alia eorum ratio eſt. Nec enim eorum impenſa neceſſaria dicetur, cum ſine illa funus duci poſsit: proinde nec pręferenda creditoribus vnquam, quibus dumtaxat neceſſarij ſumptus funeris anteponuntur: *d. l. & ſi quis* 14. §. *funeris* 3. Probabilem tamen, nec omnino illegitimam, vanamue etiam horum lugubrium impenſam eſſe, præſertim noſtris moribus attentis, negari non poteſt: idque mihi apertè ſubindicant in *l.* 7. *tit.* 1. *lib.* 1. *Ordinam.* verba hæc: *Pero que puedan veſtir por luto paño prieto; porque es mueſtra, y ſeñal de amorio, que hauian con ſus parientes finados, y que lo traigan tres meſes.* & adſtipulatur *lex* 2. *tit.* 5. *lib.* 5. *compilat.* quæ fruſtrà de perſonis, tempore, ac forma lugubrium, tam accuratè ſanciret, niſi eorum vſum, impenſamque probaret, intra limites eadem lege præſcriptos, quæ & ſeruari iubetur, in *l.* 14. §. 21. *tit.* 12. *lib.* 7. *compilat.* Proinde de his lugubribus ita cenſeo, vt ſi quidem defunctus, cui liberi, vel parentes ſuperſunt, ea præſtari iuſſerit, tunc vel tamquam funeris ſumptus, quos defunctus funeri neceſſarios putauit, vel tamquam legata his perſonis, quibus præſtari iuſsit, relicta, ex bonorum quinto, vel tertio deduci debeant, iuxta *d. l.* 13. ſin autem nihil defunctus de lugubribus hiſce præceperit, nec de quinto quidem, aut tertio ea deduci debent, quia nec propriè funeris ſumptus ſunt, cum ſine his, vt dixi, funus duci poſsit, nec licere æquum eſt, hæredibus, aut teſtamentarijs, qui plerumque ipſi ſunt defunctorum liberi, parentes, aut conſanguinei, quibus hæc lugubria præſtantur, de alieno erga ſe liberales eſſe, & erogatione non neceſſaria, tametſi probabili, quintum, tertiumue abſumere, & veluti colludere, ac conſpirare in necem animæ defuncti, cui plerumque quintum ſubſeruit, aut alterius legatarij tertij, vel quinti; quod & alienum valde eſſet à ſententia *d. l.* 13. quæ id circo ſumptus funeris ex quinto deduci voluit, ne ſi ex bonorum cumulo extraherentur,

le-

legitimas filiorum portiones minuerent, non autem è contrario, vt abſumpto in lugubria quinto, cum diſpendio defuncti animæ, aut legatariorum, filij, vel alij, queis lugubria præſtantur, ditarentur. Expendi, in hanc ſententiam, propriè poſſunt veterum loci, quibus docemur, ſi res legata in funus inſumatur, indemnem ab hærede legatarium ſeruandum eſſe, niſi aliunde non eſſet, quo teſtator funeraretur, & omnino neceſſaria impenſa ſit. *l. ſcriptus* 4. *l. & ſi quis* 14. §. *ſed & ſi res legatæ. l. vlt. in princ. &* §. *vlt. D. de religios. l. ſi hæres* 63. *l. Manius* 66. §. *in fundo D. de legat.* 2. *l. legatum* 3. *Cod. de religioſis. l. quid ergo* 53. §. *ſed ſi mortuum D. de legat.* 1. vbi diſtinctio hæc noſtra velut exprimitur his verbis: *& ſi quidem ipſe pater familias illò inferri voluit, ex teſtamento non tenebitur: quid ſi hæres intulit ſuo arbitrio, debebit præſtare, ſi ſit in hæreditate, vnde pretium præſtetur: teſtator enim, qui legauit, vel aliò inferri voluit, vel pretium loci legatario offerri.* Planè ſi defuncti domeſticis, qui in eiuſdem familia, & miniſterio, mortis tempore, fuerunt, ac præ ceteris viduæ defuncti, de qua hoc ipſum rectè Gregorius Lupus in *l.* 12. *tit.* 13. *part.* 1. *gloſſ.* 8. *in fine*; & poſt Baldum Laborius *elucubrat. de funerum ritibus tit.* 2. *cap.* 16. *num.* 5. vtcumque diſputet, dubitetve Garſia *de expenſis c p.* 8. *ex num.* 29. *&* 36. arbitratu hæredum, aut teſtamentariorum, lugubria præbeantur, poſſe, & debere hæc eadem ex quinto, aut tertio deduci, rectè colligitur ex *d. l.* 21 *verſic. Y en quanto toca à los criad s tit.* 5. *Compil.* Namque & illud quodammodò cedit in expiationem defuncti animæ, quam hæredum, vel teſtamentariorum arbitrio defunctus comiſit, quod b nemeritis de eodem famulis, tamquam nauatæ operæ præmium, & pietatis defuncti ſymbolum, indulgetur, argumento ex *l. vnica* §. *ſed & qui domini Cod. de latin. libert. toll.* Dum tamen illud ſemper meminerimus, in quo Azeuedius, alijque pueriliter peccant, hæredum, aut teſtamentariorum domeſticis lugubria hæc præberi non poſſe; *d. l.* 21. *verſ. y enquanto toca.*

CAPVT XXI.

DE AVCTORITATE POLITICA, SIVE LEGVM CIVILIVM in re funebri.

ARGVMENTVM.

Laicorum leges de modo, ac ſumptibus funerum irritas eſſe, pertendunt non pauci, ex *cap. vlt. de rebus Eccleſ. alien.* in contrarium alij ex *Nouella* Iuſtiminiani 59. & Hiſpanis Regijs legibus. Sed certa, & recepta diſtinctio, inter relicta, aut debita Eccleſię à mortuis, quæ mortuaria dicta, nec ſubdita laicorum legibus, vt in *d cap. vlt.* & vanas alias funerum pompas, quæ politica auctoritate, & legibus licitè, ac meritò reciduntur, de queis noſtrę, & Romanæ leges. Translata hinc diſquiſitio ad *Batauicæ pacis articulum* 18. *de aſsignatione loci honeſti in Hiſpania pro ſepulchris Batauorum*, ac de inſtantia eorum Legati pro Cippo, & Epitaphio Bataui hæretici. Expenſæ contra eam inſtantiam Eccleſiaſticę, & Regię leges. Illuſtrata Conſtantini *lex* 2. *Cod. Theodoſ. de hæret.* Memorata alia, & ad incudem reuocata, quæ ex Baſilicis Martiano Ceſari ad ſcribitur, in *l.* 9. *Cod. de hæretic.* Expoſitus, & emendatus Grecus textus in *ſcholiò* Balſamonis ad *Photij nomocanonem.* Ex diuerſo pro inſtantia Batauica expenſum, eſſe ius ſepulturæ ex iure gentium, & auctoritatis politicæ, ideoque nec negatam Ethnicis peregrinis apud Hebręos, in

agro illo figuli, de quo *Matthæi cap. 27.* nec hæreticis non prædamnatis apud Catholicos, modò ſit ſola humana, & extra ſacra, & in Gallia, loco etiam publico, in id deſignato: hęc hinc, & illinc inter, ſubſiſtere in re viſum, ne loco pro ſepulchris ſemel ſignato, hæretici funerum ritus, maximè à Lutheranis attentarentur, & permiſſa, cum Cippo, inſcriptione, concederetur hæreticis quod eſt defunctorum memoriæ honoratiſsimum, & quod Deus auertat, ſequeretur fortaſſe teſtatio hęreſis defunctorum intra Hiſpaniam. Obſeruata intra eam vetus teſtatio, & diſtinctio Catholicorum per A. & Λ. à ſepulchris Arrianorum; ſicut & Sancti illius Prophetæ in ſepulchrali titulo. 4. *Regum cap. 23.*

1 PRoxima nuper traditis, nec prætereunda inſpectio eſt, de auctoritate legum ciuilium in re funebri, ſiue an & quatenus funebris res, & eius ſumptus politicis legibus regi, & ad normam redigi poſſint, aut debeant: cui inſpectioni expediendæ, vt breuiores ſimus, ſatisfactum videtur, quod legimus in *cap. vltim. de rebus Eccleſ. alien.* Laicorum conſtitutiones, tamquam illicitè præſumptas, non tenere, ſi quæ fuerint, diſponantur de his, quæ ſpirituali iuri annexa ſunt; cuiuſmodi in eo Textu eſſe, cenſentur, quæ dicuntur, *mortuaria*, vſitato, media ætate, vocabulo, quale apud nos, *el mortuorio*, y *caſa mortuaria*: vnde ex eo Textu & ratio in illius principio expreſſa, de defectu poteſtatis Laicæ, ad diſponendum de Eccleſiaſticis rebus, deduxere generaliter, & docuere, Romanus *ſingulari* 35. &, poſt Felinum, Decius in *cap. Eccleſia Sanctæ MARIÆ numer.* 196. *de conſtit.* ex nouioribus Fragoſ. *de regim. Reipubl.* 3. *tom. lib.* 1. *diſp.* 3. *num.* 288. Gratianus *diſcept. for. cap.* 298. *num.* 7. Iul. Laborius *de funer. more tit.* 2. *cap.* 16. *num.* 23. non valere ſtatuta Laicorum, diſponentia de ſumptuarijs, ſiue de funerum modo, & ſumptu, vtpote pertingentia rem ſpiritualibus annexam, & proinde contra iuriſdictionem, & libertatem, ſiue immunitatem Eccleſiæ.

E contrario, poſſe rei funebri, tamquam politicæ, modum lege politica ſtatui, vt ſileamus Solonis funebres leges, collectas à Samuele Petito, *commentar. ad leges Atticas lib.* 6. *tit.* 8. Et ſimiles Romanas decemuirales de funeribus, accuratè præ alijs, concinnatas à Dionyſio, & Iacobo Gothofredis, ac demum iuriſconſultorum in libris noſtris fragmenta, de quibus poſtea, probant propiore exemplo, & argumento Chriſtianorum Principum leges ea de re latæ, & in primis Iuſtiniani *Nouellâ de debita impenſa in obſequijs defunctorum cap.* 4. *& ſeqq.* Quibus funerum ſumptus, & pro Feretris, ſiue lectis erogationes, quin & Decanorum, ſeu copiatarum, aliorumque eiuſmodi Clericorum ſtipendia taxantur, & reciduntur. Probant item Catholicorum noſtrorum Regum *leges* 7. *tit.* 1. *lib.* 1. *ordinam.* 13. *tit.* 13. *part.* 1. & Philippi Secundi *illa*, quæ eſt 2. *tit.* 5. *lib.* 5. *compilat.* 2

Aſt, ne moremur, recepta, & recens diſtinctio eſt, inter relicta à mortuis Eccleſiæ, vbi funerandi, aut obuentiones, ſiue commoda ad Eccleſias, & Clericos, pro mortuorum funeribus delata, aut pertinentia, quæ, propriè mortuaria vocantur in *d. cap. vlt. de rebus Eccleſ. alien. cap. conquerente* 16. vbi *Gloſſa* verbo. *mortuaria*, *de Officio Iudic. Ordinarij cap. Officij* 14. *de teſtam.* qualis eſt quarta, ſiue alioquin conſueta portio, dicta, 3

Ca-

Canonica, pro funere Eccleſiæ, aut Parochiæ delata, aut debita *cap. certificari 9. de ſepultur.* Tridentinum *ſeſſ. 25. de reformat. can.* 13. item eleemoſynæ pro ſuffragijs animæ, & Eccleſiæ precibus, aut erga Eccleſiam, & Clericos funeris, & pietatis intuitu, impendendæ. Quæ ſingula, Chriſtianorum Principum legibus taxari, aut coarctari, alienum à pietate eorum eſſet, & contra rationem, & regulam *d. cap. vlt. de rebus Eccleſ. alien.* Ex diuerſo, ineptas, & inſanas pompas funerum, quas & Eccleſia improbat. *cap. animæ* 13. *quæſt.* 2. qualia ſunt ambitioſa defuncto proximorum lugubria (quæ propriè, *mortuaria*, dicta Næuio Poetæ) præticarum *conducti eiulatus*, ſiue *excelſi vlulatus*, vt vocantur, & improbantur in *capitularibus* Caroli, & Ludouici *lib.* 2. *cap.* 194. & altiores in Eccleſia tumuli, ac ſupra tumulos cerei maiores, tandemque feretra, & cadauera (niſi quibus, & quatenus pro dignitate permiſſum) pretioſa ſtrata, & parietum nigra operimenta, Chriſtianis, & politicis legibus taxari, & coerceri, licuit ſemper, & expediens viſum, & exprimitur noſtrate *l.* 2. *tit.* 5. *lib.* 5. *compilat.* vbi & coniunctis §. *En quanto*, & §. *Que en quanto*, diſtinctio hæc ipſa, inter impenſas funeris, pro anima, Eccleſiæ delatas, & reliquas pompæ ſoli ſeruientes firmatur, & inter Cereos Clericis, aut Eccleſiæ ceſſuros, & altiores illos pro tumulis, vltra duodecim, non permiſſos, de queis tamen diſceptant adhuc, & diſſentiunt non pauci, & inter alios Henricus Henriquius de Pontificis Claue *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 6. *litt.* B. At diſtinctioni traditæ, cuius primarius Auctor Panormitanus in *dict. cap. vlt. de reb. Eccleſ. alien. num.* 6. & *quæſt.* 3. *num.* 2. ſubſcribunt, poſt Felinum, Decium, alioſque veteres ex Iuriſperitis, Gregorius Lupus in *l.* 12. *tit.* 13. *part.* 1. Matienço in *dict. l.* 2. *gloſ.* 10. vbi & Azeuedo *tit.* 5. *lib.* 5. *compilat.* Molinus *de ritu nupt. lib.* 2. *differ.* 7. *num.* 72. Alderanus Maſcardus *de ſtatutis concl.* 1. *num.* 23. Marta *de iuriſdict.* 4. *part. centur.* 1. *caſu* 54. *num.* 5. & *ſeqq.* Ioſeph Graſsis *de effect. Cleric.* 2. *effect. ex num.* 468. Marius Cutellus *de immun. Eccleſ. lib.* 2. *quæſt.* 65. ex Theologis, poſt Caietanum in *ſumma* verbo, *excommunicatio*, *caſu* 31. Iacobus de Graphijs *deciſ. conſc. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 135. & ex Souſa, Mario Alterio, Reginaldo, Filiucio, Baldello, Laimano, Duardo, & alijs, Antoninus Diana *tom.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 63. noſter Araujo *tom.* 2. *var. diſput.* 12. *diff.* 1. *num.* 11. nec diſſentit Henricus Henriquius *lib.* 2. *de Pontif. Claue cap.* 7. *num.* 6. *litt.* B. Adijcimus eiuſdem diſtinctionis, & cenſuræ gemellum exemplum, ex Regia *l.* 12. *cum ſeqq. tit.* 1. *lib.* 5. *compilat.* quæ ſunt de muneribus, & donis mitti ſolitis conuiuiorum dominis, per eos ſæpe exigi ab inuitatis ad conuiuia in nuptijs, & celebritate baptiſmatis, aut nouæ Miſſæ in Gallæcia, & alijs eiuſdem moris Prouincijs, quarum in ea re abuſus prohibentur, non tamen ea donaria, quæ nouo Sacerdoti in Sacrificio, aut Eccleſiæ in baptiſmate offeruntur. Sanè ſecundùm hæc, & pro Regiarum legum obſeruantia, ſi quando in illuſtriorum procerum exequijs, ac præſertim tumulo, & lugubribus à præſcripta norma exceditur, graues mulctæ extra ordinem indici, & exigi ſolent politica auctoritate.

4 Annexa eſt eidem inſpectioni de auc-

auctoritate politica in re funebri, diſquiſitio alia, quam noſtra ætate in examen veniſſe, ſcimus, occaſione recentis pacis HiſpanoBatauicæ, anno 1648. cuius *cap.* 18. prout latinè editum à Leone Aitzema in Hiſtoria pacis fœderati Belgij, ſic habet: *Summedicta Maieſtas* (ſcilicet Hiſpanica) *ſua commoda, honeſtaque loca ſepulturæ eorum, qui à parte præpotent. D. D. Ordinum Gener. in Regnis, atque Imperijs ſummedicti Regis, vitam cum morte commutarunt, aſſignari, ac præparari quam primùm curabit.* Reſpondet illis verbis, *commoda, honeſtaque loca*, in editione Hiſpanica eiuſdem pacis, *pueſtos decentes*; & in Gallica, *places honorables*, ſi credimus Caramuelo, qui & ex latino textu profert, *ſepulchra honorifica*, in *Prodromo pacis Imperij, conſultatione* 15. Iam ergo ea occaſione, cum Iacobus quidam Batauus, & Caluinianus, Toleti mortuus, & in hortulo ſepultus fuiſſet, adijt Philippum Regem noſtrum Batauicus Legatus, Baro Redius, petijtque, vt ei, Iacobi illius ſepulchro Cippum cum Inſcriptione, quæ illius memoriam tueretur, ſtatui permitteret, ſimulque, vt, pro conuentæ pacis executione, deſignaret decentia loca ſepeliendis Batauis, qui apud nos vita fungerentur.

5 Secundùm hæc Regijs decretis, deducta res in conſultationes Status, & Supremorum Caſtellæ, & Sanctæ Inquiſitionis Senatuum, in primis contra inſtantiam Batauici legati expenſum fuit, hæreticos, qualis Iacobus ille Caluinianus, & plerique ex Batauis, Catholica cenſura habentur inter alias, quibus obnoxij, pœnas, priuari iure ſepulturæ, Eccleſiaſticis legibus, *cap.* 2. *de hæreticis in* 6. iunctis *cap. ſacris* 12. *de ſepultur. cap. ſicut ait* 8. *de hæretic. cap. Eccleſiam* 26. *cum ſeqq. de conſecrat. diſt.* 1. *cap. ſanè* 3. *&* 6. 24. *quæſt.* 1. & Regijs noſtris *l.* 8. *tit.* 13. *part.* 1. *l.* 2. *tit.* 26. *part.* 7. tamquam Maieſtatis Diuinæ læſæ reos, ſeu perduelliones, iuxta *l.* 1. §. *Interdum* 3. *D. de ſuis, & legit. hæred. l. liberorum* 11. §. *Non ſolent* 3. *D. de his qui not. infam. l.* 1. *D. de cadauer. punit. l. minimè* 35. *D. de religioſ. & ſumptib. fun.* iuncta *l. Manichæos* 4. §. *In mortem* 4. *Cod. de hæretic.* Ex queis, & alijs, in deteſtationem hæreſeos, cauſis, adducto etiam ſacræ paginæ Textu, ex *lib.* 4. *Regum cap.* 23. *verſ.* 13. *&* 16. contra inſtantiam Batauici Legati cenſuiſſe, & conſuluiſſe Supremum noſtrum in cauſis Fidei Senatum, commemorat copioſior verbis, non rebus, Epiſcopus, Hermoſinus *allegat. Fiſcal. part.* 2. *allegat.* 11.

6 Porrò, in eumdem ſenſum, inter alia congeſta multis, & pro multis ab vno Henrico Spondano *de cæmeter. ſac. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 4. *&* 5. *& lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 1. ac per totum illud laudatiſsimum opus, quod eſt, de hæreticis arcendis à ſepulchris inter Catholicos in Gallia: de quo, ex Gallis, item Mornacius ad *l.* 6. *&* 8. *D. de religioſ.* Florimundus Remundus *de orig. & progr. hæres. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 18. *num.* 8. Ex priſca Eccleſiæ diſciplina, & cum Cypriano, Baronius *ad annum Chriſt.* 258. *num.* 4. & in Martyrolog. *ad diem* 26. *Iunij*, vbi de *S. Vigilio.* Ioannes Fileſaccus *de orig. parœc. cap.* 4. Antonius Boſsius in *Roma ſubterranea lib.* 4. *cap.* 1. *&* 2. negatum fuiſſe hæreticis ius ſepulchrorum, iam inde à Conſtantino Magno, cuius conſtitutio, quæ extat in *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de hæretic.* Nouatianos hæreticos in ſepulchrorum poſſeſsione, tempore quæſita, aut

empta tuetur ; quoniam, vt illius legis initio exprimitur, *Nouatianos nondum comperimus prædamnatos*, ſcilicet, tamquam hæreticos) idque ſiue quia tunc Nouatiani habiti magis pro ſchiſmaticis, quàm damnati, vt hæretici, quomodò rei explanandæ, tentat Baronius *tomo* 3. *annal. ad ann.* 326. *numer.* 18. ſiue quia nondum vſque adeo damnati, vt & propria loca, ſepulchris apta, eis neganda viderentur; vt Iacobo Gothofredo placitum, commentario ad eam legem, ſiue & fortaſſe quia ita de nondum damnatis Nouatianis perſuaſit Conſtantino, per impoſturam, Aceſius Nouatianus Epiſcopus, integer alioqui morum, & ob id Conſtantino non ingratus, teſte Sozomæno *libro* 2. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 30. ſanè id, vtcumque ſit, ſupponit Conſtantinus, dum Nouatianos excipit, alios omnes prædamnatos hæreticos excludendos ſepulchrornm iure, & honore.

7 Extat ſanè, & immemoratam non pertranſimus, alia, Martiano Cæſari adſcripta ; *Conſtitutio*, & Iuſtinianeo Codice inſerta ab Antonio Contio, ſiue Cuiacio *lib.* 12. *obſeru. cap.* 30. in *l.* 9. *de hæreticis*: cuius ſententia iuxta Contij, ex Græcò, verſionem eſt: *Humanum*, *&* *pium hoc arbitrati, hæreticos permittimus ſepeliri legitimis ſepulchris*, ſiue *conſuetis ſepulturis*, vt vertit, exhibetque Fabrottus *lib.* 1. *Baſilic. tit.* 1. *cap.* 9. Quam tamen conſtitutionem dubiæ, & ſuſpectæ fidei ſeriò arguebat Ioannes Franciſcus noſter, cum ante annos aliquot Regij Patrimonij Senatorem Matriti ageret, & inter Senatorij muneris curas, ſcholia ad *Synopſim Baſilicon*, *&* *Theodoſianum Codicem* meditaretur, vtique & perfecturus, illum ni lugenda, heu, ſemper patri, & muſis mors immatura abripuiſſet. Enim verò, quin ſit ea conſtitutio indigna, quæ Iuſtinianeo Codici obtruderetur, & multò indignior, quæ adſcribatur Martiano pijſſimo Imperatori, cui Sancta, & œcumenica Synodus Chalcedonenſis repetitis actionibus, & acclamationibus, tamquam nouo Conſtantino, & religioſiſſimo Cæſari, acclamauit, & qui ſeueris ſæpiùs legibus hæreticos exagitauerit. *l. quicunque* 8. *Cod. de hæreticis*. *l. vltim. Cod. de Apoſtatis*, de quo & proinde ad annum 457. cum enim annum præfert ſubſcriptio *d. l.* 9. Conſtantino & Ruffo Conſulibus, primumque illius anni menſem, cuius die 26. Martianum, Marcellinus, Comes, Caſsiodorus, & aliorum Faſti enunciant, clauſiſſe cataſtrophem vitæ, abſona illa permiſsione legitimorum ſepulchrorum erga hæreticos, & humanum, piumque in impios ſeſe morientem exhibuiſſe, qui tunc ſeuerior, & ita ſanctior eſſe debuit, haut facilè crediderim. Hæc niſi ſi quis, iuxta Fabrotti verſionem, quæ pro, *legitimis* ſepulturis, habet *conſuetas*, intelligat eas, quæ in vſu erant hæreticorum, ſcilicet extra ſacra cæmeteria, & diſcretas à Catholicorum ſepulturis, quales eo tempore hæreticis non negabantur, vt mox dicemus.

Sed, vt ne de illo plura, ſit ſatis interim, vt liqueat, conſtitutionem, Martiano adſcriptam, non peruiguiſſe, & pro negatione ſepulturæ legitimæ hæreticis, ex Cæſareis legibus, teſtimonium ex Nomocanone Photij, in quo ſub *titul.* 12. *cap.* 2. inter alia hæreticis prohibita, legitur: καὶ ὅτι, ταφῆναι νομίμως: *&* *quod non ſepeliuntur legitimè*; 8

in quem ſenſum appoſitè Gentianus Heruettus in ſcholio Theodori Balſamonis ad eum Textum Nomocanonis, ſic ad rem vertit *cap.* 24. *Hæretici legitimis ne tradantur ſepulturis*: pro eo quod in Græco eſt: ταῖς νενομισμέναις, εἴπερ τινὲς, παραδιδόσθωσαν ταφαῖς. Cui & reſpondet affirmatiua verſio, ſcilicet, *legitimis hæretici tradantur ſepulturis*, quam ſecutus Contius in prætermiſſis, & ex eo editio codicis Iuſtinianei; aſt quod primi fortè monemus, vt & ratio, & Balſamonis Scholium Textui Photij ſui conſonet, corrigenda eſt Scholij lectio, & pro voce, νενομισμέναις, diſiuncto τινες; & repoſito, μὴ, legendum eſt, μὴ νομισμέναις, ideſt *ne legitimis tradantur ſepulturis.*

9 Iam, vt in viam, ex diuerſo conſulebat politicus Senatus, poſſe, & oportere, pro executione pacis conuentæ, aſſignari Batauorum ſepulturę locum, diſſitum à curiæ ſeptis; pro qua ſententia expendi poterat, quantumcumque Eccleſiaſtica ſepultura hæreticis concedenda non ſit, ſepulturam tamen extra Eccleſias, & ſacra loca negari non debere, in memoriam humanæ conditionis; vt Modeſtinus alibi ſcripſit. *l. quidam* 26. *D. de condit.* & ne ea negatio cedat quodammodò in humanæ naturæ dedecus, & opprobrium, vt eſt in *Nouella* 53. Leonis Philoſophi: quo intuitu, ſepulturæ ius eſſe inter ea, quæ ſunt iuris naturæ, ſiue gentium non ſcripti, probari ex libris noſtris poteſt. *l* 2. *l. ſi filius familias* 31. §. 1. *D. de religioſ. l. Iulianus* 13. §. *Præterea* 22. *in fine D. de act. empti*, iuncta *regula l. quod attinet* 32. *D. de reg. iur.* Id, quod ex Ariſtotele, Philone, Ioſepho, & alijs Græcis, latiniſque adſtruit operosè Petrus Faber *lib.* 2. *ſemeſt. cap.* 1. *&* *lib.* 3. *cap.* 13. Dempſterus *ad Roſinum lib.* 5. *cap. vlt.* Diſertè Hugo Grotius *lib.* 2. *de iure bell. & pac. cap.* 19. & ante eum, Albericus Gentilis *de iure belli lib.* 2. *cap.* 24. Vuaremundus Erembergius in medicamentis pro fœderibus *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 90. *& ſeqq.* Ioannes And. Quenſtedetius *de ſepultura veterum cap.* 2. queis tranſcribendis alij impleant paginas. Ex profeſſo Spondanus *in cæmet. ſacr. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *& ſeqq.* nec paucis Ioannes Fileſaccus *lib.* 1. *ſelect. cap.* 16. Nos illud addimus, ſepulturæ Eccleſiaſticæ permiſſionem, etiam quoad Maieſtatis humanæ damnatos, eſſe politicæ permiſſionis. *l.* 1. 2. *&* 3. *D. de cadauer. punit. l. obnoxios* 11. *Cod. de religioſ.* Gloſſa *in cap. quæſitum*, verbo *in patibulis* 13. *quæſt.* 2. Sylueſter *in ſumma*, verbo, *ſepultura*, proinde & multò magis de ſepultura prophana Batauis permittenda cadaueri in conuentis pacis potuiſſe, & eiſdem ſtari oportere.

Expendi itidem poteſt Hebræorum exemplum, apud quos, quamuis interdicta in ſacris communio cum Ethnicis, ſeu Gentilibus, non tamen negabatur eiſdem ſepultura, diſcreta ab Hebraicis cæmeterijs; atque imò pro Gentilium Hieroſolymis peregrinantium ſepulchretis, deſignatum fuiſſe agrum illum figuli, ex denarijs, pro pretio Saluatoris noſtri, emptum, Matthæi *cap.* 27. *verſ.* 7. peregrinos illic, pro gentilibus, exponentes, cenſuerunt non pauci apud Maldonatum eò loci, Lorinum ad *Apoſtolorum acta cap.* 1. *verſ.* 18. Spondanum *in cæmet. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 8. Sopranium *commentar. in Dauid. digreſſione* 2. *cap.* 5. Accedit Sanctæ Eccleſię benigna cenſura, quæ quamquam à ſepultura Eccleſiaſtica in cæmeterijs, Catholico ritu benedictis, hæreticos ſemper arcuerit, 10

non

non inhibuit tamen eiſdem , ſaltem non prædamnatis , ſeu toleratis , profanam , ſiue humanam ſepulturam , extra cæmeteria ſacra , vt poſt Gloſſam Canonicam , Sylueſtrum , Caietanum , & alios ſcribit Gregorius Sairus *in Theſ. conſc.* ſiue de *cenſuris lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 11. Nauarrus *lib.* 5. *conſ.* 4. *de hæretic.* & egregiè *conſ.* 16. *num.* 7. vbi de Catholicis in Germania , & Gallia , ex vrbanitate , comitantibus funera hæreticorum ad ſepulturam profanam. Iacob. Grætſerus *de funere Chriſtiano lib.* 2. *cap.* 4. & ex communi , vt ait , Theologorum ſententia , Epiſcopus Spondan. *de cæmeter. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Id quod in eis Prouincijs , quibus hæreſis toleratur , deductum in obſeruantiam eſt , aſsignato pro ſepeliendis , vt vocant , nouatoribus , & ab eis emendo , agello , ſeu loco diſsito à cæmeterijs Orthodoxorum , vt de Gallia , ex illius Parlamentorum placitis , memorat Antonius Mornacius ad *leg. Oſſa* 8. *D. de religioſ. & ſumpt. fun.* & ad *l. nemo* 14. *Cod. eod. tit.* Quo fortaſsis exemplo videbatur politico Senatui , poſſe hoc ipſum induci apud nos , & obſeruari cum Batauis , vtcumque hæreticis , tamen nec denunciatis , pro excommunicatis , nec prædamnatis , vt de Nouatianis habetur in *d. l.* 1. *Cod. Theodoſ. de hæretic.*

11 Hæc in vtramque partem diſſerebantur , aut diſſeri potuere. At in Supremo Caſtellano iuſtitiæ , vt vocant , Senatu , ad quem , Regio decreto , res delata (quomodò ad eum ardua alia , & magna negotia , circa legationes , & tractatus pacis , aut belli tranſmittuntur , ex Catholicorum Regum *lege* 8. *tit.* 4. *lib.* 2. *compilat.* ſcilicet , vt deliberent , conſulantque , & ampliſsimæ Curiæ illius Conſiliarij , *litteris , & auctoritate præſtantes , qui maiora ſubſellia tenent , Reipublicæ prouideant* , vt de eiſdem ſcripſit Gometius Toletanus in *Hiſtor. Cardin. Ximenij lib.* 6.) cum diù , & maturè deliberaretur , tandem eò res deducta (quod inter ancipitia negandi , aut concedendi perſæpe remedium eſt) vt indiſcuſſam , & dilatam certè , non aliquo Regio decreto deciſam , quæſtionem ſciamus : & ſanè quò magìs , vt priſco iudiciorum verbo vtar , de re ampliaretur , ſiuè quominùs Batauicæ inſtantiæ indulgeretur , propria nobis ob oculos iam tunc rationum momenta obuerſabantur , quippe eiuſdem *Pacis Batauicæ articulo* 19. (cui immediatè proximus *articulus* 18. *de ſepulturis* , de quo nunc) cauetur , ne Generalium Ordinum Batauiæ ſubditi , ſuæ , vt nominant , religionis reſpectu , aut prætextu in Catholici Regis Prouincijs ſcandala vlla verbis , ſeu factis præbeant. Quod ipſum , & eodem ſenſu , exprimitur *capite* 19. *Pacis Hiſpano Anglicæ anni* 1630. cautæ , & obſeruari iuſſæ , *paciferis Conuentis anni* 1660. & 1667. & 1670. & ſignatè magìs idem *in pace Hiſpano-Danica anni* 1640. *artic.* 4.

12 Iam eo ſuppoſito , duo , quæ executionem abſciſſam , vt expetebatur , articuli de ſepulturis , morarentur , occurrebant. Primum illud , vt quamuis nonniſi profani , & à ſacris diſcreti loci ſepulturis deſignato petatur , verendum tamen fuiſſe , ne eo ſemel deſignato , in funere ducendo , & ſepultura Bataui alicuius hæretici , abutantur hæretici , præſertim ſi Lutherani ſint (quales multos in Batauia perſtare memorant *relationes de illa , & finitimis Prouincijs* Cardinalis Bentiuollij) precibus , cæremoniis , cantilenis , alijſque , id genus , ſuperſtitioſè interpolatis ritibus ,

quos

quos Lutherana hæreſis retinet, exhibetque illius promptuarium exequiale, cuius Spondanus meminit *lib.* 1. *de cæmeter. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. *&* 6. & *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 3. *ex num.* 3. ſiue, *agenda*, vt ab eiſdem vocatur, de quo & fusè Grætſerus *lib.* 2. *de funer. cap.* 6. *&* 10. *ac* 11. & *lib.* 1. *de ſacris proceſsionibus cap.* 13. & ex ſectarijs Andr. Quenſtedet. *de ſepultura cap.* 3. At verò hæc, vel ſi quæ ex eis leuiſsima, Batauí Lutherani apud nos attentarent, inferrent (quod Deus auertat) pernicioſum, nec ferendum ſcandalum Hiſpanis Catholicis, contra ipſius *pacis articulum* 19. eoſdemque in ſe, in rixas, & cædes ineuitabiles commouerent: nec iuuaret exemplum Galliæ, aut Germaniæ, in queis ſepulchrorum deſignatio, & funerum ritus in hæreticis tolerantur, cum hæreſis exercitio, cùm è contra hæc eadem in Hiſpania nuquam tolerata, nuſquam viſa, imò ſemper inuiſa.

13 Aliud, ſiue ſecundum, & verendum magis fuit, quod Batauicus legatus petebat, vt liceret ſepulturæ illius Bataui Caluiniani, qui Toleti deceſſerat, lapidem ſuperimponere, ſeu Cippum cum inſcriptione, quæ memoriam, nomenque illius teſtaretur; quo ſcilicet ſemel permiſſo, illud ipſum quoad alios Batauos morituros, & ſepeliendos, in exemplum abiret. Sed verendum, vt diximus, vel magis hoc fuit, quia ſi deſignationi loci ad ſepulchra, & quidem, *commodi*, *&* *honeſti*, vt Latina pacis editio habet; vel *honorable*, vt eſt in Gallica editione; vel denique, *decente*, vt in Hiſpanica, adijciatur permiſsio erigendi Cippi, cum Inſcriptione nominis, & memoriæ Bataui hæretici, indultum erit in Hiſpania hæreticis, quod eſt defunctorum memoriæ honoratiſsimum; nempe ſepultura, non tantùm humana, ſed honeſta, ſeu decens, cum ſepulchrali lapide, aut Cippo, & iuxta Maronianum illud 10. *Æneidos*.

Quiſquis honos tumuli, quidquid
ſolamen humandi eſt.

Ac præterea ſepulchralis inſcriptio, tituli, epitaphia, quæ defuncti hæretici nomen, memoriamque ſignent, atque ea veluti commendent, & ne de his poſteros moneant, inde enim ſepulchrali in re ortæ voces, *monumenta*, *memoriæ*, & ſimilia, de queis D. Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis cap.* 4. D. Iſidorus *lib.* 15. *orig. cap.* 11. Atque hoc in Hiſpania erga hæreticos, quorum memoria, & nomen, ſanctæ Eccleſiæ cenſura, non tantùm damnantur, ſed & delentur *in æternum*, *&* *in ſæculum ſæculi*, ſic exaudito illo, quod ſcriptum, *Pſalm.* 9. *verſ.* 6.

Verendum denique, & multò magis, ne permiſſa ſemel nationis, & 14
nominis in Cippo inſcriptione, adderetur teſtatio aliqua ſectæ, ſiue hæreſis, quam profeſſus, aut in qua mortuus Batauus, veluti fuiſſe illum è religione (vt Caluiniani ſeſe impiè indigetant) Euangelica, ſeu reformata; aut fuiſſe ex Auguſtana confeſsione, qui priſcis Lutheranis titulus: vtracumque autem ex his teſtationibus, ſiue inſcriptionibus ſepulchrali lapidi inciſa, ac proinde publica, & permanens, eſſet Catholicis grauiſsimi ſcandali, & indigniſſima Rege, & Regnis, per excellentiam Catholicis. In queis ne veteris pro re obſeruantiæ obliuiſcamur, eo etiam tempore, quo Arriana cum Gotthis hæreſis Hiſpaniam vexabat, fuit vſque adeo Hiſpanis Catholicis non ſolùm cum hæreticis, ſaltem in ſacris, non conuiuendi, nec commorien-

riendi, vt Tertullianus alibi loquitur *de Idolatria cap.* 14. Sed & ſe ab illis diſtinguendi cura, vt ſepulchralibus inſcriptionibus exprimerent, ſignarentque Chriſti nomen, ſicut Conſtantini Labaro ſignabatur, idque inter duas illas primam, poſtremamque Græci Alphabeti litteras Α. Ω. quibus tamquam ſignaculis, ſeu notis æqualitatis Chriſti Domini Filij cum Patre, iuxta *Apocalipſis* illud *cap.* 1. *verſ.* 8. *ego ſum* α. *&* ω. *principium*, *& finis*: ſe ita credidiſſe profitebantur, contra Arrianos, & ab eis vel in ſepulchris ſe diſcretos optabant. Nota obſeruatio hæc in Hiſpaniæ Hiſtoria eruditis, & poſt Marianam *de reb. Hiſpan. lib.* 5. *cap.* 4. ex Moralio, Padilia, & Matritenſi, apud Quintanam, Lapide illuſtrant noſtrates D. Laurentius Ramirez ad *Luitprandum ad annum* 680. & epitaphium Gudilæ Archidiaconi; Didac. Saauedra in *Corona Gotthica ſub Thuriſmundo.* Subdimus, nec diſsimile, exemplum ſepulchri illius reperti à Sancto Ioſia Rege, prope fanum, ſiue profanum Altare Bethel in monte, & cum titulo (qui fortaſſe Prophetam Sanctum eum fuiſſe, & hominem Dei, deſignabat) vt ab alijs Idololatriæ deditorum ſepulchris, in eodem monte extantibus dignoſceretur: quapropter & à Sancto Rege intactum, & immotum relictum, ſuccenſis, & in puluerem redactis alijs, cum ſepultorum oſsibus. Vt legimus in Sacro Textu *Regum lib.* 4. *cap.* 23. *verſ.* 16. 17. *&* 18. vbi alia Abulenſis *quæſt.* 24. &, poſt alios, Gaſpar Sanctius, iuncto *lib.* 3. *Reg. cap.* 13. *verſ.* 2. *&* 31. quocirca & cum eliminata Arrianorum hæreſi, ſimul cum eorum ſepulchralibus inſcriptionibus, funebris ea memoria exoleuerit, ne ea rurſus, poſt tot ſæcula, in Hiſpania Batauicis epitaphijs induceretur, viſum meritò fuit, Religionis, & Prudentiæ eſſe, ſalua pace, & inoffenſa, nec negata Batauis, quæ humana, & iuris gentium eſt ſepultura, de reliquis eorum Legati poſtulatis, ampliare.

CAPVT XXII.

AD D. L. FVNERIS 37. DE SARCOPHAGO, VECTVRA, ET munimento ſepulchri. Analectum ad l. ait Prætor 7. §. In cauſæ 3. verſ. ergo D. de iure deliber.

ARGVMENTVM.

SArcophagi notatio, & deſcriptio ex Plinio, & Medicis. Plerumque pro, ſepulchro, & apud Macrum, eſt σορὸς, ſiue arca marmorea, lapidea, fictilis. Tranſlatio reliquiarum, aut cadaueris quando licita? Illius ſumptus, & vectura inter legitimos funebres. In *d. l.* 37. *§.* 1. excuſſa Florentina lectio, & Baſilicorum verſio, & exploſæ. Vulgata lectio aſſerta, & emendata. *Corpus poſitum*, ſolemnis formula in re ſepulchrali. Notata, in eam rem, *lex libertis* 18. *§. vlt. D. de aliment. & cib. leg. Poſitus*, pro, *ſepulto*, apud veteres paſsim. Munimentum ſepulchri in *d. §.* 1. Aggeres in *dict. leg.* 5. *Cod. de ſepulchr. violat.* Reſcriptum Adriani de *munimento in dict. §.* 1. relatum ad viceſsimam. Monumenti impenſa quænam legitima, & preferenda creditoribus, aut Falcidię? Enodatus Capitolinus in *M. Antonio.*

Digreſsio ad Vlpianum in *l.* 7. *§.* 3. *verſ. ergo D. de iure delib.* Animaduerſi ſimi'es loci Cincij, & Varronis: *piaculi*, vox pro, culpa expianda, & pro expiatione ipſa in libris iuris, & alijs. Romæ ſepulchrorum religio, & propria Pontificum Collegij, & iuris. Eo ex iure familia hæredis, funeſta habebatur à die mortis eius, cui heres. Ratio eius iuris, & effectus, & inter eos illi, vt Pontifex à funere, & heres à ſacris arceretur, nec intra Vrbem ſepelire liceret. Illuſtrata, præ alijs, *lex ſi ex re* 28. *§. vlt. D. de ſtipul. ſeru.* Funeſta familia queis caſibus, diebus, ac ritu expiaretur. Exinde Vlpiano noua lux in *d. l.* 7. *§.* 3. verbis illis: *Item eorum, quæ ſine piaculo non poſſunt præteriri.*

1 HÆc iam de funeris vectigalibus, ſeu veſtiarijs ad Macrum, cui non ſatis? Sequuntur in eadem *l. funeris* 37. *Sarcophagi, & vectura.* Sarcophagum vocari, ἐκ τοῦ σαρκοφαγεῖν. Siue à carnibus exedendis, quod nec Accurſio, aut Alberico ignoratum, nempe lapidem ex Aſſo Troadis, quo mortuorum corpora condita, intra quadrageſimum diem, abſumuntur. Vnde & σαρκοφαγεῖν, ſeu κρεοφαγία carnium eſus, notarunt alij iam, ex Plinio *lib.* 2. *natur. Hiſt. cap.* 96. & *lib.* 36. *cap.* 17. Iſidor. *lib.* 16. *orig. in cap.* 4. Dioſcoride *lib.* 5. *de medic. mater. cap.* 88. Galeno *lib.* 9. *de ſimplici medicam. facultate.* Quibus adijcias, licet, Cornel. Celſ. *lib.* 4. *de re medica cap. vlt.* ibi: *Lapis etiam, qui carnem exedit, quem σαρκοφάγον Græci vocant, exciſus ſic, vt pedes capiat, demiſſo eos, cum dolent, retentoſque ibi, lauare conſueuit. Ex quo in Aſia lapidi Aſio gratia eſt.* Vſurpatur tamen frequenter pro ſepulchro, vt & Nonius Marcellus indicat in voce, *capulum. l. libertis* 18. §. *vlt. D. de aliment. vel cibar. leg.* & propriè magis pro arca, vrnaue fictili, vel marmorea, in qua cadauera ſupra terram detinentur, vt ſcriptum eſt in *l. omnia* 6. *Cod. Theodoſ. de ſepulchr. violat. Omnia, quæ ſupra terram vrnis clauſa, vel Sarcophagis, corpora detinentur.* Et in veteri libello, oblato Septimio Seuero in princ. *Cum ante hos dies coniugem, & filium amiſerim, & preſſus neceſſitate, corpora eorum fictili Sarcophago commendauerim, donicum is locus, quem emeram, ædificaretur.* Et in extremo eiuſdem libelli, *in marmoreo Sarcophago, quem mihi modò comparaui, ea corpora colligere.* Marmoream domum vocat Tibullus *lib.* 3. *eleg.* 2.

Atque in marmorea ponere ſicca domo.

Quò & reſpexit Papinius *lib.* 5. *Syl. uar.* in pietate Abaſcantij, vbi ſic de Sarcophago, quo Priſcilla condita:

. . . Nil longior ætas
Carpere, nil æui poterunt vitiare labores
Siccatam membris. Tantas venerabile marmor
Sepit opes.

Ita & Sarcophagus accipitur in noſtra *lege* 37. vel pro fictili arca, vel pro marmorea, ſiue, vt Cuiacius voluit 11. *obſeru. cap.* 21. lapidea; hæc enim ſingula complectitur Græcanicum σορός; quod Baſilica vertunt *lib.* 59. *tit.* 1. Vnde & σοροποιὸς pro fabro ſandapilæ, arcæque plebeiæ, apud Pollucem *lib.* 10. *cap.* 31. Porrò impenſæ Sarcophagi, de qua in *d. l.* 37. reſpondet impenſa ad marmor collocandum, apud Vlpianum in *l. & ſi quis* 14. §. *Impenſa* 4. *D. de religioſ.* Vbi pro voce, *marmor*, reddunt σορὸν Concinnatores Synopſis *lib.* 59. *tit.* 1. *cap.* 10. Vtrobique autem hæc impenſa, ſicut & vectigalium, vecturæque eſt corporis peregrè mortui; id enim, vt vel ex libello Seueri, quem propoſui, intel-

ligere eſt; prius fictili Sarcophago, tamquam temporario ſepulchro commendari ſolitum, vt ab eo poſtea in marmoreum transferretur, & æternæ, vt noſtri loquuntur, daretur ſedi: quia nec aliter reliquiarum, aut corporis translatio licita, quàm ſi id, temporis gratia, depoſitum, & ſupra terram vrnis, vel Sarcophagis commendatum. *l.* 3. §. *Non perpetuæ D. de ſepulchro viol. l. ſi nec dum* 10. *Cod. de religioſ.* iuncta *d. l. omnia* 6. *Cod. Theodoſ. de ſepulchr. viol.* non ſi perpetuæ, & iuſtæ ſepulturæ datum, niſi ex iuſta, & neceſſaria cauſa, eorumque permiſſu, quibus ius eſt. *l. dum* 39. *cum l. ſeq. D. de religioſ. l.* 1. *l. nemo* 14. *Cod. eodem.* iuncta *l.* 2. *D. de cadau. punit.* Paulus *lib.* 1. *ſentent. tit.* 21. §. 1. *&* 4. Huius porrò translationis impenſa, præſertim facta in corpore perferendo, &, vt inquit Regia *lex* 12. *tit.* 13. *part.* 1. *E aun en fazerlos lleuarlos à ſoterrar, è mayormente quando mueren fuera de ſus logares, è los han de lleuar allà.* Et quidquid, eo nomine, vectoribus datur, quin funeris impenſa ſit, Vlpianus non ambigit in *d. l. & ſi quis* 14. §. *Impenſa* 4. *D. de religioſ.* iuncta *l. alumnæ* 30. §. *Ab hæredibus D. de adimend. leg.* eamque ipſam, vecturæ nomine, Macer intelligit in *d. l. funeris* 37.

2 Proponit tandem Macer in *d. l. funeris* 37. §. 1. Diuum Adrianum reſcripſiſſe, *monumentum ſepulchri id eſſe, quod monumenti, ideſt, cauſa muniendi eius loci, factum ſit.* Cui ſententiæ ſtatim, velut obijcitur quod alijs locis traditum legimus, monumentum ſcilicet eſſe rem, locumue, memoriæ cauſa, in poſterùm proditum, ſiue, vt exprimunt Baſilica, & ex eis Synopſis *lib.* 59. *tit.* 1. *cap.* 2. τὸ διὰ τὴν μνήμην φαινόμενον, quod, *memoriæ cauſa, conſpicitur*, in quo ſi corpus, vel reliquiæ inferantur, ſepulchrum erit, ſin autem purum, vacuumque maneat, dicetur monumentum. *l.* 2. §. *monumentum. l. monumentum* 42. *D. de religioſ.* Quibus adſtipulantur M. Varro *lib.* 5. *de lingua Lat.* Feſtus Pompeius, & Nonius Marcellus in *monimentum.* D. Iſidorus *lib.* 15. *origin. cap.* 11. D. Auguſtinus *de cura pro mortuis cap.* 4. Hæc quantùm diſtent, ſiue potiùs repugnent deſcriptioni, ac deriuationi monumenti à munimento, quàm ex Adriani reſcripto Macer ſequitur, nemo non videt; vt omittam *monumentum ſepulchri eſſe*, parùm concinnè dici, quia ſi monumentum eſt purum, inaneque, ſepulchrum vocari non poteſt, ſi verò ſepulchrum eſſe, iam cæpit, illatione corporis, aut reliquiarum, eo ipſo deſijt eſſe monumentum. *d. l.* 2. §. *Sepulchrum cum ſeq. l. monumentum* 42. *D. de religioſ.* Itaque probo magis cum Guthèrio *de iure man.* 2. *cap.* 30. & Elberto Leonino, in quem, poſt ſcripta hæc, incidi *lib.* 3. *emendat. cap.* 10. *num.* 3. vulgarium, veterumque Codicum lectionem, quæ in *d. l. funeris* 37. §. 1. ſic habet: *Munimentum autem ſepulchri id eſſe, Diuus Adrianus reſcripſit, quod munimenti, ideſt, cauſa muniendi eius loci, factum ſit, in quo corpus impoſitum ſit.* Vbi nec abſtineo, quin adnotem, pro verbis illis, *corpus impoſitum*, quæ raro, aut nuſquam in hac re vſurpantur, ſcitè, nouèque forſitan ſubſtitui, *corpus poſitum*, hæc enim, frequens, ſolemniſque in re ſepulchrali formula. *l. libertis* 18. §. *vlt. D. de aliment. vel cibar. leg.* ibi: *Quos libertos meos, vbi corpus meum poſitum fuerit, ibi eos morari iubeo, vt per abſentiam filiarum mearum ad Sarcophagum meum quotannis celebrent.* Virgil. 2. Æneid.

(ad

(ad quem in Cerdæ notis alia non tranſcribenda.)

Sic, ò, ſic poſitum affati, diſcedite, corpus.

Et *lib.* 11. *Æneid.*

Corpus vbi exanimi poſitum Pallantis Acetes,
Seruabat ſenior.

Petron. *in Satyr. Poſitumque in Hypogæo, græco more, corpus cuſtodire, ac flere totis noctibus, diebuſque cæpit.* Ita & *poſitus*, pro *exanimato, ſepultoque*; vt ad illud Virgilij 4. *Æneid.*

Sic te vt poſita crudelis abeſſem.

Albinouan. in *Epiceden.*

Vix poſito Agrippa, tumuli bene ianua clauſa eſt;
Perficit officium funeris ecce ſoror.

Tertullian. in *Geneſi* 1.

Hic poſitus cuſtos Adamus cum coniuge fida.

Et in veteri Inſcriptione ſepulchri Flauiæ, ibi: ET ARCAM, IN QVA POSITA EST FLAVIA SALVTARIS VXOR EIVS, ROSIS EXORNENT. Talia multa paſsim occurrent. Sed ad rem. Munimentum ſepulchri apud Macrum in *d.* §. 1. à monumento, vel ſepulchro ipſo multùm diſtat, vt vel Albericus admonuit. Munimenti, enim, voce, intelligimus parietes, quibus muniri, & circumuallari ſepulchra ſolebant. Munituram alibi dici, & Græcè περίχωσιν, χῶμα, notatum alijs. Illud nunc ego, aggeres vocari, in *l. pergit* 5. *Cod. de ſepulchro violato*, & fuiſſe plerumque illos ex puris cæmentis, ac ſine arenato congeſtis, quales olim parietes, dicti, *maceriæ*, quibuſque villæ, fundi, ſepulchra, horti muniebantur, & apud Nonium in, *Maceria*, probat Siſenna, Siculus Flaccus de conditionibus agrorum, & ex alijs non ſemel docuit Briſſonius. Vide *l. æde* 73. §. 1. *de contr. empt. l. ſi precario* 17. *D. commun. præd.*

Planè, ne diutius viceſsimæ velut obliti videamur, Adriani reſcriptum, cuius mentio in *d. l. funeris* 37. §. 1. pertinuit procul dubio ad viceſsimam (vt & inſcriptio legis ſuadet) cuius occaſione, nobile illud edictum, Diui Adriani nuncupatum, Imperator idem propoſuit. *l. vlt. Cod. de edicto Diui Adriani toll. l. vlt. de appell. recip.* Nam cum dubitaretur, quando, quatenuſque impenſa munimenti ſepulchri, ante omnia, ex hæreditate præcipi, & viceſsimæ præferri deberet, cui ſcilicet alios funeris ſumptus præferri conſtat, vt animaduertimus ſupra *cap.* 15. ne aut moderatæ, iuſtæque munituræ ſepulchri, aut neceſſario vectigali præiudicaret, Adrianus reſcripſit, munimentum ſepulchri id eſſe, quod munimenti, hoc eſt, muniendi loci cauſa, factum eſt, in quo corpus poſitum eſt. Proinde ſi amplum quid ædificari, teſtator iuſſerit, veluti in circumporticationes, eos ſumptus, funeris cauſa, non eſſe, & conſequenter nec viceſsimæ præferendos; quia quamuis, priuata pactione, circumſcribi non poſsit modus altitúdinis, vel amplitudinis ſepulchrorum, vt vel colligitur ex *l.* 4. *D. commun. præd.* tamen nec voluntas teſtatoris circa funus ſequenda, ſi egrediatur iuſtam ſumptuum rationem. *l. & ſi quis* 14. §. *Hæc actio verſ. quid ergo D. de religioſ. l. ſeruo* 113. §. *vlt. D. de legat.* 1. nec monumenti impenſa inter cæteras funeris habetur, aut creditoribus, vel Falcidiæ præfertur, niſi quatenus ſufficit ad ſpeciem modicam, non, ſi modum probabilem id, quod teſtator iuſſerit, excedat. *l. hæreditas* 50. §. *vlt. D. de hæred. petit. l.* 1. §. *vlt. cum l.* 2. *D. ad l. Falcid. l. in teſtamento* 27. *D. de con-*

condit. & demonſtrat. l. 12. titul. 13. part. 1. eòque referenda Antoninorum lex, quæ cauit, *neutiquis vellet, fabricaret ſepulchrum*, vt Capitolinus in *Marco Antonio* ſcribit, cuius lectionem ſic explicandam, temerè nouatores ſollicitant. At retinet, & operosè tuetur, nobiſcum ſentiens, & triginta, & ampliùs annis, poſtquàm hæc Salmanticæ commentabamur, commentarius Iacobi Gothofredi ad *l. omnia 6. de ſepulchr. viol. in Cod. Theodoſ.* Cæterùm *porticationes* illæ, *in circum*, de quibus Macer, ſunt porticus ampliores, quas & in ſepulchris pleriſque fuiſſe, agnoſcit *lex pergit 5. Cod. de ſepulchro viol.* & quidem in circuitum, vt in vulgatis legitur, in *d. l.* 37. ſiue *incircum*, geminatis præpoſitionibus, ſicut *inſuper*, *inante*, *impalàm*, & alia, de queis Rævardus *lib.* 3. *var. cap.* 3. ita *incoram*, apud Apuleium 9. *de aſino aureo*; *inſiſtens, iubebat, incoram ſui plagas mihi quamplurimas irrogari.*

4 Sed ante funerum nouiſsimum illud verbum, *ilicet*, ſignare, quæ ſingula ſcripſimus, libet, nondum fortaſſe in publicum ſcripta animaduerſione, ad *l. ait Prætor 7. §. In cauſæ 3. verſ. ergo D. de iure delib.* Vbi Vlpianus, inter eas iuſtas cauſas, ex quibus, deliberante pupillo hærede, & ante hæreditatem aditam deminui ex ea, ſiue alienari Prætor permittit, recenſet inprimis funeris ſumptus, his verbis: *Ergo & funeris cauſa deminui permittet; item eorum, quæ ſine piaculo non poſſunt præteriri.* Eſt autem eo loci vulgata, & vetus lectio, *quæ ſine periculo non poſſunt præteriri.* At Florentina, quam & Haloander ſecutus, habet, *ſine piaculo*: nos obſeruamus eamdem phraſim, ſeu formulam, in exceptionibus iuriſiurandi, quo milites adigebantur, ſe die præfinità adfuturos, *niſi ſi funus familiare, feriæue denicales, quæ non eius rei cauſa in eum diem collatæ ſint, quò is eo die minus ibi eſſet; morbus ſonticus, auſpiciumue, quod ſine piaculo præterire non liceat*: vt ex Cincio exſcribit Agellius 16. *noct. Atticar. cap.* 4. Iungendum, non abſimilis ſenſus, illud Varronis 5. *de lingua latin. Dies Faſti, per quos Prætoribus omnia verba ſine piaculo licet fari.* Et eodem libro poſt: *Hinc Faſti dies, quibus certa verba legitima Prætoribus licet fari ſine piaculo. Ab hoc nefaſti, quibus diebus ea fari ius non eſt, & ſi fati ſunt, piaculum faciunt.* Macrob. *libr. 1. ſaturn. cap.* 16. vbi ex eodem Varrone ſic: *Viros vocare ferijs non oportet; ſi vocauit, piaculum eſto.* Notamus deinde, quod & ſcitum eſt, piaculum latinè dici, culpam, ſeu commiſſum, quod expiatione egeat, ſiuè pro quo expiatio debetur, ſacrificij, vel ſupplicij, vt poſt Seruium ad illud Virgilij 6. *Æneid.*

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Noſter Iſidorus *libr. 5. orig. cap.* 26. *in fine*, atque ita ex libris noſtris in *l. penultim. Cod. ad leg. Cornel. de ſicar. l. 1. eod. titul. in Cod. Theodoſ. l. nullus 12. de paganis. l. hi quibus 122. de Decurion. in eodem Cod. Nouella Theodoſij 3. de Iudæis.* Et in re ſepulchrali, apud Paulum *libr. 1. ſentent. titul.* 23. §. *Qui corpus, & §. Neque*: & in *l. 2. & 5. Cod. Theodoſ. de ſepulchr. violat.* quæ *in Iuſtiniani Cod. eſt lex pergit 5. eod. tit.* Quin & piaculum vocatur ipſa expiatio, ſeu ſacrificium, quo culpæ, ſeu commiſſa expiantur, idque in re, itidem funebri, iuxta illud 6. *Æneidos.*

Ea prima piacula ſunto.

Vbi & Seruius: & ad Horatij illud,

. . . . *Teque piacula nulla reſoluent.*

lib. 1. *ode* 28. Helenius Acron.

5 Nunc, pro elucidando, ex antiqui iuris diſciplina, Vlpiani textu, præmittimus, pertinuiſſe à principio Romanæ politiæ ad Collegium Pontificum iuris interpretandi ſcientiam, *l.* 2. §. *Deinde* 6. *verſ. omnium D. de orig. iuris*, & propriè principaliter in quæſtionibus de religione, & rebus ſacris. *l. ſacra* 9. §. 1. *D. de diuiſ. rer. l.* 2. *D. de in ius voc.* & de rebus ſignatè religioſis, veluti ſepulchris, & funeribus. *l. hæreditas* 50. §. *vlt. D. de hæred. pet. l. oſſa* 8. *D. de religioſ. l. vlt.* §. 1. *D. de mortuo infer.* Fuit autem, inter alias, illius Pontificij iuris veluti elementaris præceptio, aut traditio, fieri, ſiue intelligi factam familiam hæredis funeſtam à die mortis eius, cui hæres extiturus. Vt ſcripſit M. Varro, Pontifices id dicere, affirmans *lib.* 4. *de lingua Lat.* §. *Terra.* Caius noſter in *l. ſi ex re* 28. §. *vlt. D. de ſtipul.* vbi cum Scaligero Gothofredus. Cuius principij, ſeu præceptionis ratio ea reddi poteſt, quod cum defuncti funeris procuratio, iure ipſo, & regulariter hæredi, etiam ante aditam hæreditatem, & ab ipſo tempore mortis, incumbat. *l. ſcriptus* 4. *l. ſi quis ſepulchrum* 12. §. *Funus* 4. *in fine. l. & ſi quis* 14. §. *Plerique* 8. *&* §. *Si quis dum* 11. *D. de religioſ. l. qui erat* 49. *D. famil. erciſc. l. pro hærede* 20. §. 1. *D. de acquir. hæred. l.* 1. §. *Etſi* 4. *D. de iniur.* Conſequens viſum eſt, hæredem ipſum etiam ante aditionem, & à tempore mortis, ſaltem eo reſpectu, pro non extraneo haberi, & familiam ipſius pro funeſta. *dict. l. ſi ex re* 28. §. *vlt.* iuncta, & ex eiuſdem rationis filo nectenda, regula *l. omnia* 193. *D. de regul. iur. l. hæres* 54. *D. de acquir. hæred.* Sed & fuerunt eiuſdem, ex Pontificio iure, principij, duo primarij effectus: alter ad Pontifices propriè, & Religionem pertinens, nempe, vt, quoniam ſacrificia, ſeu rem, vt vocabant, diuinam, nonniſi puris manibus, & veſte, neque funere, aut morte contaminatis tractare, fas cenſebatur, de quo in commune, & ad ſatietatem Briſſonius *lib.* 1. *de formulis*, & ad rem, nec in re, protritum illud Iuliani in *l. pergit* 5. *Cod. Theodoſ. de ſepulchr. violat.* vbi de funere: *Qui enim dies eſt bene auſpicatus à funere? Aut quomodò ad Deos, & templa venietur?* Diſertè Seruius ad Virgil. *Æneid.* 11. *verſu* 2. *Conſuetudo Romana fuit, vt polluti funere minimè ſacrificarent.* Quam obrem neque Pontifici Maximo, aut Diali Flamini fas erat, mortuum intueri, niſi interiecto velo, quod oculos à funere arceret, vt ex Seneca in *conſolat. ad Martiam cap.* 15. Tacito *lib.* 1. *annal.* Agellio *lib.* 10. *noct. Atticar. cap.* 15. dubitante incaſſum Dione *lib.* 56. vel dupondij ſciunt, & quidem deriuato, aut reperto vtriuſque rei exemplo in Hebraicis legibus. Leuitici *cap.* 21. *verſ.* 1. Numerorum *cap.* 6. *verſ.* 9. Ezechielis *cap.* 44. *verſ.* 25. Regum 4. *cap.* 23. *verſ.* 16. eòque alludente Hieronymo *epiſt. ad Fabiolam*: quocircà, & pro indicio funeſtæ domus, ac ne quis eam imprudens intrans attaminaretur, quoad ſacra, cingebatur funeſta domus Cupreſſo, aut picea, vt, poſt Plinium *lib.* 16. *cap.* 10. *&* 33. Seruius *ad* 3. *&* 4. *Æneidos.* Feſtus in voce, *cupreſſi*, ac præterea eodem reſpectu intra Vrbem mortuos ſepelire, lege duodecim Tabularum, prohiberetur, cuius meminit Cicero 2. *de legib.* ne ſcilicet *funeſtarentur ſacra Ciuitatis.*

tis. Vt ait Paulus *lib.* 1. *ſent. tit.* 21. §. *Corpus*: iunctis, in eumdem ſenſum, *l. mortuorum* 12. illic, *ne ſanctum Cod. de religioſ. l. omnia* 6. illic: *relinquant incolarum domicilio ſanctitatem. Cod. Theodoſ. de ſepulchr. viol.* cum *l.* 3. §. *Diuus* 5. *eod. tit.* conſequens eis ſingulis effectus fuit, hæredem, eiuſque familiam, vtpote funeſtatam, ſeu pollutam funere, admitti non poſſe ad ſacrificia, donec expiaretur, ſeu purgaretur, ſtato ad rem ritu, de quo poſt. Alter effectus propriè iuris priuati, & in nouum tranſacti, nouioris eſt, hæredem vocari in ius non poſſe, neque moleſtari à creditoribus ſuis, vel defuncti, quamdiu funus ducit, iuſtaue mortuo facit. *l.* 2. *in fine D. de in ius voc.* & omnino intra nouem dies à tempore mortis defuncti. *Nouella* 115. *vt cum de appellat. cap.* 5. §. *Meminimus.* Authentica *ſed neque Cod. de ſepulchr. violat. l. vlt. titul.* 13. *part.* 1. *l.* 13. *titul.* 9. *part.* 7.

6 Ergo, vt propiùs ad rem, funeſtatæ familiæ hęredis, & domui defuncti, atque his, qui funere polluti, vt poſtea ſacrificijs intereſſe poſſent, ſolebat poſt exequias adhiberi *expiatio*, ſeu *purgatio* (in ferijs, quas *denicales* vocabant, ſiue *nouemdiales*, quia poſt ſepultum octauo die defunctum, nono die habebantur) certo ritu per aquam, qua aſpergebantur, & ignem, quem pertranſibant; vnde & ea purgatio dicta *ſuffitio*, & applicitis, ad verrendam domum, quibuſdam ſcopis, à queis deducta vox, *exuerriæ*, & *euerriatoris* nomen, quomodò hæc ſingula diſcet iuuentus, poſt Ciceronem 2. *de legibus*, ex locis Feſti in verbis, *aqua*, *denicales*, *euerriator*, *piatrix*; Seruij ad *Æneidos librum* 5. *verſ.* 56. Porphirij ad *Horatianum* illud, *nouemdiales diſsipales pulueres. Epodon od.* 17. Donati in *Terentij Phormionem.* Quin etiam, vt alias funebres expiationes adiungamus, quoties defuncto iuſta ritè facta non erant, aut in eis aliquatenus peccatum, & maximè ſi non integrè humatus, gleba in os, aut ter puluere cadaueri iniectis manu plena, iuxta Athenienſium legem, de qua Ælianus *lib.* 5. *var. Hiſt. cap.* 14. & Romana Pontificum ſcita, aliarumque gentium, de queis *ad Maronianum verſum lib.* 6. *Aut tu mihi terram inijce.* Et Horatij *lib.* 1. *ode* 28. *Licebit, iniecto ter puluere, curras.* Affatim Scholiaſtæ priſci, & nouiores, cum crederetur, inſepultorum animas non antè quieſcere, quàm ſi iuſta percepiſſent, vt ex Homero, Tertullianus *lib. de anima cap.* 56. piaculum contrahi cenſebatur, & ſolebat, & debebat expiatio adhiberi, qua purgaretur, eaque ex Pontificio iure, ſeu ritu fiebat, ſacrificio, quod vocabant, *Lare*, veruecibus; aut, ſi maius piaculum fuiſſet, mactata Ceteri, & Telluri quotannis porca præcidanea, ſic dicta, quia ante nouas fruges cædebatur; neque aliter hæredis familia pura erat, vt ex Varrone *lib.* 4. *de lingua*, & 3. *de vita Pop. Romani*, & Cicerone 2. *de legibus*, notat Feſtus in voce, *præcidanea*, &, ex Victorino, antiquo Grammatico, Adr. Turnebus *lib.* 17. *aduerſ. cap.* 20. & Agellius *libr.* 4. *noct. Attic. cap.* 6. & ne kirchmanum de *funere cap.* 1. & illius notæ alios moremur, ex Iuriſperitis, Balduinus in *Iuriſprudentia Mutiana pag.* 84. Ræuardus ad *l. omnia* 134. *D. de regul. iur.* Denique ſueta, ac debita expiatio, quando corpus perpetuæ ſepulturæ traditum, in aliam transferebatur ex iuſta cauſa, *& ſolemnibus redditis ſacrificijs*, vt ſcrip-

ſcripſit Paulus *lib.* 1. *ſentent. tit.* 21. *in princip.* iuncta *l.* 1. *Cod. de religioſ.* ideſt, *piaculo facto*; vt Cuiacius exponit *lib.* 21. *obſeru. cap.* 13. ex vetere inſcriptione, cuius & meminit Ioſephus Scaliger *lib.* 1. *Auſonianarum lect. cap.* 14.

7 Iam itaque ex tam longè petitis, quæ Salmanticæ vixdum ephebi, ac poſtea publicis dictatis, ad *Rubricam D. de acquirenda hæreditate*, præmonuimus, primi fortaſſe in alto Interpretum ſilentio, niſi ſi quis pro interpretamento habeat ſtricturam Merilij *lib.* 2. *obſeru. cap.* 5. ad Vlpianum in *dict. l. ait Prætor* 7. §. 1. *verſ. ergo*, obſeruamus, Vlpiani ſententiam eam fuiſſe, vt Prætor permittere deberet, bona hæreditaria, ante aditam hæreditatem, deminui, præter funeris cauſam, & ſumptus, etiam ad ſumptus in ſacrificijs, pro expiatione familiæ funeſtæ hæredis, quæ, poſt funus peractum, fiebant eo tempore, ritu, & caſibus, quos memorauimus, & quæ funus ſequuntur, & ab eo diſtinguntur, ſicut funus, & iuſta, apud eumdem Vlpianum in *l.* 2. *in fine D. de in ius voc.* Vbi ſcitè Gothofredus *l. pro hærede* 20. §. 1. *D. de adquir. hæred.* Cuiacius *lib.* 13. *obſeru. cap.* 29. & ex eo, & alijs, Hilligerus *ad Donellum lib.* 23. *comm. cap.* 2. *litt. X.* ſic, & ſimili ſenſu in loco Cincij apud *Agellium lib.* 16. *cap.* 4. excuſationi ob funus comburitur, feriaſue denicales, & quod ſequitur, *auſpiciumue, quod ſine piaculo præterire non liceat*, exponendum de auſpicijs, quæ expiatione egebant, quia ſacrificantibus triſtia portenderent; vnde & piacularia auſpicia dicebantur, qualia deſcribit Feſtus in voce, *piacularia*, ſicut eidem Feſto *piaculares hoſtiæ*, & victimæ, & ſacra. Liuius *lib.* 1. *cap.* 26. & *lib.* 29. *cap.* 19. Plautus in *epidico actu* 1. *Scæna* 2. Varro *lib.* 5. *de lingua latin.* Tacitus *lib.* 1. *annal.* Agellius *lib.* 4. *noct. Atticar. cap.* 6. Plinius *lib.* 3. *epiſt.* 9. Arnobius 6. *adu. gentes*: nec piaculares hoſtias ſignis minacibus poſtulare.

CAPVT XXIII.

IMMVNES A VICESSIMA SVI HÆREDES; AD LEG. IN SVIS 11. D. de lib. & poſthum. paraphraſtica recitatio.

ARGVMENTVM.

AD exceptionem aliam tranſitum perſonarum, quę à viceſsima immunes, quales in primis pauperes. Immunes itidem ex ipſa *Iulia lege de viceſsima* hęredes, legatarijve, defuncto valde cognati. Enarratus Plinius, & Dio. Tales ſanguine, gentilitate, ſacris defuncto cum primis iuncti, hoc eſt ſoli ſui hæredes. Hi proximi gentiles, & agnati, ſacrorumque familiæ ſucceſſores. Notata Celſi alluſio in *l. in fundo* 38. *de rei vindicat.* Deducta ex his interpretatio Pauli in *l. in ſuis* 11. *de liber. & poſthum.* Elucidata in primis *epigraphe* eius loci. Enucleatus ſingillatim contextus *dict. l.* 11. relatuſque ad viceſsimam. Otioſa fictio hęreditatis iacentis in ſuis hęredibus, propter continuationem dominij. Hi, viuo patre, domini, & quo reſpectu? Illuſtratus Lactantius. Vocantur ſui hæredes προληπτικοὶ, ſiue ἀναφορικοί, in eoque Auctorum iuris ex Latio & Gręcia phraſes indicatę. Abſtinere, & filię loco eſſe, de vxore ſua hęrede, per conuentionem in manum, exaudimus. Ad *l.*

14. *l. Thais* 40. *§. Stichus* 14, *D. de fideicom libert. l.* 1. *verſ. alijs D. de act. rer. amotarum*. Conjectanea. Pauli, Plinijque ad viceſsimam collimantia verba. Accurſianorum corollarium ex d. *l.* 11. laudatum. Gabellę hæreditatum ſui hęredes non ſunt obnoxij. Veteres ciues in hac re, qui ciues ante Nuptias, liberoſue ſuſceptos. Hi ſoli ſuos hæredes habuerunt; non item ciues facti poſt nuptias, aut prolem, & quare. Enodatus non ſemel Plinius in *Panægyrico, & Epiſtolis.*

1 SEd quamdiu per hanc funebrem lineam ſerram reciprocabimus? Ait ille. Reuocat tertia nos, & quidem nobiliſsima quondam exceptio perſonarum, quibus immunitas viceſsimæ tributa eſt. Inter eas primùm occurrit ius pauperum hæredum, ἢ καὶ πενήτων, ait Dio *lib.* 55. quos oneri viceſsimæ non fuiſſe obnoxios, ille ſubindicat, nec alia rei veſtigia in noſtris, aut externis libris extant, niſi quod ſimiliter de tenui, atque exili hæreditate conſtitutum, monuimus ſupra, *cap.* 10. celebrius certè eſt, & explicatu dignius quod ibidem Dio teſtatur, excipi ſcilicet à viceſsimæ præſtatione hæredes, legatarioſue, defuncto proximè genere iunctos. πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν, ait ille, & verbum verbo vt reddam, *valde cognati*. Idque eadem de viceſsima lege Iulia, cum primùm ab Auguſto lata eſt, expreſſum fuiſſe, ſentire Dio videtur, nec diſſentit Plinius in *Panægyrico*, vbi exceptionem hāc Nerua, Traianoque, qui primi, poſt Auguſtum, viceſsimam reciderunt, antiquiorem eſſe ſignificat. *Viceſsima*, inquit, *reperta eſt tributum tolerabile, & facile hæredibus dumtaxat extraneis, domeſticis graue. Itaque illis irrogatum eſt, his remiſſum.* Et paulò poſt: *Hæc manſuetudo legis veteribus ciuibus ſeruabatur.* Sed, vt rem explicem, inter domeſticos, ac proximè genere iunctos, eos ſolos lex excipiebat, qui ſanguine, gentilitate, ſacrorum denique ſocietate coniuncti eſſent. Quæ, ſimul collecta, ſolis ſuis hæredibus propriè conueniunt; namque & hi ſanguine, gentilitateque, præ cæteris, defuncto proximi. *l. filius* 12. *D. de ſuis, & legit. l. iuriſconſultus* 10. *§. Proximiores* 3. *D. de gradib. & affin. l. de bonis* 6. *§. Huic autem D. de Carbon. edicto. l. pronunciatio* 195. *§. Familiæ* 2. *verſic. proprio iure D. de verbor. ſignific.* ſolique in patris ſacris, cuius in poteſtate manent, eſſe dicuntur. *l.* 3. *Cod. de ſuis & legit. hæred. l. filiæ* 12. *de collat. l. vlt. Cod. de inoffic. teſtam.* quia & primi, proprijque dicebantur priuatorum familię ſacrorum, domeſtici hæredes, & paterni Penatium, ſeu Larium cultus ſucceſſores, vt ex Ciceronę in *oratione pro domo ſua & 2. de legibus.* Liuio *lib.* 45. notatum vulgò, & reſpexit Celſus in *l. in fundo* 38. ibi: *Laribus, ſepulchriſque auitis carere debeat. D. de rei vindic.* Remiſſum itaque lege Iulia viceſsimæ onus ſolis ſuis hæredibus, quoniam, vt eleganter Plinius, *manifeſtum erat, quanto cum dolore laturi, ſeu potiùs non laturi homines eſſent, deſtringi aliquid, & abradi bonis, quæ ſanguine, gentilitate, ſacrorum denique ſocietate meruiſſent.*

2 Referri ad hanc viceſsimæ exceptionem ſolet à noſtratibus, poſt Cuiacium, nobilis diſputatio Pauli in *l. in ſuis* 11. *D. de liber. & poſthum.* Et quidem, ſi inſcriptionem dumtaxat eius legis ſpectes, omnino improbabiliter; eſt enim ex 2. *libro* Pauli *ad Sabinum*, in quo non liquet, tractaſſe eum de viceſsima, quin potiùs generaliter de ſuis hæredibus, vt ex eodem libro indicant Textus in *lege ſi*

 quis

quis nepotem 10. *D. de adopt. l. penult. D. de liber. & poſth. l. ſi pater* 9. *D. de iniuſto rupto. l.* 4. *D. ſi tabulæ teſt. nullæ extab. l. ſi me* 13. *D. de captiu. & poſtlim. reu.* & *de acquiſitione hæred. l.* 1. *l. pupillus* 9. *l. idem* 14. *l. is poteſt* 18. *l. ſi is ad quem* 22. *l. ſi ego* 26. *l. hæredi* 31. *l. & ſi ſubſtitutum* 65. *D. de acquir. hæred. l. in bonorum* 10. *D. de bonorum poſſeſ.* Ad alterutram autem partem ex his pertinere, videri poteſt, diſputatio *d. l. in ſuis* 11. quamquam ſi quis, ratione ex inſcriptionibus coniectandi neglecta, rem ipſam intueatur, perſuadebitur facilè, referendam eam eſſe ad immunitatem viceſsimæ in ſuis hæredibus. In his enim, ait Paulus in *d. l. in ſuis* 11. *euidentiùs apparet* (euidentiùs ſcilicet, quàm in alijs liberis, non ſuis hæredibus, quibus perinde poſteriorum Principum conſtitutionibus onus viceſsimæ ex hæreditate paterna remiſſum eſt, de quo poſtea) *continuationem dominij eò rem perducere, vt nulla videatur hæreditas fuiſſe, quaſi olim hi domini eſſent, qui viuo, quoque patre, quodammodò domini exiſtimantur. Itaque poſt mortem patris non hæreditatem percipere videntur, ſed magìs liberam bonorum adminiſtrationem conſequuntur.* Hæc autem ſingula propriè probant, meritò ſuis hæredibus viceſsimæ onus remitti, quoniam illa ſoluitur ex hæreditate; in ſuis autem hæredibus non eſt hæreditas, nempe non talis, quæ poſt mortem defuncti iaceat, ac medio tempore, donec adeatur, defuncti perſonam ſubſtineat. *l. ſi poſt mortem* 68. §. 1. *D. de leg.* 1. *l. Iulianus* 86. *in fine D. de condit. & demonſtr. l. ſi optio* 13. *D. de optione, vel elect. leg.* quoniam hæreditatis eiuſce inducendæ, & iuris intellectu fingendæ ratio, ac neceſsitas ea fuit, ne medio tempore, ante quàm hæres defuncto exiſtat, bona nullius ſint, ſed dominium eorum ab hæreditate retentum, deinde in hæredem transfuſum, & continuatum, nec interruptum videatur. *l.* 1. §. *Scæuola D. ſi is, qui teſtam. lib. eſſe iuſſ. fuer. l. denique* 13. §. *Quæſitum D. quod vi, aut clam.* In ſuis autem hæredibus neceſſaria hæc fictio non eſt, propter continuationem dominij, vt Paulus ait in *d. l.* 11. hoc eſt, quia ſtatim à parentis morte immediatè continuatur in his dominium, vt Iuſtinianus explicat in §. *Sui autem* 3. *Inſtitut. de hæred. quæ ab inteſt. deferuntur.*

Proficiſcitur verò continuatio hæc dominij in ſuis hæredibus ex eo quod, vt Paulus ſcribit, viuo quoque patre domini exiſtimantur, non quidem verè, propriéque, ſic enim duo in ſolidum eiuſdem rei domini eſſent, pater, & filius, quod abſurdum. *l.* 3. §. *Ex contrario D. de acquir. poſſeſ. l.* 5. §. *vlt. D. commod.* Sed pater verè dominus, filius *quodammodò*, & iuris intellectu, vel dum vnam, eamdemque perſonam patris, & filij eſſe comminiſcitur. *l. vlt. Cod. de impub. l. ne cum filio familias* 16. *D. de furt. l. cum ſcimus* 22. *in fine Cod. de agricol. & cenſit. lib.* 11. Vel dum naturali ratione, parentumque voto, ad eorum ſucceſsionem, veluti debitam, ſeu potiùs propriam, filij vocantur. *l. cum ratio* 7. *D. de bonis damnat. l. ſcripto* 7. *D. ſi tab. teſtam. nul. extab. l.* 1. §. *Largiùs D. de ſucceſſ. edicto. l. vlt.* §. 1. *Cod. de curator. furioſ. l. vlt.* §. *Si quis verò Cod. de codicill. l. vnic. Cod. de impon. lucrat. deſcript. lib.* 10. Vnde καταχρηστικῶς, ſiue, per *anticipationem*, domini, viuo patre, dicuntur, quia mortuo eo, omnimodò futuri ſunt, vt Albericus noſter notauit ex *l.* 1. §. *Domini* 7. *de Senatus C. Syllan.* Idque, collatis locis Plauti *in Aſinaria*, Terentij in *Heautontim.* Ciceron. 8. 3

in Verrem, Senecæ lib. 2. contr. 9. D. Auguſtin. lib. 9. confeſſ. cap. 8. Iul. Polluc. lib. 3. cap. 8. Auſonij. edyllio. 3. Saluiani in epiſt. ad Hypatium, & Quietam, alij iam illuſtrarunt: quibus adijcio Lactant. de vera ſapientia cap. 29. Cum quis, inquit, habet filium, quem vnicè diligit, qui tamen ſit in domo, & in manu patris, licet ei nomen domini, poteſtatemque concedat, ciuili tamen iure & domus vna, & vnus dominus nominatur. Eademque ratione, & anticipatione ſui hæredes, quaſi proprij, domeſticique; viui adhuc parentis hæredes appellantur, vt Iuſtinianus ait, in §. ſui autem inſtit. de hæred. qual. & differ. Siue κατ᾽ ἀναφορὰν, per relationem, ſeu ipſius hæredes, quia ſibi ipſis ſuccedere, & dominium; quod, parentibus viuis, habuerant; continuare videntur. Vnde & vocati Græcis αὐτοκληρονόμοι: Et apud noſtros iuris auctores ſtatim à parentis morte, ipſo, tacitoque iure hæredes eſſe, exiſtere; deprehendi, apparere ἀναφαίνεσθαι, denique immiſcere ſe bonis, retinereque, aut abſtinere, non adire, aut repudiaſſe paſſim dicuntur. Quæ ſingula teſtimonijs firmare quid attinet? Videat cui vacat. l. 1. §. Qui ſunt in poteſtate D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt. l. penult. §. penult. D. de bon. lib. l. in ſuis 14. D. de ſuis, & legit. hæred. l. 3. §. vlt. D. de hæred. inſtit. l. vlt. §. 1. Cod. de curatore fur. l. & ſi quis 14. §. Plerique D. de religioſ. l. licet 8. Cod. de iure delib. §. extraneis Inſtitut. de hæred. qualitat. & different. Nemo autem, opinor, non vacabit, conſulendo, hac de re, D. Melchiori de Valentia, Primario quondam anteceſſori, & præceptori noſtro, poſt in Supremo Caſtellæ Senatu Conſiliario, & Collegæ, & clariſsimo ſemper iuſtitiæ, & iuris ſcientiæ Myſtæ, lib. 3. illuſtr. tract. 3. de iure ſuorum hæred. cap. 2. num. 24 & ſeqq. Id vnum, vel curſim, notamus, iuxta partitas, propriaſque has iuris auctorum phraſes, in l. Lucius 14. l. Thais 41. §. Stichus 14. D. de fideicommiſſ. lib. Abſtinendi verbum relatum ad vxorem, exaudiendum eſſe de ea, quæ per conuentionem in manum mariti, ſua ei hæres; & filiæ loco erat, vt ex ſchedis noſtris, monuit noſter ſemper diſciplina; & affectu, Ioannes Suarius Mendoza lib. 2. cap. 3 ſect. 3. num 18. quomodò & Salmanticæ pridem in extemporali recitatione ad l. rerum 25. D. de act. rer. amot. de eadem vxore per conuentionem, exaudiuimus comparationem illam vxoris, quæ furti non teneatur, quamuis furtum faciat, ſicuti filia patri faciat, in l. 1. verſ. alijs D. de act. rer. amot. iuncta l. ſerui 17. D. de furtis. Rectè itaque Paulus concludit in d. l. in ſuis 11. ſuos hæredes, poſt mortem patris; non hæreditatem percipere; videri, ſed magis liberam bonorum, quorum ante domini, adminiſtrationem conſequi, vt proinde oſtendat, non eſſe; cur viceſsimam debeant ex his bonis, quæ nunquam vt aliena; & ſperanda, ſed vt ſua, ſemperque poſſeſſa, ac deinceps proximo cuique tranſmittenda; cepiſſent; vt in eadem re Plinius ſcribit in Panægirico, cuius verba Pauli ſententiæ libens adiunxi, vt appareat quàm aptè ſibi reſpondeant vtraque; & ad eumdem veluti viceſsimæ ſcopum colliment. Quapropter laudandi valde ſunt Angelus; Imola, Cumanus, & Iaſo num. 11. in d. l. in ſuis 11. Decius in l. vlt. num. 11. Cod. de edicto D. Adrian. toll. Felinus in cap. 1. num. 2. de magiſt. Fulgoſius conſ. 108. num. 3. verſ. exempli loco, & conſil. 152. Bartol. conſil. 229. num. 4. lib. 1. Gomez 1. tom. vdr. cap. 9. num. 18. Greg. Lopez in l. 21. gloſ. 4. tit. 3. part. 6. Firmian.

de Gabell. 5. *part. num.* 15. poſt multos Tiraquell. in *l. ſi vnquam in præfat. num.* 19. *Cod. de reuocand. donat.* Gironda *de Gabellis* 7. *part.* §. 2. *num.* 3. qui omnes ex ſententia *dict. l. in ſuis* 11. tametſi noſtræ viceſsimæ immemores, rectè intulerunt, non deberi à filijs ſuis hæredibus ex hæreditate paterna Gabellam, quæ quibuſdam in locis, municipalibus conſtitutionibus, ex hæreditatibus ſolui ſolet, quamuis perperam renitatur Alexand. in *dict. l. in ſuis* 11. *num.* 5. Socin. *conſil.* 118. *lib.* 3. Hieronym. Sapia *num.* 3. & Zuchard. *num.* 35. *& ſeqq. in repetit. l. fin. Cod. de edicto Diui Adrian. toll.* Queis addeſis Mantuanum ſtatutum, quo immunes fiunt à Gabella, ſeu Datio, pro legatis, collaterales, defuncto iuncti, intra quartum gradum, vt Cyriacus memorat *tom.* 1. *forenſ. controuerſ.* 97.

4 Sed in viam, quia nec vlteriùs in vulgarem illam *ſuitatum*, vt loquuntur, materiam, exorbitare vacat, aut iuuat. Progredior potiùs in enarranda exceptione perſonarum, quæ à viceſsima immunes. Ergo cum, vt probauimus ſupra *hoc capite*, ſoli ſui, domeſticiue hæredes à viceſsimæ onere eximerentur, *lege Iulia*, apparebat, quod & Plinius fatetur in *Panægyrico*, *manſuetudinem legis hanc veteribus ciuibus ſolis ſeruari.* Ius enim ſui hæredis cum eorum dumtaxat ſit, qui in poteſtate morientis parentis primum gradum ſucceſsionis, cum ea defertur, occupant. §. *Sui autem Inſtit. de hæred. qualit.* §. *Sui autem* 2. *Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. defer. l. lege Cornelia* 12. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* & per poteſtatem ſacrorum, & familiæ ſocietate defuncto iunguntur, vt iam monuimus, non poteſt reperiri, iure Romano, niſi in Romanis ciuibus, quorum proprium eſt ius patriæ poteſtatis, familiæ, ſacrorumque. §. *ius autem Inſtit. de patr. poteſt. l.* 3. *l. patre* 8. *D. de his qui ſui, vel alieni iur. ſunt.* §. *Cum autem Inſtit. quib. mod. ius patr. poteſt. ſolu.* Et quidem veteribus, vt dixi, ciuibus, hoc eſt non qui tempore introductæ viceſsimæ ciues, vt inconſpectè Lipſius exponit, ſed omnibus, qui antequàm nuptias contraherent, liberoſue haberent, ciues Romani erant. Nam qui, contractis nuptijs, aut ſublatis iam liberis, Ciuitatem Romanam aſſecuti, niſi ſpecialiter, iuſtarum ius nuptiarum, ſiue, quod idem eſt, ius connubij, quod ciuium Romanorum proprium, *princ. Inſtit. de nupt.* aut patriæ poteſtatis, in liberos ius impetraſſent, eos, nec ſuos hæredes, nec in poteſtate habebant, vt ſignificat Plinius *lib.* 10. *epiſt.* 6. *ad Traianum*, ibi: *Rogo ergo, vt propinquis eius des Ciuitatem, Chryſippo Mithridatis, vxorique Chryſippi, Stratonicæ Epigoni, item liberis eiuſdem Chryſippi, ita vt ſint in patris poteſtate, vtque ijs in libertos ſeruetur ius patronorum.* Igitur, vt eiuſdem elegantiſsimis verbis concludam, noui Romani ciues, *ſiue per Latium in Ciuitatem, ſeu beneficio Principis veniſſent*; *niſi ſimul* (hoc eſt vno, eodemque tempore, quo Ciuitatem, iura etiam poteſtatis, familiæque, & ſuorum hæredum, ſiue, vt ille loquitur) *cognationis iura impetraſſent, alieniſsimi habebantur, quibus coniunctiſsimi fuerant.* Quoniam ſcilicet, mutatione Ciuitatis, capite minui, & iura familiæ, ac ſuorum hæredum amittere dicebantur. §. *Cum autem Inſtit. quib. mod. ius patr. pot. ſol.* §. *vlt. Inſtit. de legit. agnat. tutel. l. vlt. D. de capite min.* iuncto Feſto in voce, *deminutus*; & conſequenter à filijs quoque ex hæreditate paterna ſoluebatur viceſsima, quam vtique non ſoluerent, ſi,

ſi, cum Ciuitate, iura ſuorum hæredum impetraſſent. *Ita maximum beneficium vertebatur in grauiſſimam iniuriam, Ciuitaſque Romana inſtar erat odij, & diſcordiæ, & orbitatis, cum clariſſima pignora, ſalua ipſorum pietate, diſtraheret. Inueniebantur tamen quibus tantus amor nominis noſtri ineſſet, vt Romanam Ciuitatem non viceſſimæ modò, verùm etiam affinitatum damno bene compenſari putarent: ſed his maxime debebat gratuita contingere, à quibus tam magnò æſtimabatur.*

CAPVT XXIV.

CONSTITVTA NERVÆ, ET TRAIANI, CIRCA VICESSIMAM. Ad leg. vlt. D. de interrog. in iur. fact. L. vnicam Cod. de impon. lucrat. deſcript. lib. 10.

ARGVMENTVM.

PRoceſſum in eodem tractatu viceſsimę exceptionum. Prima, ex Neruæ ſanctione, inter matres, & filios, tametſi cognationis ius, cum ciues facti non impetraſſent. Quatenus hi ſub Nerua ſuccederent viciſsim. Exceptio altera in filio ex hęreditate paterna, quamuis nouus is ciuis, modò in poteſtatem reductus. Adiectæ his à Traiano exceptiones in filijs, non ſuis hæredibus, & in patre hærede filiorum: itemque in Auo, & Auia, nepote, nepte, fratre, & ſorore inuicem, etiam ſi facti hi ciues ex Latinus. Panœgyricus Plinij luſtratus preſsum, & illuſtratus. An & aliæ exceptiones ab alijs Cæſaribus, incertũ nobis. Pythęi ad Vlpianum, apud Ruffinum, in collatione legum Moſaicarum emendatio reiecta, & aſſerta lectio decimę pro viceſsima, ex inuulgato adhuc Dionis Caſsij loco. Lux illata ex propoſitis Scæuolæ in *l. vlt. de interrog. in iur.* Percurſa eiuſdem legis quæſtio, relataque ad viceſsimam ex coniectura. Hypotheſis noſtra cur à Scęuola non diſcuſſa, aut deciſa, & quomodò decidenda. Explanata expreſſa quæſtio apud Scæuolam, an filius, qui ſe hæredem reſpondit, quaſi interrogatoria, creditoribus teneatur. Recepta interpretatio propoſita, ſed vix probata. Noua, noſtraque cogitatio ad *d. l. vlt.* & obiter ſatisfactum Cyrillo Baſilico Scholiaſtæ. Ex confeſsione in iure ad interrogationem vnius creditoris, etiam ſi Procurator Cæſaris interrogauerit, ei ſoli datur actio interrogatoria, non autem cæteris creditoribus. Comparatio viceſsimæ, & ſiliquatici curialis. Quale id, & quænam lucratiua deſcriptio. Adornatur *lex vnica C. de impon. lucrat. deſcript.* Relicta pię cauſę immunia à ſiliquatico. Iuliæ viceſsimarię, & Iuliæ noſtrę, Papięque legum, παράλληλα, ſeu conſonantię celebriores. Papiæ iugum nedum liberis, & parentibus, ſed neque impoſitum ex tranſuerſo proximis, intra tertium gradum. D. Alfonſi Guillen de la Carrera elogium.

1 HÆc veteris iuriſprudentiæ, circa perſonas, viceſsimæ obnoxias, clauſtra, & repagula, quæ reſeraſſe nos oportuit, vt cætera commodiùs intelligantur. Perfregit autem primus Nerua Imperator, ſanxitque, *vt quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis perueniſſet ad matrem, etiam ſi cognationum iura non recepiſſent, cum Ciuitatem adipiſcerentur, eius viceſſimam ne darent.* Auctore in *Panægyrico* Plinio. Conſtabat ſanè, filios matri ſuos hæredes non eſſe, §. *cæteri Inſtit. de hæred. qualit. l. illud* 4. §. *Ad teſtamenta D. de bonor. poſſeſſor. contr. tab. l. nulla* 13. *D. de ſuis & legit.* eoſdemque ad matris hæreditatem, aut matrem ad ipſorum bona, Neruæ temporibus, hoc eſt ante Orphitianum, & Tertyllianum S. C. non vocari, niſi per bonorũ poſſeſſionem, *vnde cognati*, iure proximitatis, ſeu cognationis, qua ſola inter ſe iunguntur, *princ. Inſtit. de Senatus Conſulto Tertyll. l.* 1. §. *Si qua prægnans*

D. *vnde cognati*. Vlpian. *in fragm. tit.* 26. §. *penult. & vlt.* Sed & hæc cognationis iura perire, conſtat, media capitis deminutione, qualis eſt Ciuitatis mutatio. §. *Quod autem Inſtit. de capit. deminut.* Duo itaque conſtitutio Neruæ complectitur, veterique, de viceſsima, legi derogans adijcit, & vt inter matres, & liberos, quamuis iura ſuorum hæredum non ſint, viceſsimæ exactio ceſſet, & vt ea ceſſet, quamuis non eodem tempore, quo Ciuitatem, cognationum iura impetrauerint, ſi tamen ſcilicet ea poſtea conſecuti ſunt. Adiecit, tribuitque idem Cæſar eamdem immunitatem viceſsimæ filio in hæreditate paterna, nempe quamuis alteruter ex his nouus ciuis, ac non ſimul cum Ciuitate, iura familiæ, & poteſtatis impetraſſet, ſi modò poſtea *reductus eſſet*, ſiue, vt Cuiacio placitum 10. *obſeru. cap.* 23. *redactus in patris poteſtatem*, quam, mutatione Ciuitatis, amiſerat. Quomodò Plinij verba enarranda, quæ non ſatis ſe capere, Balduinus, fatetur. Ratus eſt enim Nerua *improbè, & inſolenter, ac pene impiè his nominibus*, patris, & filij, *inſeri publicanum, nec ſine piaculo quodam ſanctiſſimas neceſſitudines, veluti intercedente viceſsima, ſcindi, nullum eſſe tanti vectigal, quod parentes, ac liberos faceret extraneos.*

2 Nec Neruæ conſtituta, quæ ſucceſſor eius Traianus mirum in modum auxit, promouitque. In primis enim voluit, nunquam ex hæreditate patris filios, tametſi emancipatos, aut aliàs non ſuos hæredes, viceſſimam ſoluere, veteremque illam, quam & ſecutus Nerua fuerat, exceptionem, ſeu conditionem legis remouit, *ſi modò filius in poteſtate patris fuiſſet*, *intuitus*, *opinor* (Pliniana verba ſunt) *vim, legemque naturæ, quæ ſemper in ditione parentum liberos eſſe iuſſit, nec vti inter pecudes, ſic inter homines, imperium valentioribus dedit.* Adſtruxit idem Traianus, *vt quemadmodùm in patris filius, ſic in hæreditate filij pater eſſet immunis, nec eodem momento, quo pater eſſe deſiſſet, hoc quoque amitteret, quod fuiſſet*: vt præclarè Plinius ſcribit, cuius verba quoniam *ex Panægyrico*, quicquid Sidonio volitum 8. *epiſt.* 10. *incomparabili*; & quod præcipuum nobis nunc eſt, illuſtrandis his veteris iuriſprudentiæ reliquijs vnicè ſeruiunt, volens ſubiungo: *Egregiè*, inquit, *Cæſar, quòd lachrymas parentum vectigales eſſe non pateris: bona filij pater ſine diminutione poſsideat, ne ſocium hæreditatis accipiat, qui non habet luctus: nemo recentem, & attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogatque patrem, quid reliquerit filius, ſcire. Dignum ergo, Imperator, manſuetudine tua, minuere orbitatis iniurias, nec pati, quemquam, filio amiſſo, inſuper affici alio dolore. Sic quoque abundè miſera res eſt, pater filio ſolus hæres; quid ſi cohæredem non à filio accipiat? Adde, quod cum Diuus Nerua ſanxiſſet, vt in paternis bonis liberi neceſſitate viceſsimæ ſoluerentur, congruens erat, eamdem immunitatem parentes in liberorum bonis obtinere. Cur enim poſteris amplior honor, quàm maioribus haberetur? Cùrue non retro quoque recurreret æquitas eadem?* Conſtituit denique Traianus, vt in ſororis bonis frater, & contra in fratris ſoror, itemque auus, auia in nepotis, neptiſque bonis, & inuicem illi, à viceſsima dependenda immunes eſſent. Idemque iuris omnibus his indulſit, *quibus per Latium Romana Ciuitas patuiſſet*, hoc eſt, qui ex Latinis Romani ciues facti, modis illis, de queis Vlpianus *in fragm. tit.* 3.

Om-

Omnibuſque inter ſe cognationum iura commiſit. Simul & pariter, ac more naturæ, vt quemadmodùm ſi ea ſinguli impetraſſent, ſicut & impetrare à prioribus Principibus ſolebant, ita inuicem ſine viceſsimæ onere ſuccederent. Indignum enim, ait Plinius, Traiano viſum, *ab homine peti quod Dij dediſſent. Sorores eſtis, & frater; auus, & nepotes: quid eſt ergo cur rogetis, vt ſitis? Vobis eſtis. Læti ergo adite honores, capeſsite Ciuitatem: neminem hoc neceſsitudinis abruptum, velut truncum, amputatumque deſtituet: iiſdem omnes, quibus ante pignoribus, ſed honeſtiores perfruentur*. Atque hucuſque, quod ſciam, perſonarum à viceſsima immunitas progreſſa, cui tamen valde adiectum, detractumque à poſterioribus Principibus, ſunt, qui diuinent. Et Balduinus *libello ad leges*, & inter eas, *ad Iuliam de viceſsima*, hæreditatum omnium, quæ ab inteſtato obuenirent, non cepiſſe Fiſcum viceſsimam, docet, cui quodàmmodò ſuffragatur *lex vnica Cod. de imponenda lucrat. deſcript. lib.* 10. de qua poſtea. Pithæus verò *ad collationem legum Moſaicarum tit.* 16. *§. vlt. in fine*, vbi ex Vlpiano legimus: *Sed Imperator noſter in hæreditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur, eas ſolas perſonas voluit admitti, quibus decimæ immunitatem ipſe tribuit*. Pro, *decimæ*, voce reponit, *viceſsimam*, cui derogatum, ſiue à qua immunes fuiſſe perſonas, expreſſas Imperatoris conſtitutione, de qua illic, cenſet Pithæus. Nobis perincertum vtrumque Salmanticæ videbatur, niſi ſi inductum forſan à M. Antonio, quem leges de viceſsima hæreditatum addiſſe, ſcribit in eius vita Capitolinus; aſt, vt *dies diei indicat ſcientiam*, didicimus poſtea ex Dionis Caſsij excerptis, quæ è *libro* 77. *Hiſtoriæ* edidit Græcè, & Latinè, inter alia Conſtantini Porphyrogenetæ opera *de vitijs, & virtutibus*, ante paucos annos, Henricus Valeſius, Antoninum Caracallam vectigal decimæ, pro viceſsima tam eorum, qui manumitterentur, quàm legatorum, & hæreditatum induxiſſe. Id inuentum, quamdiu ſubſtiterit, non diſputamus; ſatis interim ſit, iuxta id, & ſubſtinendam lectionem illam, mentionemque decimæ, & intelligendam de Antonini Caracallæ conſtitutione, qui ab Vlpiano, *Imperator noſter*, nuncupari ſolet, vt in *l.* 3. *l. cum hic ſtatus* 32. *D. de donat. inter.* & alibi ſæpe.

Peregi faſtidioſum nudæ pene in hac parte recitationis officium. Iuuabit tamen, ſcio, vel illuſtrandæ nouæ ad Scæuolam notæ, *lib.* 4. *Digeſtorum in l. vlt. D. de interrogat. in iure fact*. Proponit ille ibi, *Procuratore Cæſaris, ob debitum Fiſcale interrogante vnum ex filijs, qui nec bonorum poſſeſſionem acceperat, nec hæres erat, reſpondiſſe, ſe hæredem eſſe*. Quærit deinde, an quaſi interrogatoria filius, qui ſe hæredem reſpondit, creditoribus cæteris teneatur. Ego autem arbitror, ſpeciem, quæſtionemque hanc non poſſe propriè, aut eleganter magìs explicari, quàm ſi ponamus interrogationem illam, an hæres eſſet, factam ideo, vt liqueret, an ex hæreditate Fiſco deberetur viceſsima, quod & ſingula, quæ contextus exprimit, valde ſuadent, namque & interrogauit Procurator Cæſaris, qui viceſsimam hæreditatum curabat. *l. nulli.* 13. *D. de tranſact.* diximus ſupra *cap.* 8. & ob Fiſcale debitum, quale fuiſſe viceſsimam, ſatis liquet, inter alia vectigalia, de quibus etiam tractaſſe Scæuolam, *lib.* 4. *Digeſtorum*, coniectari licet ex *l. fundus* 9. *D. de reſcind. vendit.* ac, quod præcipuum eſt, cum de- 3

defunĉto alij filij ſuperuixiſſent, quos hæredes patri extitiſſe, Scæuola, dum non negat, & ex his vnum ſolum, neque hæredem, neque bonorum poſſeſſorem fuiſſe, ait, quodammodò ſupponit, & à quibus ſingulis, tamquam hæredibus, ſi paternum Fiſcale debitum eſſet, exigi poſſet, & quidem in ſolidum iure hypothecæ tacitæ, quam in defunĉti bonis Fiſcus habet. *l. aufertur* 46. §. *Fiſcus D. de iure Fiſci*, iunĉta *l.* 2. *Cod. ſi vnus ex plurib. hæred. creditor.* vnus tamen dumtaxat ex filijs, qui neque hæres, neque bonorum poſſeſſor erat, interrogatus à Procuratore Cæſaris proponitur, an hæres eſſet: quorſum quæſo? Niſi vt conſtaret, an viceſsima, quam ab alijs filijs hæredibus non deberi, apparebat, ex Neruæ, Traianique conſtitutis, deberetur ſaltem ex hæreditatis portione filij interrogati, nempe ſi eo hærede non exiſtente, ac reſpondente, ſe hæredem non eſſe, portio eius, vel tota, vel pro parte, ad extraneum aliquem inſtitutum pertineret. Idcirco autem, vt ſuſpicor, quamuis proponat Scæuola, filium reſpondiſſe, ſe hæredem eſſe, non tamen diſputat, deciditue, an interrogatoria Fiſco ipſi, ſiue Procuratori Cæſaris teneatur, quia, iuxta ſuperiorem hypotheſim, dubitare nemo ſanus poterat, non teneri, contra quam vulgò haĉtenus creditum eſt. Nam ſi cum verè hæres, iure ciuili, eſſe poſſet, reſpondiſſet, ſe hæredem eſſe, eo ipſo pro hærede geſsiſſe, videretur. *l. ſi filius* 12. *D. de interrogat. in iur. faĉt.* & conſequenter vtpote filius, idemque hæres conueniri à Fiſco, ſiue Procuratore Cæſaris, viceſsimæ nomine, interrogatoria aĉtione non poſſet. Si verò cum nec hæres eſſet, nec eſſe poſſet iure ciuili, vt putà emancipatus filius, prȩteritus, aut exhæredatus, falsò reſponderit, ſe hæredem eſſe, nihilò magis ex reſponſione Fiſco tenebitur, quia interrogatoria actio eo dumtaxat caſu competit, quo, ſi verum reſponſum eſſet, direĉta actione, qui reſpondit, conueniri poſſet: vbi autem id, quod in confeſsionem venit, vel ius, vel natura non recipit, veluti ſi cum nemine, eius nomine, de quo quis interrogatur, aĉtio ſit, aut cum eo, qui interrogatur, eſſe non poteſt, confeſsione falſa non obligatur. *l. confeſsionibus* 13. *in princip.* & §. *vlt. l. ſi is cuius* 14. *in princ.* & §. *vlt. D. de interrogat. in iur. fac. l. inde Neratius* 23. §. *vlt. cum legib. ſeqq. D. ad l. Aquil. l.* 4. & *l. vlt. D. de confeſsion.* Porrò in propoſito, ſi verè filius reſpondiſſet, & hæres eſſet, viceſsimæ nomine conueniri non poſſet; & omnino ius non recipit, vt teneatur, ſiue hæres ſit, quia filius etiam eſt, & conſequenter non obnoxius viceſſimæ, ſiue hæres non ſit, quia qui hȩres non eſt, hæreditatis viceſsimam debere non poteſt.

Hac itaque, vtpote exploratiſsima, quæſtione negleĉta, traĉtat dumtaxat Scæuola, an filius, qui ſe hæredem reſpondit, quaſi interrogatoria creditoribus cæteris teneatur? In quo explicando tam veteres, quàm nouiores Interpretes, interque hos, tametſi acriter in pragmaticos inueĉtus, Faber, ſupponunt, filium hunc falsò, ſe hæredem eſſe, reſpondiſſe; quia neque hæres erat, neque eſſe poterat, vtpote emancipatus, præteritus, aut exhæredatus. Ego non facilè crediderim, dubitaſſe Scæuolam, an qui cum hæres eſſe non poſſet, ſe hæredem reſpondiſſet, quaſi interrogatoria creditoribus cæteris teneretur ex confeſsione falſa, quam ius non reciperet, nempe vt pro hærede haberetur qui eodem iure 4

hæ-

hæres eſſe non poterat : argumento ex *dict. l. confeſsionibus* 13. *cum l. ſeq. l. ſi ſeruus* 16. §. *vlt. D. de interrogat. in iur.* Accommodatius itaque Scæuolæ verbis, qui veluti conſultò, dumtaxat exprimit, filium interrogatum, nec bonorum poſſeſſionem, facto ſcilicet, accepiſſe, neque hæredem eſſe, nempe etiam facto; arbitror, ſpeciem ponendam eſſe, in emancipato filio inſtituto, qui nec bonorum poſſeſsionem ſecundùm tabulas petierat, neque hæres erat iure ciuili, quia nondum adierat, aut pro hærede geſſerat. Quo ſanè poſito, elegans dubitandi ratio occurrit, cur filius videatur creditoribus cæteris teneri, nam cum hæredem ſe reſpondendo, pro hærede geſsiſſe, intelligatur, tenetur vtique omnibus hæreditarijs creditoribus, iuxta *l. ſi filius* 12. *D. de interrogat.* non quidem propria, directaque interrogatoria, quæ ex confeſsione vera, vel falſa interrogati, ſoli ei datur, qui in iure interrogauit. *l.* 4. *l. & quia* 6. §. *vlt. l. ſi ſine* 9. §. 1. *l. de ætate* 11. §. *Qui interrogatus D. de interrogat. l. proinde* 25. §. *vltim. D. ad leg. Aquil.* Sed, vt Scæuola ponit, *quaſi interrogatoria*, vtili actione ad exemplum directæ accommodata ex perſona eius, qui interrogauit, his, qui non interrogarunt, quorum permultùm intereſt, confeſſoriam hanc eis indulgeri, ne vel cogantur probare, eum, cum quo experiuntur, hæredem eſſe, quod difficile plerumque eſt. *l.* 2. *&* 3. *D. de interrogat.* Præſertim cum Procuratore Cæſaris interrogante, quemadmodùm ſi Prætor interrogaſſet, creditorum omnium nomine, interrogatio facta dici poſsit, vt omnibus proficiat. Argumento *ex dict. l. ſi ſine* 9. §. 1. *D. de interrogat. l. ſi curatoris* 9. *Cod. de iure deliber.* Verùm alia Scæuolæ ſententia, qui breuiter, vt ſolet, propoſitæ quæſtioni reſpondet, filium ab his, qui in iure non interrogaſſent, ex reſponſo ſuo conueniri, non poſſe. Significat nimirum, poſſe filium, vtpote eum, qui pro hærede geſſerit, à cæteris creditoribus, proprijs hæreditarijs actionibus conueniri (eoque vno ſuppoſito, quod Scæuola pro explorato, habuit, quamuis non expreſſit, fit ſatis dubitationi Cyrilli in ſcholijs *ad librum* 42. *Baſilic. tit* 4. *in d. l. vlt.* in qua, vt vel tranſiens notem, Procurator Cæſaris vocatur Catholicus, καθολικὸς, vt & paſſim in Baſilicis, vnde & *Catholitiani in l. ſi quis* 9. §. *vlt. Cod. de bonis proſcr.*) non poſſe tamen conueniri ex reſponſo, quoniam id ſoli Procuratori Cæſaris datum, qui, nec aliorum litigatorum nomine, tamquam Magiſtratus, aut Prætor, ſed priuato reſpectu, vtpote viceſſimæ exactor, interrogauit, ei ſoli prodeſſe debuit, vt ſi hæredem filium non eſſe, conſtaret, alium eiuſdem partis hæreditatis ſucceſſorem, ſi viceſſimæ obnoxius eſſet, conueniret. Ergo cum in perſona ipſius Procuratoris, qui interrogauit, omnino inutilis reſponſio fuerit, nec effectum vllum habuerit, aut obligationem pepererit, non poteſt filius, qui à Procuratore, qui interrogauit, conueniri ex reſponſo non poterat, ex perſona illius, ab his, qui non interrogarunt, conueniri. Eaque ſingularis, & noua reſponſi Scæuolæ interpretatio eſt, quo perſæpe practici noſtri abutuntur ad confeſsiones iudiciales, quibuſcum nobis nunc conſerere manus, non vacat.

Seruiant & dictis poſtremi tres 5
Iuſtinianei Codicis libri, in quibus vulgò in hanc rem, ignota conſtitutio extat, ei tamen illuſtrandæ, & exceptioni

huic viceſsimæ, quam poſuimus, communiendæ perquàm idonea. Ea eſt *lex vnica Cod. de imponenda lucratiua deſcriptione lib.* 10. quæ tractat de curiali ſiliquatico, ſiue, quod idem eſt, de vectigali quatuor ſiliquarum, quas quotannis inferre curiæ coguntur extranei, non curiales, quibus curialium bona ex lucratiua cauſa obuenerunt, & quidem olim pro ſingulis capitibus, iugiſque poſſeſsionum, quas conſecuti ſunt. *l. vnica de imponenda lucratiua deſcript. in Cod. Theodoſ.* Hodie verò dumtaxat pro iugationibus lucratiuis, ex *Nouella Theodoſij 2. tit. de his qui ſponte munus*, cuius pars extat in *d. l. vnica*: eoque nomine, nempe, vt de ſiliquatici quantitate liqueat, iugationum deſcriptio fit, quæ lucratiua dicitur in *d. l. vnica*. Cuiuſque mentio in *l. ſancimus 22. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. l. nemo 16. Cod. Theodoſ. de agentib. in rebus. l. 1. verſ. quod & tunc Cod. de apoch. public. lib.* 10. quæ emendanda ex *l. ad inferiorum 137. Cod. Theod. de decurion.* Hæc itaque pendendi ſiliquatici ſarcina, quæ lucratiuis hæreditatibus, legatis, fideicommiſsiſue, & mortis cauſa donationibus, ad viceſsimæ inſtar imponitur, non irrogatur maioribus, aut poſteris, etiam ſi curiales non ſint, ad quos ex aſcendentis, vel deſcendentis curialis bonis, ſimili hæreditatis, aut relicti titulo portiones pertinent, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato: ita à Theodoſio cautum in *d. l. vnica.* Ratus eſt enim, vt olim Nerua, circa viceſſimam, *improbè, & inſolenter, ac pene impiè, parentum, & liberorum nominibus inſeri publicanum, nec ſine piaculo quodam ſanctiſsimas neceſsitudines, velut intercedente* ſiliquatico, *ſcindi, cum nullum eſſe debeat tanti vectigal, quod parentes, ac liberos faciat extraneos.* Vt eleganter in *Panægyrico* Plinius, ſiue quia, vt appoſitè Theodoſius *in dict. l. vnica: in tam neceſſarijs, coniunctiſque perſonis, ſub liberalitatis appellatione, debitum naturale perſoluitur*; etiam cum eis aliquid ſupremo iudicio relinquitur. *l. nec adiecit 9. D. pro ſocio. l. vltim. §. penult. Cod. de codicillis. l. vltim. §. vltim. Cod. Theodoſ. de teſtament.* & ſi ab inteſtato ſuccedunt, *maximè debiti potiùs ſolutio, quàm muneris oblatio comprobatur, quia, non largientibus etiam dominis, ipſa propinquitatis ſerie defertur.* Iuuat eamdem uiceſsimæ, & ſiliquatici exæquationem, quod indicauimus ſupra *cap.* 13. nimirum ex relictis, pietatis intuitu, viceſsimam non detrahi. Eadem enim prorſus ratione, res ex curialium bonis, quæ vel Eccleſijs, vel alijs pijs locis obuenerint, à deſcriptione, & ſiliquatico immunes ſunt. *l. ſancimus 22. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Nouella 131. de Eccleſiaſt. tit. cap. 5. §. Si quæ verò*, quæ apud Iulianum Anteceſſorem, eſt *conſtitutio* 119. *cap.* 510.

Illud, vt huic exceptioni, & primo huic capiti, 6 præcipuoque viceſsimæ legis vale dicamus, breuiter enarrandum ſupereſt, quibus maximè rebus, ac conſtitutis lex iſta cum noſtris Iulia, Papiaque conſentiat, quarum coniunctio, &, vt ita dicam, συνάφεια, ſiue, ἐναρμόσια, nos tamdiu de viceſsima, commentationis muneri explendo, loqui coegit, & tranſuerſum cum alijs, quorum meminimus ſupra *cap.* 7. egit Læuinum Torrentium in *commentario ad leges noſtras*, vbi legem hanc de viceſsima cum Iulia, Papiaque confundit, quaſi illarum caput, & partem, ſupino prorſus errore, quem in

in pragmatico noſtrati Ignatio Laſſarte *de vendition. decimæ in præfat. num.* 11. & alijs eius numeri, & notæ, moleſtè minùs fero. Conueniunt porrò hæ leges, ac veluti conſpirant non tantùm tempore, & auctore, ſed etiam fine, argumentoque, materia, & exceptionibus. Nam quod ad tempus, & auctorem attinet, latæ omnes ab Auguſto, ſiue ex illius ſententia, & quidem prior *Iulia*, ſeu *Iuliæ de maritandis ordinibus* anno ab V. C. 725. & 736. deinde hæc *de viceſſima* anno ab V. C. 757. tandemque, quatuor circiter poſt illam annis, *Papia Poppæa lex*, vt prænotauimus *cap.* 1. 2. *&* 7. ſed & quin finis, argumentumque omnium iſtarum legum idem fuerit, nempe ſupplendi ærarij publici, aut militaris, ciuilibus bellis exhauſti, nemo, opinor, ex his, quæ in ſingularum cauſis, & origine memorauimus, deinceps dubitabit. Iam & materia, modique, quibus ad eum finem vtuntur, valde ſimiles, ac ſibi inuicem reſpondentes. Quemadmodum enim *lex de viceſſima*, materiam legatorum, ac hæreditatum in compendium Fiſci vertit, delata illi earum viceſſima, ita & *Iulia*, *Papiaque noſtra*, in hæreditatibus, & legatis caducorum, & ereptitiorum obſeruationem introduxerunt, quibus Fiſcum ditarent. Deinde ſicut viceſſima à ſuis hæredibus, itemque liberis, & parentibus, fratribuſque & ſororibus inuicem ſuccedentibus non ſoluitur, ſic & caduca liberis, aut parentibus, intra tertium gradum, hæredibus inſtitutis, legatoue honoratis, omnino ceſſant, quoniam illis antiquum ius intactum conſeruauit *lex Papia*, & iugum ſuum imponere erubuit. *l. vnic.* §. 1. *Cod. de caduc. toll.* nec, vt refractariorum vulgus contendit, illis dumtaxat, ſed etiam alijs genere proximis intra tertium gradum, vt rectiſſimè primus, inter noſtrates, docuit circa interpretationem *l. ſi is qui ex bonis 6. D. de vulgari*, D. D. Alphonſus Guillen de la Carrera, clariſſimus præceptor meus, imò primarius non academiæ, ſed Hiſpaniæ noſtræ, quo illuſtriorem anteceſſorem, grauiorem iuriſconſultum, ſanctiorem Conſiliarium ætas iſta non vidit, non videbit; ita, inquam, ille *in electiſſimis commentarijs*, quos dictabat ad *legem vnicam Cod. de caduc. tollend.* Denique quemadmodum lex de viceſſima, ne mora eidem fieret, teſtamentum ſtatim aperiri voluit, auctore Paulo *lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. §. *vlt.* ita & ab apertura Tabularum, caducorum ſpecies ſumpta *l. vnic.* §. *Et cum lex Cod. de caduc. toll.* vnde & de illa extant iuriſconſultorum fragmenta, inſcripta ad *leges noſtras in titulo D. quemadm. teſtam. aperiantur.*

CAPVT XXV.

SECVNDVM IVLIÆ DE VICESSIMA CAPVT, ET AVCTARIVM Edicti Adriani. Ad Paulum libr. 4. ſent. tit. 6. §. vlt. Macrum in l. mille 154. D. de verbor. ſignificat.

ARGVMENTVM.

CAutio altera legis viceſsimariæ de apertura tabularum. Neceſſaria hæc, ne mora vectigali fiat. Expoſitus, emendatuſque Paulus d. *tit. 6. §. vlt.* ſubaudienda inibi ἐλλειπτικῶς vox *potiùs*, ſiue *tam*. In poſtrema hac notatus Helleniſmus ex *l. vlt. D. de condict. ſine cauſa*; *cum alijs*. Vindicata huic capiti ex Macro *lex mille* 154. *D. de V. S.* Abſenti ad aperiendas tabulas, poſt reditum, tres dies dati, aut quinque. Sed & dinumerata, ad redeundum, vicena millia paſſuum in dies ſingulos. Ea occaſio quæſtionis apud Macrum. Miliarium Romæ, qualis columna? Alia eidem fini, Conſtantinopoli, quæ milium dicitur, in *l. 12. §. 6. Cod. de ædific. priu.* Aliud item miliarium ſeptimum Iuſtiniani. Aliud denique, & diuerſi vſus miliarium, cuius mentio in *l. cum aurum* 19. *§. ſi cui eſcarium verſ. fortè D. de auro, & arg. leg.* Fuit hoc vas aquæ calidæ parandæ. Illuſtrata *lex cum de Lanionis* 18. *§. item cacabos D. de inſtructo*, ſimulque veteres alij ſcriptores. Propoſita dubitandi ratio ad *d. l. mille* 154. ſuburbiorum Romæ procurſus. Balduinus Macrum corripit, corrigit Gothofredus. Vterque exſibilatus, & Macer defenſus. Ei, qui Roma abeſt, dinumerantur mille paſſus non à ſuburbijs, ſed à miliario, & quare? *Mantiſſa legis de viceſsima* ex *edicto* Adriani. Eius edicti cauſæ, capitaque. Primum de teſtamenti apertura intra tres dies, aut quinque. Exponitur *lex vlt. Cod. de edicto Diui Adr. l. vlt. de appellat. recip. & aliæ.* Caput aliud *edicti*, de mittendo ſtatim hærede in poſſeſsionem, nec recipienda appellatione in contrarium. Reuelatus Tribonianiſmus in *l. quiſquis 6. Cod. quorum appellat. non recip.* & in *l. vlt. Cod. de Codicill.*

1 BReuiores erimus in ſecundo enarrando viceſsimæ legis capite; namque & rariora eiuſdem in libris noſtris extant veſtigia. Auctorem eius, fundumque, vt veteres aiebant, Paulum damus, qui *lib. 4. ſentent. tit. 6. de viceſsima §. vlt.* ita ſcribit: *Teſtamentum, lex, ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiri, voluit: & ideo quamuis ſit reſcriptis variatum, tamen à præſentibus intra triduum, vel quinque dies aperiendæ ſunt Tabulæ; ab abſentibus quoque intra eos dies, cum ſuperuenerint.* Intelligit, vt rectè Balduino, Cuiacio, & alijs notatum, legis nomine, Paulus, legem viceſsimam hæreditatium, ad quam & ille 6. *ſententiarum*, inſcriptus titulus, quæque opportunè cauit, teſtamenti tabulas ſtatim aperiri, ſcilicet, vt quamprimùm liquere de viceſsima poſsit, nempe an debeatur, & qualis quantaque, & à quibus exigenda, quæ ſingula ex genere hæredum, & legatorum, teſtamento nuncupatorum, ſunt æſtimanda, rurſuſque vt nec hæredibus ipſis aperturæ tabularum dilatio moram faciat, nec legatarijs, aut manumiſsis eodem teſtamento, quos plerumque de iure relictorum incertos eſſe, clauſis adhuc teſtamenti tabulis, neceſſe eſt. Expreſsit hanc huiuſce capitis rationem Paulus *d. §. vltimo* ibi: *Neque enim oportet, teſtamentum hæredibus, aut legatarijs, quam neceſſario vectigali moram fieri.* Vbi non inuitus, orationi componendæ legerim, cum Cuiacio, *teſtamento*: vt proinde ſententia ſit, idcirco ſtatim tabulas aperiri, quia non magis oporteat, ſiue æquum ſit, teſtamento, ſcilicet clauſo, hæredibus, legatarijs, aut

aut libertatibus moram fieri, quàm neceſſario vectigali (nempe viceſsimæ, quam, communi vtilitate cogente, inſtitutam, fuiſſe Plinius ſcripſit in *Panegyrico*) ſiue quia non oporteat per cauſam teſtamenti clauſi, tam hæredibus, legatarijſque, & libertatibus moram fieri, quàm neceſſario viceſsimæ vectigali. Subaudienda certè in Pauli contextu vox, *potiùs*, ſiue *magìs*, vt Cuiacius vult, aut, ſiquis ita malit, vox, *tam*. Frequens enim eſt non auctoribus dumtaxat noſtris, ſed & exteris, latinorumque optimis, Græcanicum, ſiue Hebraicum dicendi genus, quo voces iſtæ ſubticentur, & ſupplendæ ſunt in his locutionibus, *illud, quàm illud*: ac, vt de primis illis *potiùs, magìs*que nunc ſileam, de quibus multa Ant. Auguſtin. *lib.4. emendat. c.8.* quibus plura ipſe addam, omiſſum illi Terentij Clementis teſtimonium exponens, *lib.2. ad leg. Iuliam, & Papiam*, in *l. iniquiſsimum 5. D. de iuris, & fact. ignor.* Quod ad vocem, *tam*, attinet, præter veterum locos, in hanc rem, alijs notatos, quales ſunt in *l. pro hærede 20. in princ. D. de acquir. hæred. l. his verbis 102. D. de legat.3. l.3. verſ. & ideo D. de aliment. & cib. legat.* ſubaudienda etiam eſt in *leg. vlt. D. de condict. ſine cauſa*, ibi: *Non turpem cauſam in propoſito, quàm nullam fuiſſe*, hoc eſt, *non tam turpem, quàm nullam*, quemadmodum huius Helleniſmi immemor, Haloander edidit; ſic & apud Terentium in *Eunucho*:

Vtinam inuenire facilè poſsit Phædra, quàm hoc peribit.

Hoc eſt *tam facilè, quàm*.

Pertinet ad hoc caput Macri locus (tametſi cum ad vſum Byzantini fori parum conduceret, in Græcanici iuris Eclogis prætermiſſus) ex *lib.1. ad legem viceſsimam, in l. mille 154. D. de V.S.* Cuius quæſtio eſt de dinumeratione mille paſſuum, vtrùm à continentibus ædificijs, an aliunde ea incipere debeat, non alia, vt eruditioribus placuit, occaſione, niſi quia cum caput hoc legis viceſsimæ, de teſtamenti tabulis ſtatim aperiendis, ita poſt multas varietates, reſcripta Principum frequentiùs accepiſſent, vt aperiri tabulas oporteret, à preſentibus quidem intra tres dies, aut quinque; ab abſentibus verò intra eoſdem dies, poſtquàm redijſſent, vt ex Paulo didicimus *d. lib.4. tit.6. §. vlt.* conſequens etiam erat, iuxta receptam Regulam iuris, abſenti ad redeundum viginti millia paſſuum in dies ſingulos dinumerari, *l.3. D. de V. S. l.1. D. ſi quis caution. l.2. §. ſi præſes D. quis ordo in poſſeſſ. ſeru. l.13. §.1. ad finem D. de excuſat. tut.* & *ex lib. 6.* Vlpiani *ad legem Iuliam, & Papiam. l. ſi cui 38. §.1. D. ex quib. cauſ. maior.* Hos itaque mille paſſus, ſiue milliaria ad redeundum, &, vt vulgò vocamus, *millas*, ei qui Roma abfuerit, numerari vult Macer, *non à milliario Vrbis, ſed à continentibus ædificijs*, quomodò Florentinæ Pandectæ præferunt *in d. l. mille 154.* quamuis in vulgatis legatur, *non à muro Vrbis. Milliarium* fuit columna aurea, ab Auguſto ſtatuta in Romani fori capite, ſub ædem Saturni, iuxta vicum Iugarium, in quam omnes Italiæ viæ terminabantur, & incipiebant, & à qua itinerum ſumebatur dimenſio, quæ eidem Columellæ inciſa, vt ex Dione *lib.54. Hiſtor.* Plutarcho in *Galba*, Plinio *lib. 3. natur. Hiſtor. c.5.* Tacito *lib.1. Hiſtoriæ*. Suetonio in *Othone, cap.6.* Pub. Victore *de Regionibus vrbis Romæ.* Scitum iam vulgò (vt præeunte Antonio Auguſtino *4. emendat. 67.* notarunt nouiores Cuiacius, Fornerius, Albericus Gentilis, & ſiqui alij ad *d. l.154.*) illud tam vulgatum, fuiſſe Conſtantinopoli, ſeu nouæ Romæ colum-

nam ſimilem , quæ milium, ſeu miliarium vocatur, conſtitutione Zenonis, quæ extat in *l.* 12. §. 6. *Cod. de ædific. priuat.* Huius in milij fornice columnas Conſtantini, & Helenæ, ſimulque crucem, & genium Vrbis collocat Suidas in voce μίλιον. Et ex eo, & alijs, Petr. Gylius in *Topograph. Conſtantinop. lib.* 2. *cap.* 23. Fuiſſe item milliarium ſeptimum, cuius mentio in ſubſcriptione *l. ſancimus* 22. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* & in alijs conſtitutionibus Iuſtiniani, de quo, poſt Cuiacium 20. *obſeru. cap.* 3. eruditè Ioſephus Exea noſter, paterno, & proprio affectu, & merito, & ſcientiſsimi parentis dignus filius in *Recitatione ad leg. vnic. Cod. de Palatijs.* Diuerſum ſanè ab his milliarium argenteum, cuius mentio in *l. cum aurum* 19. §. *Si cui eſcarium verſic. certè. D. de auro, & arg. leg.* Eſt enim ibi miliarium vas altum, ſiue longum, & anguſtum, ad aquæ calidæ paraturam idoneum, vt fere his ipſis verbis, deſcribit Athenæus *lib.* 3. Iulius Pollux *lib.* 3. *Onomaſtic.* & ex Catone *de re ruſtica cap.* 20. 22. *&* 135. & Palladio *lib.* 5. *tit.* 8. *de apibus*, expoſuit iam olim in *annotationibus ſuis* Beroaldus, cui Nebriſſenſis, & Accurſij errorem in hac re immeritò Cuiacius exprobrat *lib.* 2. *obſeru. cap.* 6. &, ante Cuiacium, in Gallia Lazarus Barffius *libello de vaſculis ad tit. de auro, & arg. leg.* Miliarium hoc veteres Gloſſæ θερμαντῆρες vocant, noſtri frequentiùs *ahenum*, quod ſupra focum pendet, & in quo aqua ad potandum calefiebat. Vt ſcriptum eſt in *l. cum de lanionis* 18. §. *Item cacabos D. de inſtructo, & inſtrum. leg. l. ſed addes* 19. §. *Illud in fin. D. locati. l. ſi venditor.* 38. §. *vlt. D. de action. empt.* & inſtrumento balneatorio, vel coquinatorio legato continetur. *d. l. cum aurum* 19. §. *Si cui eſcarium. l. quæſitum* 12. §. *Et molas* 10. *D. de inſtructo, & inſtrum. leg.* Paulus *lib.* 3. *ſentent. tit.* 6. §. *Inſtrumento balneatorio.* Meminerunt miliarij in hoc ſenſu, præter laudatos, Seneca *lib.* 3. *natur. quæſt. cap.* 24. & *lib.* 4. *cap.* 9. Columella *lib.* 9. *cap.* 14. & *epigrammatij huius* Auctor Nicarchus *lib.* 2. Ἀνθολογίας *cap.* 35. εἰς μιλιάριον.

Ἠγόρασας χάλκουν μιλιάριον Ἡλιόδωρε.

Quod ſic ad verbum ferè vertebam.

Æreum aquæ calidæ vas, Heliodore, paraſti.

Sed, vt ad Macrum in *dict. l. mille* 154. regrediamur, dubitandi 3
ratio ex propoſitis, non tantùm quærendi, liquebit ſatis. Nam cum ad Miliarium Romanum itinerum, & milliariorum omnium menſura, ratioque dirigeretur, videbatur etiam, milliariorum ad reditum computatio inde iniri debere potiùs, quàm à continentibus ædificijs, maximè cum Romana hæc ſuburbia, Oſtiam vſque, &, vt Ariſtides in laudibus Romæ ſcribit, *ad mare ipſum*, per quindecim circiter milliaria, porrecta, ſimulque ipſi Vrbi adhærentia adeo, & connexa eſſent, vt cognoſci non poſſet, vbi Vrbs deſineret, atque vbi inciperet, vt Dionyſius memorat *lib.* 4. *antiquit. Et expatiantia tecta multas addere Vrbes viderentur.* Vt exaggerat Plinius *lib.* 3. *natur. Hiſtor. cap.* 5. Vt proinde ei, cui vſque ad prima Romæ continentia, dies ſinguli ad Vicena millia paſſuum dinumerati fuerant, ſupereſſe adhuc poſſent Vicena, pluraue milliaria vſque ad Romanum Forum, vel locum alium, vbi aperiendæ tabulæ (de quo Paulus *lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. §. 1.) iniquumque videatur, nõn ei ſpatiò emetiendo idoneum tempus tribui. Qua conſideratione Balduinus, & cogitans

Al-

Albericus Gentilis duram, ſtrictamque Macri interpretationem pene fatetur, & Fiſci potiùs cauſam agere, quàm æquitatis. Nec lenior Gothofredus, qui eadem forſitan coniectatione, inuerſum Textus ordinem eſſe, putat, & ſic reponit: *Mille paſſus non à continentibus ædificijs, ſed à miliario Vrbis numerandi ſunt.* Sed ſua, probaque receptæ Macri lectioni ratio conſtat; nam cum vulgò dicatur Romæ, aut alterius Vrbis, adiecto proprio nomine, appellationem non niſi continentibus ædificijs finiri. *l. 2. in princ. l. vt Alfenus* 87. *D. de V. S. l. 4. §. Si ita D. de penu legata. l. vxorem* 41. *§. Legauerat. l. cui quæ Romæ* 84. *D. de legat.* 3. *cap. ſi ciuitas* 17. *de ſentent. excommunic. lib.* 6. Conſequens etiam eſt ei, qui Roma abeſt, vt Romam redeat, Vicena in dies ſingulos milliaria, non à milliario Romæ, ſed à continentibus ædificijs numerari debere; præſertim cum ex quotidiana conſuetudine, quæ in his plurimùm valet, vt in *dict. l. Alfenus* 87. cum de computatione milliariorum, quibus vna Vrbs ab alia diſtat, ſermo fit, propria earum nomina exprimamus: nec dicamus ab Vrbe, ſed à Roma Capuam, & ſic ſimiliter, vt in *Itinerario Antonini.* Nec ad rem Balduini conſideratio pertinet, cum ei, qui continentia Romæ attigit, adhuc tres, quinqueue dies ad aperturam tabularum ſuperſint, quos abſenti, poſtquàm ſuperuenit, indulgeri placuit teſte Paulo *dict. lib. 4. ſentent. tit.* 6. *§. vlt.*

4 Porrò huius capitis nobile auctarium fuit famigeratum illud, vt vocant, Diui Adriani edictum, quod ſub occaſione viceſsimæ partis hæreditatium introductum, teſtatur Iuſtinianus in *l. vlt. Cod. de edicto Diui Adr. toll.* cuiuſque ambages multas, difficultates, & indiſcretas narrationes, ſimul his, quæ circa repletionem, vel interpretationem illius edicti promulgata ſunt, antiquare, & quieſcere vult, inducto, ſua conſtitutione, nouo remedio, quo ſcriptus hæres in poſſeſsionem hæreditatis mittatur, quodque apud nos ſubſequitur, paucis additis, *Soriana*, vt vocant, *lex* 3. *tit.* 13. *lib.* 4. *compilat.* Nos inſtituti memores, in veteris iuriſprudentiæ gratiam, quæ ſuperſunt Adriani edicti veſtigia, paucis, notabimus. Ergo Adrianus, cum poſt Traianum, cui ſucceſsit, valde ab illo acciſam viceſsimam tueri vellet, pleraque propoſito edicto comprehendit, aperiendis teſtamenti tabulis, & miſsione hæredis in poſſeſsionem, quò ſcilicet ab eo Fiſcus citiùs viceſsimam capere poſſet, non, vt pro ipſa miſsione viceſsima ſolveretur, vt poſt Accurſium, verbis potiùs, quam re diſſentientes, hallucinantur Bartolus, Caſtrenſis, & alij in *d. l. vlt.* Habuit tamen hac ipſa in re Adrianus rationem, & hæredis inſtituti, & fauoris vltimarum voluntatum, quas exitum habere, publicè expedit. *l. vel negare 6. D. quemadmod. teſtam. aperiant. l. 1. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Vnde & quædam ex edicto Adriani, quæ non tam merum viceſsimæ iam abolitæ fauorem, quàm hæredis etiam, & teſtamenti cauſam reſpicerent, Iuſtinianus eo ſublato retinuit, & in conſtitutionem ſuam transfudit. In primis autem eo edicto cautum, teſtamenti tabulas, poſt teſtatoris mortem, ſtatim aperiri, confirmata ſic, & expoſita viceſsimæ legis ſanctione, vt intra tres, aut quinque dies poſt mortem teſtatoris, apertura ſequeretur, vt ait Paulus *d. lib. 4. ſent. tit. 6. §. vlt.*

&

& vt à Magiſtratus decreto de aperiendis tabulis, appellatio non recipiatur, quia nec dilationẽ res recipit, quod ab Adriano conſtitutum dicitur, à Triboniano ex Paulo proponitur in *l. vltim. D. de appellat. recip.* Cocinunt *l. quiſquis 6. Cod. quorum appellat. non recip. l. quiſquis 26. Cod. Theodoſ. eod. tit.* cuius & Gratianus commeminit in extremo *cauſæ 2. quæſt. 6.* Sed & quod ad miſsionem in poſſeſsionem attinet, conſtituit Adrianus, hæredem petentem, ſtatim in poſſeſsionem mitti, vt in *Nouellæ* 1. Valentiniani *de teſtament. l. filiam 56. D. ad Senatus Conſ. Trebell.* Neque prouocationem recipi, ſi quis ideo appellauerit, ne ſcriptus hæres in poſſeſsionem inducatur. Idque etiam Adriani conſtitutis adſcribendum eſt, apud Paulum in *dict. l. vl. D. de appel. recip.* & confirmatur *in d. l. quiſquis 6. Cod. quorum appellat. non recip.* vbi Tribonianus loco illorum verborum, *hæredes Edicti, per Diuum Adrianum conditi, beneficium conſequantur*, quæ Theodoſianus Codex agnoſcit in *d. l. quiſquis 26. eodem tit.* hæc repoſuit, *hæredes in poſſeſsionem mittantur*, vt, ſententia edicti retenta, memoriam eius, vtpote à Iuſtiniano ſublati, diſsimularet. Quemadmodùm, eodem quoque reſpectu, vt poſt Cuiacium Giffanius, & vterque Gothofredus, Dionyſius, & Iacobus prænotauere, mentio edicti Diui Adriani, quæ extat in *l. vlt. Cod. Theodoſ. de teſtam.* ibi: *Aut certè ex edicto Diui Adriani ſe mitti ad poſſeſsionem ex more, petierit.* Suppreſſa, expunctaque eſt à Iuſtinianei Codicis concinnatoribus, in eadem conſtitutione, quam habemus in *l. vlt. Cod. de Codicill.* hæc, præter Adriani edicto comprehenſa, probabili coniectura creditur, quæcumque Paulus memorat, *lib. 3. ſent. tit. 5. §. Siue falſum, cum ſequentibus*, vſque ad tituli calcem. Ea nunc properantes nos non morantur, quia & alius, altioriſque inſpectionis, & à Cuiacio exactè enodata in *Recitationibus ad titulum Cod. de edicto Diui Adriani tollendo.*

CAPVT XXVI.

VICESSIMA QVAMDIV MANSERIT, QVANDO DESIERIT.
Ad leg. vlt. in princip. Cod. de Edicto Diui Adriani.

ARGVMENTVM.

DIſſertationis noſtræ, & viceſsimæ finis. Num abolita ea à Gratiano? Examinata Alciati affirmatio, & exploſa. Auſonij elegans locus perpenſus, & expoſitus. Indulgentia reliquorum frequens Cæſaribus. Condonauit viceſsimæ reſidua Traianus. Perennauit ſaltem viceſsima ſub Antoninis, etiam poſt Caracallam, & circiter ad Gratianum vſque. Obſeruata in eam rem ignota eruditioribus inſcriptio vetus. Exoleuit viceſsima ante Iuſtinianum. Illam hodie non, niſi iniquè, poſſe reduci, contendunt claſsici. Sed immeritò, ſi inducatur modo, & more legitimo. Libri, & commentationis concluſio.

PErducta iam, vt dicitur, ad vmbilicum hæc de lege viceſsima hæreditatum diſſertatio, eiuſque pars hæc poſtrema videt finem, metamque ſuam in ipſo vectigalis, de quo loquuti hactenus fi-

fine. Ergo Iulia lex de viceſsima hæreditatum, cuius originem, progreſſumque, quatenus per antiqui iuris tenebras licuit, elucidauimus; quando deſierit, vel abrogata, vel abolita, non ſatis conſtat. Alciatus *lib. 3. diſpunct. cap. 6.* cuius authoritas alios decepit, à Gratiano ſublatam fuiſſe, ſcripſit, idque Auſonium teſtari in *Gratiarum actione pro Conſulatu.* Sed Alciatum falſimoniæ Cuiacius inſimulat, ad Paulum *4. ſent. tit. 6.* adijcitque, ſolere eum, auctorum teſtimonijs abuti, eorumque verba iniquè, illiberaliterque ad ſui animi ſententiam commutare. Auſonij elegantiſsimus locus, quem reſpexiſſe Alciatus, & Cuiacius videntur, ſic habet: *Vel illud vnum cuiuſmodi eſt de condonatis reſiduis tributorum? Quod tu quàm cumulata bonitate feciſti? Quis vnquam Imperatorum hoc Prouincijs ſuis, aut vberiore te indulgentia dedit, aut certiore ſecuritate proſpexit, aut prudentia conſultiore muniuit? Fecerat & Traianus olim, ſed partibus retentis: non habebat tantam oblectationem conceſsi debiti portio, quanta ſuberat amaritudo ſeruati. Et Antoninus indulſerat, ſed Imperij, non beneficij ſucceſſor inuidit, qui ex documentis, tabuliſque populi condonata repetiuit. Tu argumento omnia flagitandi, publicitus ardere iuſsiſti. Videre in ſuis quæque foris omnnes Ciuitates conflagrationem ſalubris incendij. Ardebant ſtirpes fraudum veterum, ardebant ſeminaria futurarum. Iam ſe cum puluere fauilla miſcuerat: iam nubibus fumus inoleuerat; & adhuc obnoxij in paginis concrematis, ductus apicum, & ſeſtertiorum notas cum titubantia, & trepidatione cernebant.* Adſcripſi integrum locum, quoniam & digniſsimus, qui memoriæ politicorum noſtratium hæreat, & vt ex eo liqueat, non de vlla abrogatione viceſsimæ, aut alterius vectigalis Auſonium loqui, ſed de indulgentia reliquorum, quam plerumque, Prouincialibus exhauſtis, elargiri Romani Cæſares ſoliti, vt in *titulo de indulgentijs debitorum in Cod. Theodoſ.* & in *Nouellis* Valentiniani, itemque Maioriani *eodem titulo. Nouella* Tiberij 163. inter Iuſtinianeas *de releuatione tributorum cap. 2.* Nec de ſpeciali remiſsione reliquorum viceſsimæ, ſed generaliter de condonatis reſiduis tributorum. Sanè quod de Traiano Auſonius ſcribit, & errandi forſitan cauſam Alciato dedit, exponendum omnino eſt ex eo, quod de eodem Plinius memorat in *Panægyrico*, remiſiſſe illum, ſcilicet, reliqua viceſsimæ debitæ ex his cauſis, in quibus ei derogauerat, non ex alijs, atque ita non omnino, ſed partibus retentis. *Additum eſt*, inquit, *vt qui ex eiuſmodi cauſis in diem edicti viceſsimam deberent, non dum tamen intuliſſent, non inferrent. At in præteritum ſubuenire ne Dij quidem poſſunt. Tu tamen ſubueniſti, cauiſtique, vt deſineret quiſque debere quod non eſſet poſtea debiturus. Idem feciſti, ne malos Principes habuiſſemus, quo ingenio ſi natura pateretur, quàm libenter tot ſpoliatis, tot trucidatis ſanguinem, & bona refudiſſes? Vetuiſti, exigi quod deberi, non tuo ſæculo, cæperat. Alius, vt contumacibus iraſceretur, tarditatemque ſoluendi duplici, vel quadrupli irrogatione mulctaret: tu nihil referre iniquitatis exiſtimans, exigas quod deberi non oportuerit, an conſtituas, vt debeatur.* Plura ad hunc locum Lipſius, quem non tranſcribo, contra Scaligerum *lib. 2. Auſonian. lect. cap. 15.* Cuiacius *ad tit. Cod. de edicto Diui Adriani tollendo ad finem.*

Planè vtcumque non conſtet, viceſsimam Gratianum ſubſtuliſſe, incer- 2

tumque etiam ſit, quis eam ex poſterioribus Cæſaribus amputauerit (in quo tamen non deſunt, qui ex ſingulorum Principum moribus ingenioſè, ſi Dijs placet, diuinent) illud mihi ſat liquet, manſiſſe illam ſaltem vſque ad Gratiani circiter æuum, & quidem non ampliorem vicesſima, vt Macri, Paulique *fragmenta*, & Lampridij in *Heliogabalo*, Capitolini in *M. Aurelio*, teſtimonia euincunt, & ad eorum ſæculum referenda marmora, quorum meminimus ſupra *cap.* 9. *&* 13. atque ita etiam ſub Antoninis, & incremento illo, ac mutatione vicesſimæ in decimam, cuius Auctor Antoninus Caracalla, & de quo ſupra ex Dione *cap.* 24. poſt inde à clementioribus Cæſaribus abrogato, & vicesſima retenta. Certè adhuc ſub Valente, Gratiani patruo, in vſu fuiſſe vicesſimam, & à Procuratoribus XX. vt ſcribebant, HÆR. exactam, didici ex *inſcriptione veteri*, quam Alciato, Cuiacio, Lipſio, & alijs non vſam, certè prætermiſſam in hac re, miror. Profert illam ex Onuphrio Panuinio Smetius 3. *ordine Inſcript. pag. mihi* 156. Grutterus *pag.* 286. D.N. VALENTI. MAXIM. PRINCIPI. SEMPER AVGVST. L. VOCONTIVS. VICASIVS. V. C. PRÆF. VRBI. ITER. PRÆF. LEG. VLT. PRÆF. P. R. PROV. GAL. PROC. XX. HER. EIVSDEM. I. S. C. D. N. M. Q. E. D. D. Prærerea & vel hoc nobis ſat eſt, quod Iuſtinianus teſtatur, iam vicesſimam hæreditatum ex Romana Republica receſsiſſe. *l. vlt. Cod. de edicto Diui Adr. toll.* ſiue ſpeciali Cæſarum conſtitutione, ſiue illorum potiùs tacita indulgentia, quadamque deſuetudine odioſa hæc hæreditatum delibatio exoleuerit. Illud ex verbis *d. l. vlt.* Accurſiani Interpretes adnotant, Gabellam, vt loquuntur, vltimarum voluntatum, iure Iuſtinianeo non deberi, & municipalia ſtatuta, quæ ex hæreditatibus, legatiſue partem aliquam Fiſco inferri iubent, iniqua, & irrationabilia conſenda eſſe. Ita Baldus *num.* 13. Caſtrenſ. 4. Salycet. 2. Iaſo 3. Decius 10. Sebaſtianus Sapia 2. Hubert. Zuchard. 30. *in d. l. vlt.* Firmianus *de Gabellis* 5. *part. in princ.* Ego non video, cur magis hoc vectigal, quamuis nouiſſimo Romano iure antiquatum, iniquum, & exorbitans cenſeri debeat; quin potiùs ſi obſeruatis, quæ in tributaria re ius exigit, imponatur, additiſque exceptionibus, quas e poſuimus, temperetur, tolerabilius alijs eſſe non dubito, vt & admonui ſupra *cap.* 7.

Hac habui quæ de origine, & cauſis Iuliæ, Papiæque legum, itemque ad Legem Iuliam de vicesſima hæreditatum, quadrimeſtribus circiter inducijs, quarum nobis impendio conſtitit hac diſſertatio, poſſem conſcribere: longa quidem, ſi aut præfationis modum, aut nouiorum, qui præterunt, veſtigia cogites: breuia tamen, opinor, ſi quàm multa ex veteris prudentiæ ruderibus, & parietinis eruta, non Romani dumtaxat iuris profeſſoribus grata, ſed etiam Pontificijs, pragmaticiſque, & Eccleſiaſticæ, ciuiliſque eruditionis cultoribus non iniucunda. De queis tamen docti cenſento, alij probent, aut improbent.

Κορίνθιοις οἱ ἐ ἐμεστας τὸ Ἰλίον

Nos ad commentationem Iuliæ, Papiæque legum iam accingamur,

AD

AD LEGEM IVLIAM
ET PAPIAM.
COMMENTARIORVM.
LIBER II.

REDIMVS ex diuturni morbi captiuitate ; veluti poſtliminio ; ad litterraria hæc limina , & poſt annale ferè , & trimeſtre ſcriptionis huius interſtitium , quo commentarijs his noſtrarum legum vacare non licuit; vacamus hem , & pergimus , etſi nondum quartana immunes , ac ne his quidem diebus , quibus illa caremus ; rectè ſani ; vetere tamen iam , & annaria , quæque vt ſperni non poſsit : nos tamen libris ; litteriſque ſupereſſe, iam patitur , vt loquuntur alibi noſtri iuriſprudentes. Hæc ita , & huius libri reliqua ſcribebamus Salmanticæ , antè annos circiter quadraginta , & ſub ipſum milleſimum ſexcenteſimum trigeſimum tertium , quæ poſtea extra Academiam ſuccedentibus , & in dies creſcentibus Senatorijs , & aulicis occupationibus , tam longo tempore intermiſſa , vt è ſchedis illis deſcribi, paterer ; amiciſsimorum ſuaſiones peruicere. Deſcribentur autem qualia in ſchedis reperta , paucis additis , quæ libri poſtea editi , aut viſi , aut poſteriores noſtræ curæ obtulere.

CAPVT I.

AD CAPVT IVLIÆ LEGIS DE CONNVBIO SENATORIO, quod extat in l. lege 43. D. de ritu nuptiarum.

ARGVMENTVM.

IVliæ legis *de maritandis ordinibus* primum fortaſſe , & primarium certè caput, *de connubio Senatorio* : an potiùs illud *de nuptijs ingenuorum* ? Vtrumque repetitum in lege Papia. *Prohibitionis connubij Senatorij cum libertinis* ſententia , & ratio ex Romano iure. Quarum nuptiæ ingenuis inhibitæ , multò magis Senatorijs. Eò referendæ *l. obſeruandum* 49. *l. lege* 44. *vlt. D. de ritu nupt.* & ex eis lux *§. 1. eiuſdem l.* 44. Ad verbum,QVI SENATOR,Iuliæ legis. Definitio Senatorum , quæ in *l. vlt. §. vlt. D. de Senator.* examinata , veluti ad amuſsim , Romani, iuriſconſultorum æuo, Seuatus excuſſa , ac ferè exploſa. Agnoſcitur cum eruditis pro Triboniani emblemate ex *Nouella* 62. Iuſtiniani. Tentatur adhuc illius defenſio ex Vlpiani ſenſu , & ſæculo. Hæc inter, adſtruuntur non pauca de *illuſtrium* , *ſpectabilium, cla-*

clariſsimorum titulis, & gradatione, inducta primùm à Conſtantino, ante quem nulla inter eos gradatio, & diſtinctio. Photij in ea re, & Saresberienſis errata animaduerſa. *Senatores*, Vlpiani æuo, propriè *clariſsimi*. *Patritij* quinam olim, & poſtea, & qui *pedarij* Senatores. In *Synopſi Baſilicorum d. §. vlt.* ad Leaunclauium, qui pro, *Hippodromo*, vertit *Circenſia*, nota, & correctio. *Hippodromus*, locus Senatus Conſtantinopoli, non longè à Circo in eadem Vrbe.

1 FVuit *Iuliæ legis*, *de maritandis ordinibus*, nobiliſsimum, ac veluti primarium caput id, quod proſcripſimus, *de connubio Senatoriorum cum libertinis*, *ludionibus*, *eorumque filijs*; quod & ipſum extat auctographum apud Paulum *lib. 1. ad Leges Iuliam, & Papiam* in *l. lege 44. D. de ritu nupt.* & fuiſſe ordine primum, inter alia Iuliæ, Papiæque legum capita, coniectari licet, ex *dict. l. 44.* & Vlpiano *tit. 13.* & quia fuit de maritandis ordinibus, Senatorio ſcilicet cum libertinis, quamquam iſto reſpectu probabilior coniectura ſit, quæ primum caput fuiſſe, credat, illud de connubio ingenuorum (inter quos equites) cum libertinis, quia, eo propriè connubio permiſſo, maritantur hi ordines; cum è contra ex capite hoc de Senatorijs inhibeantur hi à nuptijs cum libertinis, non maritentur, ſed id vtcumque fuerit, ſunt huius capitis duæ veluti præcipuæ cautiones. Prima, qua Senatoribus, eorumque liberis vtriuſq; ſexus vſque ad pronepotes interdicuntur nuptiæ cum libertinis; quod quidem ab Auguſto in ferenda Iulia lege expreſſum, adiecta permiſsioni nuptiarum ingenuorum cum libertinis exceptione illa: πλὴν τῶν βουλευόντων, ideſt, *præter Senatores*, poſtea autem ab eodem Auguſto exceptionem eamdem in Papia lege repetitam, quoad Senatorios, ſiuè βουλευτικοὺς (qua voce, vtpote amplioris ſignificationis, quàm ſimplici illa Senatorum, ſeu βουλευτῶν, qua Zonaras in hac re vtitur *2. annal.* non tantùm Senatores, ſed & eorum liberi comprehenduntur) adſignificat Dio Caſsius *lib. 54. & 56.* vnde & vtrumque hoc caput tam de ingenuorum nuptijs, permiſsis cum libertinis, quàm de Senatoriorum inhibitis cum eiſdem interdum legi Iuliæ adſcribitur. *l. lege Iulia 44. D. de ritu nupt.* interdum Papiæ *l. lege Papia 23. D. de ritu nupt. l. ſi quis libertum 28. Cod. de nupt.* interdum vtique, ſiue generaliter, legibus. Vlpianus *in fragm. tit. 13. §. Aliquando. l. obſeruandum 49. D. de ritu nupt.* vt obſeruauimus *lib. 1. cap. 3.* ſecunda eiuſdem capitis cautio eſt, quæ Senatoribus, eorumque liberis, ſiue Senatoris vtriuſque ſexus vſque ad pronepotes, inhibet nuptias cum his, qui ipſi, quorumue pater, materue artem ludicram fecerint.

Porrò, vtriuſque cautionis, & capitis totius ſententia eſt: Senatoribus, eorumque filijs, nepotibuſue, filio nato, item filiæ Senatoris, neptiue ex filio, proneptiue ex nepote, filio nato, non licere, ſponſalia, aut nuptias habere cum libertinis, aut cum his, qui, quæue, quorumve pater, materue artem ludicram facient, fecerint. Cui conſtituto in primis vniuerſim, atque in commune elucidando, antequam ſingulatim legum verba expendamus, meminiſſe oportebit, iam olim moribus Romanis, cum connubij ius non tantùm ex ætate, aut ſanguine, ſed etiam ex natione, ſtatu, & gente, ſeu dignitate æſtimaretur, habitam fuiſſe gentis, ſiue dignitatis rationem in nuptijs patritiorum, quibus iſto reſpectu connubium cum plebeijs 2

beijs ademit lex, lata à Decemuiris, relataque in poſtremas duas tabulas, ſiue eo conſilio, vt in perpetuum Patres à Plebe diuellerentur, ne per mutua familiarum connubia, atque affinitates, coaleſceret inter ordines concordia, atque hi reconciliati, communi ſtudio, magiſtratui, quem Decemuiri in tyrannidem verterant, obuiam irent, vt Dionyſius exprimit *antiquit. lib.* 10. *in fine*, ſiue quoniam, vt ſpecioſè apud Liuium *lib.* 4. connubio plebis cum Patricijs, *contaminari ſanguinem ſuum patres, confundique iura gentium, rebantur; colluuionem gentium, perturbationem auſpiciorum publicorum, priuatorumque afferri, ne quid ſinceri, ne quid incontaminati ſit, vt diſcrimine omni ſublato, nec ſe quiſque, nec ſuos nouerit. Quam enim aliam viam connubia promiſcua habere, niſi vt, ferarum prope ritu, vulgentur concubitus plebis, patrumque? Vt qui natus ſit, ignoret, cuius ſanguinis, quorum ſacrorum ſit; dimidius patrum ſit, dimidius plebis, ne ſecum quidem ipſe concors. Quod nemo plebeius auſpicia haberet, ideo decemuiros connubium diremiſſe, ne incerta prole auſpicia turbarentur.* Simile quid ex vetere Indorum Orientalium politia memorat Strabo *Geograph. lib.* 15. *de Regijs Senatoribus, ſiue Synedrijs*, quibus, οὐκ ἔστι γαμεῖν ἐξ ἄλλου γένους, *non eſt connubium cum alterius generis fœminis*. Sanè lex illa Decemuiralis, quamuis, paucis poſt annis, repudiata, & reſciſſa, permiſſo patrum, plebiſque connubio, rogatione tribunitia, *C. Canuleij*, plebiſque ſcito, eamdem ſubſequuto, de quo plenè idem Liuius *d. lib.* 4. L. Florus *lib.* 1. *c.* 25. manſit tamen in vſu ex vetere iure, ſeu more, connubij ademptio ingenuorum cum libertinis (vt dicemus ad *caput*, de permiſsione illius ex noſtris legibus) & conſequenter multò magis Senatorum, ſeu Patritiorum cum libertinis. Sed cum poſtea illo capite noſtrarum Iuliæ, Papiæque legum antiqua prohibitione ſublata, permitteretur ingenuis omnibus, libertinas vxores habere, ne & remitti antiquum ius videretur, circa patritios, repetitum, firmatumque eſt iſto capite, connubio Senatorijs adempto cum libertinis, ſcenicisque, ne commixtione, ac veluti contagio libertini, aut famoſi ſanguinis inquinaretur patritius ordo contra ſententiam *l.* 1. 8. *de colluſione deteg. l. ſuper* 9. *Cod. de quæſtion.* ſiue ne Senatorijs libertinarum, ſcenicarumque *non tam connubia, quàm vitia iungerentur, & notæ*, vt ſcriptum ad rem eſt, in *Nouella* Martiani 4. *de matrim. Senator.* iunctis, in eamdem ſententiam, *l.* 1. *Cod. de natural. lib. l.* 3. *tit.* 14. *part.* 4. Quibus addimus *legem ex* 12. *tabulis*, fictam, aut ſumptam apud Ciceronem 3. *de legib. Senatorius ordo, vitio vacato, cæteris ſpecimen eſto.* Itemque illam: *Cenſores probrum in Senatu ne relinquunto.* Siue denique, *ne inſignium familiarum clara nobilitas indigni conſortij fœditate vileſcat, & quod ſplendore forſitan Senatoriæ generoſitatis obtinuit, contractu viliſsimæ ſocietatis amittat*, vt de coniugio Senatoriæ patronæ cum liberto proditum, legimus in *Nouella* Anthemij *de mulierib. quæ ſe ſeruis.*

Deinde & præmonendum, ſeu præmuniendum eſt, tametſi hoc capite legum noſtrarum, verbiſque eius, quæ extant in *d. lege* 44. *D. de ritu nupt.* præter libertinas, ex numero probroſarum mulierum, recenſeantur dumtaxat ſceniceæ, ſiue ludicræ arti deditæ, quas Senatorijs ducere non liceat; non licere tamen eiſdem, ſponſam, vxoremue habere Lænam, & in adulterio deprehenſam, & publico iudicio damnatam, & quæ palàm cor-

pore quæſtum fecerit. Nam cum ingenuis omnibus, etiam non Senatorijs, non ſit cum his mulieribus connubium, ex ſecundo capite legum noſtrarum, apud Vlpianum *d. tit.* 13. §. *vlt.* licere id multò minùs debet Senatorijs, qui & ipſi ingenui omnes (nunquam enim antiquo, proboque more, & iure Romano aditus in Senatum, ſiue curiam patuit libertis. *l.* 1. *D. de colluſione deteg.* iuncta *l. ex libera* 6. *Cod. de ſuis, & legitim. l. vnic. Cod. ad legem Viſelliam. l.* 1. *Cod. ſi ſeruus, aut libertus ad decurion. lib.* 10. imò nec libertorum filijs, ante *l. libertorum* 9. *Cod. de dignitat. lib.* 12. & ſi aliquando patuit, mali, & exoſi publicè exempli fuit, vt ex Suetonio in *Claudio cap.* 24. & in *Nerone cap.* 15. Lampridio in *Commodo*, & in *Alexandro*, alijſque, alibi dicemus) & altioris dignitatis, ſiue gradus antecedentis cæteris ingenuis. Eòque pertinent Vlpiani, Paulique fragmenta, ex *libro ad Leges Iuliam, & Papiam* in *d. l. lege* 44. §. *vlt. l. obſeruandum* 49. *D. de ritu nupt.* De queis & alia ad *caput de permiſſo connubio ingenuis cum libertinis lib.* 3. *cap.* 5.

4 Illud proprium magè huius loci, cur ſcilicet ſpecialiter iſto capite nuptiæ cum ſcænicis, ſiue artem ludicram facientibus, inhibeantur Senatoriis, cum generalis illa nuptiarum ingenuorum cum eiſdem ludicris artificibus prohibitio ſufficeret? Sed, vt ne expendam cauſam, fortaſſe ſeueriori, ſtrictiorique in Senatorijs, prohibitioni dediſſe eorumdem, poſt Iulium Cæſarem, fædum luxum, quo vt paſſim ſcæna, ludo, arena polluebantur, incaſſum legibus, & SenatusConſultis vetantibus, vt diſces ex Suetonio in *Iulio cap.* 39. in *Auguſto cap.* 43. in *Tiberio cap.* 35. in *Nerone cap.* 12. Dione *lib.* 43. & 56. Tacito *lib.* 2. *Hiſtoriar.* Ita & verendum fuit, & vetandum, ne ludionum conſortio, ſeu connubio inquinarentur. Aio inſuper, non otioſam, ſuperfluamue, poſſe, hanc prohibitionem videri, quia ingenuis dumtaxat ſcænicas ipſas, ſiue quæ ipſæ ludicram artem fecerunt, ducere vxores vetitum; at Senatorijs etiam eorum, earumue nuptiæ interdictæ, qui ipſi ludicræ artis expertes, ſi tamen eorum pater, materue artificio ludicro dedit: idque quia propriè capiti illi de nuptijs ingenuorum noſtrum hoc adijcit, ideo ipſum Paulus attentè, ſobrieque legenti ſignificat, dum *libro* 1. *ad Legem Iuliam, & Papiam in d. l. lege* 44. §. 1. *D. de ritu nupt.* recitatis capitis verbis, ſubiungit, prohiberi hoc capite, Senatorem libertinam ducere, *eamue, cuius pater, materue artem ludicram fecerit*, non quidem, quaſi non multò magis prohibeatur, eam ducere, quæ ipſa ludicra artifex fuit; ſed quia hoc commune cum ingenuis, petendumque ex illo capite: illud autem de ea, cuius parentes ludij, propriè, primùmque hoc capite cautum in Senatorijs. Alioquin defecta, & imperfecta ſententiæ eiuſdem veluti ſumma, quàm apertè Paulus proponit in *dict.* §. 1. cum omittat mentionem eius, *quæ ipſa, quiue ipſe*, vt lex ait, artem ludicram fecit.

5 Sed iam ad verba legis Iuliæ in hoc capite, quæ ſingillatim, ſeriòque illuſtranda ex more quidem veterum iuriſconſultorum in Edictis, & legibus explanandis, pro modulo tamen doctrinæ, captuſque noſtri. Ait itaque in primis lex: qui Senator eſt. Nihil ad priora hæc ex veterum prudentum libris ad Leges Iuliam, & Papiam Tribonia-

nia-

nianus in Pandectis reliquit. Nec nobis nunc de Senatus Romani origine, dignatione, & officio, exorbitare pluribus, vacat, aut iuuat. Senatorum tamen deſcriptionem, ſeu finitionem ex libris noſtris hìc neceſſariã, eamque ipſam interprete, ſiue aſſertore potiùs, & vindice egentem non prætermittimus. Extat in *l. vlt.* §. *vlt. D. de Senatoribus*, his verbis: *Senatores autem accipiendum eſt, eos, qui à patritijs, & Conſulibus vſque ad omnes illuſtres viros deſcendunt, quia & hi ſoli in Senatu ſententiam dicere poſſunt.* Obſcurus certè locus, & deploratæ, aut deſperatæ interpretationis, ſi conferatur cum eo Senatorio iure, quod viguit Vlpiani, aſſerti eiuſdem loci Auctoris, vel anteriori paulò, æuo. Namque in primis in *d. l. vlt.* §. *vlt.* ſupponitur, Magiſtratus, & illuſtres, veluti Conſules, quorum ibi mentio, & Præfectos Prætorio, & Vrbi, alioſque, quos illuſtribus notitia Imperij, & libri iuris accenſent, qui iure dignitatis in Senatum veniunt, & ſententiam dicunt, propriè eo ipſo Senatores eſſe. Id autem alieniſsimum eſt à Romano iure, & more, quo hi, qui honoribus perfuncti, in Senatum venire, & ſententiam dicere ſolent. *l. vnica* §. *hodieque D. de offic. quæſtoris*, non ſunt Senatores, niſi in Senatum cooptentur à Cenſoribus, alijſve, queis legendi Senatus ius eſt, ideoque & translatitio edicto, quo Senatus in Curiam vocatur, diſtinguntur à Senatoribus, illa formula: *Senatores, quibuſque in Senatu ſententiam dicere, licet.* Liuius *lib.* 33. & 36. Pompeius Feſtus in voce, *Senatores*; & de ſuo, hoc eſt, Adriani, & conſultorum fere æuo Agellius *lib.* 3. *noct. Atticar. c.* 18. Denique è contra, Senatorem quem eſſe poſſe, & tamen honores non petere, liquet ex *l. relatorum* 7. §. *item poteſt* 21. *D. de interd. & releg.* Diende in *d.* §. *vlt.* patritij Senatoribus connumerantur, velut primario, proprioque iure: At quemadmodum non omnes Senatores fuerunt patritij, ita nec patritij omnes eo ipſo Senatores. Quia Patritij propria, & priſca notione, dicuntur filij Patrum, ſeu Senatorum in familias patritias maiorum, vel minorum gentium origine, aut allectione, vt vel ex Liuio notum, *lib.* 1. & 10. Tacito *lib.* 10. *annal.* Suetonio in *Auguſto c.* 2. & in *Othone c.* 1. Velleio Paterculo *lib.* 1. Capitolino in *M. Antonino*, & in *Macrino.* Dione *lib.* 52. *in fine*, ac ſicut Senatores fuere non pauci è plebe in Senatum lecti, & conſcripti, non item in Patritiorum numerum, vt ex Tacito liquet, *d. lib.* 11. cuius locum infra adſcribemus, ita è contrario multi patritiæ antiquæ Senatoriæ ſtirpis, & tamen, vel defectu ætatis, aut cenſus, vel alijs de cauſis inter Senatores non lecti, aut adſcripti; qualis Tribunatus petitor Auguſtus, proponitur apud Suetonium in *eius vita c.* 10. *quamquàm patritius, nec dum Senator.* D. Iſidor. *lib.* 9. *orig. c.* 4. Quamuis autem Senatoria quiſque origine eſſet, vſque ad legitimos annos eques Romanus erat, deinde accipiebat honorem Senatoriæ Dignitatis. Quod ſi, noua, & legitima vſurpatione, patritios apud Vlpianum accipias, pro illuſtribus, primarijſque Senatoribus, quos, priuati conſilij gratia, Cæſar in primam Claſſem Comitum, ſiue amicorum, & in Supremum Conſiſtorium ſelegit, qui & patritij dicuntur, quaſi Patres Imperatoris, & parentes Reipublicæ. §. *filius familias, inſtit. quib. modis ius patr. poteſt. ſolu. l. vlt. Cod. de Conſulib. lib.* 12. alienius multò id erit ab Vlpiani more, & mente, cum octogin-

ginta circiter, poſt eum, annis hæc patritiatus notio, & dignitas innotuerit, nempe ſub Conſtantino, qui primus eam inſtituit, πρῶτον ταύτην ἐπινοήσαντες τὴν τιμὴν, vt ſcribit Zoſimus, *lib.* 2.

6 Rurſus ſententia *d.* §. *vlt.* definitionem Senatorum veluti contrahit, ad illuſtres viros, eoſque ſolos, qui in Senatu ſententiam dicunt. Vtrumque autem parùm rectum videtur. Primum enim, ſiue, illuſtrium nomine, intelligas patritios, quatenus à plebeijs diſtinguntur. §. *Plebiſcitum. Inſtit. de iure natur.* Docebit te ipſe Vlpianus, plebeios, etiam quæſtores factos, venire in Senatum ſolitos, & habuiſſe ius ſententiæ dicendæ. *l. vnica* §. *Hodieque D. de officio quæſtor.* cum tamen nec illuſtres, nec patritij fuerint; ſiue appellationem illuſtrium exaudias de primo eo, ſub poſterioribus Cæſaribus, amplitudinis gradu, ſeu titulo, quo illuſtres dignitates à ſpectabilibus, & clariſsimis diſtinguntur, pluſquàm apertum eſt, inter Senatores cenſeri non tantùm illuſtres, ſed etiam inferiores his ordines ſpectabilium, & clariſsimorum. Diu. Iſidor. *lib.* 9. *origin. cap.* 4. *Primi ordines Senatorum dicuntur illuſtres, ſecundi ſpectabiles, tertij clariſsimi.* Ita &, ex Iſidoro, Diu. Thomas *lib.* 4. *de regim. Princ. cap.* 26. Quinimò paſsim Vlpiano, & alijs æui eiuſdem Scriptoribus, Senatores proprio, & perpetuo quaſi epitheto, dicuntur clariſsimi. *l. fœmina* 8. *D. de Senatoribus. l. curator* 5. *D. de curatore furioſ. l. deferre* 18. §. 1. *D. de iure Fiſci. l. filij* 22. §. 1. *D. ad municip. l. cum te* 10. *Cod. de nuptijs.* Et clariſsimatus, pro dignitate Senatoria. *l. vnica Cod. de equeſtri dignit. lib.* 12. *l.* 2. *Cod. de his, qui veniam ætatis impetr.* Lamprid. in *Alexandro*, & *Heliogab.* Vopiſcus in *Aureliano.* Tertullianus *ad Scapulam cap.* 4. Prudentius *lib. priore contra Symmach:*

Ipſe Senatorum meminit clariſsimus ordo.

In queis, & alijs, quibus parcimus, expolitæ iuris ſcientiæ eleementis ἀναλφάβητος eſt, qui ſcribit, non auditam fuiſſe, Vlpiani æuo, vocem, *clariſsimi*, pro titulo honoris Magiſtratuum.

Poſtremum verò de his ſolis Senatoribus, qui ſententiam dicere poſ- 7
ſunt, excludit, mouetque Senatu, eos Senatores, qui plerumque non tam ſententiam dicere, quàm in aliorum ſententiam pedibus ire, & in eam, qua ſentirent, partem, ſiue ſubſellia diſcedere ſolebant, qui, *Senatores pedarij*, dicti; ſed Senatores, & *agipedes* Lucillio, apud Feſtum, in *pedarium*, *capita ſine lingua.* Laberio apud Agel. *d. lib.* 3. *c.* 18. videndus & Cicero *ad Atticum lib.* 1. *epiſt. penult.* Frequenſque is Senatorum, & cenſendi ordo, vel poſt Vlpianum, vt indicant Vopiſcus in *Aureliano. Deinde*, inquit, *alijs manus porrigentibus, alijs pedibus in ſententias euntibus, pleriſque verbo conſentientibus, conditum eſt Senatus Conſultum.* Prudentius *lib.* 1. *contra Symmach.*

Quà vocat, egregij ſententia Principis, illuc
Libera tum pedibus, tum corde frequentia tranſit.

Vocatque id cenſendi in Senatu genus, *ſilentium, ſine conuentu*, Iuſtinianus *Nouella* 62. *de ordine Senatorum*, quæ apud Iulianum anteceſſorem extat, *conſtit.* 56. *num.* 199. grauiterque apud Epictetum Arriani *lib.* 1. *cap.* 2. quidam, cum Senatu moueretur, haud ægrè tulit, quod ſciret, *affuturum ſe in curia tamquam teſtaceum vas*, καθεδοῦμαι, ὡς κεράμιον.

Hæc

Hæc quamuis nec diſtinctè, neque omnia omnes argumenta contra Vlpianum expendant, eorum tamen potioribus cedere, & manus dare coguntur purgatioris iudicij, & auris Interpretes, & vel Vlpianum ipſum inſcitiæ, ſiue incogitantiæ damnare, vti fere damnat Petr. Gregor. *lib.* 47. *Syntag. cap.* 25. *num.* 4. vel ab Vlpiano in ſciolum aliquem loci illius in Pandectis, hoc eſt, panni in purpura futuram, culpamque deriuare, quod Bulengero placitum magis *lib.* 3. *de Imperio Roman. cap.* 10. vel denique totum eum §. *vlt.* & Senatorum deſcriptionem accepto ferre, non Vlpiano, cuius ſæculo, & iuriſprudentiæ non congruit, ſed Triboniano reſpicienti ad nouum ius, ſeu morem, quo inſpecto, & ſublata vetere differentia Senatorum, & eorum, qui ſententiam dicunt, quin & interpolatis patritiorum, pedariorumque antiquis nominibus, Senatorius ordo, & conſeſſus, conuentuſque incipiebat à Patritijs, & Conſulibus, deſcendebatque ad cæteras illuſtres dignitates, quibus & ius ſententiæ in Senatu dicendæ erat, vt exprimitur in Iuſtiniani *Nouella* 62. *de ordine Senator. cap.* 2. cuius veluti ſumma eſt, quæ extat in *d. l. vlt.* §. *vlt.* & apud Harmenopulum inter *leges varias ſub tit. de dignitatibus.* Hoc ipſum Triboniani emblema in §. *vlt.* cum, poſt Haloandrum, Hotmanum, Baronem, Mornacium ad *d. l. vlt.* agnoſcat Cuiac. in *l.* 1. *Cod. de dignitat. lib.* 12. & ad Nouellam *de ordine Senator.* 62. Franciſcus Balduinus in *iuriſprud. Mutiana pag.* 98. in *Q. Mutio Scæuola.* Pancirola ad *notit. vtr. Imper. cap.* 2. Guther. *de offic. Domus Auguſt. lib.* 2. *cap.* 19. in fine, neque auſit, non agnoſcere poſt alios, Hilligerus *ad Donell. lib.* 24. *cap.* 22. *litt.* R. Deprehenditur aperte magis ex eo, quia illuſtrium gradus, ſiue titulus, cuius ſignata adeo mentio, & ſolemnis in *d.* §. *vlt.* vix eſt, ſi eruditioribus credimus, vt præceſſerit Conſtantini Magni memoriam, à quo vt pleraque alia in militari, & ciuili re dignitatum nomina, & munia introducta, & mutata, motaue fere omnis politiæ antiquæ forma, auctore Zoſimo *lib.* 2. Euſebio *lib.* 4. *de vita Conſtantini cap.* 1. *in fine*, ibi: *Nam vt plurimos honoribus afficeret, diuerſos dignitatum gradus Imperator excogitauerat.* Ita & veriſimile eſt, inſtitutos ab eo, aut diſtinctos primarios tres dignationis ordines, ſiue titulos, illuſtrium, ſpectabilium, & clariſsimorum (vt perfectiſsimos, egregioſque nunc omittam) quos Imperij notitia, & Cæſarum nouiorum conſtitutiones crebrò recenſent. Sanè ante Conſtantinum, & veterum prudentum ætate, nulla ſtata, aut ſolemnis eorum titulorum diſtinctio ocurrit. Senatores enim, qui *illuſtres, in d.* §. *vlt.* & *clariſsimi* plerumque appellantur, & *ſpecioſi*, ſiue *ſpectabiles. l. ſpecioſas* 100. *D. de verbor. ſignific.* Proconſules, quos Imperij nótitia, & Cæſares, poſt Conſtantinum, ponunt inter ſpectabiles, *l. vnica Cod. vt omnes iudices tam ciuil. l. præcipimus* 32. *Cod. de appellat. l. vnica Cod. de ratio. ciu. oper. publ. l. vnica Cod. de raptu virgin. l.* 3. *Cod. de Canon. largition. tit. lib.* 10. nominantur *clariſſimi*, ante Conſtantinum à Seuero, & Antonino in *l.* 3. & *l.* 5. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog. l.* 1. *Cod. ſi ex falſis inſtrum.* & Proconſul Africæ V. C. in *l.* 1. *ex delictis defunctorum in Cod. Hermogeniano*, & Claudius Maximus, Africæ Proconſul, *vir clariſsimus*, apud Apuleium

ium *apolog*. 1. *&* 2. idque quia in Proconſulares Prouincias, poſt earum diuiſionem ſub Auguſto, de qua Strabo *lib*. 17. *Geograph*. ex Senatorio ordine mittebantur. Et ſub Conſtantino ipſo, Imperijque eius primordijs ignotius illud Lactantij *lib*. 5. *cap*. 14. *in fine*. Licet Conſules, quos *ſuperilluſtres*, ſiue *illuſtrium ὑπερβάλλοντας*, Græci nuncupant ad *d. l. vlt. D. de Senator.* & Prefecti prætorio, atque Vrbi, quos illuſtres in primis notitia, ſeu breuianum Imperij, & nouæ coſtitutiones indigetant. *l. vlt. Cod. vbi Senatores, vel clariſſ. l.* 1. *&* 2. *Cod. de præfect. prætor. & vrbi lib*. 12. Clariſsimi vocantur Conſules quidem, apud Plinium, *lib*. 7. *epiſt. vlt.* & iuncta *l.* 1. *Cod. de dignit. lib*. 12. Præfecti autem Prætorio, in *l.* 1. *Cod. de ſentent. paſsis.* & apud Lampridium in *Alexandro*; Præfectus Vrbi in *l.* 1. *ſi aduerſùs donat. ſponſ. fact. in Cod. Gregoriano*. Quæ omnia Conſtantino antiquiora teſtimonia ſunt, nec inferiora aliqua eſſe nego eiuſdem licentiæ, ſed rarioris; illa autem, aliaque eiuſdem æui, faciunt omnino, vt cenſeam, accenſearq; eruditis, affirmantibus, illuſtriſsimatus, tamquam tertij à patritijs ordinis, mentionem in *Bibliotheca Diodori Siculi*, & poſtremis ex *lib*. eiuſdem 37. *& ſeq.* excerptis apud Photium *in Bibliotheca*, non eſſe proditam à Diodoro Siculo Auguſtæi ſeculi ſcriptore, ſed vel à Photio, dum exſcriberet, interpolatam, vel à ſciola aliqua, & ſequiori manu adſutam. Verba hæc ſunt: *Illuſtrium dignitatem tertium à patritijs ordinem ſubſtinere, ait*. Simile in eadem re peccatum, Ioannis Saresberienſis *lib*. 1. *Polycrat. cap*. 7. *in fine*; Vbi ſic de Nerone ampliſsimæ dignitatis titulis hiſtriones ornante: *alios Patritios, alios Senatores dicens, hos illuſtrium, ſpectabiliumue nominibus illuſtrabat*.

Ego, ſi diſsimulato interim, Tribonaniſmi nunquam agnoſcendi, inſtituto, cui veluti auctorati, & adacti, ſuperſtitioſo ineptæ ſectæ iure, aut iniuria, noſtrates ſeruiunt, contra Iuſtiniani teſtationem in *l.* 1. §. *Sed & hoc* 7. *l.* 2. §. *Tanta* 10. *Cod. de veter. iur. enucl.* & fide bona cenſendum eſt, tot, tantiſque rationum, & auctoritatis momentis, Triboniani manum prodentibus, in *d. l. vlt.* §. *vlt.* D. *de Senator.* libens conceſſerim. Sed quia & nonnihil, inueteratæ conſuetudini exponendi potiùs, quàm Triboniani, aut textus corrigendi, indulgere par eſt, ſuſpicabar iam pridem, Vlpiani, quæ extat in *d.* §. *vlt.* deſcriptionem Senatorum eſſe potiùs, quàm finitionem, eamque latiùs, & liberiùs conceptam Senatores accipere pro his, & quidem ſolis, quibus in Senatu ſententiæ dicendæ ius eſt, qui, veluti per excellentiam, Senatores primi, & præcipui, ſiue primæ, aut ſecundæ ſententiæ, vt loquuntur *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptores. Nec dum ea deſcriptione inter Senatores cenſentur, qui in Senatum nondum allecti, in eum tamen veniunt, & cenſent iure, Magiſtratus, & excluduntur pedarij, qui ſententiam non dicunt, ſed pedibus ſequuntur, fit omnino id ſine more, aut exemplo; quin imò vtrumque ſat excuſabile, quia Vlpiani ætate, & ante, priſca illa, & ſcrupuloſa diſtinctio Senatorum conſcriptorum, & eorum, qui iure Magiſtratus ſententiam dicebant, retinebatur in translatitio edicto, non tam quod alicuius rei, vel vſus iam eſſet, quàm *ſeruandæ conſuetudinis cauſa*, vt Agellius ſcribit *d. lib*. 3. *cap*. 18. Pedarij autem Senatores, quamuis in Senatus Conſultis, per diſceſsionem, ſuum quodammodò Senatorium ius, deſcendendo, diſce-

ſcedendoque, in aliorum ſententiam retinerent, negligi tamen ab Vlpiano, ſine magna vlla noxa, potuerunt, cum eſſent Senatores, nomine potiùs, quàm munere, quorumque, vt ex Laberio prænotaui:

Caput ſine linguâ, pedaria ſententia eſt.

Sed & quod de mentione patritiorum, contra Vlpianum, expendimus, ſuum vtique explicatum habet, ſi patritios accipias, vt Vlpianus ipſe accipit in *l. vnica* §. *Hodieque D. de offic. quæſtor.* iuncto §. *Plebiſcitum Inſtit. de iure natur. l. 2.* §. *Seruius* 43. *D. de origine iur.* pro allectis in familias patritias, vt Senatorij ſeminis homines, ſicut Sidonius loquitur *lib. 1. epiſt. 6.* eſſent, & haberentur qui non malè Senatoribus annumerantur, quia vtcumque aliqui, ætatis, cenſuſue defectu, non ſint Senatores, ſermo tamen eſt de patritijs, qui Senatores, quales Patritij ferè omnes, & plerique primarij, & vetuſtiſsimi. Tacitus *lib. 11. iiſdem diebus in numerum patritiorum adſciuit Cæſar vetuſtiſsimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant.* Denique illuſtrium appellatio, quæ Senatoribus tribuitur in *d.* §. *vlt.* neque plebeios Senatu mouet, qui Magiſtratus iure in curiam venire, & cenſere poterant. *d. l. vnica* §. *Hodieque D. de offic. Quæſtor.* fuerunt enim & plebeiorum familiæ nobiles, illuſtreſque, quibus ſcilicet, poſt comunicatos patritiorum cum plebe honores, perinde ius imaginum, & maiorum decora erant, vt notatum alijs ex Liuio *lib. 22. Nam plebeios nobiles, iiſdem initiatos iam eſſe ſacris, & contemnere plebem, ex quo contemni deſierint à patribus cæpiſſe.* Aſconio Pædiano in *orat. Ciceronis* in *Toga candida*, in argumento: *Quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles.* Neque certum, propriumue titulum dignitatis ſignat (ſicut neque, *ſpectabilis*, mentio in *l. 3. D. de officio præfecti vigil.*) quo illuſtres ſpectabilibus, clariſsimiſue præponantur. Damus enim, fatemurque, titulorum eorum diſcrimen, & gradationem ante Conſtantinum non fuiſſe, & Senatores, alioſque Magiſtratus, Vlpiani æuo, *clariſsimos* plerumque appellatos, vt ſupra oſtendimus. Cæterùm Senatores, *illuſtres*, Vlpianus nominat eos, quibus ius fuit ſententiæ dicendæ, vt ab alijs nempe diſtinguat, qui *defixi, & attoniti mutam, ac ſedentariam eſſentiendi neceſſitatem perpetiebantur*, vt Plinius loquitur in *Panægyrico*; cum è contra diſſerere nonniſi primarijs liceret, & maiori aliquo honore perfunctis, qui, *primores*, dicuntur Tacito 4. *annal.* ibi: *Apud patres tractabantur, dabaturque primoribus, diſſerere.* Primates, Senecæ *in ludo de morte Claudij.* Et Senatores primæ, aut ſecundæ, ac deinceps ſententiæ, Spartiano in *Adriano*, Vopiſco in *Aureliano*, Lactantio *lib. 1. diuinar. inſtit. cap.* 10. &, vt Vlpianus ipſe vocat, *illuſtres* Spartiano in *Seuero*, vbi de Senatoribus, ab eo occiſis: horum igitur tantorum, ac tam illuſtrium virorum (nam multi in his Conſulares; multi Prætorij; omnes certè ſummi viri fuere) interfector ab Afris, vt Deus, habetur. Maneat itaque, poſſe quadantenus deſcriptionem Senatorum, apud Vlpianum, defendi, tametſi ea, ex mente auctoris, aliò pertineat, ſcilicet ad tractatum *de cenſibus*, & morem Senatoris legendi ex cenſu, duplo maiore, quàm equeſtri, vt Cuiacio viſum 24. *obſeru. cap.* 3. vt apparet ex *inſcriptione d. l. vlt.* iuncta *l. 3. D. de cenſibus.* Quod autem attinet ad leges noſtras, & earũ hoc caput, quod exponimus, Senatorũ

appellationem plenius accipi debere, crediderim, vt complectatur eos omnes, qui vel conſcripti Senatorum albo, vel quo alio iure in Senatum venire poſſunt, etiam ſi non ſint ex illuſtribus, & primarijs, argumento ex *l.* 5. *D. de Senatorib. l.* 1. *Cod. de natural. lib. Nouella* Martiani *de matrim. Senator.* iuncto ſingulari, & alibi expendendo, *Textu* Modeſtini in *l.* 15. §. 2. *&* 3. *D. de excuſ. tutor.* atque ad eum Scholiaſte Cyrillo in *Baſilicis lib.* 38. *tit.* 1.

10 Illud in *d. l. vlt.* indictum adhuc, nec prætereundum, ſectionem illam, tametſi in Baſilicis, huc vſque editis, deſideretur, extare tamen in eorum Eclogis, ſeu Synopſi *lib.* 6. *tit.* 1. *cap.* 11. vbi, poſt verba illa, *Quia & hi ſoli in Senatu ſententiam dicere poſſunt*, ſequitur, *& circenſibus conuocari debent*, iuxta Ioannis Leunclauij verſionem: aſt inepta omnino verſio, & expreſsio circenſium pro eo, quod in Græco textu eſt, ἐν τῷ ἱπποδρομίῳ & exprimi latinè eodem verbo potuit, *in Hippodromo*, vt legitur in *Nouella* 62. *de ordine Senator.* illic: *Agat autem Senatus conuentus in Hippodromis.* Et vel edicta ea conſtitutio latinè, vel ſola eius ſumma latina, extat apud Iulianum anteceſſorem, & ex eo inter Nouellas poſita, Ant. Auguſtino, Scrinigero, Haloandro, Contio, & alijs. Fuit autem, inter alios habendi Senatus locos, Conſtantinopoli vnus, in foro Auguſtæo, conſtructo à Conſtantino, cuius meminerunt Heſychius *libello de reb. patr. Conſtantinop.* Zonaras *tom.* 3. Procopius 1. *de ædific. Iuſtiniani.* Codinus 1. *de offic. aulæ Conſtant. cap.* 17. Suidas in voce, *Auguſtæum.* Michael Ducas *in Hiſtor. Byzantina*; *cap.* 40. Fuitque Auguſtæum, & in eo Senatus, in Regione 4. Vrbis, ſcilicet prope tertiam, in qua Hippodromus, ſeu Circus Maximus Conſtantinopolitanus, vt collocat *vetus deſcriptio* illius Vrbis, & ex Zoſimo, & alijs doctè ſimul, & inconditè, vt ſolet, Bulengerus *libro de circo cap.* 1. *in fine.* Ex Procopio, & Iulio Polluce ſcitè, & ad rem, Petrus Gyllius in *Topographia lib.* 2. *cap.* 17. *&* 18. vnde, & fortaſſe, *Hippodromi*, nomen, ad locum Senatus translatum. Quamquam, ſi quis adhuc mentionem circenſium, cum Leunclauio in Synopſi tueri, velit, licebit, eam referat ad circum Conſtantinopolitanum, quem, *Hippodromum*, nuncupat, Sanctus Chryſoſthomus, in *oratione de Circo*, & *Hippodromiam*, pro, *Circenſibus*, Theodorus Balſamon ad *canonem* 24. *Synodi* 6. *in Trullo*, & ad *can.* 64. *Carthaginienſem*; & alij Græci paſsim.

CAP.

CAPVT II.

AD VERBA IVLIÆ LEGIS , QVI FILIVS. L. SENATOR 5. L. Senatoris 6. D. de Senatoribus.

ARGVMENTVM.

FIlius, quoad Caput hoc Iuliæ legis , eſt etiam adoptiuus, & quare? *In l. 5. verſ. Nec intereſt*, ſuſpecta Triboniani manus, Aſt certior , quę & illuſtratur, Gloſſę, apud Accurſium, traditio. Pro Paulo *in l. Senatoris 6.* explicita Papiniani Regula , & ratio, in *l. in omni 13. D. de adopt.* Explicita etiam Proculi mens , & aſſerta, contra correctores, lectio , in *l. ſi ijs qui 44. D. de adopt.* De Senatoris filio , dato in adoptionem plebeio, ad *d. l. 6. §. 1.* Diſcuſſum , & expoſitum Pauli *reſponſum*, in *l. per adoptionem 35. D. de adopt.*

1 SEnatoribus , de quibus diximus, ſubiunguntur eorum filij , in Legis Iuliæ verbis, ita : *Qui Senator eſt, QVIVE FILIVS.* Continent autem verba hæc inſpectionem cura , & commentatione iuriſprudentum veterum illuſtrem , de filijs Senatorum ; ſiue qui propriè tales cenſeantur , quoad effectum legum noſtrarum : ad quas, & hanc earum partem, pertinent Vlpiani , Paulique teſtimonia , ex prioribus libris ad Iuliam , & Papiam, in *l. 5. 6. & 7. D. de Senatorib.* In primis verò Vlpianus, & Paulus in *dict. l. 5. & 6.* docent, Senatoris filium cenſeri , non tantùm naturalem , ſed etiam adoptiuum. Conſentiunt, quoad effectus iuris alios , *l. liberos 10. D. de Senatoribus. l. 4. Cod. de Decurionib. lib. 10. l. 1. D. de adoption.* Naturalis filius his locis , dum adoptiuo opponitur , intelligitur haud dubiè is , qui , non ſolo legis commento, vt adoptiuus, ſed etiam veritate naturæ iuſtus filius , ex iuſtis nempe nuptijs, quæſitus. Vt in *l. 5. D. de his, qui ſui, vel alien. iur. l. 2. §. Liberi 6. D. ad S.C. Tertyll. l. 1. §. Suos, & §. vlt. D. de ſuis, & legit.* noſtra *l. lege 44. §. Non obeſt verſ. item D. de ritu nupt.* Adoptiuos verò, cum dicimus, pro Senatorum filijs haberi , non obſcuram rationem iuris ſequimur, qua docente, tametſi adoptiuus non natura , ſed iure filius ſit , ideoque , nec cenſeatur filius , vbicumque filiorum nomen , non ex imagine , aut vmbra iuris , ſed ex veritate naturæ æſtimatur. *l. fideicommiſſum 76. D. de condit. & demonſtrat. l. filio 23. D. de liber. & poſthum.* Et quidem , etiam in noſtris legibus Iulia, & Papia, & Senatus Conſulto Neroniano , ad eas facto, ne alioquin, adoptionis commento, fraus eis fieret , eluſo fine procreationis , quem priuilegijs promotum ibant , de quo Tacitus *lib. 15. annal. l. ſi ita quis 51. §. 1. D. de legat. 2. l. 2. §. Adoptiui D. de vacat. & muner.* iuncta *l. libertus 17. §. In adoptiua 9. D. ad municip. l. cum ratio 7. §. Ex bonis D. de bonis damnat.* quoad effectus tamen ciuiles , veluti dignitatis, & connubij , ex legibus noſtris, ius , quod ciuile totum eſt , *princip. Inſtit. de nuptijs*, & in quo, hac legum parte, ſanciendo , non frequentiæ nuptiarum, aut ſobolis, quæ potiùs iſto capite coarctantur , ſed Senatorij ordinis , proliſque dignè, & de-

decore maritandæ ratio habita fuiſſe, videtur, adſcitos in filiorum nomen, & familiam Senatoris, ciuili adoptionis modo, pro filijs Senatorum accipi, ciuile eſt. *l. 1. l. per adoptionem 35. D. de adoption. l. ſi qua 112. §. vlt. D. de ritu nupt. l. penult. §. Teſtamento D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* iuncta ad rem *l. lege 44. §. Item 4. D. de ritu nupt.* in quo alia, & ſingularis cauſa, & conditio eſt libertini adoptati ab ingenuo. *l. ſciendum 32. D. de ritu nupt. l. vlt. D. de adopt.* De queis ex profeſſo infra.

2 *Neque intererit*, ait Vlpianus in *d. l. 5. à quo, vel qualiter adoptatus fuerit*, hoc eſt an à Senatore, & illuſtribus, & primarijs, an verò ab alio quouis conſcripto, & dumtaxat clariſsimo, quomodo apud Accurſium fuit qui exaudiret, illo tamen parum probante, quia illuſtres ſolos, aut ſuperilluſtres eſſe Senatores, cenſuit, ex *d. l. vlt. §. vlt. D. de Senator.* nec feliciores alij, qui Vlpiani eam adiectionem in *d. l. 5.* ab eo adoptiuis filijs Senatorum applicitam, contra mentem, verbaque eiuſdem transferunt, & detorquent ad naturales, ſimulque iuſtos filios Senatorum, datos ad his in adoptionem plebeio cuiuis. Mihi, vt alios omittam (niſi ſi ea verba, Triboniani additamenta ſint, reſpicientis ad Iuſtiniani conſtitutiones, in *l. pen. & vlt. Cod. de adopt.* & ſubnotantis, nihil, vel poſt eas, intereſſe, à quo Senatore quis adoptetur, extraneo ſcilicet, an auo, proauoue materno, aut paterno, & *qualiter*, hoc eſt, an per Populum, *lege curiata*, iuxta arrogationis veterem ritum, de quo Agellius *lib. 5. noct. Atticar. cap. 19.* Cicero *in orat. pro domo ſua*, &, poſt alios, ex noſtris, Vlpianus *tit. 8. §. 1.* Caius *lib. 2. inſtit. tit. 3. §. Si quis 4.* an Principis auctoritate, vt idem Caius docet, *in l. 2. D. de adopt.* iunctis *l. 2. in fine, l. 6. & 8. Cod. eod. tit.* an denique adoptetur, cum ſolemnibus mancipationum, & manumiſſionum, vt olim, an vt hodie, ſolo Magiſtratus imperio, præſentia, & voluntate adoptantis, & adoptati, & teſtatione actorum, *d. l. vlt. Cod. de adoption.* Quod coniecturæ genus, fortaſſe alijs talium notarum aucupatoribus non diſplicuerit, & iuuari videbitur locutione illa, *neque intererit*, fortaſsis eo reſpectu in futurum concepta, & ad nouum ius collimante, non in præſens, præteritumue, vt poſtea in eadem *l. 5.* Vlpianus loquitur, ibi: *Neque intereſt iam in dignitate*) arridet magis illa Gloſſographi, apud Accurſium, ſententia, vt Vlpiani mens ſit, non intereſſe, à quo adoptetur, an à Senatore ex primarijs, illuſtribus, patritijs, conſularibus, an à conſcripto aliquo inferioris numeri, & notæ, dum tamen Senatore: neque intereſſe, qualiter, an ſcilicet adrogatione per populum, aut Principem, an adoptione per Magiſtratum. Vtcumque enim, & à quocumque Senatore adoptatus, Senatoris filius eſt in noſtris legibus. Senatorum autem deſcriptio ad illuſtres Patritios, & Conſules coarctata in *d. l. vlt. D. de Senatorib.* quæ ab hac expoſitione Accurſium abduxit, pertinet, vt in calce ſuperioris capitis monui, ad tractatum de cenſibus, *l. 3. D. de cenſibus.* Nec accommodabitur rectè huic capiti legum noſtrarum, quod, cum conceptum ſit ſimpliciter de Senatoribus, procul dubio eos omnes complectitur, qui, conſilij publici gratia, in Senatum lecti ſunt, & conſcripti, quamuis neque patritij ſint, neque conſulatu, alijſue honoribus perfuncti, quod nemo paulò humanior, aut memoria Senatorij veteris iuris, vel leuiter tinctus negabit. Argu-

gu-

gumentum rei eſt in Conſtantini, Martianique legibus, quæ Iuliæ, Papiæque in hoc capite, veluti Appendices, ſunt, nempe *lex* 1. *Cod. de naturalib. liber. Nouella Martiani de matrimon. Senator.* & tamen nuptias cum libertis, & ſcenicis, alijſque eiuſdem notæ, non tantùm interdicunt Senatoribus abſolutè, & ſimpliciter, ſed etiam Duumuiris, & Phæniciarchis, Syriarchiſque, Prouinciæ Sacerdotibus, & municipiorum flaminibus, denique perfectiſsimis, quos omnes, &, vt de alijs nunc taceam, perfectiſsimos, Senatoribus quibuslibet, qui eo ipſo, quod Senatores, ſaltem Clariſsimi, *l. fœminæ* 8. *D. de Senatorib. l. cum te* 10. *Cod. de nupt.* inferiores eſſe gradu, & dignitate, colligere, licet, ex *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de his, qui veniam ætatis impetr.* iunctis *l. diuo* 11. *Cod. de quæſtion. leg. vn. Cod. de equeſtri dignit. & Cod. de perfectiſſim. dign. lib.* 12. Ammiano Marcell. *lib.* 21. vbi, de Conſtantio, erga tribuendas celſiores dignitates, parco, nunquamque, vt ille loquitur, *militaria cornua erigente. Nec ſub eo dux quiſquam*, inquit, *cum clariſsimam prouectus eſt: erant enim, vt nos quoque meminimus, perfectiſſimi.* Tametſi aliter, de perfectiſsimatus, & clariſsimatus ordine, ſentire, videtur, Lactantius, nondum fortaſſe à Conſtantino, eorum titulorum gradatione diſtincta, *lib.* 5. *diuinar. inſtit. cap.* 15. *ad finem.* Iungantur, quæ de perfectiſsimis, nos infra *ad l.* 1. *Cod. de natural. liber.* Planè, eſſet abſurdum, Senatores, Senatorioſue non intelligi, quoad connubij ius, ex legibus noſtris, eos, qui etiamſi non ſint ex illuſtribus, & patritijs, ſunt tamen iure dignitatis, aut generis clariſsimi. *d. l. cum te* 10. *Cod. de nuptijs. l. Senator* 11. *Cod. de dignitat. lib.* 12. & conſequenter, nuptias eiſdem cum libertinis, ſcenicisue, permitti, quæ inferioris gradus, & notæ hominibus, veluti perfectiſsimis, non permittuntur, contra quàm definitum eſt, in *d. l. lege* 44. *§. vlt. l. obſeruandum* 49. *D. de ritu nupt.* Adde ſis indicatam iam ſuprà Modeſtini, in re, non diſsimili, notam in *l. ſpadonem* 15. *§. Scire* 2. *cum ſeq. D. de excuſ. tutor.*

Sed, quoad adoptiuos Senatorum filios attinet, monet deinde Paulus 1. *ad Legem Iuliam, & Papiam* in *d. l. Senatoris* 6. *D. de Senator.* tamdiu adoptiuos Senatorum filios, cenſeri, quamdiu, in familia patrum Senatorum, qui eos adoptarunt, permanent; quod & contingit, ſi emancipati necdum ſint, Senatore adoptiuo patre moriente; quo tempore licet incipiant eſſe ſui iuris, manent tamen in familia patris adoptiui præmortui. *l. vtrum* 9. iuncta *l.* 3. *§. Si pater*, hinc explicanda, *D. de bonor. poſſeſ. contr. tab.* Cæterum adoptiuus emancipatus à Senatore, *nomen filij, emancipatione, amittit*, ait Paulus in *dict. l.* 6. quia quamuis minima capitis minutione, quæ, ſalua Ciuitate, contingit, veluti emancipatione, publica iura non interuertantur, nec Senator quis eſſe deſinat. *l. amiſsione* 5. *§. vlt.* cum *l. ſeq. D. de capite min.* interuertuntur tamen iura familiæ, eiſdemque adiacentia ſui hæredis, & filij. Idcircoque adoptiuus emancipatus deſinit eſſe filius Senatoris, & è conuerſo adoptatus à patre ſcenico, & emancipatus deſinit eſſe filius ſcenici, quoad connubium ex noſtris legibus, ex eodẽ ad eaſdem Paulo, in *l. lege* 44. *§. An & is* 5. *D. de ritu nupt.* Hoc ampliùs quòd, vt Papinianus ſcribit, *in omni fere iure*, excepta ſcilicet ſpecie *textus, in l. adoptiuus* 14. *l. quin etiam*

55

55. *D. de ritu nupt. finita patris adoptiui poteſtate*, per emancipationem, *nullum ex priſtino retinetur veſtigium. Denique & patria dignitas*, veluti Senatoria, ſeu Clariſsimatus, *quæſita per adoptionem, finita ea, deponitur. l. in omni* 13. *D. de adoption. l. ſi quis tutor* 60. §. *Quid ergo* 6. *D. de ritu nupt.* Vnde & deponitur ius Ciuitatis, adoptione quæſitum. *l. ſed ſi* 16. iuncta *l.* 1. & *l. ordine* 15. §. *vlt. D. ad municip. l. ciues* 7. *Cod. de incolis, & vbi, lib.* 10. & ius familiæ, agnationis, & conſanguinitatis, quia & conſanguinitas, ſpecies agnationis eſt, ſiue fraternitatis inter eos, qui ex eodem patre nati. *l. per adoptionem* 17. *dict. l. quin etiam* 55. §. 1. *D. de ritu nupt.* iunctis *l.* 4. *D. vnde cognat.* Denique & filij ius, ſiue ſui hæredis, ſucceſſioniſque, vndecumque eo, vel agnationis nomine, per adoptionem obtinendæ. *l.* 1. §. *Liberos* 6. *l. liberi* 4. *D. ſi tabulæ teſtam. null. extab.* & *vnde liberi. l. ſi quis filium* 6. *D. de coniug. cum emancip. lib. eius. l. quidam* 132. *D. de verb. oblig.* §. *Adoptiui, Inſtitut. de exhæred. liber.* §. *At hi* 10. *cum* §§. *ſeqq. Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt.*

4 Sed hæc, vt poſui, Papiniano exponendo in *dict. l. in omni* 13. finita patris adoptiui poteſtate, eo ſcilicet viuente, quod per emancipationem contingit. Nam, ſi adoptio, patris adoptiui morte, finiatur, manent adhuc eius volæ, & veſtigia, nempe ius filij, familiæ, agnationis, conſanguinitatis, ſucceſsioniſque, inde ſperandæ. *dict. l.* 3. §. *Si pater. l. vtrum* 9. *D. de bonor. poſſeſſ. contra tab. l.* 1. §. *ſuos*, & §. *Interdum*, & §. *vlt. l.* 2. §. *Parui D. de ſuis & legit. hæred. l.* 2. §. *Liberi* 6. *l. ſi quis inteſtatus* 7. *D. ad S.C. Tertyll. l. cum ratio* 7. §. *Ex bonis D. de bonis damnat. d. l.* 1. §. *Liberos* 6. & *l.* 4. *D. ſi tab. teſt. null. ext.* cum ſimilibus. Manebit itaque, & patria dignitas quæſita per adoptionem, etiam ea per mortem adoptantis finita, & Senatoris filius, quoad leges noſtras, habebitur adoptiuus, etiam mortuo patre adoptiuo, quia in familia eius manet, quod exigitur in *d. l. Senatoris* 6. Nimirum alia, & potentior eſt, in hac re, emancipationis ratio, quàm mortis. Emancipatio cum ciuilis iuris ſit, & deductione emancipandi in imaginariam ſeruilem cauſam, eiuſdem caput ciuile, ſeu ſtatum minuat, & familiam mutet, ac perimat. *l.* 1. *l.* 3. §. 1. *l. vlt. D. de capite minutis*: perimit vtique & familiæ iura, eiſdemque adnexa filij, agnationis, conſanguinitatis, ſucceſsionis, dignitatis, & ſi quæ alia legitima, legitimo, ſiue ciuili adoptionis iure quæſita, vt in *l. ſi qua* 12. §. *vlt. D. de ritu nupt. l. qui in adoptionem* 23. *D. de adoption. l.* 4. §. *Cognationis* 2. *D. de gradibus.* Iuncta regula *l. eas* 8. *D. de capite minut.* §. *vlt. Inſtit. de legit. agnat. tut.* §. *Minus* 11. *Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt.* Mors autem adoptiui patris, cum adoptiuum filium poteſtate liberet, ac ſui iuris faciat, ſine capitis minutione, & conſequenter, ſine commutatione ſtatus libertatis, ciuitatis, familiæ. *l.* 3. §. *vlt. D. de Senatus Conſ. Maced.* iuncta *l.* 1. & *vlt. D. de capite minut.* relinquit eum, in vetere familia adoptiua, cuius communi corpore, ac veluti complexu, quicumque ſub vnius patris familias poteſtate fuerunt, etiam, mortuo illo, comprehenduntur. *l. pronunciatio* 195. §. *communi D. de verbor. ſign. l. peto* 69. §. *vlt. D. de legat.* 2. Ideoque & retinentur ciuilia iura familiæ, & adiacentium, tam circa ſucceſsionem, quàm quoad dignitatem, & gradum fi-

filij Senatoris, in quo Accurſium peccantem notat meritò Albericus in *dict. l. in omni* 13. *D. de adoptionibus*.

5 Nec, pro Accurſio in contrarium vocat Proculi locus in *l. ſi is, qui nepotem* 44. *D. de adoption.* vbi, ſi is, qui nepotem ex filio habet, in nepotis loco, aliquem adoptauit, Proculus ſcribit, ſe non putare, *iura conſanguinitatis inter nepotes futura eſſe, mortuo auo.* Non quidem, quaſi viuo auo fuerint ea, quæ morte illius, adoptione finita, intercíderint, quod Accurſio ita, & dextrè parùm acceptum, aut perceptum, impoſuit, ſed quia, vt iam olim obſeruabam, de iure conſanguinitatis, ſiue fraternitatis ciuilis inter nepotes, hoc eſt de effectu mutuæ, ac legitimæ ſucceſsionis, & tutelæ, eiſdem tamquam fratribus, conſanguineis, & agnatis, iure tributo, quod conſanguinitatis ius vocatur in *l. 4. D. vnde cognati. l. vlt. D. vnde legitimi. l. 1. §. vlt. D. de ſuis, & legit.* cum alijs, vix, niſi mortuo auo, tractari neceſſe eſt, quo tempore, nepotes patres familias facti, hæreditatum, tutelarumque compotes eſſe incipiunt, non ante. *l. muto* 6. §. *vlt. D. de tutel. l. lex Cornelia* 28. §. *Sed ſi pater D. de vulgari.* Et ideo, mortuo auo, reſpondet Proculus in *d. l. ſi is, qui* 44. ſicut & in *l. ſi is, qui filium* 11. *D. de adoption.* affirmatque, eo tempore, non futura iura conſanguinitatis inter nepotes, quia adoptatus nepos proponitur, non quaſi, ex eo filio natus, qui in poteſtate eſt, ſed ſimpliciter, quaſi ex quolibet, vel incerto filio, vt in *l. ſi paterfamilias* 15. §. 1. *l. adoptiones* 43. *D. de adoption.* Nec poteſt ius conſanguinitatis eſſe inter eos, qui conſanguinei fratres non ſunt, quia non ex eodem patre nati ſunt, aut finguntur. §. 1. *Inſtit. de legit. agnator. tutel.* Vnde & diuerſum eſt, ſi adoptetur ſic nepos, *vt etiam iure legis nepos ſuus ſit, quaſi ex Lucio filio ſuo* (ex quo & alius nepos, in aui poteſtate eſt) *& ex matre familias eius natus eſſet.* in *d. l. ſi is qui* 44. iuncta *l. cum nepos* 6. *l. ſi quis nepos* 10. cum *l. ſeq. D. de adopt. l. Gallus* 29. §. *Ergo & ſi* 9. *D. de lib. & poſth. l. ſi quis filium* 6. *D. de coniung. cum emancip. lib. eius.* Quo caſu erunt & iura conſanguinitatis, inter nepotes, quia, ex eodem patre Lucio, nati finguntur, naturalis iure naturæ, & adoptiuus *iure legis*, ideſt poteſtate adoptionis, & legitimo iuris remedio. *l. 1. §. vlt. D. de ſuis, & legit. l. ſi quis inteſtatus* 7. *D. ad S. C. Tertyll. l. ſi qua* 12. §. *vlt. D. de ritu nupt. l. 4. §. Cognationis* 2. *D. de gradibus*, quomodò verba illa, *iure legis*, explicanda, cum claſsicis, apud Proculum, & illuſtranda, ex ſimili phraſi apud Tryphoninum in *l. in bello* 12. §. *Manumittendo* 9. ibi: *Lege noſtra, quam conſtitutio fecit. D. de captiu. & poſtlim. l. 1. Cod. ne fideiuſſ. dot. dentur*, ibi: *Siue ex iure, ſiue ex conſuetudine lex proficiſcatur.* Auſonio in *monoſyllab. edyl.* 16.

Lex, naturali quam condidit imperio ius.

Nec commutanda in *iure, legeque*, ex arrogationis formula, apud Agellium *lib. 5. noct. Attic. cap.* 19. vt, poſt Duarenum, Balduinus, Contius, Corraſius, alijque tentant, critico oeſtro perciti.

Diſtat multùm porrò in hac parte, ab adoptiuo Senatoris filio, emancipato, naturalis filius eiuſdem, emancipatus, aut in adoptionem datus plebeio. Namque, vtroque caſu, naturalem Senatoris filium, manere docent, ad leges noſtras, Vlpianus, & Paulus in *d. l. Senatoris* 6. §. 1. *l. emancipatum* 7. *D. de Senatoribus* 6

(quarum veluti ſumma extat in *Baſilicis lib. 6. tit. 1. cap. 5.* iunge *l. ſi quis tutor 60. §. Naturales. l. non eſt 66. D. de ritu nupt.*) quia quamuis minima capitis diminutio, quam emancipatione, aut, in adoptionem datione, naturalis filius patitur, perinde, in naturali, ac in adoptiuo iura familiæ, & adiacentia ſui hæredis, & filij, quod ad ius ciuile attinet, mutet, ac minuat. *§. Emancipatos cum ſeq. Inſtit. de exhæred. lib. §. Emancipati cum §. Seq. Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. l. 3. & 6. D. de capite min. l. vlt. Cod. de adoption.* & in tractatu legum noſtrarum, emancipatus filius, non computetur inter liberos patris Conſulis, vt prior faſces ſumat, ex capite illo ſeptimo Iuliæ legis, de quo Agell. *lib. 2. noct. Attic. cap. 15.* iuncta *l. Proconſules 14. D. de offic. Proconſ. l. bello 18. D. de excuſat. tutor.* non tamen, & perinde, in vtroque interuertit, minima capitis minutio ius dignitatis patriæ clariſsimatus, ſeu Senatoriæ eiſdem tamquam filijs quæſitæ. Quippe; hæc in Senatore, & naturalibus eiuſdem filijs, pendens ex publico Ciuitatis iure, commune nihil habet, cum priuato iure familiæ. *l. amiſsione 5. §. vlt. cum l. ſeq. D. de capite minut.* vbi doctè hæc diſtinguit anonymus Scholiaſtes Baſilicon *lib. 46. titul. 2.* Sed communicatur eiſdem, ſiue defertur tamquam filijs naturali iure ſanguinis, quod ciuili emancipationis ratione, tolli non poteſt. *l. eas 8. D. de capite min. l. iura 8. D. de reg. iur. l. peto 69. §. vlt. D. de legat. 2.* Sicut neque, dationis in adoptionem imagine, obumbrari, aut corrumpi. *l. filio 23. D. de liber. & poſth. l. 4. §. 1. D. ſi tabulæ teſt. null. ext. l. 2. §. Liberi 6. D. ad S. Conſ. Tertyll.* Eadem verò dignitas in adoptiuis Senatorum filijs, ſicut per adoptionem quæritur, ita & nititur, non naturali, ſed legitimo eiuſdem iure, acceditque filiorum, & familiæ ciuili nomini, quod adoptio tribuit, vnde, iſta finita, ſimulque nomine familiæ, & filiorum, contrario emancipationis ciuile iure, dignitas etiam, illis adnexa deponitur. *d. l. in omni 13. D. de adoption.* iuncto *§. vlt. Inſt. de legit. agnat. tut. §. Non minus 11. Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.*

Huc autem propriè pertinet, 7
atque hinc elucidandum, quod Paulus reſpondit, in *l. per adoptionem 35. D. de adoptionibus*, nempe per adoptionem dignitatem non minui, ſed augeri. Quod ſanè pronunciatum, tametſi vulgo Interpretum indiſcuſſum, mihi ſeriò, & ſimpliciter perpenſum, data, vt ita loquar, æqualitate terminorum, ſuboſcurum quidem eſt. Cur enim adoptionis, quæ ſicut adoptatum nouo filij, & familiæ ſtatu auget, ita priori capite minuit, non eadem, & æqualis poteſtas ſit, in dignitate augenda, & minuenda? Aut, cur illam afferre poſsit, auferre non poſſit? Cum regulariter, par ratio ſit adquirendi, amittendique. *l. nihil 35. l. ferè 153. D. de regul. iur. l. prout 80. D. de ſolution.* An non, ſicut adoptio dignitatem eius, qui à Senatore adoptatur, auget, minuet etiam eamdem, ſi idem à Senatore poſtea in adoptionem plebeio detur. Vt in *l. adoptare 37. §. 1. D. de adoption.* Mihi certè hoc poſtremum veriſsimum videtur, vt quemadmodùm adoptione, per emancipationem, finita, ſimul, cum reliquo familiæ iure, & patria dignitas, quæſita per adoptionem, deponitur, *d. l. in omni 13. D. de adoption.* ita etiam deponatur, ſi adoptatus à Senatore detur rurſus in adoptionem plebeio, cum per-

perinde hæc adoptio, atque emancipatio ſit, prioris ſtatus, per adoptionem quæſiti, commutatio, & capitis diminutio. *d. l. 3. §. 1. D. de capite min.* iuncta *l. vlt. Cod. de adoption.* Sed, quod ad Paulum attinet, in *d. l. adoptionem* 35. animaduerto in primis, tractare eum de dignitate iure proprio, aut natalium, non per adoptionem quæſita, vt indicat illatio de Senatore, cui iure proprio, & naturali filio Senatoris, cui iure ſanguinis, ſeu natalium dignitas filij Senatoris parta eſt. Eo autem caſu poſito, ſiue in his, vt loquuntur, terminis, rectiſsime ait Paulus, per adoptionem, dignitatem augeri, non minui. Nam, ſi equitis Romani filius à Senatore adoptetur, augebitur adoptati dignitas, & ex equeſtri fiet Senatoria, ſiue filij Senatoris, quia neque ita naturali iuri ſanguinis per ciuile adoptionis detrahitur, ſed adijcitur, cum nomine filij Senatoris, amplior dignitas Senatoria; ſicut ſi Senatoris tantùm clariſsmi naturalis filius, à Conſulari aliquo, aut illuſtri, adoptaretur, augeretur, per adoptionem, clariſsimatus dignitas, eſſetque Conſularis, aut illuſtris. At contra, naturali filio Senatoris, aut equitis, adoptato à plebeio inferioris dignitatis, non minuitur, ſiue amittitur per adoptionem prior dignitas; ei enim iure ſanguinis, & natalium ſubnixæ, detrahere ciuile ius adoptionis non poteſt, vt ſupra expoſuimus. Fuit autem alia & peculiari ratione ſubnixum, Clouianæ adoptionis, de qua eruditè noſter Suarius Mendoza *ad legem Aquil. in apparatu c p. 1. num. 6. &* 7. Proinde eſt in his terminis, ſicut diuerſa ratio afferendi, & auferendi, ita & maior poteſtas adoptionis in dignitate augenda, quam minuenda; conſentitque Pauli reſponſum, ſic explanatum, cum ratione iuris, quam aperuimus. Pertinetque, ad eamdem ſententiam, & ex propoſitis facilè illuſtrandus, Papiniani locus in *l. ordine* 15. *§. vlt, cum l. ſeq. l. libertus* 17. *§. In adoptiua D. ad municip. l. in adoptionem* 7. *Cod. de adoption.* De queis tamen, & alijs, ſimulque de quæſtione, ſuperioribus nexa, & per quam pleraque, ex iam traditis, produci ad vſum fori videntur, an ſcilicet, adoptiui Romano, aut Regio iure, nobilitate patris adoptiui fruantur, dicemus opportuniùs, ad appendicem illam legum noſtrarum, ex Senatus Conſulto Neroniano, quo cautum, ne adoptio ad præmia patrum proficiat.

(?§?)

CAP.

CAPVT III.

AD LEG. SENATOR 5. IN FINE. L. EMANCIPATVM 7. in princip. & §. 1. D. de Senator.

ARGVMENTVM.

Filius ſuſceptus, ante quàm pater Senator eſſet, habetur pro filio Senatoris: non item ſuſceptus, poſtquàm pater Senator eſſe deſijt. Et qua vtrumque iuris ratione? Obiectioni ex *l.* 11. *Cod. de dignitatibus*, fit ſatis, ex duobus loci illius interpretamentis, probato magis poſteriore, cum diſtinctione inter onera Senatoria, & honores. Obijciuntur aſſertioni Pauli, in *l. filij* 22. *§. Senatores* 5. *D. ad municipal.* De Senatoris filio, ante patris dignitatem, ſuſcepto, eximendo, tamquam Senatorio origini curiali. Contraria Cęſarum conſtituta. Eis componendis obſeruatur, diſcerni oportere, quæ ante Conſtantinum, & quę poſtea obtinuere. Idque, tam in Senatorijs, quàm in illuſtribus, & ſpectabilibus, ac protectoribus. Decuriarum, ac decurionum pro ſeculorum varietate, vario ſtatu. Non paucis inde locis in Theodoſij, & Iuſtiniani Codice data pax. Data eadem, & pręlata fax *l.* 6. *Cod. de ſuis, & legitim.* cum *l.* 9. *§. Sed vtrum* 14. *D. de pœnis. l.* 2. *§. In filijs* 2. *D. de Decurionibus.*

1 SED adoptiuis, iam manu emiſſis, reſtat adhuc, in eiſdem illis capitis legis Iuliæ verbis, qui filius, ad inchoatam de Senatorum filijs diſputationem pertinens, inſpectio de naturalibus, ſimulque iuſtis filijs, qui, & quales, aut quatenus Senatorum filij intelligantur iſto capite legum noſtrarum. In quo illud primùm, Vlpianus docet *lib.* 1. *ad Legem Iuliam, & Papiam* in *d. l. Senatoris* 5. *in fine D. de Senator.* non intereſſe, *iam in Senatoria dignitate conſtitutus* Senator, filium ſcilicet natura, & iure verum, *ſuſceperit, an ante dignitatem ſenatoriam.* Proinde, ſentit Vlpianus, eum etiam, qui priuſquàm pater Senator eſſet, ſuſceptus eſt, Senatoris filium haberi debere, ne, iuxta leges noſtras, libertinam, aut ludicra arte infamem, ducere poſsit. Et quidem meritò, quippe quamuis conceptus, natuſque, poſt amiſſam dignitatem Senatoriam à patre, non ſit in noſtris legibus, quaſi Senatoris filius, vt Vlpianus idem notat in *d. l. emancipatum* 7. §. 1. *D. de Senatorib.* quia dignitas, ante conceptionem filiorum amiſſa, tranſmitti ad eos, qui nondum erant, cum amiſſa eſt, à patre non poteſt. *l.* 2. §. *Sed ſi pater D. de decurion. l. amoris* 9. §. *penult. D. de pœnis.* Eademque in contrarium ratione, nec communicari poſſe, videtur, dignitas filijs, quam, quo tempore filij eſſe incipiebant, adeptus nondum fuerat pater, argumento ex *l.* 1. §. *Si quis proximior D. vnde cognati. l. Titius* 6. *cum duabus legib. ſeqq. D. de ſuis, & legit. hæred.* In propoſito tamen, inter caſum amiſſæ dignitatis, nondumque adeptæ, non inelegans diſcriminis ratio eſt. Namque conceptus poſt amiſſam dignitatem patris, nullo vnquam momento, ex quo conceptus eſt, & filij numero eſſe cæpit, Senatorem patrem habuiſſe, dici poteſt, ideoque nec haberi pro Senatoris filio. At, eum, qui ſuſceptus ante dignitatem adeptam; quam,

quamuis cū primùm naſcitur, aut concipitur, Senatorem patrem nō habeat, poſtea tamen patre dignitatem adepto, Senatorem Patrem habere, negari non poteſt; quod & ſufficit, vt Senatoris filius dicatur in noſtris legibus. Nec enim Iuliæ legis verba, in *d. l. lege* 44. *D. de ritu nupt.* ſunt de conceptis, natiſue, ex Senatore, qualia ſi eſſent, ſtrictè, propriéque, ſoli ex patre tunc Senatore nati, aut concepti continerentur, ſed *ſimpliciter* de filijs Senatorum; quales intelliguntur, quibus conceptis, natiſue, aut quocumque tempore poſtea Senatorem patrem habere, contigit; quomodò & alibi Marcellus diſtinguit inter teſtamentum militis, & factum à milite. *leg. Titius* 25. *D. de teſtament. milit.*

2 Conſentiunt ſanè Vlpiano, in *d. l. Senatoris* 5. quoad Senatorum filios, vt origini municipali eximantur, etiam ſuſcepti ante dignitatem patris Senatoriam, Paulus in *l. filij* 22. §. *Senatores*, ibi: *Quoque tempore nati D. ad municip.* (ſic enim Florentina lectio habet, quam & ſequitur ad rem, poſt alios, Cyriacus Niger *tom.* 3. *controuerſ.* 450. *num.* 18.) quoad filios autem Decurionum (qui & minores Senatores dicuntur) vt vel ſuſcepti ante Decurionatum, eximantur plebeiorum pœnis, dignitatis paternæ priuilegio, Vlpianus in *l. moris* 9. §. *Sed vtrum D. de pœnis. l.* 2. §. *In filijs D. de Decurion.* Denique in filijs aduocatorum Fiſci, quandocumque ſuſceptis, vt cohortalis conditionis vinculo liberentur. *l. cum aduocatio* 8. *Cod. de aduocat. diu. indicior. l.* 2. *Cod. de aduocat. diu. iudicum.*

3 Diſſentire autem prorſus, videtur, Valentis conſtitutio in *l. Senator* 11. *Cod. de dignitat. lib.* 12. cuius argumento, cum Accurſio Bartolus ibi, Platea, & alij docent, non eſſe Senatoris filium, aut patriæ dignitatis participem eum, qui natus eſt, ante quàm pater dignitatem Senatoriam ſuſciperet; idque ipſum ad forenſes quæſtiones, de quibus poſtea, variè producunt; & abrogari in *d. l. Senator* 11. Vlpiani ſententiam in *d. l. Senatoris* 5. contendit Hotmanus *illuſtr. quæſt.* 2. alij aliter, apud Hilligerum ad Donellum *lib.* 24. *cap.* 22. *litt. P.* Sed conciliatio eſt non in difficili, & quidem duplex. Prima expeditior, & Duareno 2. *diſputat. cap.* 29. Petro Gregorio *lib.* 7. *de Republic. cap.* 9. &, poſt alios, Arniſeo *de Republ. lib.* 2. *cap.* 2. *ſect.* 11. *num.* 10. *&* 19. atque alijs recepta, vt retento vulgari initio, *ſi Senator*, in *d. l.* 11. ſic eius loci lectio, & mens concipiatur: *Si Senator, vel alius clariſsimus, priuatos habeat filios, quippe editos*, ſiue, nempe ſuſceptos, *antequam ſuſciperet dignitatem*; quamuis, nec ex Senatore ſuſcepti, nec clariſsimi, ſtricta ratione, eſſe, videantur, cum tamen *paternos honores inuidere filijs non oporteat*, benigniori interpretatione, *à Senatore, vel alio clariſsimo ſuſceptum* (ſcilicet etiam ante dignitatem) *in clariſsimatus, ſciendum eſt, dignitate manſurum.* Et conſequenter, quaſi Senatoris filium intelligi. Parentheſis autem illa, ſiue hyperbaton, *quod non ſolùm*, cuius interiectione contextus *d. l.* 11. rumpitur, & obſcurior redditur, oſtendit ius hoc de filijs ante dignitatem, non ſolùm in filijs maſculis conſtitutum, ſed etiam, circa filias ſeruandum eſſe.

4 Secunda, mihique probabilior conciliatio eſt, à Cuiacio leuiter inſinuata, vt, ſalua receptiſsimæ lectionis, & ſenſus forma, ſeu facie in *d.*

 l.

l. Senator 11. diſtinguantur onera Senatoria, & honores. Fuit autem inter onera Senatoria, & quidem grauia, Imperio declinante, functio glebalis, ſiue canon, munus, oblatio, penſio, quam pro gleba, ſeu poſſeſſionibus, Senatores ſinguli in auro inferre publico, cogebantur; eius multa, & ſignata mentio *in fragmentis tit.* 2. *lib.* 6. *Codicis Theodoſiani*, & apud Symmachum *lib.* 4. *epiſt.* 62. Syneſium *epiſt.* 38. Zoſimum *lib.* 2. donec ſublata eſt conſtitutione Martiani, & Valentiniani Iunioris. *l.* 2. *Cod. de Prætor.* & *honore præturæ, & collatione, & glebæ, & folli, & ſeptem ſolidorum functione ſublata. lib.* 12. Ad hoc verò functionis Senatoriæ genus pertinere priorem partem *d. l. Senator* 11. oſtendit in Theodoſij Codice principium *tituli* 2. *lib.* 6. Cuiacio viſum, nec laudatum, vbi cum ſubſcriptio illa, *Hierapoli Gratiano A. & Merobaude Coſſ.* eadem planè ſit cum ſubſcriptione *dict. l.* 11. extat etiam (alijs eiuſdem legis periodis, vetuſtatis iniuria, exeſis) parentheſis illa, *quod non ſolùm,* ſic inſuper aucta, & concepta: *Cæleſti oraculo glebalis neceſsitas auferatur. Quod non ſolùm circa viros dignoſcitur conſtitutum, verùm etiam circa filias ſimili conditione ſeruandum.* Vnde & ſuademur facilè, partem eſſe id principium, tametſi lacerum, truncumque *d. l. Senator* 11. & priorem loci huius definitionem, ad onus Senatoriæ glebæ referri oportere; vt proinde & ſententia hæc ſit: *Senator, vel alius clariſsimus, priuatos habeat filios*, hoc eſt plebeios, neque obnoxios publicis Senatorijs functionibus, quibus patres non ſatisfecerant, nempe ſuſceptos, ante dignitatem; à quibus, & id circo *Cæleſti oraculo*, ſiue hac conſtitutione, *glebalis neceſsitas aufertur.* Idque, non ſolùm circa filios maſculos, ante ſuſceptos, conſtitutum, ſed etiam circa fœminas ſimili conditione ſeruandum; quomodò in eadem fere re, in oneribus Senatoris ſubeundis, poſt finitam patris dignitatem, fœminæ, ſiue filiæ, filijs maſculis exæquantur, conſtitutione Valentis, in *l. diuinum* 17. *Cod. Theod. de prætorib.* iuncta *l. vlt. titul.* 2. *lib.* 6. *eiuſdem Codicis*. Sed hæc, vt poſui, quoad Senatoriam glebæ functionem, cui coarctandæ, vtpote odioſæ, & oneroſæ, *d. l.* 2. *Cod. de Prætorib. lib.* 12. Senatoris filiorum appellationem anguſtiùs circumſcribimus, nec tales, vt glebale onus agnoſcant, eſſe, cenſemus, ſuſceptos ante dignitatem, argumento *ex l.* 2. *Cod. de libertis, & eor. liber.* Sed quod ad Senatorios honores attinet, quales ſunt, ademptio connubij cum libertinis, ſcenicíſque, *l. Senatores* 47. ibi: *Nec enim honos, D. de ritu nupt.* & exemptio ab origine, & pœnis plebeiorum; cum, vt ſcriptum eſt in *d. l.* 11. *paternos honores inuidere filijs non oporteat*, maneant, poſt patris mortem, clariſsimi, etiam ante dignitatẽ ſuſcepti à Senatore, aut alio clariſsimo. Eaque, niſi fallimur, germaniſsima *d. l.* 11. expoſitio eſt, præuiſa illic Cuiacio & perſpecta, poſt hæc ſcripta viſo, Iacobo Gothofredo, ad *leg.* 1. *C. Theodoſ. de Senatoribus*: quin &, poſt Cuiacium, Bocero & alijs, apud Beſoldum *tom.* 1. *diſc. polit. diſſert.* 2. *de nobilitate cap.* 11. *num.* 37.

Sed &, quod ſupra diximus, Senatorum filios intelligi vel ante dignitatem ſuſceptos, vt & origini municipali eximantur. *d. l. filij* 22. §. *Senatores D. ad municip.* quamuis &, vt ibidem ſcriptum eſt, municipalem dignitatem retineant, & conſequenter Decurionatus honorem, vt vocatur in *l.* 2. § *vlt. l.* 5

Spu-

Spurij 6. *in princip.* & §. *Qui iudicij. l. penult.* §. 1. & *ſeqq. D. de Decurionib. l. à Decurionatu* 5. *D. de vacat. & excuſat. muner.* ideoque &, quantùm ad honores, retineant ius originis, ſeu domicilij dignitatis, & quod eſt amplius, ius incolatus, ſi & in Prouincia, ac municipio larem foueant. *l. municeps* 23. *D. ad municip. l. penult. D. de Senatorib. l.* 2. *Cod. vbi Senatores, vel clariſsimi. l. Senatores* 8. *Cod. de incolis. lib.* 10. Accuratiorem tamen explicatum deſiderat. Namque in primis, quod attinet ad quæſtionis noſtræ caput, filioſque Senatorum ante dignitatem ſuſceptos, non haberi eos, pro filijs Senatorum, neque eximi paternæ origini municipali, ſed curialibus, aliiſque Patriæ prouincialis oneribus obnoxios manere, proditum perſpicuè eſt in *l. qui curiali* 58. *verſ. ſi permanſerit. l. vniuerſi* 69. *in fine. l. in his* 74. *in princip. l. quia* 155. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* Deinde & quoad filios, non quidem Senatorum, ſed aliorum tamen, ſpectabili, aut illuſtri, alioue quouis ſummæ dignitatis, & clariſsimatu Senatorio maioris titulo præcellentium, veluti Patritiorum, Conſulum, Præfectorum, non cenſeri inter filios harum perſonarum, ſuſceptos ante dignitatem, ideoque nec origini curiali, nec muneribus patriæ eximi, priuilegio dignitatis paternæ, poſt eorum natiuitatem adeptæ, notat rectè, inter veteres, Albericus ex *l. doctitij* 63. *in fine. l. neminem* 64. *l. Diuæ* 65. *l. vlt. verſic. anterioribus cum ſeqq. Cod. de Decurionib. libr.* 10. iuncta *l. quicumque* 7. *Cod. de principib. agent. in rebus lib.* 12.

6 Quare vt pugnantia hæc, quæ, velut clauſis oculis, vulgares, eruditique Interpretes tranſmittunt, &, quod miramur, accuratus ille Codicis Theodoſiani commentariorum ſcriptor, Gothofredus à quo in laudatis legibus *de Decurionibus*, & in *d. l.* 1. *de Senatoribus*, nihil eſt, quod ſuppetias requiras; ne poſthac iuuentuti tenebras offundant, quæ expendimus, præmonendum paucis eſt, quod & in alijs iuris quæſtionibus obſeruaſſe, iuuabit, cum de exemptione quæritur ab origine municipali, & curiali, diſtinguendum eſſe ius vetus, quod conſultorum tempore ad Conſtantinum vſque viguit, ab eo, quod, poſt Conſtantinum, ſub poſterioribus Cæſaribus, Imperio declinante, aut cadente, in vſu fuit. Namque ante Conſtantinum, & Romani Senatus Sanctior Maieſtas, & florentiora municipia, atque curiæ, & honores curialium nondum tot publicis oneribus obnoxij cum eſſent, ſat etiam cauſæ fuiſſe, videtur, vt priuilegio Senatoriæ dignitatis non modò Senatores ipſi, ſed etiam eorum filij, ante dignitatem ſuſcepti, origine municipali, & curiali liberarentur, cum verendum non foret, ne, non eò minùs Curijs, & municipijs, tunc florentiſsimis Decuriones multi ſuppeterent, atque hoc amplius ius eſſet, Decurioni iam Senatori, municipalis dignitas, & originis retinendæ, & honores, ſi vellet, in patria obeundi, quomodò Paulum, & Hermogenianum accipio, in *d. l. filij* 22. §. *Senatores* 5. *l. municeps* 23. *D. ad municip.* Erat enim tunc propriè, verèque Curia, ordo ciuium in municipijs, & colonijs ſplendidiſsimus, κατα τῆς βασιλευούσης πόλεως μίμησιν, ſiue ad inſtar Regiæ Vrbis, & Romani Senatus inſtitutus, in quem conſilij publici gratia, &, vt ſummam Rempublicam regerent, nobiliores, honoratioreſque ciues allegebantur. *l. pupillus* 239. §. *Decu-*

turiones D. de verbor. ſignif. l. municipes 14. *D. ad municip.* Iuſtinianus *Nouella* 38. *de Decurion. in princip.* Vnde & Curia ipſa minor Senatus, & Decuriones Curiæ ſuæ Senatores dicuntur. *l. omnes* 33. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *Nouella Maioriani* 1. *de curialib.* ſiue, vt indigetat Auſonius in *Moſella*

Summi municipum Proceres, propriuſque Senatus.

Et Decuriones ipſi, non tantùm proprijs titulis principalium, honoratorum, patrumque Ciuitatum, ſed etiam inſignibus conſpicui, quæ ornamenta, Decurionalia, in inſcriptionibus vocari, ſcio, ad imaginem ampliſsimi Romani Senatus, in pœnis, priuilegijſque, cenſu, connubijs, & honoribus, à plebeijs diſtinguebantur, ſimulque in obeundis primarijs magiſtratibus municipiorum, & Sacerdotijs Prouincialibus, & adminiſtranda ſuis ſuffragijs, & decretis cuiuſque Ciuitatis publica re, cum quali quali Imperij, & iuriſdictionis vſu cæteris antiſtabant. Quæ ſingula, teſtimonijs firmare, ex *aduerſarijs* noſtris ad *titulos de Decurionibus*, non difficile eſſet. At ſatis ſint diſcentibus notata ad eos titulos à Gothofredo, & poſt alios noſtrate Amaya.

7 Sed liceat mihi, breuitatis ergo, in re perſpicua, eſſe negligentem. Atque interim ſplendori antiquo curiarum, & municipalium honorum oſtendendo, vel illud ſatis, quod & Adrianus iam Imperator, pleroſque Decurionum in municipijs, & colonijs honores obijt, fuitque in patria ſua Italica quinquennalis, & per Latina Oppida Dictator, Ædilis, Duumuir, alibique Demarchus, aut Archon, vt memorant Spartianus in *Adriano*, Trebell. Pollio in *Gallienis*, vetuſque *Inſcriptio*, laudata Scaligero. Liberationem autem, ſeu vacationem ab origine, & muneribus curialibus faciliùs ante Conſtantinum indulgeri ſolitam, ob florentem adhuc ſtatum Curiarum, eſſe vel documento poteſt, quod eo tempore, quin & ſub Conſtantino, atque eius filijs, & Valentiniano, & Gratiano, quamuis inhiberetur in poſterum Curialibus ad Senatum Romanum aditus, eis tamen, qui vel aliquot ante annis Senatum ingreſsi, vel altioris gradus, aut tituli fuerunt Senatores, immunitas à Curiali origine non negatur. Vt addiſcere, licet, ex *l. dudum* 14. *l. ad Senatum* 18. *l. Magiſtratus* 29. *l. ſi qui* 48. *l. non obſtat* 52. *in fine. l. nemo* 57. *l. omnes* 65. *l. qui nullo* 73. *cum l. ſeq. per totam. l. vniuerſos* 90. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* Neque id nouum, aut mirum; quippe eodem tempore, Conſtantiniano ſcilicet, aut anteriore, non modò illuſtres omnes, ſpectabiles, clariſsimæque dignitatis eximebant curiali origine, ſed etiam pleraque priuilegia militiæ armatæ, aut palatinæ, veluti protectorum domeſticorum, aut veteranorum, *l.* 2. *Cod. de excuſation. muner. lib.* 10. *l.* 1. *Cod. de veteranis, lib.* 12. *l. eos qui.* 5. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* Meritò, itaque ex eadem ratione, & ante Conſtantinum, inter veteres iuriſconſultos, obtinuit, Senatorum filios, etiam ſuſceptos ante dignitatem Senatoriam, eximi origini municipali, & curiali, ſeruato tamen eiſdem municipali dignitatis iure, ſi velint Decurionum honoribus in patria fungi. *d. l. filij* 22. *§. Senatores. D. ad municip.*

At, poſt Conſtantinum, & ſub Cæſaribus, illum in Imperio ſecutis, ſicut in vniuerſum res Romana retrò fluere, & ſublapſa referri cæpit, ita & ruere in exitium, non dubium, 8

mu-

municipia, atque Curiæ, ſic vt exinde Decurionum nomẽ, & munus ſpecie quidem, & vultu, honor, re autem ipſa onus grauiſsimum, & intolerabile, vt memorat Leo Philoſophus *Nouella* 46. & ſeruitutis publicæ, genus eſſet. Namque antiquis illis, receptiſque Decurionum functionibus, adminiſtrationis bonorum Ciuitatum, præbitionis annonæ, editionis ſpectaculorum, venditionis prædiorum ſuorum inhibitæ ſine decreto, & bonorum quartæ ad Curiam pertinentis, eique relinquendæ, acceſsit, ſiue accreuit enormiter, labante Imperio, atque vndique barbarorum incurſionibus fatigato, grauior cæteris ſarcina tributorum, quæ, vt cumque rei Romanæ tuendæ, neceſſaria, ceſſere tamen in perniciem certam Curiarum, & Decurionum, à quibus omnes vectigalium, & diſtributionum formæ ſic adminiſtrabantur, vt & quantum deeſſet, de ſuo ſoluerent, vt ſignificatur in *l. vnica Cod. Theodoſ. de priuileg. dom. Auguſtæ*, & in *Nouella* Maioriani 1. *de Curialibus verſ. compulſor.* His, alijſque de cauſis, cum Decurionum vitæ conditio infelix, & moleſta, publicè, adeo eſſe cæpiſſet, vt nemo, niſi inuitus ſe adſcribi, pateretur, Curiarum albo, *improbiſque libris*, πονηροῖς βιβλίοις, vt loquitur Syneſius *Epiſt.* 93. *ad Heſych.* Quin & originarij Curiales paſſim extorres, profugique ſolum verterent, vt quoquomodo Curias effugerent, vt Iuſtinianus omnium optimè memorat in *Nouella* 38. *de Decurion. in princ.* Maiorianus *d. Nouella* 1. *de Curialib.* iuncta *l. quidam* 26. *l. quamuis* 51. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l. vnica Cod. ſi Curialis relicta Ciuit. d. lib.* 10. &, quod vel adhuc apertè magis miſerrimum Curialium ſtatum detegit; ſæpe, pœnæ nomine, & loco, criminoſi curijs deputarentur, legibus in caſum vetantibus. *l. ne quis* 38. *Cod. de Decurionib. lib.* 10. Nicephor. *lib.* 10. *Hiſtor. Eccleſ. c.* 13. Neceſſe omnino fuit, exhauſtis Ciuitatum ordinibus inſtaurandis, ne Curiæ ſimul viris, & viribus deſtitutæ funditus interirent, pleraſque immunitates à Curiali origine, quas anteriores Cæſares florentiore Republica, & ſæculo liberaliùs indulſerant, poſtea ſenſim recidere, aut abolere. Ergo in primis liberatio à Curia, ex cauſa militiæ, quam Protectoribus (qui, ex Prætorianis Cohortibus ſelecti, tuendo Imperatorio lateri in aula excubabant, honoratiore veteranis alijs gradu, & prærogatiua) indiſtinctè ſub Conſtantino, & antè indultam fuiſſe, oſtendimus, reſtricta poſtea primùm eſt à Conſtantio, in *l. quoniam* 38. iuncta *l. Curiales* 88. *l. omnes* 100. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* &, ſublata tandem apertiùs, in *l. neminem* 64. *cum l. ſeq. Cod. de Decurion. lib.* 10. iunctis *l. nonnulli* 153. *eod. tit. in Cod. Theodoſ. l.* 3. *Cod. eodem de teſtimoniali ex Tribunis*, vt ex ſuperioris obſeruationis filo deduximus, iam olim, & ſcripſimus in extemporanea *commentatione* ad *leg.* 2. *Cod. de excuſation. muner. lib.* 10. *typis data Salmanticæ anno* 1629.

Deinde & immunitas ob Senato- 9
riam Dignitatem, quam ante Conſtantinum, & deinceps ſub Cæſaribus eius filijs, vſque ad Valentinianum, & Gratianum, profuiſſe Curialibus, qui inter Romanos Senatores eſſent, cum certa honoris, temporiſue prærogatiua, apparet ex *l. ad Senatum* 18. *l. ſi qui* 48. *l. non obſtat* 52. *l. in his*

74, *l. vniuerſos* 90. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* ſub poſterioribus Cæſaribus ſublata vſque adeo eſt, vt non modò in futurum aditus Curialibus ad Senatum, & immunitas à Curiali origine negetur, ſed etiam in præteritum, Decurionibus, iam Senatum adeptis, neceſsitas agnoſcendæ Curialis originis, & munerum imponatur. *l. cuncti* 93. *l. vniuerſos* 110. *cum l. ſequent. leg. Decurio* 118. *l. hi quibus* 122. *l. quicumque* 129. *cum l. ſequent. l. quia* 155. *l. ſi quis ex Curia* 160. *l. nemo* 182. *cum l. ſeq. l. qui ante* 187. *Cod. Theodoſ. de Decurionibus. Nouella Maioriani* 8. *ne Decurio ad Senator. dignitat.* Idque adhuc ſtrictè magis, & indiſtinctè oſtendunt nouiſsimæ Conſtitutiones Codicis Iuſtinianæi, quibus inſpectis, non modò Senatoria dignitas, ſiue Clariſsimatus, Curia non liberat, ſed nec celſiores illa tituli ſpectabilium, & illuſtrium, paucis exceptis, recenſitis à Zenone, & Iuſtiniano in *l. neminem* 64. *l. vlt. Cod. de Decurion. lib.* 10. *Nouella* 70. & 81. *in princip.* Eadem, itaque, ratione, & reſpectu fulciendi, & ſubleuandi profligatos Curiarum Ordines, filijs ſuſceptis ante Senatoriam parentum Dignitatem, quamuis cenſura iuris veteris, tamquam Senatorum filij ab origine municipali, & Curiali liberarentur, *d. l. filij* 22. §. *Senatores cum l. ſeq. D. ad municip.* eam tamen vacationem adimunt nouiores Cæſares, poſt Conſtantinum, vt indicatur in *d. l. qui Curiali* 58. *verſic. ſi permanſerit. l. vniuerſi* 69. *in fine*, *l. in his* 74. *in princip. l. quia* 155. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* ſicut ex eadem cauſa, & exemplo, filios illuſtrium, ante patrum Dignitatem progenitos, non eſſe immunes à Curiali origine, iure nouiſsimo liquet, ex d. *l. doctitij* 63. *l. neminem* 64. *l. Diuæ* 65. *l. vlt. verſ. anterioribus cum ſeqq. Cod. de Decurion. lib.* 10. Vbi & in poſterum abrogatur ſingulare ius patronorum Fiſci, in præfectura Prætoriana, & Vrbicaria, quorum filij, etiam ante aduocationem Fiſcalem editi, Curia liberabantur, ante Iuſtinianum, *l. cum aduocatio* 8. *Cod. de aduocat. diuerſ. iudiciorum. l.* 2. *Cod. de aduocat. diuerſ. Iudicum.* Poſt Iuſtinianum autem, non liberantur, ſicut neque ante illum filij aliorum illuſtrium, ſub Zenone, & Anaſtaſio, *d. l. neminem* 64. *cum l. ſeq.* iuncta & *l. quicumque* 7. *Cod. de principib. agent. in rebus*, *lib.* 12.

Planè, quod ante Conſtantinum, 10
à Diocletiano, & Maximiano reſcriptum legimus, in *l. ex libera* 6. *Cod. de ſuis, & legitim. hæred.* nempe ſuſceptum ante Patris Decurionatum, non poſſe, vt Decurionis filium, defendi, quoad pœnas ſcilicet plebeiorum, neque repugnat aſſertioni textus in dict. *l. moris* 9. §. *ſed vtrum D. de pœnis. l.* 2. §. *in filijs D. de Decurion.* nec traditioni noſtræ de ſuſceptis ante Dignitatem Senatoriam, ſeu Curialem, inter Senatorum filios, ſeu Curialium habitis, ante Conſtantinum. Eſt enim Diocletiani Reſcriptum, de concepto ex libera, & ſeruo, qui poſtea manumiſſus, & natalibus reſtitutus, ad Decurionatum peruenit. Cum autem, inter liberam, & ſeruum nuptiæ eſſe, non potuerint, *princip. Inſtit. de nupt.* Idcircoque conceptus ex ea coniunctione ſit ſpurius, vtpote ſine patre, quem nuptiæ demonſtrant. *l. quia* 6. *D. de in ius vocando*, §. *ſi aduerſus*, *Inſtit. de nupt.* nec debeat patris, quem iure demonſtrare non poteſt, ſtatum, & originem, aut Dignitatem ſequi, ſed matris, quæ certa eſt, *l. cum legi-*

gitimæ 19. *l. lex naturæ* 24. *D. de ſtatu hom. l.* 1. §. *vlt. D. ad municipalem.* Conſequens eſt, non poſſe eum, vt filium Decurionis, defendi, ex perſona Patris, quem iure certum non habet, quamuis ſi ex iuſtis nuptijs iuſtum, certumque patrem ciere, & demonſtrare poſſet, etiamſi ante Decurionatum eiuſdem ſuſceptus eſſet, defenderetur, vt Decurionis filius. d. *l. moris* 9. §. *ſed vtrum.* d. *l.* 2. §. *in filijs.*

CAPVT IV.

PRACTICO-POLITICA DISQVISITIO. DE NOBILITATE, Priuilegio quæſita à Patre, an ea filius, ante Priuilegium ſuſceptus, fruatur; ſicut & an natus ante Regnum Patris, præferatur in eius ſucceſſione nato poſt Regnum.

ARGVMENTVM.

IN priore Diſquiſitionis parte, Bartoli negantis, & communior ſententia, potiſſimo argumento ex *l. Senator* 11. *Cod. de Dignit.* Expenduntur in idem alia, & præ cæteris comparatio pœnæ, aut notæ, non tranſeuntis ad filios natos ante delictum patrum, & proinde neque præmij, aut honoris. Expenduntur & *Regiæ leges* 10. *verſ. Otroſi tit.* 11. *lib.* 2. *& l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 6. *Compil.* Itur in contrariam ſententiam, pro qua & expenditur, prçter *l. Senatoris* 5. *D. de Senator.* Euidens ratio in Priuilegio ſic conceſſo, vt ſit tranſmiſsibile. Reſpondetur in contrarium adductis, & inter alia comparationi ex *l.* 2. *Cod. de libertis, & eor. lib.* itemque *l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 6. *Comp.* ad quam notata quçdam de *Equitibus armatis, Tardiſque,* vt vocamus, & *quantioſis.* De nobilitate incidenter, quoad carceres, tormenta, & pœnas competentes ſunt inferiores Iudices, & leuiores probationes ſufficiunt. In ſecundo Quæſito de ſucceſsione filij ſuſcepti ante Regnum Patris, affirmatur, præferri eum filio poſt nato, in Regno; qualitercumque ſucceſſorio.

1 EX ſuperioribus; vt iſtas iuriſprudentiæ veteris reliquias ad noſtræ, nouæque forenſem vſum accommodemus, expediri poteſt dexteriùs, quàm vulgò ſolet, elegans quæſtio, an ſcilicet filij ſuſcepti, antequam pater priuilegio Principis, aut dignitatis adeptæ iure, nobilitatem, ad filios tranſmittibilem tribuentibus nobilitaretur, fruantur ea nobilitate, & habeantur nobiles, tamquàm filij, nobilis. In qua quæſtione Bartolus, poſt Accurſium, in *l.* 2. §. *In filijs D. de Decurion.* cui ſubſcripſerunt Baldus in *l. Imperialis* 23. §. *His illud, ante finem Cod. de nuptijs.* Platea in *l. cum adoptiuum* 4. *Cod. de Decurion. lib.* 10. Eguinar. Baro in *appendice Gallicani iuris ad tit. D. de Senatorib.* alijque apud Tiraquell. *de nobil. cap.* 15. *num.* 9. &, eorum laudato nemine, ex noſtris Otalora *de nobilitate* 4. *part. cap.* 2. *num.* 1. doctè Couarruuias, ita in Regio Granatenſi Prætorio receptum vſu, affirmans, *lib.* 2. *variar. cap.* 8. *num.* 5. Mieres de *maioratib.* 2. *part. quæſt.* 4. *illat.* 5. *num.* 2. & 3. *part. in initio num.* 7. Zeuallos *comm. contr. comm. quæſt.* 653. *num.* 22. Molina *de iuſt. tom.* 3. *diſput.* 658. *num.* 21. *verſ. Tertiò ex l. ſi Senator.* Azeuedo in *l.* 1. *ex num.* 82. *tit.* 1. *lib.* 6. *compil.* Didac. Perez in *l.* 4. *&* 5. *verbo, no gozen, tit.* 1. *lib.* 5. *compilat.* Sanchez in *præcepta Decal. lib.* 2. *moral. cap.* 27. *num.* 14. *verſic. vltimò*

mè probatur. Gutierrez, Barboſa, & ſi qui alij, apud Fariam, in *addition. ad Couarruu.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 74. diſertè docet, filium plebeij, qui poſtea militans nobilitatus eſt, non eſſe nobilem propriè, aut ſimpliciter; in eamque ſententiam, præter conſtitutionem Valentis in *l. Senator* 11. iuxta vulgarem intellectum, *Cod. de dignitatibus lib.* 12. expenditur non malè Vlpiani contextus in d. *l.* 2. §. *In filijs*, vbi, dum de ſuſcepto ante Decurionatum patris ſic ſcriptum eſt; & quidem quantùm pertinet, ne fuſtibus caſtigetur, & ne in metallum detur, non nocet, plebeio patre eſſe natum, ſi poſtea honor Decurionis patri eorum acceſſerit, ſignificatur non obſcurè, quantùm ad alia attinet immunitatis, aut honoris iura, non haberi pro filio Decurionis natum, antequàm pater Decurio fieret.

2 Vrget etiam non leuiter præmij, pœnæque comparatio; nam cum receptum ſit, delicta parentum, notamque, aut pœnam ingratitudinis eorum non nocere filijs, quos ante delictum ortos eſſe conſtiterit. *l.* 2. *verſic. quoniam Cod. de libert. & eorum liber. l. filiam* 9. *l. emancipatum* 7. §. 1. *verſic. ſed eum in fine D. de Senator. l. generali* 34. §. *vlt. D. de ritu nupt.* elegans *lex* 6. *tit.* 27. *part.* 2. *l. vlt. tit.* 31. *part.* 7. *l.* 3. *tit.* 8. *lib.* 8. *compilat.* & ex Pontificio iure, *cap. iam itaque* 8. *cap. non imputantur* 10. 1. *quæſt.* 4. *cap.* 1. *ſi habes* 24. *quæſt.* 3. *cap. quæris* 129. *de conſecrat. diſt.* 4. iuncto *canone* 1. Concilij Toletani 13. Conſequens omnino videtur, neque parentum merita; & nobilitatem eo reſpectu quæſitam, aut conceſſam proficere filijs, ſuſceptis ante conceſſionem: quemadmodum nec ſcenicæ matris filię, ſuſceptæ ante reſtitutionem famæ, & natalium, priuilegio Principis matri indultum; non prodeſt ea reſtitutio, quò magis Senatorio viro contra leges noſtras nubere poſſit. *l. Imperialis* 23. §. *His illud* 5. *Cod. de nupt.*

3 Accedit propriè magìs, quoad ius immunitatis ab ordinarijs plebeiorum muneribus, & tributis (quam tamen hodie immunitatem moribus noſtris, vel præcipuum nobilitatis effectum eſſe, ſcimus) exemplum Senatorum, aliorumque, quorum filios ſuſceptos ante dignitatem, non eſſe immunes à curiali origine, & oneribus ei adiunctis, nouiſſimo, quod & præualuit, Romano iure, conſtat ex d. *l. vniuerſi* 69. *in fine. l. in his* 74. *in princip. l. quia* 155. *Cod. Theodoſ. de Decurion. l. doctitij* 63. *l. neminem* 64. *l. Diuæ* 65. *l. vlt. verſ. anterioribus Cod. eod. tit. lib.* 10. iuncta *l. quicumque* 7. *Cod. de princip. agent. in rebus lib.* 12. niſi ſcilicet ſpecialiter nobilitatis priuilegio patri conceſſo expreſſum ſit, vt & ad filios iam tunc natos pertineat, quale eſt, priuilegium, quod extat in *l. neque* 61. *Cod. de Decurion. lib.* 10. qualia item in Hiſpania noſtra ſunt priuilegia nobilitatis ab Henrico IV. Rege multis tributa, & poſtea à Ferdinando, & Eliſabeth Catholicis Regibus confirmata, quorum ea propria qualitas eſt, vt eis fruantur filij maſculi, alijque per virilem ſexum deſcendentes, etiam ante priuilegiorum confirmationem à Catholicis Regibus impertitam, ſuſcepti, dummodò ante eam confirmationem nuptias, aut ſponſalia non contraxiſſent; quomodò hoc ius exprimitur in *l.* 10. *verſic. Otro ſi que las perſonas tit.* 11. *lib.* 2. *compilat.* Vnde argumento ſumpto ab ſpeciali, ſiue à maiori ad minus propriè colligi poſſe, videtur, quod ſi priuilegiorum Henriciorum ſingulare ius eſt,

vt

vt vel filij ſuſcepti poſt impetrationem, tamen ante confirmationem non indiſtinctè illis potiantur, ſed ita, ſi vſque ad confirmationem cælibes fuerint, multò minùs in priuilegijs alijs nobilitatis comprehendi, videbuntur filij nati, non modò ante confirmationem, ſed etiam ante impetrationem. Sicut enim oportuit, meliorem, potioremque filiorum cauſam eſſe, qui nati poſt impetrationem priuilegij, tametſi nondum confirmati, naſcebantur ex patre iam tunc nobili, aut nobilitato; ita è contrario deteriorem, & infirmiorem eorum, qui ante impetrationem ſuſcepti, nullo, vel conceptionis, vel natiuitatis, momento, parentem aliquo reſpectu nobilem habuerunt. Ac proinde dum illis ſpecialiter, neque indiſtinctè patriæ nobilitatis communicatio indulgetur, iſtis plerumque denegari intelligitur. Denique deciſa propriè quæſtio, videtur, in *l.* 4. *&* 5. *tit.* 1. *lib.* 4. *Ordinam. l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 6. *compilat.* quibus expreſſum eſt priuilegio nobilitatis equeſtris, ſeu dignitatis, quam vocamus *de Caualleros armados*, non potiri filios ſuſceptos, ante impetrationem eius priuilegij.

4 Sed quamuis hæc non inſubtiliter expendi poſsint, pro ſententia Bartoli, me tamen iuris ratio inclinare in contrariam, cogit, cuius & auctor eſt Guilielmus de Cuneo in *d. l. Senatoris* 5. *D. de Senator.* Ioannes Platea in *d. l.* 11. *Cod. de dignitatibus*, poſt alios Chriſtophor. Beſoldus *differt.* 2. *de nobilitate cap.* 11. *num.* 36. *tom.* 1. *diſc. pol. ſub tit. de iure, & ord. Ciu.* Alij apud Baptiſtam Thorum in *compend. deciſ. tom.* 2. §. *Filius natus ante.* Hilligerum *ad Donell.* 24. *cap.* 22. *litt.* P. Noſter Pontius Legionenſis in *quotlibetis diſp.* 4. *Scholaſtica cap.* 6. §. *In qua.* Anton. Diana *part.* 3. *tract.* 7. *reſol.* 39. eamque generali Gallorum conſuetudine obſeruari, teſtatur, alios laudans, Tiraquell. de *nobilit. cap.* 15. *num.* 7. *&* 8. Affirmo itaque, nobilitatem priuilegij impetrati à Principe, aut dignitatis iure, ſic quæſitam, vt & ad filios impetrantis pertineat (id enim ante omnia ex priuilegij verbis, ſeu forma, aut dignitatis iure conſtare debet, vt ſit quæſtioni noſtræ locus; alioquin non eſſet, cur de nobilitate, communicanda filijs, ante ſuſceptis, quæreretur, ſi ea perſonæ illius, qui impetrauit, adeo ſtrictè conceſſa proponeretur, vt nec ad poſtea natos pertineret) ad eos etiam filios produci, qui ante impetratum priuilegium concepti, atque editi ſunt. Huius porrò aſſertionis primarium argumentum eſt, in *d. l. Senatoris* §. *in fine D. de Senatoribus*, quia in contrarium abutitur inconſpectè Otalora *d.* 4. *part. de nobilit. cap.* 2. *num.* 1. iunge & *l. moris* 9. §. *Sed vtrum D. de pœnis. l. filij* 22. §. *Senatores D. ad municipal.* Ex quibus iam docuimus, Senatorum filios eſſe, & intelligi, quoad participationem dignitatis paternæ, ſiue honorem clariſsimatus, eos etiam, qui ſuſcepti ante ſunt, quàm Senator eſſet. Ergo & ſimiliter filium nobilis eſſe, cenſebimus, quoad participationem paternæ nobilitatis, etiam ſuſceptum, antequàm pater nobilitaretur.

5 Nec mouemur, ſi obijcias id, in quo prora veluti, & puppis huius quæſtionis eſt, nempe clariſsimatum Senatorium, quem communicatum filijs ante ſuſceptis, volumus, pertinuiſſe potiùs, Romanis moribus, ad dignitatis ius, ſiue honoris, ſine cuiuſquam publico, aut priuato damno, quàm ad immunitatis priuilegium ab oneribus ciuilibus, ſeu tributis,

idcircoque non rectè comparari iuri nobilitatis, qualem hodie ſic dicimus, cuius vel præcipuus effectus eſt immunitas à plebeiorum muneribus, & tributis, res ſuo genere ſtricta, & odioſa, vtpote cum Fiſcali, aut aliorum tributariorum detrimento coniuncta: quippe, vt ne interim reſpondeamus, etiam in cauſis ſtrictæ, atque odioſæ interpretationis, cuiuſmodi eſſe ademptionem connubij cum libertinis, aut probroſis fœminis, ex hiſce legum Iuliæ, & Papiæ capitibus, argumento ex *l. palàm* 43. *in princip. &* §. 1. *cum ſeqq.* §. *Octauenus* 3. §. *Si qua D. de ritu nupt.* haberi pro filijs Senatorum, editos ante dignitatem. *d. l. Senatoris* 5. ſicut & in cauſa exemptionis ab origine, & muneribus curialibus. *d. l. filij* 22. §. *Senatores*, & vt taceamus etiam, nobilitatis Senatoriæ iure contineri, ex Romanis legibus, immunitatem quoque à ſordidis plebeiorum oneribus, & extraordinarijs penſitationibus, *l.* 4. *&* 5. *l. quoniam* 7. *l. præcipimus* 14. *Cod. de Dignitatibus, lib.* 12. illud ſaltem veluti præcipuum dicimus, & expendimus, poſita ea Priuilegij nobilitatis forma, quæ impetrantem, & eius filios, ſiue poſteros complectatur, inſpiciendum dumtaxat eſſe, an Priuilegij forma, ſeu verbis nobilitetur impetrans ſolùm quoad honores nobilium, an expreſsim, & quoad immunitatem à tributis illis, quæ noſtris moribus originarij nobiles non ſoluunt? Nam ſi Priuilegij tenore, non niſi honores, alijs nobilibus proprij, exprimantur, neque impetrans, neque eius filij ante impetrationem, aut poſtea editi, erunt immunes à tributis plebeiorum, quamuis hi omnes, quoad honores alios, nobilitati intelligantur, quia & in his propriè terminis ratio illa obtinet, quæ ſuadet, Priuilegium nobilitatis, quoad honores, produci non debere ad immunitatem tributorum, vt pote rem odioſam, & coarctandam. Sed ſi Priuilegij verbis expreſsim nobilitetur impetrans, & eius filij, non tantùm quoad honores, ſed etiam quoad immunitatem nobilium, non eſt, cur diſputemus de odio immunitatis, aut coarctatione Priuilegij, ne id complectatur, quod apertè complectitur. Itaque illud dumtaxat quærendum, ſupereſt, an filij nati ante impetrationem fruantur nobilitate paterna, poſtea impetrata, quod perſpicuè deciſum *in d. l. Senatoris* 5. *& d. l. filij* 22. §. *Senatores D. ad municip.* quarum argumentum, ſi ad honores dumtaxat nobilitatis pertinere, velimus, eoſque ſolos non immunitatem tribui filijs ante ſuſceptis, impugnabimus priuilegij formam, quæ concepta ſimul de honoribus, & immunitate, in impetrante, & filijs, vel vtrumque tribuit ante ſuſceptis, vel neutrum. Nec plura mihi, ſpero item, doctis, huic ſententiæ firmandæ, neceſſaria argumenta ſunt, cum hoc vnum, ſeriò perpenſum, rem conficere videatur; cui accedit fauorabilis illa æquitatis ratio, *quòd paternos honores inuidere filijs non oporteat. d. l.* 11. *Cod. de dignitat.*

Addo tamen, vt vel in aduerſarios retorqueam, alterum ex *d. l.* 10. *verſic. Otro ſi que las perſonas tit.* 11. *lib.* 2. *compilat.* vbi ſtatuitur, priuilegia nobilitatis ab Henrico IV. Rege conceſſa, prodeſſe etiam filijs maſculis, ſuſceptis ante confirmationem eorumdem priuilegiorum, à Catholicis Regibus impetratam, dummodò ante illam nuptias, vel ſponſalia non contraxerint. Et tamen ex eadem lege, & hiſtoricis noſtris conſtat, ea priuilegia, 6

vt-

vtpote extorta pleraque, malis artibus, à Rege, liberali magis, quàm libero, & ſuæ poteſtatis, præſertim difficillimo Reipublicæ tempore, quo eiuſdem ſalus, & auctoritas Regia internecinis motibus fluctuabat, fuiſſe poſtea ab eodem Henrico generaliter reuocata, ſicut & à Catholicis Regibus, quamuis hi tandem quædam ex eiſdem priuilegijs, noua accedente cauſa, confirmauerint. *l. 9. tit. 2. lib. 4. Ordinam.* Ergo ſi in priuilegijs ſequioris nominis, & notæ, ideoque primùm reuocatis, qualia Henricia cenſentur, non excluduntur à nobilitate paterna filij, etiam ſuſcepti poſt reuocationem, & ante nouam confirmationem, ſi ad eam vſque cœlibes permanſerint, tribuendum ampliùs aliquid eſt filijs eiſdem in alijs priuilegijs melioris nominis, & iuris, nempe vt omnino non excludantur, aut fateri ſaltem oportet, ex ſingulari iure, quod tot proprijs rationibus in Henricijs priuilegijs ſubnixum eſt, nihil ad alia priuilegia, non itidem odioſa, inferri poſſe: quomodò & argumento poſtremo, quod pro contraria ſententia ſupra expendimus, ſatisfit.

7 Nec ad rem magis pertinent alia eiuſdem ſententiæ, quippe omiſſa vulgari allegatione, *d. l. Senator* 11. *Cod. de dignitat. lib.* 12. cui ex veriori eiuſdem ſenſu, ſuperiori capite, ex propoſito facilè reſpondetur; quod deinde attulimus ex *dict. l.* 2. *§. In filijs D. de Decurion.* non obſcurum intellectum habet, ſi obſeruemus, non ideo limitata oratione Vlpianum ſcripſiſſe, quantum attinet, ne plebeiorum pœnis ſubijciatur, haberi pro Decurionis filio ſuſceptum ante Decurionatum, vt indicaret, non prodeſſe ei filio priuilegium paterni Decurionatus quoad honores alios, aut immunitatem, argumento, ducto à contrario ſenſu, quod in his terminis abſurdum eſſet, vtpote contra mentem *d. l. Senatoris* 5. *d. l. filij* 22. *§. Senatores D. ad municip.* Sed ideo potiùs quæſtioni de liberatione à pœna coaptaſſe, & coarctaſſe reſponſum, quia in ea & minor eſt dubitandi ratio, & promptior, expeditiorque reſpondendi, haberi pro Decurionis filio etiam ante ſuſceptum, propter fauorabilem, benignamque liberationis cauſam, qualem eam eſſe agnoſcit Vlpianus idem in *d. l.* 2. *§. Sed ſi pater*, *&* *§. Si ad tempus cum ſeqq.* iuncta *l. penult. D. de pœnis.*

Sic etenim perſpicimus, vſu, & ratione iuris comparatum eſſe, vt quoad prærogatiuas nobilium, ne ſcilicet, ob ciuile debitum, in carcerem detrudantur. *l.* 79. *Tauri. l.* 4. *&* 5. *tit.* 2. *lib.* 2. *Compil.* neuè plebeiorum tormentis, aut pœnis ſubijciantur. *l.* 3. *§.* 1. *D. de re milit. l. nullus* 5. *Cod. ad leg. Iul. Maieſt. l. milites* 8. *Cod. de quæſtion. l. ſeueram* 10. *Cod. de dignit. lib.* 12. *l.* 24. *tit.* 21. *part.* 2. *l.* 2. *tit.* 30. *part.* 7. *d. l.* 4. *&* 5. *tit.* 2. *lib.* 6. *Compil. l.* 13. *tit.* 7. *lib.* 2. *Compil.* quæ obſeruari, iubentur *nouiſsima l.* 61. *tit.* 4. *lib.* 2. *Compil.* minor, ſeu leuior nobilitatis probatio, tametſi in ſuo genere perfecta, ſufficiat, nec requiratur adeo exacta, & inconcuſſa, qualem deſiderari, ſcimus, cum principaliter de proprietate, aut poſſeſſione quæritur nobilitatis, apud ſupremos, Regioſque illius Iudices: & quod receptum itidem eſt, vt quoad ſummariam hanc, & incidentem de nobilitate quæſtionem, & cognitionem, competens Iudex ſit ille ipſe, ad quem pertinet diſcuſſio principalis cauſæ ciuilis, criminaliſue, in quam articulus nobilitatis in- 8

incurrit, quamuis alioquin nobilitatis cauſæ, vt de his plenè, & principaliter iudicetur, non niſi à Regijs, ſupremiſque nobilitatis Hiſpanæ cenſoribus tractari, & terminari, poſſint. *l.9. & toto tit.11. lib.2. Compil.* vtrumque autem hoc, quoad liberationem à carcere, tormentis, pœniſque plebeiorum, leuioremque, & ſummariam nobilitatis diſcuſsionem, inferioribus etiam iudicibus permittendam, præter aliam, quod rectè defenditur, argumento ex d. *l.2.* §. *in filijs*, iuncto §. *ſed ſi pater, &* §. *ſed ſi ad tempus cum ſeq. D. de Decurion.* confirmari etiam ſolet ex *l.3.* §. *cauſæ 4. D. de Carbon. edicto. l. quoties 3. Cod. de iudic. l. vlt. tit.19. part.4.* nouiſsimè autem, proprièque magìs, in *l.33.* §.*11. tit.11. lib.2. Compil.* & in praxi receptum, docent, poſt Baldum in *l. non ignorat Cod. qui accuſ. non poſſ.* Otalora *de nobilit. 2. part. 3. partis princip. 1. 10. num.3.* Padilla in *l. ſi ædibus, num.7. Cod. de ſeruitut. & aqua.* Gutierrez *de iuram. confirmat. 1. part. c.16. num.7. & ſeqq.* Garcia *de nobilit. gloſſ.1. num.33. & ſeqq.* Aceuedo *in l.19. num.69. tit.21. lib.4. compil.* Bouadilla *lib.3. polit. c.15. num.20.* Cum pluribus Narbona *in l.61. gloß.1. num.10. tit.4.* & in *l.33. gloß.12. tit.11. lib.2. Compilat.* Seſsè *deciſ. Aragon. part.1. deciſ.13. num.7. & ſeqq.* Philippus Paſchal. *de viribus patr. poteſt. 4. part. cap.2. num.62.* Hector Capicius Latro *deciſ. 183. ex num.19. lib.2.* quamuis renitantur Baeza *de inope debitore cap.16. num. 124.* Didacus Perez in *l.6. gloſſ. penult. tit.2. lib.4. Ordinam.*

9 Deinde nec vrgemur, propellimurue in contrariam ſententiam, comparatione illa præmij, & pœnæ, qua pœna, ſcilicet ob delicta parentum, non teneri filios ante ſuſceptos, docuimus ex *d. l.2. Cod. de libert. & eor. liber.* cum ſimilibus ſupra laudatis. Namque, vt hoc interim de filijs non plectendis nota, aut noxa parentum, poſt eorum natiuitatem contracta, ſupponamus in commune (non enim de nota ex delictis Maieſtatis Diuinæ, aut humanæ læſæ, diſſerimus nunc, aut decidimus) dicimus inſuper, diſparem valde in hac, vt & in alijs partibus iuris, eſſe cauſam præmij, atque pœnæ, nec rectè ab hac illud argumentum deduci, nempe ne filius propter patrem nobilitetur, quia nec ob eius noxam punitur; cum è contrario recta collectio eſſet, ne ſcilicet filio noceret delictum patris, cuius merita eidem non proficerent. Eſt enim inter pœnam, & præmium, ſiue inter notam, & honorem, elegans, nec obſcura differentiæ ratio, quæ ſuadet, illam, vtpote odioſam, coarctari; hunc autem, vtpote fauorabilem, benigniùs ampliari, & produci. *l. cum quidam 19. D. de liber. & poſth. l. Arrianus 42. D. de oblig. & act.* & vt disertè in ſimili quæſtione Auguſtinus, apud Gratianum in *cap. quæris 129. de conſecrat. diſtinct.4.* dum diſputat, cur paruulis, iam baptizatis, non noceat parentum perfidia, quibus, dum baptizantur, proficit parentum fides? Inter alia reſpondet, *quia non ſic communicatur culpa, per alterius voluntatem, quemadmodùm communicatur gratia;* tametſi id non ignorem altiori, & myſtica ratione niti. Exemplum autem filiæ matris ſcenicæ, ex *d. l. Imperialis 23.* §. *His illud 5. C. de nupt.* cum ſingulare ius contineat, & præter veteris iuris tenorem, qualia ſunt beneficia Principum, non tam ex certis regulis, quàm ex eorum arbitratu, & libe-

beralitate pendentia, non eſt producendum, extra eum caſum, ad conſequentias. *l. quod verò* 14. *cum legib. ſeqq. D. de legib.* præſertim cum in priuilegijs nobilitatis, ea coarctatio nullibi expreſſa ſit, quin potiùs aliud iuris ratio ſuadeat, & quod eſt amplius, incommodo illi filiæ natæ, ante reſtitutionem matris ſcenicæ, prompta occurrendi ratio ſit, remedio impetrationis reſtitutionis, quam eidem filiæ petenti pollicetur, ſine obſtaculo vllo, eadem *lex* 23. §. *His illud verſic. Sin verò.* De qua tamen Iuſtiniani conſtitutione, ex profeſſo nos infra *hoc libro.*

10 Rurſus nec obſtat Iuſtinianeum ius nouiſsimum, quo attento, Senatorum, aliorumque ſpectabilium, & illuſtrium filij, ante dignitatem ſuſcepti, non ſunt immunes à curiali origine, & oneribus, eidem adiunctis. *dict. l. neminem* 64. *l. vlt. verſic. ante, Cod. de Decurion. lib.* 10. cum ſupra laudatis. Id enim contra veteris iuris rationem, imminenti curiarum ſimul, & Imperij ruinæ, tantiſper ſubſtinendæ, receptum fuiſſe à nouioribus Cæſaribus, poſt Conſtantinum, ſatis, ſuperque expreſsimus *ſuperiori capite*; atque ita quidem vt non tantùm filijs, ſuſceptis ante dignitatem, immunitas à curia denegetur, ſed etiam poſtea genitis à Senatore, vel ſpectabili, aut etiam illuſtri, paucis exceptis, quorum mentio in *dict. l. neminem* 64. *l. vlt. Cod. de Decurion. Nouell.* 70. *&* 81. *in princip.* Inde verò parùm commodè infertur ad priuilegia nobilitatis impetranti, & eius filijs, ſeu poſteris data, quia neque in his ſtricta adeo, & ſingularis immunitatis denegandæ ratio occurrit, & incommodo tributariorum, ad quos ex reuelatione eorum, qui nobilitantur, grauior tributi ſarcina ſolet recidere, conſulitur iuxta formam *l.* 3. *&* 4. *tit.* 14. *lib.* 6. *compilat. l.* 4. *tit.* 6. *libr.* 1. *compilat.*

Denique nec turbamur peremptoria, vt videtur, deciſione *dict. l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 6. *compilat.* Namque, vt ne interim moroſiùs, & ſcrupuloſiùs diſtinguamus multiplices priuilegiariæ nobilitatis, ſiue immunitatis formas, ſeu gradus, quales cernere, licet, primò in Equitibus auratis, ſiue deaurati calcaris, &, vt dicimus, *de eſpuela dorada.* Secundò, in Equitibus armatis, quos vocamus, *Caualleros armados*, ò *Caualleros pardos.* Tertiò, in Equitibus, vt aiunt, *de premia*, *alarde*, *guerra*, ò *quantioſos.* Quartò, in nobilibus priuilegiarijs, qui ſcilicet, ſine titulo, aut inſignibus militiæ equeſtris, à Rege nobilitantur, & dicuntur, *Hidalgos de priuilegio*, de quibus ſingulis multa noſtrates ad *l.* 2. *&* 3. 13. *&* 14. *tit.* 21. *partita* 2. *l.* 36. *tit.* 2. *part.* 3. *& ad l.* 1. *cum ſeqq. tit.* 1. *lib.* 6. *compilat.* Otalora *de nobilit.* 4. *part. cap.* 1. *& ſeqq. Garcia eod. tract. gloſſ.* 1. §. 1. maximè ex *num.* 51. Burgos de Paz *conſil.* 45. *&* 46. Gutierrez *lib.* 4. *practic. cap.* 1. *& ſeqq.* Azeuedo in *dict. l.* 1. *ex num.* 5. *tit.* 1. *lib.* 6. *compilat.* Bern. Moreno *diſcurſo de la nobleza diſc.* 8. Seſsè *deciſ. Arag.* 1. *parte deciſ.* 1. *num.* 18. *& ſeqq.* Obſeruandum eſt, Equites armatos, de queis propriè concepta eſt *dict. lex* 1. *tit.* 1. *lib.* 6 *compil.* ſicut dignioris, & altioris gradus ſunt, quàm tertium illud genus equitum, quos vocamus, *de alarde*, ò *quantioſos*, ita inferioris prorſus, & deterioris, quàm nobiles originarij, quales & præſumuntur equites aurati. *dict. l.* 2. 3. 13. *&* 11

14. *tit.* 21. *part.* 2. *l.* 5. *tit.* 1. *lib.* 6. *compilat.* & , quod eſt amplius, inferiores etiam nobilibus priuilegiarijs; tum quia armati hi equites arma, & equum, militiæ idoneum, ſemper alere debent, *dict. l.* 1. 2. & 3. *tit.* 1. *lib.* 6. *compilat.* aut ſaltem cum vtroque promptos, paratoſque ſeſe exhibere bellico operi, cum vocabuntur, neceſſe eſt, vt prænotauit Garcia *dict. gloſ.* 1. §. 1. *num.* 59. quorum tamen neutrum requiritur à priuilegiarijs nobilibus, niſi ſpecialiter priuilegio exprimatur. *l.* 7. quam ita accipio, *tit.* 2. *lib.* 6. *compilat.* notat Gutierrez *lib.* 4. *practic. quæſt.* 20. *num.* 9. & 14. tum etiam quia priuilegium equitum armatorum ad filios ſolos, non autem ad nepotes, ſiue vlteriores deſcendentes pertinet. *dict. l.* 1. *verſic. Y que los hijos, que han.* In priuilegio autem nobilitatis coarctatio hæc ad filios, expreſſa legibus Regijs non eſt, nec proinde admittenda, niſi ex priuilegij forma, ſeu verbis colligi poſsit, notat Burgos de Paz *dict. conſ.* 45. *num.* 24. Otalora *de nobilit.* 4. *part. cap.* 1. *num.* 8. & *cap.* 2. *num.* 3. & 6. Azeuedo in *d. l.* 1. *numer.* 86. 87. & 88. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 29. *n.* 6. tum denique, quia in nobilibus priuilegiarijs, prærogatiuam illam immunitatis, etiam eorum vxoribus viduis, quamdiu non nubunt, & honeſtè viuunt, communicari conſtat. *l.* 3. *Cod. de priuileg. Scholar. lib.* 12. *l.* 18. *tit.* 14. *lib.* 6. *compilat.* iunctis traditis *libro iſto* inferiùs. Id autem in equitibus armatis non eſt vſque quaque receptum; negat enim Ioannes à Montealegre in *praxi ciuili lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 317. affirmat, poſt Otaloram, Mieres *de maiorat.* 1. *part. quæſt.* 51. *num.* 34. Gutierrez *lib.* 4. *practic. quæſt.* 6. Quibus itidem conſequens eſt, vt quamuis fateamur, ſicut & neceſſe eſt, fateri, ex *d. l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 6. *compilat.* priuilegio equeſtris militiæ armatæ non frui filios, ante ſuſceptos; nihil tamen inde inferri poſsit ad quæſtionem noſtram, neque à ſingulari, & ſtricto illo iure equitum armatorum argumentari ad alios nobiles priuilegiarios, quorum in ſimilibus cauſis diuerſa, digniorque conditio, & vberior, pleniorque immunitas eſt. Atque ita quidem in diſputando cenſuerim, quin & in iudicando, ſi iudicandum potiùs ex ratione iuris, quàm ex receptiore opinione, qualem, inter noſtrates, contrariam eſſe, & rem non vſque quaque perſpicuam, non diffiteor.

Ex eiſdem etiam principijs attingenda breuiter eſt diſputatio celebrioris nominis, quàm difficultatis, aut vſus; an ſcilicet filius, ſuſceptus ante adeptum à patre Regnum, habeatur pro Regis filio, vſque adeo vt & in ſucceſsione Regni præferatur alteri filio, poſt adeptum à patre Regnum, edito? Mouet diſputationem, promouetque, vt eam explicet ſententiam Vlpiani in *dict. l. Senatoris* 5. *in fine D. de Senatorib.* ex antiquiorib. Albericus ibi, & in *l. moris* 9. §. *Parentes D. de pœnis*, & in *l. Imperialis* 23. §. *His illud Cod. de nupt.* Nec tamen ibi, aut alibi, quod ſciam, amplius aliquid agit, quàm mouere, & moliri, re non deciſa. Et ſanè, ſi geſtarum rerum exempla ex hiſtorijs petas, comperies variè, & olim, &, viciniori- bus noſtro, ſæculis iudicatum, & obtentum fuiſſe, interdum pro nato ante Regnum; interdum pro poſtea nato. Vt vel oſtendunt, inter veteres, Bartolus, Cynus, & Albericus in *dict. l. Imperialis* 23. §. *His illud Cod. de nupt.* Lucas de Pen.

Penna in *l. ſi Senator* 11. *Cod. de dignit. lib.* 12. Rodericus Suarez in *l. quoniam in prioribus in declarat. leg. Regni limitat.* 11. *num.* 23. & ex eruditioribus Briſſon. *de iure connubior. pag.* 10. *& lib.* 1. *de Regno Perſarum pag.* 5. Hotmanus *illuſtr. quæſt.* 2. Tiraquell. *de iure primigen. quæſt.* 31. *ex num.* 9. *&* 20. Petrus Gregor. *lib.* 7. *de Republ. cap.* 9. Paulus Iouius in *Hiſtoria Vicecomitum Mediolan.* in *Galeatio*, & *Ludouico*. Franc. Guicciardinus 1. *Hiſt.* Cæterùm ſi ex ratione iuris, & inconcuſsis eius principijs, rem metiaris, tametſi ex Accurſianis plerique, quorum meminit Tiraquell. *dict. quæſt.* 31. *num.* 2. *&* 8. D. Couarruu. *lib.* 2. *variar. cap.* 8. *num.* 5. *verſic. tertiò*, ad quem alij in Nuperis *Additionibus*. Franciſcus de Petris *conſil.* 15. *ex num.* 21. Ant. Mangilius *de imputationibus quæſt.* 89. affirment, natum ante Regnum non propriè dici Regis filium, eique præferendum natum ex patre iam Rege, abutanturque, in eam rem, argumentis priuilegiorum immunitatis à curia, iure Iuſtinianeo nouiſsimo, & liberationis à cohortali conditione, pœna, & nota parentum, de quibus ſupra. Mihi tamen è contra certum vtrumque eſt, & natum ante Regnum à patre adeptum, cenſeri Regis filium: *d. l. Senatoris* 5. *in fine D. de Senatorib. l. moris* 9. §. *Sed vtrum D. de pœnis. l. filij* 22. §. *Senatoris D. ad municip. cap. ad extirpandas* 11. *de filijs presbyter*: & præferendum eſſe nato poſt Regnum in eo Regno, quod, ſucceſsionis iure, filio defertur: idque indiſtinctè, ſiue pater hæreditario, aut ſanguinis iure, in Regno ſucceſſerit, ſiue id priuatus ante, ſuffragijs, armiſue conquiſierit; ita vt deinceps ſucceſsionis iure deferatur, non electionis; quia, eo poſito, ius ſuccedendi, & qualitas proximitatis, ſeu prælationis inſpicienda eſt, eo tempore, quo ſucceſsio defertur, mortuo iam patre, & Rege. §. *Proximus* 6. *Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ. l.* 2. §. *Proximum* 6. *D. de ſuis, & legit. l.* 1. §. *Proximum* 6. *D. vnde cognati. l. non oportet* 52. *D. de legat.* 2. Quo ſanè tempore de filio, ante nato, inficiari non poſſumus, eſſe eum filium eius, qui Rex fuit, & quidem primogenitum, ideoque præferendum. Firmant pluribus, poſt Salycetum in *d. l. Imperialis* 23. §. *his illud Cod. de nupt.* Guid. Suz. in d. *l. Senatoris* 5. Tiraquell. Petr. Gregor. Couarruu. ſupra laudati. Eguinar. Baro ad *tit. D. de Senator. in Appendice de iure Gallicano* ad finem, vbi & Mornacius in *notatis ad l. Senatoris* 5. vbi Corraſius *num.* 7. Rebuffus *num.* 4. Pontius Legion. *diſput.* 4. *Schol. quodlibet. c.* 4. *&* 6. Plenè, vt ſolet, Hening. Arniſæus *lib.* 2. *de Republ. c.* 2. *ſect.* 11. Qua itidem ratione, & exemplo receptiſsimum, & indubitatum iam eſt, filium ſuſceptum ante maioratum, à Patre adquiſitum, præferri, vt primogenitum, in eius ſucceſsione, filio, poſt maioratum edito, vt, præter nuper recenſitos, docent D. Molina *de primogen. lib.* 3. *c.* 1. *num.* 3. Gomez 3. *tom. var. cap.* 2. *num.* 16. *verſic. Quartò, & finaliter; & in d. l.* 40. *Tauri num.* 67. Alter Molina *de iuſtitia diſput.* 624. *num.* 1.

CAP.

CAPVT V.

AD L. EMANCIPATVM 7. §. 1. ET VERS. SED EVM D. de Senatoribus.

ARGVMENTVM.

POſthumus an pro filio Senatoris? Fortaſſe dubitatum à Labeone, & Proculeianis, quia & ipſi fœtum, quamdiu in vtero, non pro animali, aut homine, ſed pro parte viſcerum matris cenſebant. Vox, *quaſi*, improprietatis nota *ſepe*, non *ſemper*. Aſt vicit ſententia pro Poſthumo. In eo dubitandi, ac decidendi ratio ducta ex legibus Iulia, & Papia, & in eis, quoad præmia, aut pœnas parentum, diſcretum ius poſthumorum. De nato poſt patrem, Senatu motum, non habendo pro filio Senatoris ad *verſ. ſed eum.* Aliud in concepto ante motionem patris. Id quod *magis, & pleriſque* placitum, non omnibus, & *benignè*, ſiue *non infauorabiliter*, non ex ſtricto iure dubitationis, ac diſſenſionis, cauſa reperta in priſca Regula, de inſpiciendo Conceptionis tempore in filijs iuſtis, & editionis in non iuſtis. Illuſtrata ea Regula, & ex ea Paulus in *l.* 11. *D. de ſtatu hom.* Carranza ad *Paulum* expoſitio reiecta. Amaię non recepta. Explanatus Paulus ex ea Regula, & ex *l.* 65. *§.* 1. *D. de ritu nupt. l.* 6. *Cod. de nupt.* ſubmotus obex *l. vlt. Cod. de natural. lib.* Ducitur tandem ex ea Regula ſtricti iuris ratio, contra natum poſt motionem Patris, & è contra pro eo benignitas fauorabilis, quam Vlpianus ſequutus. Diſcretio inter honores Senatoris, & originem Curialem.

1 DOcet deinde, ad eadem Iuliæ legis verba, *qui filius*, Vlpianus noſter *libro* 1. *ad legem Iuliam & Papiam, in d. l. emancipatun* 7. §. 1. *D. de Senatoribus.* eum etiam, qui, poſt mortem Patris Senatoris, natus ſit, quaſi Senatoris filium eſſe. Idque Vlpianus proponit ex Labeone coætaneo Auguſti, & noſtræ Iuliæ, Papiæque legis, & Auctore Proculeianæ ſectæ, ſeu Pegaſianæ. *l.* 2. §. *poſt hunc* 47. *D. de orig. iur.* Idcircoque, fortaſſis ex eiuſdem Labeonis ſententia, natum, poſt Patris mortem, quem poſthumum dicimus. *l.* 3. §. 1. *D. de iniuſto rupto*, non propriè, ſeu ſimpliciter Senatoris filium eſſe, ait, ſed *quaſi* filium; quemadmodùm ex eadem Labeonis Schola Celſus d. *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* conceptum viuo Auo, & poſt mortem eius natum, à conceptionis tempore, *quodammodò* in rerum natura eſſe, exiſtimari, ſcribit in *l. vel ſi viuo* 7. *D. de ſuis, & legit.* adiectis ſcilicet notis illis improprietatis, & fictionis, *quaſi*, & *quodammodò*: *l. id tempus* 14. *D. de Vſucap.* Tertullian. *de velandis Virgin. c.* 6. ibi: *Deſponſata enim quodammodò nupta. Tamen inter quodammodò, & verùm ſatis intereſt.* Quippe Labeo, & Proculeiani, Stoicos in hac re ſecuti, fœtum, quamdiù in vtero matris eſt, portionem viſcerum eſſe, putarunt, & ſpem animantis, non animal, aut hominem, neque in rerum natura, aut rebus humanis. Ita Marcellus Proculeianus (ſic enim de Marcello ſentio, & aſſentio Merilio 1. *obſeru.* c. 27. & in *duobus vltimis obſeruationum libris* 1. c. 18. potiùs, quàm Bertrando, inter Caſſianos recenſente Marcellum in *illius vita*) *l.* 2. *D. de mortuo infer. l. ſi aliena* 10. §. *vlt. D. de Vſucap.* iuncta *l.* 1. *Cod. de communi ſeruo man.* Quamquàm id etiam

etiam alijs vtriuſque Scholæ auctoribus placuiſſe, ſcio. *l. in falcidia* 9. *in fine D. ad leg. Falcid. l.* 1. §. *ex hoc Reſcripto* 1. *D. de inſpic. ventre. l. nomen filiarum* 164. *D. de verb. ſignif.* ita & originem eius, qui iuſtum patrem non habet, à matre, eoque die, quo ex ea editus eſt, numerari, docet Neratius Proculeianus in *l. eius* 9. *D. ad municip.* iuncta *l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* & ideo veterum fragmenta, quæ de his, qui in vtero ſunt, habendis pro natis, in Pandectis occurrunt, pleraque ex Sabinianis, aut libris ad Sabinum ſunt. *l. Imperator* 18. *l. penult. D. de ſtatu hom. l. cum quidam* 90. §. 1. *verſic. & in ea, D. de acquir. hæred. l. ſi quis filiabus* 6. *D. de teſtam. tut. l. qui filiabus* 17. *D. de legat.* 1. *l. Si ſtatu libera* 6. *in princ. &* §. 1. *&* 2. *D. de ſtatu lib. l.* 3. *D. de pœnis. l. ſed etſi* 20. *D. ad S. C. Trebell. l. nomen* 164. *D. de verb. ſignif. l.* 1. §. *interdum* 3. *l.* 2. §. *ſed ſi in ſeruitute, D. ad S. C. Tertyll.* Proinde, natus poſt mortem Patris Senatoris, non propriè Senatoris filius Labeoni, & Vlpiano dicitur, ſed *quaſi*, quia, neque cum naſcitur, habet Patrem Senatorem, vtpote præmortuum, neque antequàm naſcatur, rectè filius dicetur, qui nondum homo eſt, aut animal; argumento ex *l. non eſt pupillus* 162. *D. de verb. ſignif. l. vlt. D. de collat.* Neque ignoro, aut diffiteor, interdum vocem, *quaſi*, expreſſiuam veritatis eſſe, & accipi pro, *tamquam*, vel, *vtpote. l. ſi ante* 6. *D. ſolut. matrimon. l.* 5. §. *ſed ſi damnatus* 3. *D. de liberat. leg. cap. Parochianos* 14. *de decimis.* Quomodò & vſurpari ab Vlpiano, in d. *l. emancipatum* 7. *in princip.* adnotauit Alberic. & Fulgoſius ibi, ex *l. ſi inſtitorem* 29. *D. de rebus credit.* & ſane probabiliter, quia in eadem *l.* 7. §. 1. *verſ. ſed eum*, conceptum, natumque, poſt Patrem Senatu motum, ait Vlpianus, non eſſe, quaſi Senatoris filium, quod tamen poſtea, idem confirmans, affirmat, non propriè, dici Senatoris filium; & conſequenter indicat, vocem *quaſi*, quam priùs vſurpauerat, proprietatis expreſſiuam fuiſſe, & veritatis.

Vtcumque tamen ſit, eoque vel præmonito, adhuc Vlpiani hæc, & Labeonis ſententia, quæ docet, quoad effectum noſtrarum Iuliæ, Papiæque legum, haberi, pro filio Senatoris poſthumum, ſiue natum poſt mortem patris, propriam, & elegantem dubitandi rationem habet. Namque in tractatu Iuliæ, Papiæque legum, & quoad ſimiles earum effectus, receptum eſt, non computari inter filios eum, qui in vtero eſt, nec parenti proficere, ad præmia πολυπαιδίας, ſiue prærogatiuas iuris liberorum, veluti excuſationem tutelarum, & munerum, & hæreditatem, ex *Tertyll.* & liberationem ab operis *l. qui libertinus* 37. §. *poſthumus* 7. *D. de oper. libert. l.* 2. §. *qui autem* 6. *D. de excuſat. tutor. l. quod dicimus* 231. *D. de verb. ſignif.* Vnde, neque inter filios Senatoris computandus, videtur, poſthumus, vt, ex præſcripto earumdem legum Iuliæ, vel Papiæ, arceatur à connubio libertinæ, vel ſcenicæ. Grauior tamen, nec obſcura decidendi ratio eſt, quæ ſuaſit, haberi poſthumum, quoad hunc effectum, pro filio Senatoris, nempe, quia in eo quæritur de iure, & commodo ipſius poſthumi, ſiue filij, cuius ad dignitatem pertinet interdictio connubij cum libertinis, ſcenicisue. *l.* 1. *D. de colluſ. deteg.* Poſthumus autem, ſiue qui in vtero eſt, quod ad ipſius iura, & commodum atti-

net, & in rebus humanis, ſiue na-tura eſſe, & pro nato intelligitur. *l. qui in vtero 7. l. penult. D. de ſtatu homin. l. vbicumque 7. l. vlt. D. de ventre in poſſeſſ. mitt. l. cum quidam 30. §. 1. D. de adquir. hæred.* Vnde & pro nato habetur, quoad ſtatum libertatis, ſiue ingenuitatis. *l. & ſeruorum 5. §. ingenui 2. cum ſeq. D. de ſtatu homin.* &, quoad prærogatiuas filij decurionis, *l. 2. §. ſed ſi pater cum ſeqq. D. de Decurionib.* Quin & in noſtris legibus, mortis patris momento, intelligi, poſthumum in humanis rebus fuiſſe, & inter filios, vt parenti proficiat, ad effugiendas pœnas orbitatis, ſcripſit Terentius Clemens, tametſi & aliò forſitan referendus, *lib. 11. ad legem Iuliam, & Papiam*, in *l. intelligendus 153. D. de verbor. ſignif.* Vlpianus *lib. 8. ad eaſdem leges* in *l. ſi vir 61. cum l. ſeq. D. de condit. & demonſtrat.* iuncta *l. ſed etſi 20. D. ad S. C. Trebell. l. is cui 18. D. quando dies legati ced. l. ſi quis 187. D. de regul. iuris.* Alia autem, & diuerſa ratio eſt poſthumorum, quoad priuilegia legum noſtrarum, iuri liberorum adnexa, veluti excuſationes tutelarum, & ſucceſsionem ex *Tertylliano*, & liberationem ab operis, ex *lege Iulia.* Ea enim, cum non ſint ipſius fœtus, ſiue poſthumi commoda, ſed præmia parentum proletariorum, non habetur pro nato, aut filio poſthumus, vt alijs potiùs, quàm ſibi proſit. *d. l. qui in vtero 7. D. de ſtatu hom. l. 2. §. Qui autem 6. D. de excuſat. tutor. l. qui libertinus 37. §. poſthumus, D. de oper. libertor. l. quod dicimus 231. D. de verb. ſignif.* De queis tamen pleniùs dicemus, vbi de præmijs, pœniſque Iuliæ, Papiæque legum.

3 Pergit Vlpianus iam dicto *lib. 1. ad Legem Iuliam, & Papiam* in *d. l. emancipatum 7. §. 1. verſic. ſed eum*, & ex Proculo, & Pegaſo, qui priorem illam Labeonis, auctoris ſui, ſententiam, hac fortaſsis adiectione, illuſtrarunt, affirmat, eum, qui poſtquàm pater eius de Senatu motus eſt, concipitur, & naſcitur, non eſſe quaſi Senatoris filium, ſiue non propriè dici filium Senatoris, vt idem poſtea exponens loquitur. Idque ipſum in concepto, poſt patrem Decurionem, ordine motum, firmat Vlpianus idem in *l. moris 9. §. Planè 15. D. de pœnis. l. 2. §. Sed ſi pater D. de Decurionibus.* Nec morantur, mouentue, vt contra ſentiat, Vlpianum, exempla filij nati ante patris Decurionatum, vel Senatoriam dignitatem, aut nati poſt mortem patris, quamuis vtrumque Senatoris filium intelligi, & participem dignitatis paternæ, ante, aut poſt eius natiuitatem quæſitæ, certum ius ſit. *d. l. emancipatum 7. in princip. l. Senatoris 5. in fine D. de Senator. l. 2. §. In filijs D. de Decurion. l. moris 9. §. Sed vtrum D. de pœnis. l. filij 22. §. Senatores D. ad municip.* Id enim ea ratione nititur, quia negari non poteſt, filium, cuius pater, eo iam nato, Senator, aut Decurio creatus eſt, quamuis cum primùm natus, aut conceptus, patrem, vel Senatorem, vel Decurionem non habuerit, poſtea tamen talem patrem habere; quemadmodùm & conſtat, natum poſt mortem patris, quamuis cum naſcitur, non habeat patrem Senatorem, vtpote qui præmortuus, homo eſſe deſijt, habuiſſe tamen patrem Senatorem, quo tempore conceptus fuit, & à quo tempore pro nato habetur, & conſequenter vtrumque Senatoris, ſeu Decurionis filium eſſe, aut intelligi. E contrario in concepto, natoque, poſtquam pater motione

ab ordine, aut Senatu, Decurio, vel Senator eſſe deſijt, non eſt aliquod tempus, cuius reſpectu eum vel Decurionis, vel Senatoris filium propriè dicamus; quoniam antequàm natus homo eſſet, aut conceptus, pro nato, & homine haberetur, non niſi abſurdè poſſumus ius, nomenque filij ei tribuere, qui nondum eſt, nec eſſe intelligitur, ſicut nec nomen ſui hæredis, cognatiue ei, qui conceptus, natuſque eſt poſt mortem aui, cuius de ſucceſsione quæritur. *l. Titius* 6. *l. item* 8. *l.* 1. §. *Sciendum* 8. *in fine D. de ſuis & legit.* *l.* 1. §. *Si quis proximior* 8. *D. vnde cognati. l. ſi quis filio* 6. *D. de iniuſto rupto.* §. *Et licet* 8. *Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.* Poſtquàm autem conceptus, natuſue in hominum, & filiorum numero eſſe cæpit, nullo momento Senatorem, vel Decurionem patrem habuit, qui iam talis eſſe deſierat. Proinde cum hæc filij, patriſque nomina relata ſint, & ſibi mutuo nexu reſpondentia, & in concepto poſt motionem patris à Senatu, vel ordine, nullum tempus occurrat, quo inſimul concurrant, & in concepto nomen filij, & in patre ius Senatoris, ſeu Decurionis, neceſſe eſt, fateri, non eſſe hunc propriè Senatoris filium, ſeu Decurionis, quia dignitas, ante conceptionem eius amiſſa, tranſmitti ad eum à patre non poteſt.

4 Inde verò, & rectiſsimè Vlpianus ſubiungit in *d. l. emancipatum* 7. §. 1. *verſic. ſi quis conceptus*; eum, qui antequàm Pater Senatu moueretur, conceptus eſt, & poſt amiſſam Patris dignitatem natus, magis eſſe, vt quaſi Senatoris filius intelligatur, quia quamuis antequàm naſcatur, neque animal, neque homo, neque in rerum natura, aut humanis rebus ſit, ex Proculeianorum, & aliorum ſententia. *d. l.* 2. *D. de mortuo infer. l. eius* 5. *D. ad municip.* tamen quod ad ipſius attinet commodum, quale eſt dignitas filij Senatoris, pro nato habetur, ex quo tempore conceptus eſt, quo & tempore Senator pater erat. *d. l. qui in vtero* 7. *l. penult. D. de ſtatu hom.* Quæ & dubitandi, decidendique, ratio fuit in §. 1. *in princ. d. l. emancipatum* 7. quam expreſſimus pleniùs ſupra ad §. 7. Idque ipſum cauſæ exprimit in *d.* §. 1. *verſ. ſi quis conceptus*, ibi: *Tempus enim conceptionis ſpectandum, pleriſque placuit.* Quibus verbis, *pleriſque placuit*; & antecedentibus illis *magis eſt*, ſatis ſignificatur, non eſſe quæſtionem indubiam, ſed inter veteres iuris Auctores controuerſam, & in qua non defuerint, qui contra ſentirent, à pleriſque illis, quos Vlpianus ſequitur. Auget dubitationem, quod in quæſtionibus ſimilibus de filio Decurionis, concepto ante motionem patris ab ordine, vel relegationem, & poſt eam edito; & in concepto, aut edito medio tempore inter motionem temporariam patris ab ordine, & ad eum regreſſum; vel in eo, qui plebeio conceptus medio tempore inter Decurionatus adeptionem, & amiſsionem, Decurionem patrem habuit, noſter idem Vlpianus ſcribit, *benignè*, ſiue non *infauorabiliter*, quaſi ſcilicet contra ſtrictam, receptamque iuris Regulam, habendum eſſe pro Decurionis filio. *l.* 2. §. *ſed ſi pater* 3. *cum* §. 4. 5. *&* 6. *de Decurion.*

5 Nec ſanè in promptu, vel parato mihi dubitandi, & diſſentiendi ratio, aut veſtigia; quia quamuis ſciam, illud, quod de Proculeianis monui, non habuiſſe eos pro animali, vel homine eum, qui in vte-

ro eſt, id tamen cùm & alij, nulli potiſsimùm ſectæ addicti, cenſuerint. *d. l. in Falcidia 9. in fine D. ad leg. Falcid. l. nomen 164. D. de verbor. ſignif.* & tamen inter omnes conſtiterit, haberi eum pro nato, quod ad ipſius commodum attinet. *d. l. qui in vtero 7. l. penult. D. de ſtatu homin. l. vbicumque 7. l. vlt. de ventre in poſſeſſ. mitt.* etiam Proculeianos inter Marcellum, & Celſum. *l. vel ſi vino 7. de ſuis, & legit. l. 2. D. de mortuo inferendo*; non ſat cauſæ fuiſſe, videtur, cur dubitarent, an conceptus, patre Senatore, vel Decurione, qui poſtea, antequàm iſte naſceretur, motus eſt ordine, intelligendus eſſet filius Senatoris, aut Decurionis: certè cur diſſentirent, nihil cauſæ fuit, niſi aliunde eam ſagaci coniectura odoremur. Idque, vt lucidius ſit, ſupponimus, quod ad ſtatum libertatis, ingenuitatis, & Ciuitatis Romanæ in filijs, fuiſſe iuris ciuilis regulam, vt in natis ex iuxto matrimonio, quos patrem ſequi, certum eſt. *l. cum legitimæ 19. D. de ſtatu homin.* inſpiceretur conceptionis tempus, ex quo ſolo, proprièque patris in procreatione opera æſtimatur; & è contrario in vulgo, aut non legitimè ſuſceptis, quos matris conditionem ſequi, conſtat. *d. l. cum legitimæ 19. l. lex naturæ 24. D. de ſtatu homin. l. partum 7. Cod. de rei vindic. l. vlt. Cod. de liber. cauſa. l. 3. Cod. ſoluto matrimon.* ſpectaretur tempus editionis, & partus, ex quo potiùs, quàm conceptione mater cenſetur. *l. eius 9. D. ad municip.* Regulæ Auctores, Vlpianus *tit. 5. §. vlt.* Caius *lib. 1. inſtit. tit. 4. §. vlt.* eamque agnoſcere, videntur, Neratius in *d. l. eius 9. D. ad municip.* Vlpianus *in l. Imperator 18. verſic. ſed ſi ei D. de ſtatu homin.*

6 Fortaſſe & Paulus, ex ea regula, non vulgariter elucidandus *in l. Paulus 11. D. de ſtatu homin.* dum ſcribit, *cum, qui viuente patre, & ignorante de coniunctione filiæ*, quæ in illius ſcilicet poteſtate erat, *conceptus eſt, licèt poſt mortem aui natus ſit, iuſtum filium ei, ex quo conceptus eſt, eſſe non videri: Ei*, inquit, non filiæ, eidemque matri, vt exponit Auctor laudandæ in *Pragmatico* eruditionis, vtinam temperantiæ, Alfonſus Carranza, *de vera humani partus naturalis, & legitimi deſignatione cap. 2. §. 4. num. 20.* & quidem præeuntibus Anteceſſorum Academiæ noſtræ priuatis ſcriptis, qualia ille, ſicubi carpendi occaſio eſt, diſsimulare non ſolet, cum tamen non ex alio iecore ſapiat, ſed præter mentem Rationalis Fabri, quo abutitur, &, quod eſt amplius, præter rationem iuris, qua attenta, diſputatio de iuſtis filijs, cum tales propriè ſint ſuſcepti ex iuſtis nuptijs, *princip. Inſtit. de patr. poteſt.* quos & ſequi patris ſtatum conſtat. d. *l. cum legitimæ 19. D. de ſtatu homin.* referri ſolet, debetque ad patrem, cuius reſpectu, &, vt in eius poteſtate, & familia ſint, iuſti filij dicuntur, vt *in l. vxorem 15. Cod. de nupt. l. 3. Cod. ad leg. Iul. de adult. d. l. Imperator 18. D. de ſtatu homin. l. 3. §. ſi emancipatus, D. de bonor. poſſ. contr. tab. l. 1. D. de adſign. lib. l. 1. §. 1. & 2. D. de bon. damn. l. eius 9. D. ad municip.* non ad matrem, cuius reſpectu, niſi ſi quando eius, ſimulque patris iuſti mentio fit, vt *in leg. Diui 25. D. de captiuis*, iuſtus filius ſit, parum intereſt, quia mater iuſta, iniuſtave ſemper certa eſt. *l. lege 44. §. non obeſt 2. D. de ritu nupt. l. 4. §. vltim. cum leg. 5. & 6. D. de in ius voc.* Filijque ſiue iuſti, ſiue iniuſti, & vulgò quæſiti, matri ſuccedunt. *l. 1. §. ſed & vulgò 2. l. 2. §. 1. D. ad S. C. Tertyll. l. 50. D. vnde cognati.* Paulus

lib.

lib. 4. *ſentent. tit.* 10. *in princip.* Ac proinde inepta, indignaque Paulo, quæſtio, quam ei adſtruit Carranza, an ſcilicet in d. *l. Paulus* 11. iuſtus filius eſſet matri, ex quo tempore conceptus eſt, vt ei matri legitimus hæres ſit, quia ſiue iuſtus, ſiue iniuſtus filius, perinde matri hæres legitimus futurus eſt; & an iuſtus; à tempore conceptionis, ſit, vel non ſit, ad quæſtionem de ſucceſsione matris nihil refert, quia de hæreditate matris, non, niſi mortua ea, tractari poteſt, & conſequenter partu iam edito (niſi exſectum vtero matris mortuæ ponamus, quod à Pauli contextu perquàm alienum) quo tempore eum, vtpote filium iam, ſiue iuſtum, ſiue iniuſtum, & quamuis ex quo tempore conceptus eſt, iuſtus non fuerit, matri tamen ſucceſſurum, dubium non eſt. Peccat itidem in eo ille idem, & ex noſtratibus, poſt alios, laudandus mihi, vel cum diſſentio, D. Franciſcus de Amaya *lib.* 1. *obſeru. cap.* 4. *numer.* 12. Quod, quaſi ex Pauli mente, ſupponunt, filium illum, de quo in d. *leg. Paulus* 11. quamuis iuſtus non ſit, ex quo tempore conceptus eſt, iuſtum tamen inueniri, & intelligi, poſt mortem aui, tempore natiuitatis. Id porrò, & à ratione iuris, de qua poſtea, & à ſententia Pauli deuiat, cuius reſponſum in d. *l.* 11. ſicut eiuſdem illud omnino ſimile in *l. eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt.* Exaudiuntur ſic probabiliter, vt Gordianus exaudit, in *l. & ſi contra* 6. *C. de nupt.* Nempe, vt filij concepti, ſiue ſuſcepti, natique poſtquàm, ſublato impedimento, iuſtæ nuptiæ eſſe cœperunt, iuſti etiam, legitimique ſint: & è contra nati, quo tempore matrimonium iuſtum non erat, aut ſaltem tunc concepti, quamuis poſtea naſcantur, nunquam iuſti liberi ſint, vt rectiſsimè ex verbis d. *l. & ſi contra* 6. colligit Thalelæus, Contio in *diſputationibus* iam expenſus, *l.* 67. nec ſatis perſpectus *lib.* 28. iuxta Hervetti editionem Baſilicon *tit.* 2. *in ſcholijs* το κατα πόδας.

Ergo vt iam dicam, ſententia Pauli in d. *l.* 11. ea eſt, vt, poſt mortem aui, natus in illa ſpecie non ſit iuſtus filius ei patri, ex quo, ſcilicet, patre conceptus eſt: non ſit inquam, iuſtus filius indefinitè, & indiſtinctè, hoc eſt, nec conceptionis, nec natiuitatis tempore. Ratio autem ſententiæ huius pendet ex ſuperiore iuris Regula, nempe quia cum conceptus ſit, viuente auo, & ignorante de coniunctione filiæ, quæ in eius poteſtate erat, ideoque eo tempore, quo & coniunctio illegitima, & nuptiæ non iuſtæ fuerunt iure Romano, vtpote collocatæ à filia familias, ſine conſenſu expreſſo, vel tacito patris ignorantis, *princip. Inſtit. de nupt. l.* 2. *D. de ritu nupt.* iunctis *l. in ſponſalibus* 7. §. 1. *D. de ſponſal. l. dotis* 68. *D. de iure dot.* & in filijs, ex iuſto matrimonio ſuſceptis, vt tales patri ſint, & habeantur, inſpici debeat conceptionis tempus, vt ex Vlpiano, & Caio docuimus, conſequens eſt, conceptum, ignorante auo, de coniunctione filiæ familias, non eſſe iuſtum filium patri, ex quo conceptus eſt, quamuis poſt mortem aui naſcatur, quia & inſpecto tempore natiuitatis, quamuis tunc avus ſciens iam, prudenſque nuptijs conſentiret, (quod impoſsibile eſt in *d. l.* 11. auo mortuo ante natiuitatem nepotis) & quamuis, aut avum ipſum medio tempore, inter natiuitatem, & conceptionem, aut ipſos coniuges, poſt mortem aui, nouo conſenſu nuptias confirmaſſe, ponamus, quorum neutrum exprimitur in *d.*

l. 11. conualeſcerent quidem ita, vt exinde, à die accommodati conſenſus, nuptiæ in futurum iuſtæ eſſe inciperent, & filij poſt conſenſum concepti, natique iuſti ſint. *l. filius* 28. §. *ſi quis eo* 3. *D. de liber. & poſth. l. nuptiæ* 18. *l. ſi quis in Senatorio* 27. *D. de ritu nupt. l. ſi vt proponis* 5. *Cod. de nupt.* non tamen, vt vel retro, & in præteritum iuſtæ habeantur. *l. dotis* 68. *D. de iure dot. l. ſi vxor* 13. §. *ſi quis vxorem* 6. *in in fine D. ad leg. Iul. de adulter.* quoniam iuſſus, conſenſuſue præcedere nuptias debet, *princip. Inſtitut. de nupt.* & ideo ſi coniunctionem ſequatur, facit, vt exinde ſint nuptiæ, quas iam præcedit, non autem, vt ſint nuptiæ in præteritum, nec ratihabitio in nuptijs, retrotractionis vim habet, vt doctè ante alios, ex Latinis, notat Græcanicus Interpres Enantiophanes ad *d. l. dotis* 68. *lib.* 28. *tit.* 15. in editione Gentiani Heruetti, & *lib.* 29. *tit.* 1. in Baſilicis editis à Fabrotto, ac demum in editis à Cuiacio, & *lib.* 60. *tit.* 37. *ad d. l. ſi vxor* 13. §. *ſi quis vxorem*, atque eſt, in eam rem, proprium, apertumque Pauli reſponſum, in *l. eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. l. etſi contra* 6. *Cod. de nupt.* cuius lectionem temerè attentat Contius, & tuetur Cuiacius, Gothofredo illic laudati, ex Synopſi Baſilic. 28. *tit.* 2. *cap.* 30. Proinde neque iuſtus filius patri eſſe poteſt, ex eo conceptus, ante quàm nuptiæ iuſtæ eſſent, quamvis, poſt eas iam iuſtas, naſcatur, cum conceptionis tempus ſpectemus non natiuitatis, ex illa regula ambigui iuris.

Nec ad rem pertinet Iuſtiniani conſtitutio in *l. Nuper* 11. *Cod. de naturalib. lib.* dum generaliter definit, in his quæſtionibus de ſtatu liberorum, partus, ſiue editionis tempus ſpectari, non conceptionis, niſi ſicubi id nato vtilius eſt, ideoque etiam conceptos ante nuptias legitimas, poſtea nuptijs iuſtis ſequutis, iuſtos patri filios naſci. Eſt enim tota ea conſtitutio de filijs naturalibus extra nuptias ſuſceptis ex concubina, cum qua nuptiæ eſſe poterant, eiſque poſtea ſecutis, etiam ſi ante nati, & concepti, iuſti efficiuntur, ex conſtitutionibus; vnde, vt Iuſtinianus loquitur, *multò magis*, iuſti erunt concepti ante nuptias, & poſt eas nati, inſpecto tempore natiuitatis, non quidem, vt Cuiacius voluit *Nouella* 12. ex ſuperiori regula iuris antiqui de inſpiciendo tempore editionis, in non legitimè conceptis (ea enim pars regulæ faceret potiùs, vt, tanquam non ex iuſtis nuptijs ſuſceptis, matris ſtatum ſequerentur, nec patri iuſti filij eſſent. *dict. l. Cum legitimæ* 19. *l. Lex naturæ* 24. *D. de ſtatu homin.* implicatque contradictionem cum illa regula, vt, ea attenta, tanquam in non legitimè ſuſceptis, inſpiciatur tempus editionis, & rurſus, eo tempore inſpecto, ſint iuſti filij, legitimique patri, vt Iuſtinianus ſtatuit) ſed ideò *multò magis*, quia in natis poſt legitimas nuptias, etiam ſi ante eas conceptis, fortior ratio eſt, habendi eos pro iuſtis filijs, quàm in conceptis, natiſque ante nuptias, inſpecto nempe in illis tempore editionis, quod, vti nato vtilius, ſpectari, placuerat iam olim. *l. Et ſeruorum* 5. *Ingenui* 2. *D. de ſtatu homin.* Vnde & ex probabilibus rationibus hoc fieri, dicitur à Iuſtiniano in *Nouella* 89. *quib. mod. natur. eff. cap.* 8. §. *vltim.* & in Baſilicis *lib.* 28. *tit.* 2. *ad finem.* Sed, vt dicere, occœpi, ea conſtitutio eſt de filijs conceptis ex concubina, non autem de conceptis ex iniuſtis nuptijs, quos iuſtos fieri,

con-

confirmatis ante natiuitatem nuptijs, contra Paulum *in dict. l.* 11. & rationem, regulamque iuris, non facilè admiſerim ſine conſtitutione, in eoque aſſentior magis Alberico, ſic diſtinguenti, *in dict. l. Paulus* 11. & poſt eum, Connano *lib. 8. cap. 4. n. 6.* Baſilio Legionenſi *de matrim. lib. 2. cap. 1. §. 2. num. 25.* Et ante eum Ferd. Mendozæ *de Concil. Illib. confirm. lib. 2. cap. 34.* Cuiacio *lib. 10. quæſt. Papin. ad l. Dotis 68. D. de iure dot.* tametſi hodie aliter deciſum ſit, ex noſtrati Regia *l. 11. Tauri. l. 9. tit. 8. lib. 5. compil.* & de vtroque valde, & validè certent, præter laudatos ab Amaya *dict. lib. 2. obſeruat. cap. 4.* plures apud Garſiam *de benefic. 7. part. cap. 2. ex num. 35.* Baſil. Legion. *lib. 11. de matrim. cap. 3.* nouiſsimè Don Ioann. Bapt. Larr. *deciſ. Granat. 8. num. 61. & deciſ. 43. ex num. 25.*

6 Ergo, vt ex diuerticulo iam in viam, quamvis à regula illa iuris ciuilis, de ſpectando tempore conceptionis in iuſtis filijs, & editionis in non legitimè ſuſceptis, receſſum ſit, quoad ſtatum libertatis, & ingenuitatis ex Conſtitutionibus Principum, quibus promiſcuè placuit, ſpectari, vel conceptionis, vel editionis, vel medium tempus, qualicumque ex his mater libera fuerit, ſiue quod partui vtilius ſit, vt ingenuus naſcatur. *l. Imperator 18. in princip. D. de ſtatu hom. l. Si ante 4. Cod. de pœnis. l. Nuper 11. Cod. de natural. lib.* quod & frequentiùs, libertatis fauore, ſequuntur veteres Iuriſprudentes. *l. 5. §. Ingenui 2. l. pen. D. de ſtatu homin. l. 1. §. Quæri 1. D. de ſuis, & legit. l. 1. §. Interdum 3. l. 2. §. Sed ſi in ſeruitute 3. D. ad S. C Tertyll. l. Si ſtatu libera 6. in princip. & §. 1. & 2. D. de ſtatu liber. l. vlt. D. de ſentent. paſsis.* Paulus *lib. 2. ſentent. tit. 24. §. 1. 2. & 3.* tamen quoad honores, originem, nobilitatem, familiam, & gentilitia ſacra, ſiue nomen, & genus, *in quo monſtrando eſt Princeps partis paternæ prærogatiua,* vt Sidonius loquitur *lib. 4. epiſt. 21.* ſiue in queis ſingulis filij iuſti patrem ſequuntur. *l. cum legitimæ 19. D. de ſtatu homin. l. liberos 10. §. 1. D. de Senator. l. 1. §. 2. l. Aſſumptio 6. §. 1. D. ad municip. l. 1. §. vltim. D. de iure immunit. l. Familiæ 196. §. 1. D. de verb. ſign. l. 1. Cod. de poſtlim. reuerſ. l. Eos 22. l. Exemplo 36. l. Nullus 44. Cod. de Decurion. lib. 10. l. 3. Cod. de municip. & origin. eodem libro;* §. *Sunt autem 1. Inſtit. de legit. agnator. tut. cap. Ex litteris 2. de conuerſione infidelium.* Dubitari non immeritò potuit, an conceptionis tempus ſpectandum eſſet, vel editionis. Namque conceptionem ſpectari, ſuadebat iuris regula vetus, ratioque, id tempus ſpectans, vt patrem primum, præcipuumque generis auctorem, & ex conceptione, in qua præualet, æſtimandum, ſequantur filij ex iuſtis nuptijs concepti, quales eſſe, ſupponimus, cum quærimus, an patris dignitate, vel origine cenſeatur. *dict. l. in fine, D. ad municip.* E contrario autem inſpici in eadem re tempus editionis, pervinci, videbatur, exemplo originis, ſiue Ciuitatis, patriæ, & municipatus, cuius reſpectu, & vt paterna origine filij cenſeantur, regulare quodammodò eſt, vt natiuitas attendatur: & ideo eam facere municipem dicimus. *l. 1. in princip. D. ad municip.* & perſæpe, cum de aſſumptione originis filiorum à patre, quæritur, referri oratio ſolet ad tempus naſcendi, ſiue ad natos, non ad conceptos. *d. l. 1. §. qui ex duobus 2. l. Filij 22. §. Senatores 5. D.*

ad

ad municip. l. Moris 9. §. *Planè, D. de pœnis. l. 2. Cod. de ordine iudicior.*

In hoc itaque rationum iuris conflictu, cum non deeſſent forſitan, qui exiſtimarent, ſpectandum eſſe tempus editionis, quoad honorem filij Senatoris, & ideo nec habendum pro filio Senatoris eum, cuius pater, antequam iſte naſceretur, Senatu motus fuit, quamvis poſt conceptionem ipſius, tamen Vlpianus noſter *in dict. l. Emancipatum* 7. §. 1. *verſ. Si quis conceptus*, dubitandi, diſſentiendique rationem agnoſcens ſcripſit, *magis eſſe*, vt quaſi Senatoris filius intelligatur, quia conceptionis tempus ſpectandum, *pleriſque placuit*, tum iuxta regulam iuris antiqui in filijs iuſtis, qualem hunc eſſe, ſatis ſupponitur, dum quæritur, an patrem ſequatur. *dict. l. Cum legitimæ* 19. *D. de ſtatu homin.* Tum etiam, quia, cum de eius dignitate, & commodo agatur, pro nato habendus eſt, ex quo tempore conceptus eſt. *dict. l. penult. D. de ſtatu homin.* Diuerſum autem eſt in origine, ſiue municipatu, quem plerumque natiuitas tribuit, non conceptio, quia & plerumque non pertinet ad honorem, commodumue illius, qui naſcitur, vt hac potius origine, & patria, quàm illa, cenſeatur, quamvis interdum hæc illa vtilior, vel honeſtior eſſe poſſit. Vnde & iam intelligimus, cur Vlpianus in filio Decurionis, concepto ante motionem patris ab ordine, & poſt eam nato, & ſimilibus quæſtionibus, quas tractat in *dict. l. 2.* §. *Sed ſi pater* 3. *cum* §. 5. *& 6. D. de Decurionib.* vt tanquam Decurionis filium intueatur, non vt in filio Senatoris, ex ſententia magis recepta, ſiue quia *pleriſque placuit*, ita concludat, ſed, vt loquitur, *benignè, & non infauorabiliter*, nempe quia, cum Decurionis nomen, munus, & filij Decurionis honor, non merus honor ſit, ſed honoris, oneriſque mixtura, ex origine pendens, quam natiuitas tribuit, idcircoque & Decurio fortunam ſuam, naſcendo, mereri, dicatur. *l. Decurio* 41. *Cod. de Decurion. lib.* 10. poſtulabat regula, ratioque iuris, vt ſpectaretur natiuitas, qua attenta, plebeius pater fuerat, in *dict.* §. *Sed ſi pater* 3. *cum* 5. *&* 6. niſi, benignitatis intuitu, defenderetur, conceptionis, aut medium tempus ſpectari, vt, quaſi Decurionis filius, in honoribus eſſet. *dict.* §. *Sed ſi pater* 3.

CAPVT V.

AD VERBA IVLIÆ LEGIS: *NEPOSVE EX FILIO;*

l. Emancipatum 7. §. *vltim. D. de Senatorib. l. Diuo* 11. *C. de Quæſtion. l.* 2. §. *In filijs, verſic. In auo, D. de Decurion.*

ARGVMENTVM.

Filiorum, & liberorum nomen quos complectatur. *lex liberos* 10. *D. de Senator.* relata, iuxta Epigraphen, ad tractatum *de agnoſc. lib.* non ad Iuliam noſtram. An nepos Senatoris, vel Decurionis, cuius pater, ante eum conceptum, dignitatem amiſit, habendus ſaltem pro Senatoris nepote, diſsidium fere eſt, inter Iuris Auctores. Ei conciliando, teſtamenta Græcorum, Latinorumque Interpretum im-

improbata. At probabilis diſtinctio, inter Iuliam legem de connubio Senatorio, & priuilegio Decurionum, quoad tormenta, & pœnas. Diſtinctionis ratio reuelata, & petita ex differentia iuris, ex perſona propria competentis, aut ex vi transmiſſionis. Exemplum *in l. vlt. D. de Decurion. l. vlt. D. de pœnis*, quæ & inde componuntur. Exemplum aliud in patronatu libertorum. Reijciuntur rationes aliæ, & opinamenta nouiorum. Et, vei ſuppoſita paritate iuris, ex lege Iulia, & priuilegij Decurionum, expenditur, quoad primum, fauor nepotis, vtpote innocentis, ne ei patris nota obſit; non item quoad ſecundum, in quo ipſe nepos nocens, aut noxæ ſuſpectus. Iam ad Vlpianum *in l. 2. §. in filijs, verſic. In auo, D. de Decurion.* Thalelæi expoſitio, cui non ſubſcribitur. Obſervantur potiùs duo alij intellectus ad *d. verſ. In auo*: & obiter, an nobilitas, quęſita à filio, proſit patri, ſaltem quoad pœnas.

1 PErgamus iam in legis Iuliæ capite, in quo, poſt verba, *quiue filius*, ſcriptum mox eſt, *nepoſue ex filio*. Et quidem neceſſariò, meritòque; quia, tametſi interpretatione iuſta, & ciuili, filiorum appellatio producatur plerumque ad nepotes, vel ex ſententia legum, vel ex præſumptione probabili voluntatis teſtantis. *l. Filij* 84. *l. iuſta* 201. *l. Liberorum* 220. §. *Sed & Papirius, D. de verbor. ſign. l. Vxorem*, 41. §. *Concubinæ, D. de legat.* 3. *l. Filium* 14. *D. de Senat. Conſult. Macedon. l. Si filius* 6. *Cod. eod. tit. l. Senatus Conſulto* 59. *D. de ritu nupt.* quoniam parentibus pijs nepotes, filiorum loco, ſunt. *l.* 1. *de naturalib. filijs in Cod. Theodoſian. l. Si quis filium* 34. *Cod. de inoffic. teſtam. dict. l. Liberum* 220. §. *vltim. D. de verbor. ſign.* Sepoſita tamen voluntatis coniectura, & ex proprietate ſermonis, filiorum nomen ad nepotes non pertinet. *l. Quid ſi nepotes* 6. *D. de teſtam. tut. l. Sed & milites* 8. *D. de excuſat. tutor.* §. *vlt. Inſtit. Qui teſtam. tutor. dari poſſ.* Vnde & apud Dionem *lib.* 54. *hiſtoriæ*, cum interdictum iam olim eſſet *Senatorum filijs*, τοῖς παισὶ τῶν βουλευτῶν (non *liberis*, vt inconſpectè vertit vulgaris Interpres) ne in Orcheſtra ſaltarent, idque ipſum adhuc facerent equites, fœminæque illuſtres, prohibuit, ampliùs fieri, Auguſtus, non modò filijs Senatorum, de quibus iam ante cautum erat, ſed etiam nepotibus, alijſque equeſtris ordinis, quaſi ſcilicet nepotes, priore interdictione filiorum non continerentur. Eadem itaque ratione, & reſpectu, prohibitionem nuptiarum cum libertinis, ſcenicisque, quæ ſuopte genere ſtricta, & odioſa, vt notauimus ſupra *cap.* 4. ex *l. Palàm* 43. §. 1. 2. & 3. & §. *Si qua* 11. *D. de ritu nupt.* ne, ſi de filijs Senatorum dumtaxat conciperetur, nepotes non comprehenderet, produxit neceſſariò eadem lex Iulia ad nepotem ex filio, vt perinde à connubio libertinæ, ſcenicæue arceretur.

Inde verò intelligimus, quò pertineat, & quàm certa, rectaque ſit definitio Vlpiani ex *lib. eiuſdem* 34. *ad edictum in l. liberos* 10. *D. de Senator.* nempe *liberos Senatorum accipi debere, non tantùm Senatorum filios, verùm omnes, qui geniti ex ipſis, exue liberis eorum, dicantur, ſiue naturales, ſiue adoptiui ſint, liberi Senatorum, ex quibus nati dicuntur.* Pertinet enim ea definitio ad tractatum de iure, & nomine filij Senatoris, quem Vlpianus *lib.* 34. *ad edictum* attigit, fortaſſe occaſione edicti Prætorij, & Senatus Conſultorum de agnoſcendis, & alendis liberis. *l.* 1. & *l.* 3. §. *Quid ergo* 2. *D. de agnoſc. lib. l.* 1. *D. ſi ventris nomine mul. l. vn. D. ſi mulier ventr. nom.* quæ ſunt ex *libro*

34. Vlpiani *ad edictum*; & *in d. l.* 3. §. *Quid ergo* 2. quæritur, an nepos, poſt mortem patris, natus, liberorum appellatione comprehendatur, ita vt cum auo agi poſsit, præiudicio de partu agnoſcendo, & affirmatur, poſſe, quia liberorum appellatio non tantùm filios, ſed & nepotes complectitur, vt appoſitè ad rem notatur *in dict. l. Liberos* 10. Nec ignoro, tractaſſe Vlpianum *eodem libro* 34. de dotibus, diuortijs, & adiacentibus. *l. Si rem* 14. *l. Diuus* 40. *D. de iure dot. l. Cum pater* 11. *D. de pactis dotal. l. Si non ſecundum* 34. *D. de donat. inter. l. Si filia* 5. *D. de diuort. l. Nihil* 15. *l. Sed & ſi* 19. *D. de act. rerum amot.* Sed, vt propoſui, quæſtioni *dict. l.* 3. §. *Quid ergo, D. de agnoſc. liber.* rectiſsimè coniungitur ſententia *d. l. Liberos* 10. quemadmodùm & tractationi noſtræ de filijs Senatorum, quoad nuptias cum Scenicis, libertinisve, de qua Marcellus *lib.* 1. *ad legem Iuliam, & Papiam, in l. Sciendum* 32. *l. Obſeruandum* 49. *D. de ritu nupt.* Coniunxit ille idem Marcellus, *eodem libro*, quæſtionem de nepote ex filia Senatoris, quoad onus alendi, *in l. Non quemadmodùm* 8. *D. de agnoſcend. liber.* quæ & quæſtio, quoad nomen filij Senatoris, deciditur in nepote ex filia, *in dict. l. Liberos* 10. *in fine*. Ergo cum conſtet iam, quò pertineat illius legis definitio, in quo tamen hallucinantur *Manualia* Baronis, intelligitur facilè, cur Vlpianus, retenta appellatione liberorum, ex tractatu de liberis agnoſcendis, nec expenſa, imò velut neglecta, expreſsione nepotum, quæ in verbis Iuliæ legis extabat, proponat, veluti pro regula, liberos Senatorum accipi, non tantùm filios, verùm omnes genitos ex ipſis, exve liberis eorum. Inconcinnè ſanè, aut ineptè, ſi referas ad verba legis Iuliæ, quæ non liberorum, ſed filij, nepotis, pronepotis, nec vltra meminit, ſed appoſitè, & rectè, ſi ex tractatu, de liberis agnoſcendis, liberorum appellationem ſumi, obſervemus, quoniam ea comprehenduntur nepotes, pronepotesve, & cæteri deſcendentes. *l. Cognoſcere* 56. §. *Liberorum. l. Liberorum* 220. *D. de verbor. ſignif. l. Sed ſi hac* 10. §. *Liberos* 9. *D. de in ius voc. l. Si dotali* 48. *D. ſolut. matrimon. l.* 2. §. 7. *D. de excuſat. tutor. l.* 1. §. 1. *D. de legat. præſtand. l. vlt.* §. *Parentes* 7. *D. de gradibus. l.* 3. §. *Liberos* 6. *D. de aſsign. libert. l. Moris* 9. §. *Liberos* 13. *D. de pœnis.* Eòque referenda, & ſimiliter accipienda eſt, ſumma eiuſdem *legis Liberos* 10. in Synopſi Baſilic. *lib.* 6. *tit.* 1. *cap.* 8. quæ ſic habet: *Omnes à Senatore deſcendentes*, κατιόντες, *Senatoris liberi dicuntur.* Nempe quoad alios effectus, quàm legis Iuliæ, quæ reſtricta ad pronepotes, vt dicemus infra.

Iam verò ad hæc Iuliæ legis verba coniuncta, *quive filius, nepoſve ex filio*, referenda propriè eſt Vlpiani adnotatio *lib.* 1. *ad legem Iuliam, & Papiam, in l. Emancipatum* 7. §. *Si quis & patrem, D. de Senator.* quæ docet: *Si quis & patrem, & auum habuerit Senatorem, & quaſi filium, & quaſi nepotem Senatoris intelligi.* Vtrumque ſcilicet, proprio, optimoque iure, quoad effectum prohibitionis connubij ex lege Iulia, cuius verbis, & tanquam filius, & tanquam nepos comprehenditur. *d. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* Huius autem ſententiæ vtilitas, vt cernatur, ſubiungit Vlpianus *in* §. *vltim. dict. l. Emancipatum* 7. Si pater dignitatem Senatoriam amiſerit, ante conceptionem huius, ſcilicet, qui patrem, & avum Senatorem habuit, *vt in* §. 3

præ-

præcedenti, quæri poſſe, an quamuis, quaſi Senatoris filius, non intelligatur, quaſi nepos tamen intelligi debeat? Et ſanè, non eſſe quaſi Senatoris filium, rectè ſupponitur, ex propoſitis in eadem *l.* 7. §. 1. *verſ. Sed eum*, de quo *capite ſuperiori*. Non eſſe autem intelligendum, quaſi nepotem aui Senatoris, peruinci, videtur, tum ex ratione iuris, qua attenta, officium, iuſque aui, circa nepotem, ex officio patris erga filium, pendet; quia per patrem nepos auo coniungitur, & aui iura aſſequitur. *l. Dotem* 6. *D. de collat. l. Si ex patronis* 10. §. *Iulianus*, *D. de bonis libert.* Tum & exemplo priuilegij, ne plebeiorum pœnis, vel quæſtionibus ſubijciantur eminentiſſimorum, & perfectiſsimorum, nec non & Decurionum, liberi, vſque ad pronepotes: quo priuilegio ita demum nepotes fruituros, Diuo (vt indigetabant) Marco, & Vlpiano placuit; *ſi prioris gradus liberos, per quos id priuilegium ad vlteriorem gradum tranſgreditur, nulla violati pudoris macula adſpergit*; hoc eſt, ſi eorum pater, ante quam hi conciperentur, ordine motus, ſiue expunctus non eſt. *l. Diuo* 11. *Cod. de quæſtion.* Et tamen contra Vlpianus noſter reſpondet, *in dict. l.* 7. §. *vltim.* magis eſſe, vt hic nepos, quaſi nepos Senatoris intelligi debeat, vt aui potius ei dignitas proſit, quàm obſit caſus patris. Quin & in Decurionis nepote, Vlpianus idem *in Diſputationum libris*, quorum auctoritate nititur *dicta lex Diuo* 11. longè aliter, quàm ibi ſcriptum eſt, reſpondet, *in l.* 2. §. *In filijs*, *verſic. In auo*, *D. de Decurion. In auo quoque*, inquit, *Papinianus idem reſpondit, ne patris nota filius macularetur.* Quorum verborum quænam, quæſo, alia idonea ſententia, niſi, non maculari nepotem nota patris, nec arceri à prærogatiua, ex perſona aui, in quo id ipſum Papinianus reſponderit?

Nec proponimus, probamuſve Accurſij, & apud eum aliorum *in d. l.* 7. §. *vlt.* diuinationes potius, quàm diſtinctiones, inter motionem patris ab ordine, propter inualetudinem, vt *in d.* §. *vlt.* aut propter infamiam, vt *in d. l. Diuo* 11. & inter nepotem in poteſtate aui, vt *in d.* §. *vltim.* aut extra poteſtatem, vt *in d. l. Diuo* 11. vel denique inter nepotem, conceptum, viuo auo, vt *in d.* §. *vlt.* aut poſt mortem aui, vt *in d. l. Diuo* 11. quomodò tandem, poſt Accurſium, docent, diſtinguntque Bartolus, Iacobus de Arenis, Albericus, Fulgoſius, & alij *in d. l.* 7. §. *vlt.* Cynus, & reliqui in *d. l. Diuo* 11. ſed nec probabiliora mihi ſunt commenta Thalelæi, & aliorum Interpretum Baſilicon *lib.* 60. *tit.* 51. *ad l. Crimen* 26. *D. de pœnis*, & *tit.* 50. *ad dict. l. Diuo* 11. (vbi, inter alia, aberrant largiter, dum ſcribunt, infamem filium, vel nepotem, quamvis ex ſe genitis, noceat, quoad honorem ex perſona aui, non tamen ſibi obeſſe, nec puniri ipſum, ſeu torqueri, vt plebeium, quia debetur ei honor parentum. Quod & abſurdum eſt, & refellitur *in l. vlt.* §. 1. *D. de pœnis*) ſicut nec Fulgoſij aliud *in dict. l.* 7. §. *vlt.* Fatemur potius, cauſatè Cuiacium 20. *obſeru. cap.* 29. *&* *ad tit. Cod. de quæſtionib.* dum, conciliandi Vlpiano Vlpiani, *in dict. l.* 11. *dict. l.* 7. §. *vlt. dict. l.* 2. §. *In filijs*, *verſic. In auo*, viam aliam non reperit, eam ſibi ferro aperire, & correctorio ſtylo, vt, negatione adiecta, *in dict. l.* 11. ſic legatur; *In Decurionibus autem, & eorum filijs hoc non obſeruari*, & deinceps. Sed

cau-

cauſatiùs multò concinnatores librorum iuris Baſilicon, qui vt, Antinomiæ huius conciliandæ, curam præciderent, pro legumlatrice poteſtate, qua erant, totum illum verſiculum extremum, in Decurionibus *dict. l.* 11. prætermiſerunt *libr.* 60. *βασιλικῶν διατάξεων titul.* 50. *in dict. l.* 11. Vbi & in Scholijs Thalelæus Vlpiani, de Decurionis filijs, ſententiam diſsimulat. Sed, cum vel adhuc diſſidij manifeſta veſtigia maneant, inter noſtram *l.* 7. §. *vltim.* & *dict. l.* 11. *in principio*, non eſt, cur vel Cuiacij, vel Græcorum cauterio manus demus. Acceſsit propiùs rem, nec omnino tamen ad ipſam, vetus Gloſſographus, apud Accurſium, *in dict. l.* 7. §. *vlt.* diſtinguens inter honores, de queis *in dict.* §. *vlt.* & prærogatiuas liberationis à tormentis, & pœnis, de queis *in dict. l.* 11. nec diuerſus Faber in *Ration. dict. l.* 7. §. *vltim.* diſtinguens inter dignitatem, tributam iure communi, vt *in dict.* §. *vltim.* & eam, quæ habetur ex priuilegio *dict. l.* 11. Neuter tamen exponit, aut expedit, cur potiùs honor ſit ius filij Senatoris, de quo *in dict.* §. *vlt.* quàm ius filij eminentiſsimi, perfectiſsimi, aut Decurionis, cui connexa prærogatiua illa, quoad pœnas, & tormenta, quæ & proinde honor dicitur. *l. vlt.* §. 1. *D. de pœnis. l.* 3. *D. de veteran. l. Honor* 5. *C. de pœnis.* Siue cur potiùs honor filij Senatoris ſit ex communi iure, quàm honor filij Decurionis.

5 Ergo, vt rem explicem, adſentior potiùs Eguinario Baroni 1. *part. Manual. ad dict. l.* 7. §. *vlt.* quem, illaudatum, in hac re ſequuntur Guil. Fornerius *lib.* 2. *ſelect. cap.* 20. Petr. Burgius *lib.* 1. *electorum, cap. vlt.* Iulius Pacius *centur.* 1. *quæſt.* 40. affirmantes, ſeparandam eſſe cauſam Iuliæ, Papiæque legum, de connubio Senatoriorum cum libertinis, ſcenicisve, ad quam *dict. l.* 7. §. *vlt.* referenda eſt, vtpote inſcripta *lib.* 1. Vlpiani ad legem Iuliam, & Papiam, vt Epigraphe oſtendit, & ſæpiculè iam monuimus; & priuilegium illud, ne viri eminentiſsimi, ac perfectiſsimi, & Decuriones, eorumque liberi, vſque ad pronepotes, pœnis, tormentiſque plebeiorum ſubdantur, de quo *in dict. l. Diuo* 11. Differentiæ autem, inter vtramque cauſam, ratio tentata potiùs, quàm expoſita Baroni, & alijs, in obſcuro non eſt. Quippe, quoad leges noſtras, nepoti nota patris non nocet, & pro nepote Senatoris habetur, ne libertinam, ſcenicamve ducat, quia nepos, non ex patris perſona, ſed ſuo, proprioque iure, comprehenditur verbis Iuliæ legis, quę, vt filij nominatim, ita & nepotis ex filio meminit. *d. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt. dict. l.* 7. §. *Si quis & patrem.* Nec dubitari poteſt, quin nepos ſit ex filio Senatoris, quamuis filius Senator eſſe deſierit. Et ideo magis eſt, vt quamvis, quaſi Senatoris filius non intelligatur, quaſi nepos tamen intelligi debeat. *dict. l.* 7. §. *vltim.* At priuilegium illud, de quo *in dict. l. Diuo* 11. non nepoti ſpecialiter, proprioque iure, ſed liberis ex perſona patris, vſque ad tertium gradum, tributur. *l. Moris* 9. §. *Parentes cum* §. *ſeq. D. de pœnis. l.* 3. *D. de veteran. Et per priores gradus perſonas ad vlteriorem gradum tranſgreditur*, vt ſcriptum eſt, ἐπεξηγητικῶς, *in dict. l. Diuo* 11. ſiue *ad filios, atque nepotes, ipſo ordine ſanguinis, peruenit*, vt legimus *in l.* 1. *Cod. de priuileg. eorum, qui in Sacr. Palat. milit. lib.* 12. idcircoque non fruitur priuilegio, quaſi nepos, cuius pater notatus eſt, quia nec po-

teſt

teſt ad nepotem tranſmitti, media, interiectaque patris perſona, qui ſua nota, infamiaque id amiſit. Valetque hic propriè, & obtinget ratio illa iuris, quæ oſtendit, nepotem auo, per patrem, iungi, & aui iura adſequi, ea ſcilicet, quæ per patrem, vt traducem, ad nepotem diffunduntur. *d. l. Dotem 6. D. de collat. l. 3. D. de interdict. & relegat. l. Si viua 3. C. de bonis mat.*

6 Nec ſine exemplo eſt, quod ponimus, proniorem, facilioremque viam eſſe, amittendi priuilegij, quod alieno, & deriuato beneficio, quàm quod proprio iure obtingit. Sic enim, ne cancellos priuilegij Decurionum in pœnis, & tormentis, perrumpamus, Decurioni, quamuis damnato, & hoc ampliùs, quamuis ante damnationem Decurio eſſe, deſierit, ordine ſcilicet motus, eoque ipſo notatus, ſervatur priuilegium id, in memoriam prioris dignitatis, tanquam ei, qui fuit Decurio. *l. vlt. D. de Decurion.* Et tamen Decurionis filius, qui & ipſe, cum Decurio eſſet, amiſit, ſuo admiſſo, honorem decurionatus, non habet priuilegij ius in pœnis euitandis, tanquam Decurionis filius. *l. vlt. §. vlt. D. de pœnis*, cur tam variè dixerit quiſpiam; niſi quia memoria dignitatis, & priuilegij, proprio iure, quæſiti, qui Decurio fuit, hæret, dur atque magis, nec tam facilè amittitur, quàm priuilegium, adſcititio iure, delatum ei, qui filius eſt Decurionis, quomodò conciliandis *d. l. vlt. D. de Decurion.* cum *d. l. vlt. §. vlt. D. de pœnis*, notat rectiſsimè, Accurſianorũ ſubtiliſsimus, Raphael Fulgoſius, *ad d. l. Diuo 11. in fine, C. de quæſtion.*

7 Quin & è contra, vt perſimili exemplo rem firmem, quicquid non à patre, aut per patrem hæreditario iure tranſmiſſum, ſed ſpeciali, prioq; iure ſanguinis, nepoti defertur, quale eſt ius patronat⁹ in liberto auito, non aufertur nepoti, ex nota patris, vel exhæredati, vel alioquin excluſi, quia libertum capitis accuſauit, ſicut ad *leges noſtras Iuliam, & Papiam* notatum, ſcio, *in l. Quæritur 38. D. de bonis libertor. l. Diui 17. D. de iure patron.* niſi quamdiu hic nepos in poteſtate patris eſt, ne pater, ſuo nomine, excluſus, per nepotem admittatur. *l. In ſeruitutem 16. §. Si Patroni 4. dict. l. Quæritur 38. l. Quod ſi pater 11. & l. Filius 13. D. de bonis libertor.* iuxta quas, & Iuliani in eis ſententiam *libro 26.* Digeſtorum, exponendus eſt idem Iulianus, in *d. l. Si ex patronis 10. §. Iulianus, verſ. Quod ſi pater, D. de bonis libert.* vt exactè, & operosè magis dicemus ad legum noſtrarum Capita, de ſucceſsione libertorum.

Quòd ſi, vel gratis, largiamur, 8 etiam id priuilegium, de quo *in dict. l. Diuo 11.* non ſub communi liberorum nomine, ſed ſpeciali, proprioque iure, nepoti indulgeri, argumento ex *l. Si quis filio 6. §. Eius 7. verſ. Sed & ſi, D. de iniuſto rupto*, & quod eſt amplius, vrgeamus, dici propriè non poſſe, nepotem ex filio Senatoris, qualem Iulia lex exigit, eum, cuius pater, cum Senator & ipſe eſſet, ſuo admiſſo Senatoriam dignitatem amiſit, quia & eo ipſo amiſit Senatoris filij honorem, & nomen. *l. vltim. §. vltim. D. de pœnis*, proinde etiam curioſiùs quæratur, cur adhuc nepos, quoad leges noſtras, habeatur pro nepote ex filio Senatoris, non itē quoad priuilegium *dict. l. Diuo 11.* ſubtilioris, nec facilè extricandæ, diſquiſitionis eſt. An quòd, vt, poſt Baronem, nouiores ſcribunt, ius legis Iuliæ, & Papiæ in hac re, ſine incommodo alieno, procedit, pertinetque ad honorem, & dignita-

Bbb tem,

tem, fauorabilem non modò ipſius nepotis; ſed etiam aui Senatoris, cui dedecori eſſent impares nuptiæ, à nepote contractæ; priuilegium autem, quoad pœnas, & tormenta, nocere publicè poteſt, ſi ea, veluti hæreditariæ impunitatis illecebra, confidentiùs peccetur? An & ideo, vt Fornerius adijcit, quia odioſæ, inuiſæque Iuliæ, Papiæque leges, ditando ærario latæ, & Romanorum temporum, calamitatumque, teſtes? Aliena ſanè hæc ſingula, ne grauiùs notem, & ſibilo excipienda, non plauſu; namque & ius Papiæ, Iuliæque legis, in interdictione connubij cum libertinis, non eò vſque procedit, ſine alieno incommodo, vt non afficiat nota pergraui totam eam partem Ciuitatis, *quam, velut contaminatam, indignam habet connubio*; vt in re ſimili Cornelius loquitur, apud Liuium *libro* 4. ideoque quamvis ad honorem Senatoriorum pertineat, fuit tamen ſtrictæ ſemper, non fauorabilis interpretationis apud Conſultos, ob coarctationem libertatis nuptiarum. *l. Palàm* 43. §. 1. 2. *&* 3. & §. *Si qua* 11. *D. de ritu nupt.* & è contrario priuilegium, quoad pœnas, & quæſtiones, cum eas, interpretatione molliri, quàm aſperari, æquius ſit. *l. penult. D. de pœnis. l. Cum quidam* 19. *D. de liber. & poſth.* maximè quoties ex paterno crimine, aut pœna, ſorti paternæ filium ſubijcimus. *l. crimen* 26. *D. de pœnis. l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, benignè ſemper accipi, & produci ſolet, ſiue non infauorabiliter. *l.* 2. §. *In filijs*, & §. *Sed ſi pater* 3. *cum* §. 4. *&* 5. *D. de Decurion.* Et perinde priuilegium hoc, ac ius illud Senatoriorum, computatur inter honores. *l. vltim.* §. 1. *D. de pœnis. l.* 3. *D. de veteran. l. Honor* 5. *C. de pœnis*, nec leuiori decori eſt auo filius, pœnæ, aut quæſtioni plebeiorum ſubiect⁹, quàm matrimonio libertinæ coniunctus, argumento ex *l.* 2. §. *In filijs, verſ. In auo, D. de Decurion.* Denique ratio illa odij, & coanguſtationis Iuliæ, Papiæque legum, nec generalis, & perpetua fuit in tractatu de ritu nuptiarum, vt inconſpectè Fornerius ponit, non certè in eo capite, de permiſſo connubio ingenuorum cum libertinis, quod fauorabilem habuit interpretationem; quia frequentiæ nuptiarum, & ſobolis ſtudebat. *l. Hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſtrat.* de quo ſuis locis tempeſtiuiùs. Et quamvis ea ratio obtineat in iſto capite, de interdictione connubij Senatoriorum cum libertinis, quod, vt dixi, contrahi potiùs, quàm extendi ſolet, efficeret tamen ea ratio, & euinceret, non pertinere hoc caput ad nepotem ex Senatoris filio, qui, ante conceptionem huius, notatus eſt, ac proinde non haberet hic nepos ius filij Senatoris, quoad hanc partem legum noſtrarum, contra quàm præpoſterè, & læuè Fornerius colligit.

Quare, vt his, & ſi quæ alia eiuſdem notæ ſunt, omiſſis, ſuppoſita etiam, condonataque vtriuſque iuris exæquatione, de qua ſupra, tentari adhuc poſſet, diſtinctionis in hac re cauſam ex eo dependere, quia in argumento legum Iuliæ, vel Papiæ, cum quærimus, an Senatoris nepoti noceat crimen, notave patris, quoad connubium cum libertina, quærimus de nepote, alioquin inſonte, & innocente, cui ſola patris macula obijcitur, ne Senatoris nepos intelligatur. At in tractatu priuilegij, de quo in *dict. l. Diuo* 11. ſupponimus nepotem, aut apertè nocentem, aut grauiter ſuſpectum de- 9

delicti; quorum illud neceſſe eſt, vt puniri, hoc autem, vt quæſtioni ſubijci, poſſit. *l. Abſentem* 5. *D. de pœnis*, *l.* 1. §. 1. *l. Vnius* 18. §. 1. *D. de quæſtionib. l. Milites* 8. *C. eod. tit.* Planè inter hæc non minimum intereſt; nam cum iuris, & æquitatis ratio ſuadeat, vnumquemque, ex ſuo admiſſo, ſorti ſubijci, nec alieni criminis ſucceſſorem conſtitui, ideoque & crimen, pœnamve paternam filio maculam nullam infligere, *dict. l. Crimen* 26. *D. de pœnis. l. Sancimus* 22. *Cod. eod. titul.* Conſequens omnino eſt, filium quidem, qui, ſuo admiſſo, Senatoria dignitate cecidit, nec Senatoris quidem filij honorem ſibi vindicare. *d. l. vltim.* §. *vltim. D. de pœnis. l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.* non tamen Senatoris filium eſſe, deſinere, reſpectu nepotis innocentis, argumento ex *l. Adoptiuum* 8. §. *vlt. D. de in ius voc.* Et ideo huic, tanquam nato ex filio Senatoris, non tam obeſſe notam, noxamque patris, quàm prodeſſe aui dignitatem, vt Senatoris nepos intelligatur. Idque interpretationis genus in iure, alioquin ſtricto, Iuliæ, Papiæque legum in noſtro capite, ſuaſit illa ratio æquitatis benignæ, & fauorabilis, de paterno crimine, & pœna non producendis ad inſontem filium, vel avum. *dict. l.* 7. §. *vltim.* Sed hæc, vt ſcripſi, in nepote inſonte, cui nullum patris delictum pœnæ eſt, *innocenti*, inquam, *filio*, vt ad rem ſignanter ſcribitur *in l.* 2. §. *Nullum* 7. *D. de Decurion.* Cæterùm filio, alioquin nocenti, nocet etiam macula, pœnaque patris quadantenus, nempe in his, quæ in eum, tanquam filium patris, tranſmitti oportuit. Namque in eo filio ceſſat fauor ille, & benignitas, non producendæ notæ paternæ ad innocentem, quia & ipſe per ſe nocens, & notatus eſt. Et vt ſcriptum eſt *in l.* 1. *Cod. Vbi Senator. vel Clariſſ. Omnem huiuſmodi honorem reatus excludit. l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. Iudices* 12. *l. Quoties* 17. *Cod. de dignit. lib.* 12. *cap.* 1. *de purgat. can. cap. Nobilis* 15. 2. *quæſt.* 5. Quapropter, cum & pater, ſuo admiſſo, non ſolùm dignitatem Senatoris, Decurioniſue, ſed etiam nomen, & honorem filij Decurionis, ſeu Senatoris amiſerit. *dict. l. vltim.* §. *vlt. D. de pœnis*; & in filio, nocente, non ſit benignitatis, aut fauoris contemplatio iuſta, ob quam, huius reſpectu, intelligatur adhuc pater Senatoris, Decurioniſve filius; neceſſe prorſus eſt, non poſſe haberi hunc filium, tanquam nepotem aui Senatoris, ſeu Decurionis; quia nec ex filio Senatoris, vel Decurionis natus propriè dicetur. *dict. l. vltim.* §. *vltim.* Quocirca, cum tractatio priuilegij liberationis à pœnis, & tormentis plebeiorum, ſupponat nepotem nocentem, aut noxiæ grauiter ſuſpectum, quia nec ante, nec aliter, quæri poteſt, de puniendo eo, aut torquendo, tanquam plebeio, rectiſsimè reſcriptum, & reſponſum eſt, nocere notam patris nepoti, ne, tanquam nepos aui eminentiſsimi, perfectiſsimi, aut Decurionis, fruatur priuilegio, quoad pœnas, & tormenta plebeiorum. *d. l. Diuo* 11. *Cod. de quæſt.* Cuius, ſi expeditior hæc conciliatio cum *dict. l.* 7. §. *vltim.* cuiquam videbitur, non repugnamus; Quamquàm nobis potior, firmiorque illa ſit diſtinctio iuris ex perſona propria, aut ex tranſmiſsione, competentis, de qua ſupra.

19 Vrget tamen acriter adhuc Vlpiani, ex libris diſputationum, locus in *l.* 2. §. *in filijs, verſ. In auo, D.* de

de Decur. vbi contra quàm, ex eiſdem eiuſdem libris refertur in *d. l. Diuo* 11. affirmat, in auo Papianum reſpondiſſe, *ne patris nota filius macularetur*. Quorum verborum ſenſum eum eſſe, nec alium poſſe, vult Cuiacius, quàm vt ſi avus, paterque ſint Decuriones, & pater ordine moueatur, aut notetur, non maculetur nepos nota patris, nec ſubmoueatur à priuilegio ex perſona aui, quin potiùs, tanquam nepos Decurionis, in tormentis, & pœnis haberi debeat. Neque, in hac re explicanda, ſubſidij aliquid ſperes, aut reperias in Accurſio, Accurſianiſque, Bartolo, Baldo, Alberico, Fulgoſio, & alijs, ad *d. l. Diuo* 11. iuuat magis (ne interim Cuiacij, & Petri Burgij emendationum meminerim) ex Bizantina Schola Thalelæus, qui in notis ad *dict. l.* 11. *lib.* 60. Baſilicon *tit.* 50. ſic exprimit poſtremam partem *dict. l.* 11. *Habent & filij Decurionum priuilegium in quæſtionibus, vt Vlpianus ait.* Quo epitomandi genere, niſi, vt Vlpiani cum Vlpiano diſsidium diſsimularet, vſus eſt Thalelæus, docuit non obſcurè, eo veluti nos manuducens, ſic accipi, poſtremam partem *dict. l.* 11. poſſe, & debere, vt in Decurionibus, filijſque eorum, ex Vlpiani ſententia in libris diſputationum, obſervetur hoc idem priuilegium liberationis à plebeiorum pœnis, & tormentis, quod eminentiſsimorum, & perfectiſsimorum liberis, vſque ad pronepotes, tributum eſſe, ſcriptum fuerat *in principio in dict. l.* 11. non tamen, vt neceſſe itidem ſit in filijs Decurionum, vt in liberis eminentiſsimorum, vt prioris gradus parentes, per quos id priuilegium ad vlteriorem gradum tranſgreditur, nulla violata pudoris macula, aſpergat. Proinde & verſiculus ille, *ſi tamen dict. l.* 11. interiecto commate, ſiue nota parentheſis, referatur dumtaxat ad principium *dict. l.* 11. ſeiungaturque ab extremo, quod extat in *verſic. In Decurionibus*; & poſtrema pars hæc coniungatur cum priore illa, non cum proximiore temperamento dicti *verſic. Si tamen*. Idque exponendi genus neque exemplis deficitur, quibus non ſemel poſteriores ſententiæ, non ad eas, quæ immediatè præcedunt, ſed anteriores referuntur, vt *in l. Senator* 11. *Cod. de dignitat. lib.* 12. de qua *ſupra cap.* 3. & appoſitè congruit adverſatiuæ voculæ, *autem*, quæ in *d. verſ. In Decurionibus*, oſtendit, ſententiam, ibi ſubiectam diſtingui à ſuperiore in temperamento illo *dict. verſ. Si tamen*, tametſi in obſervantia priuilegij conveniat. Quin & fauet huic coniecturæ diſcrimen illud appellationis filiorum, qua propriè non ſignificantur nepotes. *l. Quid ſi nepotes* 6. *D. de teſtam. tut.* §. *vlt. Inſtit. qui teſtam. tutor.* & liberorum, quales propriè ſunt etiam nepotes, & pronepotes. *l. Liberorum* 220. *D. de verbor. ſignific. l.* 2. §. 7. *D. de excuſat. tutor.* Nominantur autem *in d. l. Diuo* 11. Decurionum quidem filij ſoli; eminentiſsimorum autem, & perfectiſsimorum liberi, vſque ad pronepotes, nullo, aut inani prorſus diſtinctionis colore, cum etiam nepotibus, pronepotibus Decurionum priuilegium competat. *l. Moris* 9. §. *Liberos, D. de pœnis. l. Si quis filio* 6. §. *Eius, D. de iniuſto rupto*, niſi vt iudicaretur ſententiæ illius interiectæ *in dict. verſic. Si tamen*, effectum, de amittente nepote prærogatiuam ex perſona aui, ob notam patris, non pertinere ad nepotes Decurionum, de quorum filijs ſolis mentio ibi ideo fit. Nec defutura denique eſt differentiæ in hac parte

ratio, inter liberos Decurionum, & eminentiſsimorum; quippe in his eminentia ipſa nominis, & dignitatis puriorem etiam, perpetuamque, neque interruptam generis lucem deſiderat, quam in Decurionibus, vtpote ordinis inferioris, & notæ, facilè obnubilari patimur. Sanè ſi nihil aliud, præter conciliationem *dict. l.* 11. *in fine*, cum *dict. l.* 2. §. *In filijs*, *verſic. In auo*, quæratur, quod ad illius contextum attinet, non incommodè ſic explicabitur. Sed in contrarium ſtat ratio iuris, qua præeunte, ſupra probauimus, priuilegium illud, etiam Decurionum nepotibus, non proprio iure, ſed tanquam liberis ex perſona patris, ac per eam mediam, & interiectam, communicari, & nocenti nepoti Decurionis, qualem ſupponimus, vel ſuſpicamur, cum de puniendo eo, vel torquendo agitur, nocere notam patris, ne quaſi nepos Decurionis intelligatur: proinde & modum illum, ſiue temperamentum *dict. l.* 11. *verſic. Si tamen*, pertineret æquè ad liberos Decurionum, & eminentiſsimorum, ne melioris conditionis ſint illi, quia humiliores, & deteriores; cum è contra benignius videatur, eminentiſsimorum nepotes, quamvis quantò ſplendidius auorum nomen, tantò indignior mediæ patris perſonæ nævus, & nota, frui tamen prærogatiua, ex perſona aui, in pœnis, & tormentis, darique hoc auorum memoriȩ, vt qualeſcumque nepotes ſint, ſub vmbra tamen ſuorum lateant, & maiorum luce reſplendeant, vt loca ſordida, repercuſſu Solis, illuſtrantur, vt egregiè alibi Seneca 4. *de benef. cap.* 30. Quid quòd *in dict. l.* non ſolùm de eminentiſsimis, ſed idipſum traditur de perfectiſsimis, quorum fere infima dignitas, ac vix amplior, quàm Decurionum, iuxta notata infra *hoc libro*, præterquamquòd ſub Marco, & Vlpiano, nondum diſtincti hi gradus, ſeu tituli, vt diximus ſupra *cap.* 1.

11 Propendemus itaque magis in eam ſententiam, vt priuilegium illud, de quo in *dict. l.* 11. obſervetur perinde in liberis, hoc eſt, filijs, nepotibus, pronepotibus Decurionum, ac in liberis eminentiſſimorum, & perfectiſsimorum, & cum eo in omnibus temperamento, ſi tamen propioris gradus liberos, per quos id priuilegium ad vlteriorem gradum tranſgreditur, nulla violati pudoris macula aſpergit: quomodò & ſenſiſſe, videtur, alter Scholiaſtes ad *leg. Crimen* 26. *D. de pœnis*, *lib.* 60. Baſilicon *titul.* 51. Nec mutant, mouentve in contrarium *Tὸ autem*, quod non ſemper adverſatiuè, aut diſcretiuè, ſed & non ſemel coniunctiuè, ac plerumque elegantiæ, ornatuſque ſola gratia, vſurpari, ſcimus. *l. Legatis* 65. §. *Pecoribus*, *verſic. Et ſues autem*, *D. de legat.* 3. *l.* 5. §. *Tutelæ*, *verſic. Et hoc autem*, *D. de obligat. & act. l. Intra* 10. §. *vltim. verſic. Quatuor autem*, *D. de diuerſ. & temp. præſcript.* vt vel Albericus in *Dictionario iuris* prænotauit, neque mentio filiorum Decurionum; eo enim nomine, quamuis non propriè, partitèque, ex iuſta tamen interpretatione, nepotes etiam, pronepoteſque continentur. *l. Filij* 84. *l. Iuſta* 201. *D. de verbor. ſign.* Quocirca vt & Vlpianum in *dict. l.* 2. §. *In filijs*, *verſ. In auo*, non tam contrarium ſibi ipſi, in quæſtione *dict. l.* 11. quàm, in diuerſa ſpecie, ſibi, & rationi iuris conſentientem, iam oſtendamus, obſeruandum eſt, ſententiam *dict. verſ. In auo*, coniungendam, exponen-

damque eſſe cum §. *In filijs*, præcedenti, vt orationis,& contextus ſeries euincit; proinde & duplicem intellectum admittit, vtrumque idoneum, diſsimilemque ab eo, quem Cuiacius mordicus tenet. Primus eſt, vt quemadmodùm in *d*. §. *in filijs*, natus patre plebeio, qui poſtea factus Decurio eſt, habetur pro filio Decurionis, ne tanquam plebeius puniatur, aut torqueatur, ita ſimiliter avus huius nepotis, cuius pater, ex plebeio, Decurio creatus eſt, habeatur pro patre Decurionis, ex Papiniani reſponſo, quoad effectum eiuſdem priuilegij, quo parentes Decurionum fruuntur. *l. Moris* 9. §. *Parentes*, *D. de pœnis*. Id quod in auo Papinianus reſpondit, ea propriè ratione, reſpectuque, ne ſi avus, vt plebeius, torqueatur, aut plectatur, patris ſui nota maculetur filius Decurio. *dict*. §. *In filijs*, *verſic. In auo*. In quem ſenſum accepto Vlpiani textu, induci propriè poterit pro opinione eorum, qui ſcribunt, nobilitatem filij proficere patri, ſaltem ne puniatur, tanquam plebeius, ne ſcilicet patris nota filius maculetur, quamvis, quoad alia, non proficiat: argumento ex *l*. 1. *in fin. D. de Senator*. Videndus, poſt Gammam, Phœbum, & alios, Fontanella *deciſ*. 229. *ex n*. 13. Narbona *ad l*. 4. *tit*. 1. *Gloſſa* 1. *num*. 50. *libr*. 1. *compilat*. Secundus, mihique probabilior, quia digniorem Papiniano ſententiam, & dubitabiliorem exprimit, intellectus eſt, vt quemadmodùm filius eſt Decurionis, natus ante patris Decurionatum, *dict*. §. *In filijs*, ita etiam nepos Decurionis ſit, natus antequàm fieret Decurio avus, in quo hoc idem Papinianus reſpondit, quoniam, ſi contra eſſet, notaretur quodammodò avus, ob cuius plebeium ſtatum, antequàm Decurio fieret, nepos non intelligeretur nepos Decurionis, ac proinde etiam patris ſui, hoc eſt, aui ea nota filius, quamvis Decurio, velut macularetur.

CAPVT VII.

AD VERBA IVLIÆ LEGIS: PRONEPOSVE EX FILIO, iungitur forenſis Quæſtio: Vtrum priuilegiaria Nobilitas, inuſu patris, pereat filijs.

ARGVMENTVM.

PRonepos ex filio, quamvis per nepotem, comprehenditur lege Iulia, non itidem proneptis, niſi ſit ex nepote, filio nato: & cur? Numerantur lege Iulia gradus vſque ad pronepotes, & ideo neque vltra porrigitur, ex Regula *l*. 220. *verſic. Toties*, *D. de verb. ſign.* quæ, & aliæ exornantur. In forenſi quæſito, an priuilegiaria nobilitas pereat nepoti, ex inuſu patris per tricennium; aientes, & negantes ſententiæ. Eis omiſsis, diſtinguitur in primis ius perſonariæ nobilitatis, quod per invſum patris perit; & ius ex priuilegio, declaratorio nobilitatis ſanguinis, ſeu ſoli notorij, ſiue denique rei iudicatæ proprietatis, quæ non pereunt, invſu patrum, quoad petitorium iudicium. Exponitur à Garcia, in contrarium expenſa, *lex* 9. *tit*. 11. *lib*. 2. *comp*. Deinde & diſtinguntur priuilegia, inductiua nobilitatis, cum expreſsione deſcendentium, vel ſine illa, de queis ſingulis iuris cenſura. Fit ſatis argumentis Garciæ, &, præ alijs, deducto ex *l*. 43. *tit*. 18. *part*. 3. quæ, & ſimiles elucidantur. Verba, *Semper, & in perpetuum*, exaudienda, iuxta ſubiectam ma-

materiam. Quędam intermiſcentur de maioratuum Hiſpanorum nomine, & deducta ex eo perpetuitate, & vocatione, propria in ſingulis ſucceſſoribus. De voce, *Erit*, in lege *Iulia*, & *Atinia*.

1 SEquitur iam in Iuliæ legis verbis: *Pronepoſve ex filio nato, cuius eorum eſt, erit.* Producitur, his verbis, interdictio nuptiarum Senatoriorum cum libertinis, ſcenicisue, ad pronepotes ex filio Senatoris. Hæret tamen in vocibus, *ex filio nato*, næuus, noduſue, non ſpernendus. Namque & inſolens, ineptaue eſt appellationi filij adiectio, nati, quaſi ſcilicet ex filio non nato, poſsit pronepos Senatoris eſſe, & præter mentem, modumque legis Iuliæ in cautione, quæ ſequitur, in eodem *capite* de pronepote ex nepote, filio nato, in *d. l. Lege* 44. *D. de ritu nup.* & ſignificat, pronepotem ex filio Senatoris, tametſi natus ſit ex nepte Senatoris, prohibitione legis Iuliæ apprehendi. Tandemque, & veluti præter cenſuram illam veteris iuriſprudentiæ, quæ pronepotes, per neptes, habuit pro cognatis, non pro agnatis; vt ſingulari Inſtitutionum loco proditur, §. *Item vetuſtas*, illic: *Et pronepotes ex neptibus, cognatorum loco numerans, de hæred. quæ ab inteſtat.* & proinde non pro capacibus continuandæ familiæ maſculæ Senatoriæ.

2 Neque aſſentior hæc verba corrigentibus, vt legatur, *Pronepoſve ex nepote, ei filio nato*, congruantque cum ſequentibus, de pronepte Senatoris. Quin potius, quamdiu inveterata lectio, aut aliorum Codicum fide, aut idoneiore explanatione non illuſtratur, cenſuerim, leuiori mutatione, legendum, *Pronepoſve ex filio natus*, vt adijciatur pronepotis, & nepotis appellationi, qualitas natorum ex filio, vt in poſterioribus verbis eiuſdem capitis de nepte, & pronepte Senatoris, & in formula Galli, *l. Gallus* 29. *D. de lib. & poſthum.* Nec novum eſt, vt pronepos ex filio natus, dicatur, cum & nomen filiorum, ex ſe natorum, ad nepotes pertineat. *l. Lucius* 85. *D. de hæred. inſtit.* iuncta *l.* 1. *Cod. de condition. inſertis. l.* 104. *D. de verbor. ſignif.* Proinde diſtinguntur pronepotes, proneptesque in hoc capite, & melioris illi ſunt conditionis; quippe pronepos, quamvis ex nepte natus, dummodò ea ſit ex filio Senatoris, dicitur natus ex filio, quod ſolùm Iulia lex exigit, nec libertinam, ſcenicamve ducat. At proneptis, vt comprehendatur legis interdictione, neceſſe eſt, vt ſit nata ex nepote filio nato. Nec differentiæ ratio in obſcuro, cum pronepos, quamvis ex nepte, ius, nomenque proauitæ Senatoriæ familiæ, quod in matre ceſſauerat, velut ſuſcitet; proneptis autem ex nepte, & filia, idem ius in matre, & auia interruptum, non perinde, ſeu non tam facilè ſuſcitet, quia fœmina familiæ ſuæ & caput, & finis eſt. *l. Pronunciatio* 195. §. *vlt. cum l. ſequ. D. de verbor. ſign.* At nec in his, vt cumque argutis, quieſcimus, de pronepote ex nepte, ac per eam ex filio Senatoris, prohibitione legis Iuliæ, apprehendendo, quibus & veluti repugnant *lex liberos* 10. *in fine*, *D. de Senator. l. Non quemadmodùm* 8. *D. de agnoſc. lib.* ad quas, & extrema illa Iuliæ verba de filia, nepte, pronepte Senatoris tempeſtiuiùs, diſtinctiùſque infra. Interim malumus, in recepta lectione verba illa, *ex filio nato*, eſſe adiectionem, *nati*, perpetuum quaſi epitheton filij; idque non ſine exemplo. Planè huc

re

referri poſſet, argumento inſcriptionis, ordiniſque librorum ad leges noſtras, ſententia Pauli, ad natorum appellationem pertinens, *lib. 1. ad legem Iuliam, & Papiam in l. Qui mortui 129. D. de verbor. ſignif.* Sed appoſita magis eſt *capiti Iuliæ legis*, de liberatione operarum, propter liberos, *l. Qui libertinus 37. D. de operis libertor.* vbi & dicemus, quamquam aliò, nec malè eum locum Cuiacius illic referat.

3 Illud opportunè, ad hæc verba, iam prænotabitur, mentionem filij, nepotis, pronepotis, quos ſingillatim lex Iulia nominat, numeratque, idoneum argumentum eſſe, quo euincatur, prohibitionem nuptiarum, ex iſto capite, vltra pronepotes Senatorum non porrigi. *l. Filij 22. §. Senatores, D. ad municipal. Toties enim*, ait Calliſtratus, *leges neceſſarium ducunt, cognationum ſingularum nominibus vti, veluti filij nepotis, pronepotis, cæterorumue, qui ex his deſcendunt, quoties non omnibus, qui poſt eos ſunt, præſtitum voluerint, ſed ſolis his ſuccurrent, quos nominatim enumerent. l. Liberorum 220. D. de verbor. ſignif.* Quo loci, appellatio illa legum, referenda omnino eſt ad leges Iuliam, & Papiam, vt monuimus ſupra *lib. 1. cap. 4* præſertim verò ad hoc Iuliæ legis caput, quòd filij, nepotis, pronepotiſque meminit, itemque ad illud Papiæ legis caput, quod parentibus, liberiſque, vſque ad tertium gradum, enumeratis, ſingularum cognationum nominibus ius antiquum ſervauit. *l. vnic. in princip. verſic. Et cum lex, Cod. de caduc. tollend.* Vlpianus *titul. 18.* vt vel Albericus agnouit, & ex eo, alter Albericus Gentilis *lib. 1. de nuptijs, cap. 11.* Sunt & alia eiuſdem graduum enumerationis exempla, quamvis non tam ex legibus, quàm ex prætoris edicto. *§. Sunt autem 3. verſ. Tertiò decem, Inſtit. de bonor. poſſeſ.* & ex Conſtitutionibus nouis. *l. Diuo 11. Cod. de quæſtionib. l. Si quis inceſti 6. Cod. de inceſt. nupt. l. 4. Cod. de ſecund. nupt. l. 1. & 2. C. de priuileg. eorum. qui in Sacr. Palat. mil. lib. 12.* Itaque liberorum appellatio, quæ, ex proprietate ſermonis, deſcendentes omnes in infinitum cõplecteretur, coanguſtatur enumeratione graduum ad eos, qui enumerantur *dict. l. Liberorum 220. l. 1. §. 1. D. de legat. præſtand.* Sic liberorum omnium mentio, quibus priuilegium in pœnis tormentiſque tribuitur in *l. Moris 9. §. Liberos 13. D. de pœnis*, coarctanda eſt ad pronepotes ex *l. Diuo 11. Cod. de quæſtionib.* vbi pueriliter, hac de re, certant, poſt Accurſium, Iacobus vterque de Arenis, & Rauenna, & cum his Albericus, Fulgoſius, & alij, immemores præceptionis Calliſtrati in *dict. l. Liberorum 220.* Ita ſimiliter generalis definitio illa, quæ pro, Senatorum filijs, accipit liberos omnes, & ex eis genitos, deſcendenteſque. *dict. l. Liberos 10. D. de Senator.* ſi de priuilegio exemptionis ab origine municipali quæratur, contrahenda eſt ad pronepotes. *l. Filij 22. §. Senatores 5. D. ad municip.* in quo, poſt Bartolum, dum Romanam theoriam hodiernæ praxi miſcet, læuaque inductione contextus *l. vltim. §. vltim. D. de Senator.* de qua ſupra *cap. 1.* hallucinatur, doctus alioquin interpres, P. Barboſa *in l. Quia tale 14. numer. 27. & ſeqq. D. ſoluto matrimon.*

Deinde nempe incommodè nunc hiſce verbis, & ſuperioribus illis, *nepoſve ex filio*, ſimulque traditis *præcedenti capite*, pro explicatione *l. 7. §. vltim. D. de Senator. l.* 4

Diuo

Diuo 11. *Cod. de quæſt. l.* 2. §. *In filijs, verſ. in auo, D. de Decurion.* coniungetur nobilis, ad fori vſum, diſputatio, an ſcilicet priuilegiaria nobilitas, ſiue immunitas, & ius ex ea, vt loquuntur, cauſatum, ſeu completum, hoc eſt, perfectè iam quæſitum, atque ita vt ad poſteros, ſeu deſcendentes eius, qui priuilegium impetrauit, pertineat, amittatur inuſu triginta annorum, quibus pater, aut auus, poſt priuilegium, pro ignobili ſe geſsit, & plebeiam capitationem, aliave plebeiorum onera agnouit, & quidem amittatur, non tantùm reſpectu eius parentis, qui in plebeio ſtatu per tricennium fuit, ſed & pereat nepotibus, & ex eo deſcendentibus in perpetuum, quamvis primus priuilegij impetrator, nempe proauus, priuilegio legitimè vſus, & pro nobili ſemper egerit? Pro ſtatu autem, ſiue cōſtitutione cauſæ, & quæſtionis, memineris receptiſsimi in hoc tractatu placiti, quo obtinuit, priuilegia negatiua, ſiue de non faciendo, quale eſt immunitatis priuilegiariæ, ſiue non contribuendi in capitatione plebeia, amitti contrario vſu triginta annorum, argumento ex *l. Sicut* 3. *l. Omnes* 4. *Cod. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor. cap. Si de terra* 6. *de priuileg.* Cum è contrario affirmatiua priuilegia, ſiue faciendi, pereant ſolo inuſu contrario decennij, inter præſentes, argumento ex *l. vlt. & penult. Cod. de ſeruit. & aqua.* Firmatur hæc diſtinctio ſeptem partito noſtro iure *in l.* 42. *tit.* 18. *part.* 3. *l.* 3. *in fine tit.* 7. *part.* 5. Quo ſuppoſito, in propria, & principali quæſtione noſtra, contrario vſu patris, vel aui, & agnitione penſitationis plebeiæ per triginta, vel ampliùs annos, perire quidem priuilegiariam immunitatem ei, qui vſus non eſt, non tamen nepotibus, & poſteris, docent Tiraquell. *de nobilit. cap.* 35. *num.* 3. *&* 5. Otalora *de nobilit.* 3. *part. cap.* 6. *num.* 9. *verſic. Vel aliter, & ſecundò.* In contrariam autem ſententiam, poſt Aymonem Crauettam *conſil.* 165. *num.* 4. it, plenis velis, Ioannes Garſia, operosè, & copiosè diſputans *de nobilit. Gloſſ.* 6. *ex num.* 38. vbi & ita ſe ex facto conſuluiſſe, ſcribit. Subſcribit Ioſephus Seſsè *deciſ. Regni Aragon. part.* 1. *deciſ.* 6. *numer.* 18.

6 Ego autem, vt & diſtincta magis, & dilucida diſputatio ſit, animadverto, eſſe inprimis, extra quæſtionis noſtræ ſtatum, & aleam, ius poſſeſsionis priuilegiariæ nobilitatis, nempe ſi nepos, cuius pater triginta, & ampliùs annis, pro plebeio egit, velit tamen poſſeſſorio iudicio ex perſona, & priuilegio patris, & aui, aut proaui, ſe in quaſi poſſeſsione nobilitatis defendi, & protegi. Quoniam, quamuis oſtendat patris, auique, aut etiam proaui viginti annorum nobilitatis, quaſi poſſeſsionem, qualem Regiæ leges deſiderant; ſi tamen poſtea pater, triginta annis, plebeiorum ſtatum, & capitationem agnouerit, ſuccumbet poſſeſſorio iudicio nobilitatis, ex præſcripto *legum noſtrarum*, iuxta quas, vt obtinere poſsit, debet ex perſona patris, & aui vicenij poſſeſsionem nobilitatis probare, & producere, *l.* 7. *&* 8. *tit.* 11. *lib.* 2. *compilat.* Porrò ius, ea Vicennij poſſeſsione partũ, peremptum fuit in patre, contraria, & poſteriori quaſi poſſeſsione ignobilitatis per Vicennium, & multò magis per tricennium, vt argumento ex *cap. Cum de beneficio* 5. *de præbend. in* 6. *cap. Cum Eccleſia*

Sutrina de cauſa poſſeſſ. notat, in re ſimili, Panormitan. *in cap. Auditis, num.* 10. *de præſcript.* Francus *in d. cap. Cum de beneficio* 5. *de præbend. in* 6. Garſia *de nobilit. Gloſſ.* 6. *num.* 55. *& ſeqq.* Gutierrez *lib.* 3. *practicar. quæſt.* 18. Seſsè *deciſ. Aragon.* 1. *p. deciſ.* 6. *num.* 16.

6 Deinde & obſervo, ſeparandum eſſe à quæſtionis noſtræ terminis, ius nobilitatis priuilegiariæ, ex priuilegio declaratorio, quod nimirum ita Princeps indulſit, non vt ex ignobili nobilem faciat, ſed vt nobilitatis ius, indiſcuſſum, nondumque auctoritate rei iudicatæ cõmunitum, & tamen alijs probationibus, & adminiculis ſubnixum, firmet deinceps, declaretque, nobilem eum fuiſſe, & habendum in poſterum, cui priuilegium conceditur. Id enim priuilegij genus, cuiuſmodi non pauca occurrunt, non dubitauerim, quin etiam ſi impetrator, aut eius filius, triginta, & amplius annis, poſt priuilegium, pro plebeio ſe geſſerit, non pereat tamen nepoti, & poſteris, vtique, ſi priuilegij tenor, & forma non ad ius poſſeſsionis, ſed proprietatis, & nobilitatis ſanguinis referatur. Nec aſſertionis ratio in ambiguo; eſt namque exploratiſsimum, nobilitatem ſanguinis, ſolive, vt loquimur, notorij, ſiue, *de ſolar conocido*, & proprietatis ius, inde quæſitum, non perire nepoti, vel perimi, tricennali, aut etiam ampliori ſpatio plebeij cenſus, ſtatuſve, agniti à patre, quoniam id ius non pater nepoti, ſed genus, & maiores dederunt, ideoque & ei incolume manere, debet. *l.* 3. *D. de interd. & releg.* Garſia *de nobilit. dict. gloſſ.* 6. *num.* 43. Gutierrez *lib.* 3. *practicar. quæſt.* 14. *num.* 139. Seſsè *dict. deciſ.* 6. *num.* 32. & ad rem, vtens noſtris, de Senatorijs filijs, legibus, Anton. Faber *in Cod. Fabriano lib.* 9. *tit.* 29. *cap.* 14. *&* 25. Idemque eſt in nobilitate ſanguinis, & originis, & proprietate eiuſdem, petitorio iudicio, & authoritate rei iudicatæ firmata, quia per ſententiam non nobilitas conſtituitur, ſed, quæ eſt, declaratur. *l. Sicut* 8. §. *Sed ſi quidem* 4. *D. ſi ſeruit. vind.* notat ad rem Garſia *dict. gloſſ.* 6. *num.* 48. Seſsè *deciſ. Aragon. part.* 1. *deciſ.* 4. *num.* 14. Ergo & permanet, poſt ſententiam, eo iure, quo ante erat, ne ſcilicet periret poſteris inuſu patris, aut aui. Quapropter & ſimiliter nobilitatis originariæ proprietas, priuilegio non tam inducta, quàm declarata, & communicata, erit indelibata, ſalvaque poſteris, quamuis eorum pater, aut avus tricennali, aut longiore contrario vſu, poſt priuilegium, in plebeio ſtatu fuerit.

Nec diſtinguimus inter ſententiam, priuilegiumve declaratorium nobilitatis ſoli, vt aiunt, notorij, quad ius propietatis, & ſententiam, ſeu priuilegium, itidẽ declaratorium nobilitatis ſanguinis, & proprietatis eius ſimpliciter, ſine adiectione illa, domus originariæ, ſeu ſoli, notoriè nobilis, quomodò in re hac diſtinguit Garſia *de nobilitate dict. gloſſ.* 6. *numer.* 48. *&* 51. Gutierrez 3. *practic. quæſt.* 14. *num.* 142. Seſsè *dict. deciſ.* 6. *num.* 31. *& ſeqq.* docetque, prius illud ius proprietatis notorij ſoli, re iudicata declaratum, non intercidere, qualicumque patris inuſu; poſterius autem perire, etiam ſi proprietatis ſit, & petitorio iudicio obtentum. Argumento ex *l.* 9. *tit.* 11. *lib.* 2. *compilat.* Non, inquam, ſic diſtinguimus, quia, quamvis fateatur, clariorem, honeſtioremque eſſe nobilitatem ſoli notorij, quàm ſimi- 7

ſimplicem aliam, etiam proprietatis iure, & auctoritate rei iudicatæ ſuffultam, tamen quod ad præſentem quæſtionem attinet, par vtriuſque nobilitatis proprietariæ ius eſt, ſententia, aut priuilegio declaratum, nec tricennali, aut diuturniore inuſu circumſcribendum; tum quia proprietariæ nobilitatis ſanguinis declaratio, iuſtum, perfectumque eiuſdem ius, & titulum ſupponit, & conſequenter ſolum, originemve notoriè nobilem, quo potiſsimo titulo nobilitas ſanguinis, noſtris moribus, nititur. *l.* 9. *tit.* 11. *lib.* 2. *compilat.* tum etiam quoad ſententiam nobilitatis proprietariæ ſanguinis; quoniam, vt ea petitorio iudicio obtineatur, præter probationem poſſeſsionis Vicennij patris, & aui, neceſse eſt, probari, & præcedere immemorialem nobilitatis poſſeſsionem. *l.* 7. iuncta *l.* 8. §. *Y por ella*, ibi: *Mandamos.* Immemorialis autem poſſeſsionis ea vis eſt, vt ſupponat, præſumatque, ſiue præſumi, faciat, potiorem, potentioremque iuris titulum, qui excogitari poſsit in ea re, qua de agitur, vt ex *l.* 3. §. *Ductus, D. de aqua quotid. l.* 2. *l. vltim. D. de aqua, & aquæ pluu. cap. Super quibuſdam* 26. *verſic. Præterea de verbor. ſignific.* notatum vulgo, & receptum. Proinde & præſumitur, ob immemorialem, titulus ſanguinis, ſolique notorij, quo nobilitas apud nos, velut præcipuo, conſiſtit, eoque nitens, plebeio ſtatu patris, vel aui non infirmatur.

8 Nec aſſertioni huic noſtræ obſtat *Henricia lex* 9. *tit.* 11. *libr.* 2. *compilat.* in qua inducenda, vereor, ne dormitauerit Garſiæ acumen. *d. gloſ.* 1. *num.* 50. *& ſeqq.* Non quòd in ea lege diſtinguitur nobilitas ſoli notorij, in qua nulla immunitatis poſſeſsio requiritur, & nobilitas proprietaria rei iudicatæ, ſiue, vt loquimur, *de executoria*, poſtquàm continuata nobilitatis, ſiue immunitatis poſſeſsio deſideratur, non eò pertinet, vt hæc potiùs, quàm illa nobilitatis proprietas, contraria poſſeſsione ignobilitatis, etiam tricennali, perimatur; quoniam vtraque titulo ſanguinis, & ſoli nititur, illa probato, ex notorietate ſoli; hæc præſumpto, ex immemoriali: ſed referenda potiùs eſt ad cauſam poſſeſsionis nobilitatis, quæ, vt monuimus ſupra, perimitur poſteriore contraria poſſeſsione ignobilitatis, per Vicennium, niſi ſit ſoli notorij, & quod propriè magis ad ſpeciem *dict. l.* 9. dicetur, referenda eſt ad cauſam poſſeſsionis nobilitatis, lite ſuper ea pendente, vt ex præfatione legis eiuſdem liquidò conſtat. Namque quoad hunc effectum, nobilitas ſoli notorij proficit nobili, ne vel interim, quamdiu lis pendet, plebeiam capitationem ſubeat. Nobilitas autem proprietaria rei iudicatæ, niſi ea declaratoria expreſsim fuerit nobilitatis ſoli notorij, non aliter excuſat à contributione plebeia, lite pendente, quàm ſi, poſt iudicatam rem, poſſeſsio nobilitatis continuata ſit, & fuerit.

9 His ita poſitis, cauſa poſſeſsionis, in qua plebeius ſtatus patris, poſt priuilegium, nepoti nocet, & cauſa priuilegij declaratorij nobilitatis proprietariæ, in qua, quoad proprietatis ius, non nocere, indubitatum mihi eſt: ſi iam de priuilegio iuris noui, nobilitatis inductiuo, quærimus, quo ſcilicet ignobilis antè fit nobilis, eique proprietariæ nobilitatis ius, & immunitas principali indulgentia conceditur, vt & fieri ſolet, & poteſt. *l.* 6. *tit.* 27. *p.* 2. quod ad quæſtionem noſtram attinet,

tinet arbitror diſtinguendum inter priuilegium, quo nepotes, & poſteri, non tam iure proprio ex conceſsione aperta Principis, ad eorum perſonas relata, quàm iure, vt ita dicam, tranſmiſſo, & deriuato ab auo per patrem vtuntur, & priuilegium, quod ſpeciali, proprioque iure, & verbis ad nepotes, poſteroſve relatis, eoſdem comprehendit. Prioris generis priuilegium eſſe, cenſuerint, id, quo ſimpliciter, & indiſtinctè quis nobilis creatur, ita vt, non ſolùm reſpectu immunitatis à contributione plebeia, ſed & aliarum prærogatiuarum, exæquetur nobilibus originarijs, ſiue ſanguinis, iuxta conſuetam illam, aut ſimilem priuilegiorum clauſulam, (*que os ſean guardadas todas las honras, y franquezas, y libertades, y dignidades, que ſe ſuelen guardar, y guardan à los hijoſdalgo de ſangre*) quod priuilegij genus, & nobilitatem, eo inductam, tranſmitti, & deriuari ad nepotes, vlterioreſque poſteros, medijs præcedentium perſonis, dubium non eſt, exemplo nobilitatis ſanguinis. *l.* 10. *verſic. Otro ſi, que las perſonas, tit.* 11. *lib.* 2. *compilat.* quamvis alioquin ſi ſola immunitas alicui concederetur, ad eius poſteros non pertineret. *l.* 1. §. 1. *l. Semper* 5. §. *Immunitati* 4. *D. de iure immunit. l. Sordidorum* 13. *Cod. de excuſat. mun. lib.* 10. Idemque iuris eſt in ea priuilegij forma, quæ, licet propriè immunitatem reſpiciat, eam tamen indulget, verbo, *In perpetuum*, ſiue, vt loquimur, *para ſiempre*, aliave voce, & nota perpetuitatis, vt copioſè oſtendit Garſia *de nobilit. gloſſ.* 1. §. 1. *n.* 24. *& ſeqq.* Et eiuſdem fere ordinis eſt nobilitas priuilegiaria, quæ dignitatis iure adquiritur, & ſimpliciter confertur, quam tamen non ad poſteros in infinitum, ſed vſque ad pronepotes produci, receptum eſt. *l. Filij* 22. §. *Senatores D. ad municip. l. Diuo* 11. *Cod. de quæſtion. l.* 1. vbi Accurſius, *Cod. de dignitat. lib.* 12. Notat, poſt alios, P. Barboſa *in l. Quia tale* 14. *num.* 26. *&* 29. *D. ſoluto matrim.* Tiber. Decian. *reſponſo* 66. *num.* 23. *lib.* 3. Phil. Paſchal. *de virib. patr. poteſt.* 4. *part. cap.* 2. *num.* 1. Secundi autem generis ſunt priuilegia, quorum tenore aperto, nobilitantur non ſolùm impetrator, ſed etiam filij eiuſdem, & poſteri, expreſſa eorum mentione facta, ſiue ſpeciali cuiuſque gradus, ſiue communi poſteritatis, & deſcendentium.

10 Ergo, vt ſententiam meam iam proferam, in priuilegijs prioris generis non dubitauerim, quin tricennali quaſi poſſeſsione plebeij ſtatus in patre, pereat nepoti, & poſteris proprietaria etiam nobilitas aui, priuilegio delata, in eoque, & intra hos terminos aſſentior Crauettæ *d. conſil.* 165. *num.* 4. Garſiæ *dict. gloſſ.* 6. *ex num.* 38. Seſsè *d. deciſ.* 6. *Regni Aragon. num.* 18. *part.* 1. dummodò tamen nepos ſuſceptus ſit, poſt amiſſam à patre nobilitatem, atque ita eo tempore, quo per patrem, qui iam amiſerat, tranſmitti ad nepotem non potuit. Nam ſi, ante omiſsionem, conceptus, fruetur priuilegio *l.* 2. §. *Sed ſi pater* 3. *cum §§. ſeqq. D. de Decur. l. Moris* 9. §. *planè* 15. *D. de pœnis. l. Emancipatum* 7. §. *Sed eum, D. de Senator.* iuncta *l. vlt. Cod. de liber. cauſa. l.* 2. *Cod. de libert. & eor. lib.* Huius aſſertionis, vt pleraque leuiora, & à Garſia congeſta potiùs, quàm expenſa omittam, vnum, mihique decretorium argumentum eſt, quod conſtat, priuilegium non faciendi, quale eſt non contribuendi inter plebeios, amitti contrario vſu triginta

ta annorum, & amitti in perpetuum, ſaltem in perſona eius, qui, priuilegio non vtens, inter plebeios per tricennium contribuit, quod nunc dumtaxat ponimus, ſufficitque; & exprimitur in *l.* 42. *tit.* 18. *part.* 3. Quibus conſequens eſt, non poſſe nepotem, priuilegij iure vti, neque ex perſona patris, in qua id peremptum fuit, neque ex perſona aui, quia per patrem nepos auo coniungitur, *l. Dotem* 6. *D. de collat.* non poteſt autem aui priuilegium, per patrem, qui amiſit, ad nepotem tranſmitti, & tranſgredi: valetque hic, vigetque ratio illa iuris, quæ docet, viciato medio, tranſitum ab extremo ad extremum impediri. *l. Si prius* 17. §. *Via publica, cum* §§. *ſeqq. D. de aqua, & aquæ pluu. l. Seruitutes* 14. §. *Publico, cum* §. *ſeq. D. de ſeruit. l. Si ex patronis* 10. §. *Iulianus, verſ. Quod ſi à patre, D. de bonis libert.* Atqui ſumus in eo priuilegij genere, quod nepoti, non ſuo, proprioque iure, ſed deriuato, & tranſmiſſo ab auo, per patrem defertur, *ipſo ordine ſanguinis*, vt ait *lex* 1. *Cod. de priuileg. eorum, qui in Sacro Palat. milit. lib.* 12. & *per propioris gradus perſonas, ad vlteriorem gradum tranſgreditur*, vt ſcriptum eſt in *l. Diuo* 11. *Cod. de quæſt.* Quocirca & propria eſt diſputationis noſtræ in his terminis deciſio, in *d. l. Diuo* 11. quatenus probat, priuilegium eminẽtiſsimorum, & perfectiſsimorum in pœnis, & tormentis, quod ad eorum etiam liberos, vſque ad tertium gradum, tranſmittitur, perire, & intercidere nepoti, cuius pater, ſua nota, & infamia, priuilegium amiſit, nempe quia id ad nepotem non iure proprio pervenit, ſed tranſmiſſo, vt docuimus ſupra *cap.* 6.

11 Sed obijcies fortaſſe, poſita ea priuilegij forma, per quam nobilitetur quis generaliter, quoad omnes prærogatiuas nobilitatis ſanguinis, eique ipſi exæquetur, iuxta vulgarem clauſulam illam, de qua ſupra, affirmandum videri, fruiturum nobilitate priuilegiaria nepotem, etiam ſi pater per tricennium pro plebeio egerit. Eſt enim vna hæc originariæ nobilitatis, ſiue ſanguinis prærogatiua, ne vnquam poſteris pereat, tricennali, aut longiore inuſu patris, vel aui. *l.* 3. *D. de interd. & releg.* Planè ita, vt poſuimus, nobilitatus æquatur originarijs nobilibus, quoad omnia etiam ſanguinis iura. *l. Cum ex oratione* 44. vbi Baldus, *D. de excuſat. tutor. l.* 3. vbi Gregor. *gloſſ.* 1. *tit.* 21. *part.* 2. latè, poſt alios, Garſia *d. gloſſ.* 6. *num.* 38. *verſ. Decimatertio.* & *gloſſ.* 1. §. 1. *num.* 43. & 50. Azeuedo *in rubr. num.* 63. *tit.* 2. *lib.* 6. *compilat.* Gutierr. *lib.* 4. *practicar. quæſt.* 7. Verùm in facili reſponſio eſt, fieri quidem nobilitatum ſic à Principe, parem nobilibus originarijs, quoad omnes prærogatiuas ſanguinis, ei iure ciuili tributas, non tamen Principem facere, aut poſſe, quin hic nobilitatus ſit nobilis priuilegiarius, non autem originarius, aut ſanguinis; quippe id ius ſanguinis natura datur, nec à Principe dari magis poteſt, quàm adimi. *l.* 3. *D. de interd. & releg. l. Iura* 8. *D. de reg. iur. l.* 2. *D. de vſufr. earum rer. l.* 12. ibi: *El linage no ſe puede comprar. tit.* 21. *part.* 2. Proinde quamvis faciat Princeps, vt nobilitatus ſit, quaſi originarius nobilis, quoad effectus omnes, poſitiuo iure nobilitati ſanguinis delatos, non tamen, vt & talis ſit, quoad eos, qui non tam iure aliquo conſtituto, quàm ex natura ipſa immutabili nobilitatis ſanguinis pendent. Eſt autem huiuſmodi prærogatiua illa, & effectus non amit-

tendæ originariæ nobilitatis, ex quantocumque patris inuſu; proficiſcitur enim omnino ex eo, quod naturale, & immutabile ſanguinis ius non poteſt ciuilis præſcriptionis ratione perimi. *d. l. 3. D. de interdict. & releg. l. Eas 8. D. de capite min.* Ergo quoad hanc prærogatiuam, quæ à Principe nec datur, nec adimitur, habendus potiùs eſt, ſicut & verè eſt is, de quo quærimus, pro nobili priuilegiario, vt & ſic priuilegium, tricennali deſidia patris, pereat nepotibus, vt in *d. l. 42. tit. 18. part. 3.*

12 Nec mouemur magis, ſi contra vrgeas exemplum maioratus Hiſpani, ſimiliſve ſucceſsionis, quæ, quamvis ſua natura, ex ſimplici deſignatione maioratus, & multò magis adiecta clauſula perpetuitatis, complectatur poſteros omnes de familia inſtitutoris, & in primis illius, qui primus vocatus eſt, ad inſtar ſucceſsionis Regni, vt notatum paſſim noſtratibus, argumento *ex l. Omnia 32. §. vlt. l. Peto 69. §. Fratre, D. de legat. 2. l. vlt. C. de verbor. ſignif. l. 2. tit. 15. part. 2.* Sic tamen pertinet ad poſteros, vt nullo actu contrario, aut negligentia deceſſoris patris, aut aui, nec præſcriptione, etiam tricennali, aut ampliori (niſi immemorialis ſit) ſiue qualitercumque, vt loquimur, caducato gradu, ius ſucceſsionis nepoti, aut lineæ deſcendentium intercidat, vt, poſt plures, laudatos à Garſia *d. gloſſ. 6. num. 38. verſ. Nonò id magis*, probant innumeri, congeſti in *Additionibus nouiſsimis* ad Molinam *lib. 1. de primog. cap. 1. num. 17.* & *cap. 3. num. 22. & lib. 4. cap. 10. num. 10.* quos non tranſcribo. Non, inquam, eo exemplo moueor, aut mutor; quia ſcio, diſparem valde eſſe cauſam ſucceſsionis maioratus, & priuilegij primi huius generis, de quo quæritur. In maioratu, natura illius, & nomen ſic Hiſpanis legibus, moribus acceptum, efformatumque, ita perpetuitatem inducit, & poſteros omnes primi vocati, ſiue qui de familia inſtitutoris ſunt, complectitur, perinde ac ſi in perſonis ſingulis ſingulæ, & ſpeciales, apertæque vocationes eſſent, quarum, iure proprio, admittuntur, non tranſmiſſo ex perſona patris prædeceſſoris, vt, poſt Caſtrenſem, inſignito illo *de Hiſpanis maioratibus conſilio 164. num 5. & ſeqq. lib. 2.* pro explorato, ponunt Molina *lib. 1. de primogen. cap. 1. n. 17. & lib. 3. cap. 6.* & vtrobique in Additionibus ibidem per plures. Poſt multos, & multis, noſter D. Ioannes Larrea *deciſ. Granat. 35. num. 59. & ſeqq.* At priuilegiaria nobilitas, quibus caſibus pertinere eam ad poſteros non nominatos eius, qui impetrauit, ſupra poſuimus, defertur eis, non iure proprio, ſed tranſmiſſo, deriuatoque per patrem, velut traducem, ad inſtar nobilitatis ſanguinis. *d. l. Diuo 11. Cod. de quæſt.* in maioratibus non immediato poſſeſſori, ſed independenter ab iſto, & immediatè primo inſtitutori ſucceditur. *l. Vnum ex familia 67. in princip. & §. 1. l. Lucius 88. §. Dame, D. de leg. 2. l. 3. D. de interd. & releg.* in priuilegiaria nobilitate, ſucceditur quidem primo impetratori priuilegij, mediante tamen ſuceſsione proximioris paterni gradus, per quem id priuilegium ad vlteriorem gradum tranſgreditur. *d. l. Diuo 11.* Denique maioratus, ſicut, ſine ſpeciali titulo, non inducitur præſcriptione, niſi immemorialis ea ſit. *l. 41. Tauri. l. 1. tit. 7. lib. 5. compilat.* ita neque perimitur; vt maioratus eſſe deſinat, aut ad aliam li-

lineam transferatur, cum præiudicio lineę vocatæ, niſi præſcriptione immemoriali, vt in confeſſo apud noſtrates eſt, ex traditis à Molina *d. l.* 1. *cap.* 3. *num.* 22. & *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 10. è contrario autem immunitas priuilegiaria, ſicut tricennali vſu adquiritur, iuxta notata *in cap. Si de terra* 6. *cap. Accedentibus* 15. *de priuileg.* ita & amittitur tricennali inuſu. *l.* 42. *tit.* 18. *partit.* 3. Nihil mirum itaque, ex iure ſucceſsionis maioratus, quod eouſque diſsimile eſt, non poſſe ad priuilegia primi huius generis commodè inſerti.

13 Iam verò vt & ad aliam diſtinctionis noſtræ partem pergamus, in priuilegijs ſecundi generis, quæ nimirum iure proprio, & ſpeciali, verbiſque conceſsionis, aut nominatim ad gradus ſingulos deſcendentium, aut generaliter ad poſteros impetratoris relatis, eoſdem nobilitant, contra ſtatuimus, affirmamuſque, ea priuilegia, tricennali etiam inuſu patris, aut aui, qui in plebeio ſtatu fuerunt, non perire nepotibus & poſteris, qui iure proprio ex priuilegio, eiſdem ſpecialiter dato, nobilitatis priuilegiariæ proprietatem ſibi aſſerunt, vindicantque. In quo ſi & ita ſentiunt, aſſenſum libens do Tiraquello *de nobilit. cap.* 35. *num.* 3. *&* 5. Otaloræ *eodem tractatu*, 3. *part. cap.* 6. *num.* 9. *verſ. Vel aliter & ſecundò*; at ſentit, & conſentit nobiſcum, ferè in tota hac quæſtione, Ant. Faber *in ſuo Cod. lib.* 9. *tit.* 29. *definit.* 14. *&* 25. Nouiſsimè, & aliquot luſtris, poſt ſcripta hæc, viſus Theodor. Hopping. *de iure inſign. cap.* 16. *ex n.* 101.

14 Argumentum rei ſit domeſticum, propriumque ex tractatu noſtro Iuliæ, Papiæque legum, quæ quoniam iſto capite de connubio Senatoriorum cum ſcenicis, & libertinis, meminerunt ſpecialiter nepotis, pronepotiſque ex filio Senatoris. *l. Lege* 44. *D. de ritu nupt. l. Emancipatum* 7. §. *Si quis & patrem, D. de Senator.* placuit ſtatim Vlpiano, nepotem, cuius pater, ante eius conceptionem, dignitate Senatoria cecidit, intelligi tamen debere nepotem aui Senatoris, vt ei potiùs ſuo, proprioque iure, aui dignitas proſit, tanquam nepoti, Iulia lege, comprehenſo, quàm obſit caſus patris, *d. l. Emancipatum* 7. §. *vlt.* cuius occaſione, & in hanc forenſis controuerſiæ diſcuſsionem incidimus, & iam decidimus.

Accedit ratio iuris, quæ docet, 15 in priuilegijs hiſce ſecundi generis, totidem conceſsiones, & priuilegia cenſeri, quot ſunt perſonæ, aut gradus nominati, quibus deferuntur. *l. Stipulatio* 38. §. *Sed ſi quis vti* 12. *D. de verbor. oblig.* ſicut in maioratu, feudo, emphyteuſi, & ſimilibus, totidem intelliguntur ſubſtitutiones, & vocationes, quot perſonæ vocatæ. *l. Cohæredi* 41. §. *Cum filiæ, D. de vulgari. l. Vnum ex familia* 67. §. 1. *D. de legat.* 2. Cum ſexcentis alijs. Vnde & conſequens eſt, priuilegia hæc nepotibus, non iure hæreditario, & tranſmiſſo, ſed proprio deferri, nec tam tranſire per parentes, quàm per ſe ſibi adquiri, inter quæ multùm refert *l. Si ſeruus* 18. §. *Cum ſeruus, verſic. Secundùm quæ, D. de ſtipulat. ſeru.* iuncta *l. Sed & ſi quid* 25. §. *Si operas* 2. *D. de vſufr.* & quod itidem ſequitur, quoad priuilegia hæc amittenda, tempus ſuum ſeparatim in ſingulis perſonis ſpectari, debere. *l. Ex facto* 43. §. *Item, D. de vulgari. l.* 2. §. *Si primus, D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* Coacta ergo iuris ratio euincit, non poſſe patrem, quamvis quod ad ſe attinet

net, tricennali deſidia, qua pro plebeio egerit, priuilegium amiſerit, adimere ius proprietariæ nobilitatis nepoti, quod in eo non tranſmiſſum à patre, ſed diuerſum, propriumque eſt, incipitque, & adquiritur ex nouo veluti, ſpecialique priuilegio, ideoque nec perire poteſt, niſi ſuo rurſus tempore, & iure, vt dicimus in vſufructu repetito. *l.* 3. 4. *&* 5. *D. quibus mod. vſusfr. amitt. l.* 3. §. *Si vſusfructus, D. vſusfr. quemadm. cau. l. Licet* 23. *D. de vſufr. leg.* Conducunt tradita in re ſimili à Caſtrenſi, poſt alios, in *l. Idem Iulianus* 41. §. *Si quis alicui, num.* 3. *& ſeqq. D. de legat.* 1. *& conſil.* 164. *num.* 4. 5. *&* 6. *lib.* 2. Decio *conſil.* 468. *num.* 28. Et ex noſtratibus, Larrea *deciſ. Granat.* 34. *num.* 59. Nec plura in re, mihi perſpicua, cumulo, qualia vel ex Garſiæ congerie liceret. *d. gloſſ.* 6. *num.* 38. *In omni conflictu non tam valet multitudo, quàm virtus*, ait ille. Ego & in hoc conflictu ſententiarum malim, ratione vna propria, & maſcula niti, quàm pluribus in ſpeciem, pompamq; ſolam exaggeratis.

16 Sed age, diſpiciamus & breuiter, qualia ſint argumenta Garſiæ, quibus ille motus, affirmat indiſtinctè, priuilegium nobilitatis, tricennali inuſu patris perire poſteris. Et ſanè ſunt eiuſmodi, vt eum tranſverſum agere non debuerint, niſi fortaſſe fiſco, & foro ſuo addictum, & cauſæ servientem; in qua de facto ita ſe conſuluiſſe, ſcribit. Idque vt vel ſummatim oſtendam, ſecundum, tertium, quartumque argumentum, *ex cap. Si de terra* 6. *cap. Accedentibus* 15. *de priuileg. cap. Cum acceſſiſſent* 8. *de conſtitut.* quibus probatur, priuilegium Eccleſiæ ordini ſpeciali Religioſorum indultum, contrario vſu tricennali perire perpetuò, nec ſolùm illis, qui, ſuo inuſu, amiſsioni priuilegij locum fecerunt, ſed ex omnibus, qui in eadem Eccleſia, aut ordine in poſterum futuri ſunt. Id, inquam, argumentum alienum valde eſt à re noſtra. Quippe priuilegium datum Vniuerſitati, veluti ordini Religioſo, aut Eccleſiæ, vnum, idemque ſemper eſt in his, qui tempore conceſsionis priuilegij, & qui poſtea in eodem ordine, aut Eccleſia ſunt ſucceſſuri, quia datur Vniuerſitati, quæ & vna, eademque ſemper eſt, tametſi commutatis ſingulorum perſonis. *l. Proponebatur* 76. *D. de iudic. l. Sicut* 7. §. *vlt. D. quod cuiuſq. vniuerſ.* Nihil mirum itaque, inuſu tricennali præſentium perire priuilegium, etiam ſucceſſuris, cum perierit Vniuerſitati, quæ vna, eademque eſt; nec in ſuceſſoribus reperire, liceat, nouum, diuerſumque Priuilegium, aliter atque in poſteris nominatis priuilegio eius, qui primus impetrauit nobilitatem. Rurſus Quintum, Sextumque argumentum Garſiæ *ex l. Diuo* 11. *Cod. de quæſtionib.* & ex impedimento tranſitus ab extremo ad extremum, vitiato medio, pertinet prorſus ad priuilegia primi generis, vt & monuimus iam ſupra.

Præterea ſeptimum, octauum, nonum, itemque primum argumentum, ex *l.* 43. *tit.* 18. *partit.* 3. (cui totum Mundum congruè reſpondere non poſſe, perſuadet ſibi ſuauiter Garſia) ſimulque ex *l.* 42. *d. tit.* 18. *part.* 3. *l.* 3. *tit.* 7. *part.* 5. & communi ſententia, quæ docet, priuilegium non contribuendi, contrario vſu triginta annorum amitti, & quidem in perpetuum, ac deinceps, ſiue, *por ſiempre, y dende en adelante*, vt ſcriptum eſt *in d. l.* 42. *&* 43. *& in d. l.* 3. mihi quidem ſpero, & alijs, qui in Mundo ſunt, facilem, neque in- 17

incongruam reſponſionem habet. Namque verba, *in perpetuum*, & ſimilia, quamvis perpetuitatem deſignare, ſoleant, reſpectu deſcendentium. *l. Sordidorum* 13. *Cod. de excuſat. muner. lib.* 10. *l.* 10. *tit.* 18. *part.* 3. Bartolus, poſt Accurſium, verbo *Semper*, *in l.* 1. *num.* 21. *D. ſoluto matrim.* id tamen æſtimandum eſt, ſecundùm ſubiectam materiam, ex traditione *Gloſſæ* receptæ *in cap. Ea enim* 2. *verbo Perpetui* 10. *quæſt.* 2. iuncto *princip. Inſtitut. de perpet. & tempor. action.* Gratiano *diſcept. forenſ.* 1. *tomo*, *cap.* 2. *num.* 11. *& ſeqq.* quapropter & non ſemel fieri, & in perpetuum manere, dicitur, quod vltra vitam certæ perſonæ non eſt manſurum. *l.* 1. *iuncta l. Cum duobus* 52. §. *Idem* 9. *l. Nulla* 70. *D. pro ſocio. l. Cum hi* 8. §. *Siue igitur* 3. *D. de tranſact. l. Sancimus* 46. §. *Si verò* 9. *Cod. de Epiſcop. & Cler. l. Via*, *D. ad leg. Pompei. de parricid. l.* 13. *D. de S. C. Syllan.* Cuiac. 4. *obſeruat. cap.* 14. Fulv. Conſtant. *in l.* 1. *Cod. de filijs official. num.* 89. At quamvis in priuilegio immunitatis à capitatione plebeia, ſiue mixto illo tributo capitis, & ſoli, quod, *pecho*, dicimus, conceſsio facta verbo, *In perpetuum*, complectatur poſteros omnes illius, cui conceditur, vt pleniſsimè firmat Garſia *de nobilitat. gloſſ.* 1. §. 1. *num.* 24. *& ſeqq.* Lara *de Anniuerſar. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 10. Quoad amiſsionem tamen priuilegij eiuſdem, non eamdem vim eſſe verborum, *In perpetuum*, & *deinceps*, & coanguſtari potiùs debere ad vitam eius, qui, ſuo inuſu, priuilegium amiſit, pervincit, vel invitis nobis, contextus *dict. l.* 42. ibi: *Se pierden, ſi aquellos, que los touieren, non vſaren de ellos faſta treinta años*: Et paulò poſt: *Mas ſi faſta eſte tiempo non vſaren de ellos, dende adelante, pierdenſe.* Et ſignatè *in dict. l.* 43. ibi: *Pierdeſe, è non debe valer dende adelante à aquellos, que lo quebrantaron.* Et in fine *dict. l.* 43. *Si alguno tobiere preuilegio, è non ſe defendiere por el, pierdeſe el preuillejo por ſiempre, quanto en aquello ſeñaladamente, ſobre que fue dado el juicio.* Vt & *in dict. l.* 3. *tit.* 7. *partit.* 5. ibi; *De alli adelante non le debe valer*, ſcilicet ei, qui vſus non eſt. Quibus legum noſtrarum verbis coniunctis, vt ex alijs alia explicentur, apparet, amiſsionem priuilegij, ex inuſu, coarctari omnino debere, & ad ſpeciem immunitatis, qua quis vſus non eſt, & ad perſonam, vitamque non vtentis, ſiue qui, non vtendo, priuilegium fregit, neque verba, *In perpetuum*, aut *deinceps* produci poſſe ad poſteros, quia eos, ſuo inuſu, priuilegium fregiſſe, affirmare, non poſſumus, quod tamen ſimul leges requirunt, vt priuilegia in perpetuum pereant. Quid quòd *in dict. l.* 42. *&* 43. non de priuilegiaria nobilitate, ad poſteros tranſmiſsibili, qualia ſunt priuilegia primi generis, de quibus ſupra; nec de priuilegijs ſecundi generis, quæ ſpeciali, proprioque iure poſteris, quorum mentio in eis fit, deferuntur, ſed, extra noſtræ quæſtionis terminos, quæſtio eſt, de perſonali immunitate, quæ ad poſteros impetratoris pertinere, non ſolet. *l.* 1. §. 1. *l. Semper* 5. §. *Immunitati* 4. *D. de iure immun. l. Sordidorũ* 13. *C. de excuſat. mun. lib.* 10. Proinde otioſè, aut etiam vitioſè mentionem amiſsionis immunitatis in perpetuum, protrahemus ad poſteros, ad quos in ea ſpe-

cie non pertinere, conſtat. Quid denique, quod & ratio ipſa iuris in priuilegijs ſecundi generis, non patitur, perire ea poſteris, inuſu patris, aut aui; quoniam, vt ſupra oſtendimus, poſteri priuilegio nominati, habent id ſuo, proprioque iure, tanquam nouum, ſpecialeque priuilegium. Idcirco & in eorum perſona tricennali inuſu opus eſt, vt priuilegium ipſi amittant. *d. l. Ex facto* 43. §. *Item* 1. *D. de vulgari. l.* 2. §. *Si primus, D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* iuxta formam illam *d. l.* 42. *&* 43. *Si aquellos, que los touieren non vſaren de ellos*; & *à aquellos, que los quebrantaron*, & inuſus patris nocebit priuilegio ipſius, non diuerſo, proprioque nepotis.

18 Denique decimum argumentum Garſiæ ſuffultum ſtricto, odioſoque iure priuilegiorum immunitatis, quæ & idcirco faciliùs perire ſolent, vt notatur *in d. l. eius* 34. §. 1. *D. de teſtam. milit.* quamvis in re ſublustris, & obſcura, contra priuilegiariam immunitatem valere debeat, non tamen vbi aperta, certaque iuris ratio pro priuilegio eſt, qualem in præſentiarum eſſe, neque omnino practicis noſtris, quæ in hac re ſcripſimus, diſplicitura, non deſperamus, niſi fortaſſe, *pecorum ritu*, ſequi, malunt, *antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur.* Vt eleganter Seneca *de vita beata cap.* 1. iunge tamen, qui plura mauis, quæ ſcribimus infra.

Tandem vt & ad verba illa: *Cuius eorum eſt, erit*, quæ ſupra ex Iulia lege proſcripſimus, promoueamus commentationem, dubitaretur, olim non malè, an his articulis *eſt, erit*, præſens dumtaxat, futurumque tempus, filijque Senatorij, iam tunc, cum ferebatur lex, concepti, aut poſt concipiendi ſignificentur, an potiùs & ad tempus præteritum, filioſque, ante legem, ſuſceptos referenda ea oratio ſit; ſic enim & de verbis Atiniæ legis, *quod ſubreptum erit*, quæſiſſe, & dubitaſſe P. Mucium Scæuolam, & Brutum, ac Manilium, an in poſt facta modò furta lex valeret, an & in ante facta, ait Q Scæuola P. F. apud Agellium, *lib.* 17. *noct. Atticar. cap.* 7. Et demonſtrari verbo, *Erit*, in lege Atinia, eoque & verbo, *Eſt*, in alijs etiam partibus iuris, vtrumque tempus futurum, & præteritum, docuit Pomponius *lib.* 26. *ad Quintum Mucium*, & ad illam, de Atiniæ legis verbis, diſputationem Mucianam commodiſsimè referendus, *in l. Verbum* 123. *D. de verbor. ſignif.* Sed, vt cumque id interdum accidat, præſertimque vbi τὸ *eſt, erit*, verbis præteriti temporis iunguntur, ex præceptione Nigidiana, apud Agell. *d. lib.* 17. *cap.* 7. de quo & nos tempeſtiuiùs dicemus, ad caducariam partem legum noſtrarum, *ad l. Si ita quis* 51. *D. de legat.* 2. In propoſito tamen non dubito, quin & ad filium, ante legem natum, prohibitio pertineat; eſt enim filius Senatoris, quod ex lege ſufficit, neque vt ea comprehendatur, neceſſe eſt, argutari, ex productione articuli, *Erit*, in præteritum.

CAPVT VIII.

AD VERBA IVLIÆ LEGIS : NE QVIS EORVM SPONSAM, vxoremve habeto. De effectu prohibitionis connubij ex lege Iulia, & Oratione Marci, ac S. C.

ARGVMENTVM.

PRohibitionis ſupraſcriptę veſtigia in iuris libris. Cur *in l. 16. de ſponſalibus, l. 16. de ritu nupt. l. 3. §. 1. D. de donationib. inter.* prohibitio tribuatur Orationi Marci, & S. C. cum ſit ex lege Iulia. Cuiacij inconſpectus lapſus. Noſtra, nodo ſolvendo, animadverſio, ex Academicis Salmantinis dictatis. Perfectarum, & imperfectarum legum vetus diſtinctio. Illuſtratur Vlpianus *tit. 1. cum l. 5. Cod. de legibus. Iulia, Papiaque leges* in hoc capite imperfectæ, quia nuptias improbabant, non impediebant, aut puniebant. Proinde erant ex eis non iuſtæ nuptiæ, non tamen irritę ante Marcum, & S. C. quibus id propriè additum legi. Lux hinc illata, *l. Filio 48. §. 1. & l. Palam 43. §. Senatus. l. Lege 44. §. Si poſtea 6. D. de ritu nupt.* Iacob. Gothofredi ſtrictior cenſura, non admiſſa. Merilij, & ex noſtris, Amaiæ contra cenſentium argumenta ſubmota, interque alia, illud *ex l. Si quis libertam 28. Cod. de nupt.* Tribuuntur ſæpe legibus priſcis, quę poſtea inducta Senatus Conſultis, ad leges factis. Exempla eiuſce rei non protrita, & ex his vnum *in l. vnica, §. vlt. D. de offic. Conſulis* (Quamquam vel in tranſcurſu tentata illius loci emendatio, & veteribus notis, & formula) Exempla alia ex legibus noſtris. Pro argumento alio ſolvendo, notatę differentię, inter *habere*, & *poſſidere*, apud Iuriſconſultos. Et obiter Paradoxum noſtrum, *de ſervo propriè poſſidendi capace.*

1 VErùm diſputationem de filijs Senatorum, reſumendam poſt opportunè, ad illa verba Iuliæ legis, *neue Senatoris filia*, abrumpere nunc cogit contextus eiuſdem legis, capitiſque, in quo iam, quoad Senatores, Senatorumque filios, nepotes, pronepotes, ſequitur interdictio connubij cum libertinis, ſceniciſve, *ne quis eorum ſponſam, vxoremve, ſciens, dolo malo habeto. l. Lege 44. D. de ritu nupt.* Extat prohibitionis huiuſce, de cuius cauſa, origineque, ſat multa ſcripſimus *ſupra cap. 1.* aperta ex legibus noſtris mentio, *in l. Lege 23. l. Obſeruandum 49. D. de ritu nupt. l. Si quis libertam 28. Cod. de nuptijs*, & apud Vlpianum *in fragm. tit. 16. §. Aliquando*; & eiuſdem veſtigia non obſcura, ignotave alijs, *in l. Vxorem 15. Cod. de nupt.* dum docet, vxorem libertam ſuam manumiſſori ducere, non eſſe interdictum, *ſi non ſit ex his perſonis, quæ ſpecialiter prohibentur*, hoc eſt, Senatoribus eorumque liberis, vt monuimus *cap. 1.* Itemque in *l. Si rogatus 20. §. Matrimonij, D. de manum. vind.* dum affirmat, concedendum eſſe manumittere, matrimonij cauſa, ſi quis velit, *& is ſit, qui non indignè huiuſmodi conditionis vxorem ſortiturus ſit*, hoc eſt, ſi non ſit Senatorius, cui indignæ, illicitæque ſunt nuptiæ cum liberta.

Sed hem, obſtat vel in hoc aditu, quominùs progrediamur, Caius *libro 1. ad legem Iuliam, & Papiam, in l. Oratio 16. D. de ſponſalib.* Vlpianus *in l. 3. §. 1. verſ. Ergo, D. de donat. inter.* Paulus *in l. Oratione 16. D. de ritu nupt.* quorum teſtimonio, ſi credimus, inhibitio hæc nup- 2

tiæ

tiarum inter Senatorias perſonas, & libertinas, adſcribenda eſt, non legibus Iuliæ, vel Papiæ, ſed Orationi Diui Marci, ſiue Antonini, & Commodi Cæſarum, & Senatuſconſulto. Nec rem expedit magnus ille Cuiacius *lib. 4. reſponſorum Papiniani in l. Filiam 9. D. de Senator.* vbi inconſideratè, quod alijs exprobrat, & in eo mirum, affirmat nuptias filiæ, neptiſve Senatoris cum libertino, improbari ſpecialiter, non lege Iulia, ſed Senatuſconſulto, & Oratione Marci. *d. l. Oratione 16. D. de ritu nupt. l. 3. §. 1. verſ. Ergo, D. de donat. inter.* inconſideratè, vt iam dixi; namque & de filiæ Senatoris, neptis, proneptis, nuptijs cum libertino, ſunt legis Iuliæ verba ſignata, extra cauillum omnem. *in d. l. Lege 44. iuncto §. 1. eiuſdem l. D. de ritu nupt.* & Oratione Marci, inhibuiſſe generaliter nuptias Senatorum, non autem ſolius filiæ, aut neptis, liquet *ex dict. l. Oratio 16. D. de ſponſalibus.*

3 Quarè obſeruandum potiùs eſt (& obſeruationibus pridem in *Academicis ad leges Iuliam, & Papiam commentationibus*, dictatis Salmanticę ad annum 1632. proinde & vicennio integro, ante editionem Gothofredi ad fontes legum, Geneuæ ad annum 1653. quem nobiſcum ſentire, illic, in notis, video) Iuliæ legis verbis, quæ adſcripſimus, nuptias Senatoriorum cum libertinis, ſcenicisve prohiberi, non abſciſsè, abſolutève, ſed ita, ne à ſciente habeantur dolo malo. *d. l. Lege 44.* ac ne perfectè quidem; quia nec ſemel contractas nuptias reſcindit, neque ſpecialem pœnam irrogat contrahenti, vt ex verbis itidem liquet *in d. l. Lege 44.* Quo præmonito adhibenda iam eſt iuris antiqui regula, à qua ſuas exorditur Vlpianus *in earum fragm. tit. 1.* quæque docet: *Imperfectam legem eſſe, veluti Cinciam, quæ ſupra certũ modum donari prohibet, exceptis quibuſdam cognatis, & ſi plus donatum ſit, non reſcindit: & minus quàm perfectam legem, quæ vetat aliquid fieri, & ſi factum ſit, non reſcindit: ſed pœnam iniungit ei, qui contra legem fecit.* Adſtipulantur regulæ, & quaſi concinunt, Macrobius *lib. 2. in ſomnium Scip. cap. 17. Sed quia, inter leges, quoque illa imperfecta dicitur, in qua nulla deuiantibus pœna ſancitur.* Vlpianus ipſe *tit. 22. §. vlt.* dum imperfectam cretionem nuncupat eam, cuius formula, ita quis hæres inſtituitur, vt etiam ſi non cernat, inſtitutio non reſcindatur, aperta exhæredatione, ſiue, in qua verba illa non adijciuntur, *ſi non creueris, exhæres eſto.* Reſpicit & fortaſſe Iuſtinianus *in l. 1. §. Ne autem imperfecta ſanctio, Cod. de annali except.* Eſt itaque imperfecta, & minùs perfecta, lex, quæ ſic prohibet, vt non reſcindat, puniatve contra factum, ſed fraudem, noxiamque ſine pœna relinquit. *l. Aliud 131. D. de verbor. ſignif.* ad quam multa, huic rei idonea, ſcribemus *lib. 3.* Proinde & iure illo, quod veterum prudentum æuo, receptum fuit, & ignoratum adhuc claſsicis, practiciſque noſtris, non ſatisfuit legum latoribus, aliquid prohibere, niſi & apertis verbis, contra prohibitionem, factum reſcinderent, & punirent, vt ſic perfectæ leges eſſent. Antiquauit id ius antiquum Theodoſius, voluitque, legem omnem prohibentem cenſeri perfectam, & pro imperfecto, inutilique quicquid, lege prohibente, fit, licet Legislator fieri prohibuerit tantùm, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe, de-

debere, quod factum eſt. *Nouella Theodoſij 4. ne Curialis præd. alter. conduc. l. Non dubium 5. Cod. de legib.* Agnouit, vt alios ſileam, huius etiam veteris iuris ſcientiæ bene ſciens, Hugo Grottinus *lib. 2. de iure belli, cap. 5. num. 16.* vbi & in notis. Ergo ante Theodoſium, vt dixi, & ex regula antiqui iuris dubitari non potuit, imperfectam, ſiue perfectam minùs fuiſſe, in hac parte, legis Iuliæ, & Papiæ ſanctionem, ſicut & in eo capite, cuius mentio *in l. vlt. D. de diuortijs. l. vnica §. 1. D. vnde vir, & vxor;* tametſi in alijs earumdem capitibus perfectæ leges eſſent. *l. Si libertus 16. D. de iure patron. l. Siue generalis 61. D. de iure dot.* Imperfecta autem fuit, quia nuptias, Senatorijs inhibitas, ſi contra inhibitionem fiant, nec ſpecialiter reſcindit, nec punit; vnde & conſequens fuit, nuptias Senatoriorum cum libertinis, ſcenicisve, inſpecta ſola Iuliæ, Papiæque legis interdictione, quamuis iuſtæ, & ex lege dici, non poſſent. *l. Si Senatori 31. D. de ritu nupt. l. vn. D. vnde vir, & vxor.* iuncto Vlpiano *tit. 16. §. aliquando*; fuiſſe tamen matrimonij iure, & vinculo nexas, vtpote validas, tametſi iniuſtas, ſiue non ſolemnes, nec dirimi, aut diſſolvi ſolitas, de quo poſtea copioſiùs. Quocirca & neceſſariam iam fuiſſe, apparet, Orationem Imperatorum Marci Aurelij Antonini, & Commodi, in Senatu habitam, quam & Senatuſconſultum ſecutum eſt, non modò vt prohibitio Iuliæ, Papiæque legum plenius confirmaretur, circa perſonas, quibus cum Senatorijs non eſt connubium. *l. Oratio 16. D. de ſponſal. l. Palàm 43. §. Senatus, D. de ritu nupt.* ſed vel maximè, vt ſpecialiter caueretur, nuptias, à Senatorijs perſonis, contra legem Iuliam, cōtractas, nullius eſſe momenti. Idque vnum eſt, quod in hac re Orationi, & Senatuſconſulto tribuitur, ſignatè adeo, & perſpicuè, *d. l. Oratione 16. nec nuptiæ eſſent. d. l. 3. §. 1. verſ. Ego; quia nuptiæ non ſunt. d. l. Oratio 16. etiam ſponſalia, ipſo iure, nullius eſſe momenti, vt ſuppleatur quod Orationi deeſt. dict. l. Palàm 43. §. Senatus. Vxorem ducere, aut retinere.* Queis ſanè ex verbis liquidò liquet, interdictionem Orationis, & Senatuſconſulti, pertinere non ſolùm ad iuſtum nuptiarum nomen, ſed etiam ad earum nodum, vinculumve, quia nec ducere vxorem dumtaxat, ſed etiam *retinere*, vetat, qua voce & ſeparatio, ſeu ſolutio matrimonij, ſemel initi, ſignificatur. *l. Miles 11. §. vltim. D. ad leg. Iul. de adulter. l. vnic. §. 1. D. vnde vir, & vxor.* Ita ſimiliter cum & poſt Orationem, & Senatuſconſultum, perfecta minùs prohibitio eſſet, quia tametſi nuptias reſcinderet, nullam pœnam deuiantibus ſanciebat, ſuppleuit prohibitionem Conſtantinus, addita infamiæ pœna Senatoribus, qui, contra interdictionem, ſuſceptos filios, in numero legitimorum habere, vellent. *l. 1. Cod. de natural. liber.* eamque ipſam conſtitutionem firmauit, & expoſuit tandem Martinus, *Nouella 4. de matrimon. Senator.* Cuius pars extat *in l. Humilem 4. Cod. de inceſt. nupt.*

4 Huic noſtræ obſervationi lucem aliquam dabunt, & viciſsim ex ea accipient, breuiter adnotanda, quæ ſequuntur. Primum eſt, diſtare multùm, in hac parte, nuptias ingenui cum ignominioſa fœmina, & Senatorij cum muliere, eiuſdem notæ, aut libertinæ. Nam etſi, inſpecta Iu-

Iulia, Papiaque lege, proinde vtrumque nuptiarum genus improbetur, ita ſcilicet, vt iniuſtæ nuptiæ ſint, non vt invalidæ, aut irritæ, quoad matrimonij, & contrahentium uinculum; tamen, poſt Iuliam, Papiamque legem in nuptijs Senatorij, illud amplius Oratio Marci, & Senatuſconſultum induxit, vt nec nuptiæ eſſent, quaſi à Senatorio contra leges initæ, hoc eſt, non modo iniuſtæ, ſed etiam irritæ, & ſeparandæ. *d. l. Oratio* 16. *d. l. Oratione* 16. *d. l. Palàm* 43. §. *Senatus. d. l.* 3. §. 1. *verſic. Ergo*; nuptijs autem ingenui cum ignominioſa, indelibatum ius Papiæ, Iuliæque permanſit, vt eſſent quidem iniuſtæ, non autem irritæ, & diſſolvendæ, niſi contraherentur cum damnata adulterij, *ex Iulia lege de adulterijs. l. Miles* 11. §. *vlt. D. ad leg. Iul. de adulter. l. Claudius* 13. *D. de his, quæ vt indign.* de queis *lib.* 3. Vnde & Terentij locus *lib.* 8. *ad legem Iuliam, & Papiam, in l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.* dum ſupponit, patronum maritum libertæ ignominioſæ, eſſe quidem maritum, tametſi contra legem, accipitur partitè, & propriè magis de patrono ingenuo dumtaxat (qui & proinde propriè maritus, quamvis contra legem, & ideo non iuſtus) non autem de patrono Senatoris, tametſi hæc non diſtinguant nouiores, poſt Fabrum *in iuriſpr. tit.* 17. *princ.* 5. *illat.* 27. qui nec maritus dici poſſet, ſicut nec vxor ea, quæ, contra leges, ei nupſit, poſt Orationem, & Senatuſconſultum. *l. Si quis in Senatorio* 27. *l. Generali* 34. §. *vlt. D. de ritu nupt.*

5 Secundum, & propoſitis conſequens, eſt, fuiſſe & in Senatorijs neceſſariam, vtilemque cautionem Senatuſconſulti, quo eiſdem interdictæ nuptiæ cum damnata, iudicio publico. *d. l. Palàm* 43. §. *Senatus*, quamvis hæ ipſæ nuptiæ iam ante, Iulia lege, ingenuis omnibus inhiberentur, teſte Vlpiano *in fragm. tit.* 13. §. *vlt.* ac proinde ſatis, eo ipſo, etiam Senatorijs, ex regula *l. Lege* 44. §. *vlt. l. Obſeruandum* 49. §. *vlt. D. de ritu nupt.* nimirum, quoniam lege Iulia nuptiæ iſtæ, vtcumque iniuſtæ, non diſſoluebantur. At Senatus, non ſolùm duci vxorem damnatam publico iudicio, ſed & retineri à Senatore, prohibuit. *d.* §. *Senatus*, atque ita nuptias tanquam irritas, voluit, diſſolui, ad inſtar conſtituti iuris in nuptijs cum libertina, aut ſcenica, eodem Senatuſconſulto, & Oratione Marci, cuius Senatuſconſulti pars fuit illa, quæ extat *d.* §. *Senatus*, vt obſeruamus alibi. Sicut & in damnata adulterij, quamvis & cum ea, vtpote publico iudicio damnata, ingenuis ex lege Iulia nuptiæ interdicerentur. *d. l. Palàm* 43. §. *Senatus, &* §. *Quæ in adulterio, verſ. Quod ſi*; fuit vtique neceſſaria interdictio nuptiarum, ex lege Iulia de adulterijs. Vel idcirco, quia hæc, nuptias, quæ ex noſtris legibus iniuſtæ tantùm, nec irritæ forent, irritas etiam eſſe, conſtituit, ſic vt nec ſtarent, ſeu ſubſtinerentur, nec ducere dumtaxat, ſed & retinere, vetaret. *d. l. Miles* 11. §. *vlt. D. ad leg. Iul. de adulter. l. Claudius* 13. *D. de his, quæ vt indignis.*

Tertium denique ſit, mentionem dimittendæ mulieris, quæ Senatorio, contra legem Iuliam, coniuncta eſt, apud Paulum *in d. l. Lege* 44. §. *Si poſtea* 6. *cum* §. *ſeq. D. de ritu nupt.* Et nuptiarum, quæ libertino, aut ſcenico cum filia Senatoris non ſunt, apud Modeſtinum *in l. Semper* 42. §. 1. *D. de ritu nupt.* 6

nupt. & matrimonij, quod copulare Senator, prohibetur, cum libertina, apud Vlpianum *in l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vltim. D. de donat. inter.* Item & illam regulam, quæ apud Iuſtinianum, in §. *Si aduerſus* 12. *Inſtitut. de nupt.* definit, ſi coierint aliqui adverſùs ea, quæ in præcedentibus eius tituli locis ſcripta ſunt, aut in latioribus Digeſtorum libris, quos reſpexit, in ea re, idem Iuſtinianus, *in præcedente* §. *Sunt & aliæ* 11. *Inſtit. de nupt.* nec virum, nec vxorem, nec matrimonium, nec nuptias, nec dotem intelligi, & coniunctionem eam diſſolvi; tandemque & ſi quæ aliæ ſimiles enunciationes in auctoribus iuris, Oratione Marci, & Senatuſconſulto nouioribus, alicubi occurrunt, quæ diſſolutionem matrimonij Senatorij cum libertina, aut ſcenica innuant, indicentve, referendas omnino eſſe, non ad ius Iuliæ, Papiæve legis, quo tales nuptiæ non reſcindebantur, ſed ad Senatuſconſultum, & Marci Orationem, quibus editis, in confeſſo eſſe, cœpit, in coniunctione Senatorij, contra prohibitionem, nec nuptias, nec matrimonium eſſe, quin potiùs id diſſolvi, tanquam non copulatum, & mulierem dimitti, oportere.

7 Subſiſtamus tamen tantiſper, aut potiùs ne ſubſiſtamus, moremurve, vt cumque Iac. Gothofredus *in notis ad leges noſtras pag.* 313. *& ſeq.* Orationem Marci, & S. C. ſtrictè referat ad filiam Senatoris, nec ampliare, videatur, ad Senatorem, & filios Senatorios, quod expreſſum de filia, *in d. l. Oratione* 16. *l. Semper* 42. §. 1. *D. de ritu nupt. l.* 3. §. 1. *D. de donat. inter.* At immeritò ſtrictus, quia generale hoc ius, & rationem illius fuiſſe, & pertinuiſſe ad Senatores ipſos, eorumque liberos, vel ex verbis, vel ex ſententia S. C. euinci ex alijs locis poteſt. *l. Oratio* 16. *D. de ſponſal. l. Si quis libertam* 28. *Cod. de nupt. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vlt. l.* 3. §. 1. *verſ. Diuus, D. de donat. inter. l. Si quis* 27. *l. Si Senatori* 31. *l. Palàm* 43. §. *Senatus* 10. illic: *Aut retinere. l. Lege* 44. §. *Si poſtea* 6. *D. de ritu nupt. l.* 1. *Cod. de natur. lib.* cum alijs, quæ ſigillatim expendere, in facili eſſet.

Sed ſunt adhuc, contra noſtram ſententiam, argumenta, non leuia, quibus coactus, ex nouioribus, Emundus Merilius *lib.* 5. *obſeru. cap.* 11. &, ex noſtratibus, D. Fanciſcus de Amaya *lib.* 2. *obſeruat. cap.* 5. *num.* 40. *& ſeq.* poſt mutata, motaque in præcedentibus multa, circa effectũ prohibitionis nuptiarum, inter Senatorios, & libertas, ex lege Iulia, in quæſtione, an iniuſtæ tantùm hæ nuptiæ, an verò & irritæ; affirmat tandem, irritas fuiſſe, & diſſolui ſolitas, non modò quoad connubij nomen, ſed etiam ius, & vinculum matrimonij. Eius affirmationis, ne alia, quibus iam obſeruatio noſtra præluxit, nunc inculcemus, firmiora, vt creditur, argumenta duo ſunt. Primum, *ex l. ſi libertam* 28. *Cod. de nup.* vbi Iuſtinianus ſcribit, ſi libertam quis vxorem ſcripſerit, deinde Senator fiat, quæſitum fuiſſe, apud Vlpianum, an matrimonium ſoluatur, *quia lex Papia, inter Senatores, & libertas ſtare connubia, non patitur.* Iuſtinianus autem ſtatuit, non ſolui matrimonium, ſicut & ſi priuati hominis filia liberto nupſerit, & poſtea pater mulieris fiat Senator, vt & hoc etiam caſu, *taceat Papiæ legis crudeliſſima ſanctio, & neque per hunc modum diſſoluatur matrimonium*, vt ſcriptum eſt *in d. l. Si libertam* 28. Fuit ergo ipſiſſima Papia lex, quæ induxit, ne matrimonium inter Senatorios, & li-

libertas, ſtaret, ſed diſſolueretur, & rueret. Secundum argumentum eſt, ex verbis Iuliæ legis in noſtro capite, *ſponſam, vxoremue habeto. d. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* Nam cum, *habendi* verbum tam iuris, quàm facti ſit, ideoque & detentionem naturalem, qualemcumque reſpiciat. *l.* 1. §. *Quod autem* 33. *D. vnde vi. l. Stipulatio* 38. §. *Habere* 9. *D. de verbor. oblig. l.* 2. §. *Habere, D. ne quid in loco publico*, quin imò facti magis, quàm iuris, ſi Cornelio Frontoni credimus, veteri Grammatico, *in libello de propriet. & different. Latini ſermonis*: *Habere poteſt*, inquit, *etiam fur, & nequam, poſſidere nemo, niſi qui rei, aut relictæ, aut donatæ, aut emptæ dominus eſt, ita in habente onus*, ſiue, vt alijs placet, *vſus in poſſidente ius eſt.* Reſpicit vtique, & in hac re vox, *habendi*, non ſolùm nuptias iuſtas, ſolemneſque, ſed etiam iniuſtas, & illegitimas, & vtrumque nuptiarum genus inhibet, ac proinde tam ius, quàm vinculum earum diſſoluit. Punget acriùs, meo iudicio, hæc expenſio vocis, *habeto*, ſi obſerues, locutione, *vxorem habeto*, inſinuari perſeuerantiam in matrimonio, ſemel contracto, & præceptum vxoris, quam quis habet, non dimittendæ. Sic enim illa verba Apoſtoli 1. *ad Corinthios, cap.* 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hic conſentit, habitare cum illa, non dimittat virum.* Exaudiunt Hieronymus *lib.* 1. *aduerſùs Iouinianum.* Auguſtinus *lib.* 1. *de adulter. coniugat. ad Pollentium, cap.* 18. *& ſeqq.* apud Gratianum *in cap. ſic enim, verſic. Tu verò* 28. *quæſt.* 1. & ante alios Tertullian. *lib.* 2. *ad vxorem cap.* 2. *Cæterùm manifeſtum eſt, ſcripturam iſtam eos fideles deſignare, qui in matrimonio Gentili inuenti à Dei gratia fuerunt, ſecundùm verba ipſa: ſi quis fidelis vxorem habet Infidelem; non dicit vxorem ducit infidelem: oſtendit iam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratia Dei conuerſum, perſeuerare cum vxore, debere.* Proinde quemadmodùm ſi lex Iulia Senatorijs præciperet, libertinas, aut ſcenicas vxores habere, diceremus, ex Tertulliani interpretatione, non tantùm duci, ſed & retineri in matrimonio, debere; ita è contrario, cum, eaſdem haberi, prohibet, fatendum eſt, non ſolùm ductionem, ſed etiam retentionem earum, & perſeuerantiam in eiuſmodi nuptijs, improbari.

Hiſce argumentis, qualiacumque ea ſint cederem libens, niſi in 9
contrarium traherent iuris, & rationum momenta, quæ ſupra expendi. Porrò, quod ad priorem obiectionem attinet, ex *dict. l. Si libertam* 28. *Cod. de nupt.* res erit, expeditu facilis, ſi meminerimus, nouum non eſſe, vt quod Senatuſconſultis, alijſve iuris conſtitutionibus, ad priores leges pertinentibus, & ad eas firmandas, vel exponendas, factis inductum eſt, adſcribatur legibus illis, quarum veluti partes, & appendices, Senatuſconſulta, & poſteriores conſtitutiones ſunt. Notat, firmatque exemplis Cuiacius *ad tit. Cod. de accuſat, & lib.* 15. *obſeruat. cap.* 13. *& lib.* 1. *cap.* 18. Briſſonius 1. *antiquit. cap.* 16. Ita exercitio pœnæ legis Corneliæ de Sicarijs in eos, qui hominem, libidinis, aut promercij cauſa, caſtrauerint, eiuſque facinoris interdictio, cuius auctorem, Domitianum, laudant ſcriptores exteri. Xiphilinus, & Sueton. *in Domitiano cap.* 7. Ammian. Marcell. *lib.* 18. & Martialis, alijque paſsim; Adriano autem tribuunt crebriùs noſtrates. *l. Lege* 4. §. *Idem. l.* 5. *D. de lege Cornel. de Sicarijs.* Accepto fertur Senatuſconſulto *in l.* 3. §. *Item. l. Is qui* 6. *D. de lege Cornel.*

de

de Sicar. Ita & capitis pœnam, contra haruſpices, augures, hariolos, & qui artibus odioſis, ſeu magicis ſuſurris occidunt, Iuſtinianus *ex l. Cornelia de Sicarijs*, deſcendere, ſignificat, in §. *Item lex Cornelia in fine*, *Inſtit. de public. iud.* Alij autem tribuunt Senatuſconſulto *ad Corneliam legem facto. l. Ex Senatuſconſulto 13. D. de lege Cornel. de Sic.* Vlp. *lib. 7. de offic. Proconſ.* apud Ruffinum *in collat. leg. Moſaic. tit. 15. de Mathemat.* Tacitus *2. annal.*

10 Ita denique, vt vel hoc vno, ex Cuiacij exemplis, vtar, cautio illa legis Æliæ Sentiæ, quæ minori viginti annis manumittere, permittit, non aliter quàm vindicta, & apud Conſilium iuſta cauſa manumiſsionis approbata, & conſtanter, cenſetur inter capita legis Æliæ Sentiæ, §. *Eadem lege*, *Inſtitut. quib. ex cauſ. manum.* Vlpianus *in fragmentis, tit. 1. §. Eadem lex 13.* iunctis *l. Si minor 66. D. de verbor. obligat. l. Illud 16. D. de manum. vind. l. 4. D. de ſeruis export.* adſcribitur Senatuſconſulto, *in l. vn. §. vlt. D. de offic. Conſul.* ſiue quoniam, quod ante cautum lege Ælia Sentia, firmatum poſtea, & repetitum Senatuſconſulto, ad eamdem legem facto, cuius & in ſimilibus cauſis mentio extat *in l. ſi collactaneus 13. in fine, D. de manum. vindicta. l. Matrimonij 21. D. qui & à quibus. l. 4. Cod. qui manumitt. non poſſ.* ſiue potiùs, quia, quamvis cautum lege Ælia Sentia, ne minor viginti annis manumittat, niſi cauſa apud Conſilium probata, non expreſſum fuit tamen, quis Magiſtratus conſilium præbiturus eſſet, & *cauſam Conſilij*, ideſt, negotium, ſiue rem, ad Conſilium delatam, examinaturus, idque poſtea, ſpeciali Senatuſconſulto, conceſſum Conſulibus, certiſque alijs Magiſtratibus. *dict. l. vnic. §. 1. in fine, D. de offic. Conſul.* iuncta *l. vltim. Cod. de vindicta libertate. l. 5. l. Si rogatus 20. §. vltim. D. de manumiſſ. vindict.* vt proinde appareat, nec probam, nec probabilem eſſe argutiam Ræuardi, qui *libro ſingulari pro Tribunalium, cap. 13.* in Senatuſconſulto, cuius meminimus, non agnoſcendo, pervicax, pro verbis illis *dict. l. vnic. §. vltim. Cum ipſe ſit, qui ex Senatuſconſulto, Conſilij cauſam examinat*, reponit perperam, *qui ex ſe cum Conſilio cauſam examinat*, ineleganti, ac vix latino loquendi genere; nec dexteriùs Hotman. *in Epitomat. ad tit. D. de offic. Conſ. Cum ipſe ſit quin cum ſuo Conſilio.* Quamquam, vt vel obiter dicam, ſi correctionis is locus eget, coniectabar iam olim, quod & non nemini placuiſſe, & ex litterarum ductu, quem exprimit *manuſcriptus Codex*, Ræuardo laudatus, firmari poſſe, ſcio, legendum eſſe *in dict. §. vlt. ex ſententia Conſilij*, errore forſan ex verborum compendijs, & notis nato, & in libris noſtris creberrimo, vt vel in eiſdem vocibus ſententiæ, & Senatus animadvertemus, *infra lib. 3. ad l. Palàm 43. §. Quæ in adulterio 12. in fine, D. de ritu nupt.* Nam cum eiſdem ſingularibus litteris S. & C. exprimi Notarijs ſoleret, *Senatus Conſultum*; & *ſententia Conſilij*, vt liquet ex Valerij Probi, Magnonis, & Petri Diaconi *libris de notis*, fuit in facili, & obuia exſcriptori, minùs perito, commutatio verborum, *Ex ſententia Conſilij*, in illa *ex Senatus Conſulto.* Addo nunc, rei illuſtrandæ, verba ea, *ex ſentia Conſilij*, eſſe propriam, ſolemnemque formulam in his, quæ à Magiſtratu, adhibitis in Conſilium delectis viris, & ex eorum ſententia fiunt. Teſtimonia eius rei, quæ à Briſſo-

nio *lib. 5. de formul. pag.* 513. fruſtra petas, hæc habeo. Liuius *libr.* 45. *Quæ Senatui, quæ ſibi, ex Conſilij ſententia viſa eſſent, pronuntiauit.* Plinius *lib. 5. epiſtol.* 3. *Deinde quòd de quibus dubitat, quaſi ex Conſilij ſententia ſtatuit.* Et *lib. eodem epiſt.* 1. *Deinde ſeceſsi, & ex Conſilij ſententia videtur, inquam, Curiane, mater tui iuſtas habuiſſe cauſas, iraſcendi tibi.* Neque eſt, cur dici non poſsit, *ex ſententia Conſilij, examinare*, ſicut *pronuntiare, & ſtatuere*, cum vtriuſque adhibito iudicio fiat eorum, qui in Conſilio ſunt.

11 Sed, vt ad rem, ac ne interim exempla cumulem, ſimilia ex noſtris legibus Iulia, & Papia, quarum alteri deſcribi ſolet, quod propriè, aut primùm altera cautum, quoniam ſcilicet Papia poſterior ad Iuliam pertinuit, & vtriuſque capita confuſa, & commixta, vt monuimus ſupra *lib. 1. cap.* 3. Extat eius, quod quærimus, domeſticum exemplum in eo, quod dicitur, Senatus Conſulta, circa legem Papiam, facta, cenſuiſſe, vt legatorum dies, ab apertura tabularum, cederet. *l. vnic.* §. *Cum igitur, Cod. de caducis toll.* Id enim ipſum fieri per legem Papiam Poppæam, ſcribit Vlpianus *in fragment. tit.* 23. *de legatis* §. *Legatorum* 31. quia per Senatus Conſulta, veluti auctaria, & appendices Papiæ legis, &, ex ſententia eiuſdem, inductum fuit, vt pleniùs ſuo loco adnotauimus. Sic itaque & *in dict. l. Si libertam* 28. *Cod. de nupt.* diſſolutio, ſeu reſciſsio coniugij, inter Senatorios, & libertinas, tribuitur quodammodò Papiæ legi; quia quamvis non ea ipſa perfectè id cauerit, cautum tamen, ſuppletumque, quod Iuliæ, & Papiæ deerat, Oratione Marci, & Senatuſconſulto, vt ratione iuris ſupra oſtendimus, & *ex d. l. Oratio* 16. *D. de ſponſal. d. l. Oratione* 16. *d. l. Palàm* 43. §. *Senatus, D. de ritu nupt. d. l.* 3. §. 1. *verſ. Ergo, D. de donat. inter.*

Sed nec difficilioris explicatus eſt obiectio altera ex verbo, *Habeto*, quo Iulia lex vtitur; namque id verbum, ſi iuris potiùs, quam Grammaticæ auctores, & Vlpianum, quàm Cornelium Frontonem, audias, vt par eſt, in notione, & proprietate verborum iuris exquirenda, perrarò ad merum factum, plerumque autem, propriéque ad id, quod iuris eſt, ſeu iure habetur, referri ſolet, & diſtinguitur à poſsidere, quod eſt facti. *l. Stipulatio* 38. §. *His qui* 6. *D. de verbor. obligat.* Idcircoque in veteribus formulis iuris ſeparantur hæc paſsim, *habere, tenere, poſsidere.* §. *Eſto autem*, vbi Theophil. *Inſtitut. quib. mod. toll. oblig. l. Et vno* 18. §. 1. *D. de acceptilat. l. Pater* 38. §. *Quindecim, D. de legat.* 3. *l. Si in emptione* 34. §. *Omnium, D. de contrah. empt.* niſi ſicubi ex mente contrahentium confunduntur: vt in ſtipulatione illa, *habere, licere. d. l. Stipulatio* 38. §. *His qui* 6. *verſ. Cum verò in fine, l. Ex empto* 11. §. *Idem Neratius* 8. *D. de action. empt.* Itaque fugitiuum ſervum habere, non licet. *l. Iulianus* 13. §. 1. *D. de action. empt. l. Celſus* 5. §. *vltim. D. ad exhibend. l. Quoties* 21. §. *In poteſtate, D. de noxalib.* Et tamen poſsidemus. *l.* 1. §. *per ſeruum, qui in fuga. l. Pomponius* 13. *l. Rem, quæ* 15. *l. Si rem* 47. *D. de acquir. poſſeſſ. l. Serui* 17. §. *vlt. D. de furtis.* Emptori, ſi rei emptæ ius aliquod auferatur, veluti vſusfructus, habere, rem non licet. *d. l. Stipulatio* 38. §. *Si quis forte* 3. *D. de verbor. obligat.* poſsidere licet. *l. Permiſceri* 52. *D. de acquir. poſſeſſ. l. Celſus* 5. §. 1. *D. ad exhibend.* 12

Denique (vt vel in hoc tranſcurſu 13

ſu paradoxam ſententiam meam, dicent alij, *paralogam*, quam in *Recitationibus Academicis ad titulum*, *D. de acquir. poſſeſſione*, ſubmotis, quæ in ſpeciem obſtabant, firmaui pleniùs, & poſtea publica diſputatione aſſerui, recitante ex noſtris ſchedis, & ſubſcribente, erudito, & heu nuper nobis erepto, Iuriſconſulto, & Præſide Nicolao Fernandio Caſtro, in tractatu *pro cauſa Sfortiaca*, nunc cenſendam doctis, ſubijciam) ſervus, vtpote incapax eorum, quæ iuris ſunt, etiam ſi affectu domini teneat, habere ſibi propriè, non poteſt, poſſidere ſibi poteſt, capaxque eſt veræ, propriæque poſſeſsionis, ſibi acquirendæ, retinendæque, quando ſcilicet, & quamdiu, facto ipſo, tenet, cum affectione ſibi poſſidendi. *d. l. Stipulatio* 38. §. *Hi qui*, & §. *Hæc quoque*. *l.* 4. §. *De illo*, *D. de vſucap.* *l. Ait Prætor* 23. §. 1. *verſic. Nec cæptam*, *D. ex quib. cauſ. maiores*. E contrario depoſitarius, commodatarius, fructuarius, conductor, nec propriè, nec ſibi poſſident. *l.* 1. §. *Per eum*. *l.* 3. §. *Illud*, *D. de acquir. poſſeſſ. d. l. Celſus* 5. §. 1. *D. ad exhibend. l. Non ſolùm* 33. §. *Quod vulgò in fin. D. de vſucap.* & tamen, propriè habere, dicuntur. *dict. l. Stipulatio* 38. §. *Habere* 9. *l.* 1. §. *Quòd autem* 33. *D. de vi, & vi arm. l.* 2. §. *Habere, iuncto* §. *Prætor ait*, *D. Ne quid in loco publ. l. Officium* 9. *D. de rei vindic. l. Acquiruntur* 10. §. *vlt. D. de acquir. rer. domin.* Qui precariò accepit vſum ſeruitutis, aut rei corporalis, dicitur precariò habere. *l.* 2. *in princ.* & §. *vlt. cum l. ſeq. l. Et habet* 15. §. *Precario*. *l. vlt.* §. *vlt. D. de precario*. *l. Si precario* 17. *D. commun. præd.* & tamen non poſſidet, niſi precariũ ſit ipſius poſſeſsionis rei corporalis. *l. Certè* 6. §. *Is qui*. *l. Et habet* 15. §. *Eum qui*. *l. Qui precario* 17. *l. vlt. D. de precario*, *l. Quæcumq;* 13. §. 1. *D. de Publicana*. *l. Si ſeruus* 22. §. 1. *D. de noxalib*. *l. Communi* 7. §. *Inter prædones*, *D. communi dimidundo*. *l. Pomponius* 13. §. *Si is qui precario*, *D. de adquir. poſſeſſ.* Qui actionem habet ad rem petendam, ipſam rem habere, videtur. *l. Is, qui* 15. *D. de regul. iur. l. Id apud ſe* 143. *D. de verbor. ſign.* etiam ſi perſonalis actio ſit. *l. Filij familias* 34. §. *vlt. cum l. ſeq. D. de hæred. petit.* & tamen neque poſſidet, neque poſſidere, intelligitur, ſi perſonalis actio ſit. *l. Sciendum* 15. §. *Si fundus in dotem, in fine*, *D. qui ſatiſd. cog.* Denique hęreditas, nondum adita, & hæres, adita hæreditate, omnia iura defuncti habet. *l. hæreditas* 62. *D. de reg. iur. l.* 1. §. *Scæuola*, *D. ſi is qui teſtam. lib.* & in legatis per vindicationem, quorum dominium legatario adquiritur, ipſo iure, teſte Caio *lib.* 2. *Inſtit. tit. de legatis*, §. *Vindicationis*, & §. *Cæterùm in fine*, iuncta *l. Cum filius* 76. §. *Varijs*, *D. de legat.* 2. legatarius, cui res legata eſt, per formulam, *ſibi habeto*, vt apud Vlpianum *in fragm. tit.* 23. *de legatis*, §. *Per vindicationem*. *l. vlt. D. de pecul. legato*, etiam ante rem traditam habere eam propriè, dicetur. *l. Habere* 188. *D. de verbor. ſign.* Et tamen neque hæreditas poſſidet, *d. l.* 1. §. *Scæuola*, neque hæres, aut legatarius, antequàm poſſeſsionem corporaliter apprehendant. *l. Cum hæredes* 23. *D. de adquir. poſſeſſ. l.* 1. *in princip.* & §. *Qui verò*, *D. quod legator.*

Hæ, & ſi quæ aliæ ſunt, inter *habere*, & *poſsidere*, differentiæ, ignoratæ Cornelio Frontoni, vtpote Grammaticæ magis, quàm iuris, perito, oſtendent iam facilè cuiuis, vocem, *habeto*, vt dixi, propriè, & plerumque iuris eſſe, ideoque, in capite Iuliæ legis, facere, ne iure 14

li-

liceat Senatorijs, libertinas vxores ducere, & vt iniuſtæ, nec ſolemnes hæ nuptiæ ſint, non tamen vt &, facto ipſo, diſſolvatur ex lege Iulia, ſemel, contra eam, initum matrimonium. Quod ſi, & vt ſupra monui, contendes, ineſſe etiam verbo, *Habeto*, prohibitionem perſeuerantiæ in matrimonio: reſpondebo, retenta relatione huius verbi ad ius nuptiarum ſolemnium, vt iam propoſui, nihil amplius ex prohibitione hac perſeuerantiæ elici poſſe, niſi eò vſque improbari lege Iulia eiuſmodi nuptias, vt iniuſtæ ab initio ſint, & iniuſtæ perſeuerent, quamdiu prohibitionis ratio durat, hoc eſt, quamdiu ille Senatorius, & illa libertina eſt. Non autem prohibitio hæc perſeuerantiæ, deducta ex verbo, *Habeto*, producenda eſt, vt & innuat factum diſſolutionis matrimonij, cum habere non facti, ſed iuris ſit. Neque præceptum, infidelis coniugis non dimittendi à fideli, (ceſſante ſcilicet periculo ſalutis æternæ) deducit Tertullianus *d. lib. 2. ad vxorem, cap. 2.* ex verbo, *Habet*, quo Apoſtolus vſus, ſed expendit id verbum, vt ex eo colligat, præceptionem Apoſtoli, & perſeuerantiam in matrimonio cum infideli, iniunctam verbo, *Non dimittat*, intelligendam eſſe de eo, qui cum fidelis, eſſe incipit, habet iam coniugem infidelem, quam ſcilicet, ante baptiſma, duxerat, quæ & aliorum veterum Patrum Eccleſiæ ſententia eſt.

CAPVT IX.

AD LEGEM, A DIVO 58. D. DE RITV NVPT.

ARGVMENTVM.

Contra legem Iuliam, nuptiæ Senatoriæ ſunt iniuſtę nuptię, quamvis non irritæ, ſicut filiorum familias olim, ſine patrum conſenſu. Proinde nec proſunt, quoad iura, aut prǽmia nuptiarum. Explanatus Vlpianus *tit. 16. §. Aliquando.* Paulus *in l. 37. §. 7. verſic. Ex lege, D. de oper. libert.* Excipitur ſpecies Martiani *in l. 58. D. de ritu nupt.* quæ & cum cura illuſtratur, adhibita dubitandi, ac decidendi ratione. Actio illic, Senatori conceſſa, an ſit de dolo, vel ad eius exemplum, vt pluribus placitum? Nobis nunc magis eſſe vtilem, ad exemplum actionis de dote. Producta illa deciſio ad fori vſum, & ex ea affirmatum, in matrimonijs, vt vocantur, putationis, coniugem innoxium, & multò magis deceptum, fruiturum coniugalibus lucris integrè, etiam, alterius coniugis noxij induſtria; quæſitis; quamquam ſi vterque bonę fidei eſſet, communia forent. Affirmatur ipſum, quoad retentionem dotis, ob adulterium quaſi vxoris in matrimonio putatiuo, ad quod maritus, inſcius impedimenti, pellectus.

1 Pergamus in effectu prohibitionis, ex noſtris legibus, explanando. Ergo quamvis, vt *capite ſuperiore* oſtendimus, inter Senatorios, & libertinas matrimonium, ante Orationem Marci, & Senatuſconſultum, ſuo iure, & vinculo nexum, ſtaret, nec lege Iulia, aut Papia reſcinderetur, adhuc tamen, contra eaſdem leges, id fuiſſe, neque legitimas, iuſtaſve nuptias dici potuiſſe, dubium non eſt. *l. Si Senatori 31. D. de ritu nupt.* Neque id nouum, aut ſine exemplo; ſic enim, etiam iure Romano, nuptiæ à filijs fa-

familias ſine patris, in cuius poteſtate ſunt, conſenſu initæ, valent, nec diſſolvuntur, teſte Paulo *lib. 2. ſentent. tit. 19. verſic. Eorum*, iuncta *l. 1. §. vltim. cum l. ſeq. D. de liber. exhib.* nec tamen, vt idem Paulus loquitur, iure contrahuntur, *Nam nec in terris filij*, ait Tertullianus *2. ad vxorem cap. 9. ſine conſenſu patrum, ritè, & iure nubent*: ideoque & nuptiæ iuſtæ non ſunt, *princip. Inſtit. de nupt. l. Nuptiæ 18. D. de ritu nupt.* hoc eſt, non *legitimæ, & iuri ciuili congruæ*, vt Apuleianus Iupiter loquitur *lib. 6. Miles.* & vxor, liberique, non iuſti. *l. Paulus 11. D. de ſtatu hom. l. Si vxor 13. §. 1.* iuncto *§. Si quis vxorem 6. D. ad leg. Iul. de adulter. l. 3. §. Si emancipatus 5. D. de bonor. poſſ. contr. tab.* Et dos in eiſdem nuptijs nulla. *l. Dotis 68. D. de iure dot.* Denique quamuis teneant contrahentes, matrimonij iure, & iugo, non tamen propriè nuptiæ ſunt, ſiue, vt nuptiæ, conſiſtunt. *§. Si aduersùs, Inſtit. de nupt. l. 2. D. de ritu nupt.* & vt, ex Auguſtino, Gratianus *in cap. vltim. 28. quæſt. 2.* Coniugium eorum, qui ſolo affectu, neque à parentibus ſibi traditam coniugem copulant, *non legitimum, ſed ratum tantummodò eſt.* Idque ipſum de pleriſque, id genus, alijs Romano iure nuptijs, prohibitis dici, & doceri poſſe, ſcio: ſit tamen ſatis interim exemplum propoſitum, de quo & fortaſſe plura alibi, & opportuniùs.

2 Conſentanea propoſitis, & inde paucis explicanda ſunt, quæ ſequuntur. Primum eſt, vt quamuis ex decimario capite Papiæ legis, coniuges, liberis carentes, decimam ſolam, matrimonij nomine, capere inter ſe, poſſint, ex teſtamento, ſiue ex eo, quod alter alteri, teſtamento, reliquit, Auctore Vlpiano *in fragmentis, tit. 15.* Tertull. *lib. 1. ad vxorem, cap. 1.* iuncta *l. 2. cum rubrica, Cod. de infirm. pœnis cælib. & de decimar. ſublat. l. Qui vxori 18. D. de auro, & arg. leg.* cum ſimilibus, ſuo loco exponendis; ſi tamen contra Iuliam, Papiamque Poppæam, Senator libertinam, aut ingenuus famoſam, vxorem duxerint, nihil inter ſe capiunt, matrimonij nomine, tametſi, vt loquitur Vlpianus *tit. 16. §. Aliquando*, matrimonium contraxerint; quia id, vt cumque ratum, validumque, eſt vtique contra leges noſtras, ac proinde illegitimum, ſiue non iuſtum, & quod proficere non debeat, ad capacitatem Decimę, ex eiſdem legibus, vt dicemus inferiùs *lib. 3. cap. 1.*

Secundum eſt, explicari hinc commodè, poſſe pericopen illam, 3
apud Paulum, *in l. Qui libertinus 37. §. Poſthumus, D. de oper. libert. Ex lege autem nati liberi proſunt.* Quę definitio, quamvis coniuncta ſuperioribus, accipi aliter non malè poſsit, vt & dicemus ad illud caput, ſi tamen vt & ſtat, per ſe, & abſciſſa, exaudienda eſt, propriam, diuerſamque à prioribus, & poſterioribus ſententiam exprimit, nempe eos dumtaxat liberos prodeſſe libertino ad liberationem operarum, ex capite illo Iuliæ legis, de quo Paulus *in dict. l. Qui libertinus 37.* qui ex lege nati ſunt, hoc eſt, ex nuptijs, ſecundùm legem Iuliam, à libertino contractis, non cum Senatoria perſona; namque & vtrumque hoc caput Iulię legis de liberatione operum, & de connubio Senatoriorum cum libertinis, eodem illo *lib. 2. ad leges Iuliam,*

& Papiam, interpretatus eſt Paulus, vt liquet *ex d. l. Qui libertinus* 37. *d. l. Lege* 44. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. Senatoris* 6. *D. de Senator. l. Qui mortui* 129. *D. de verbor. ſignif.* Et natos, contra legem, ex iniuſtis nuptijs, etiam ſi alioquin validis, ad præmia eiuſdem legis proficere, indignum eſſet. *l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.* (de qua, & alijs commodiùs, *lib.* 3. *cap.* 1.) *l. vnic.* §. 1. *D. vnde vir, & vxor. l. vlt. D. de ſtatu liber. l. Adigere* 6. §. *vltim. in fine, D. de iure patron.* Vlpianus *d. tit.* 16. §. *Aliquando, &* §. *Quod ſi maior.*

4 Tertium, & quidem impenſiori opera, curaque dignum, eſt Marciani fragmentum, *in l. A Diuo* 58. *D. de ritu nupt.* vbi proponitur: *Si libertina Senatorem deceperit, quaſi ingenua, & ei nupta eſt, ad exemplum prætoris edicti dandam in eam actionem, quia ex dote nullum lucrum habet, quæ nulla eſt*: idque *reſcriptum eſſe à Diuo Pio*, hoc eſt ab Antonino Pio, qui Divum Marcum, ſiue Marcum Aurelium Antoninum in Imperio præceſsit, vt vel diſcentes, & dupondij ſciunt, ac proinde ante Orationem, & Senatus Conſultum Marci, quo inductum diximus, vt Senatoriæ nuptiæ cum libertinis, non modò iniuſtæ, ſed irritæ eſſent. *d. l. Oratione* 16. §. 1. *D. de ritu nupt.* cum ſimilib. Poſtulat autem propria *d. l. A Diuo* 58. explicatio, duo in primis, vt præmittamus. Prius eſt, nuptijs illicitis, ſiue contra leges contractis, dotem nullam eſſe, aut intelligi. §. *Si aduersùs, Inſtit. de nupt. l.* 3. *D. de iure dot. l.* 4. *l. Si quis inceſti* 6. *Cod. de inceſt. nupt.* neque id ſolùm, vbi illicitæ adeo nuptiæ, aut inceſtæ, vt nec, matrimonij vinculo, teneant, ſed etiam vbi iniuſtæ dumtaxat, & alioquin validæ, rataque; quales contractæ à filio familias, iniuſſu patris. *d.* §. *Si aduersùs, iuncto princip. Inſtit. de nupt. l. Dotis* 68. quæ rectè expenſa hoc exprimit. *D. de iure dot.* Poſterius præmittendum, eſt, quæſtionem *d. l. A Diuo* 58. pertinere, & referri omnino oportere ad verba illa noſtri capitis Iuliæ leges, *ſciens dolo malo*, quæ ſolemnia in pleriſque legibus, & edictis, bonæ fidei excuſandæ. *l.* 3. *l. Non ſtatim* 6. §. *vlt. D. de lege Fabia de plagiar. l.* 3. *in fine, D. ad leg. Iul. Maieſt. l.* 1. §. 1. *in fine, D. de ædilit. ed.* Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.* 25. *l.* 3. §. *Quod ad cauſam* 18. *D. de S. C. Syllaniano. l. Lege* 9. §. *pen. D. de lege Corn. de falſ. l.* 1. *D. ad leg. Iul. peculat.* & *in fragmentis Mamiliæ veteris agrariæ legis*, apud Auctores *de limitibus agrorum, neue loco moueto ſciens dolo malo*, & poſtea: *quos eiecerit, locoue mouerit, ſciens dolo malo.* Eſt autem quæſtio *in d. l.* 58. de libertina, quæ ſciens dolo malo Senatori nupſit, & quaſi ingenua eum (ſcilicet ignorantem, exiſtimantemque, ſe ingenuam ducere) decepit, dote etiam data, dicta, aut promiſſa, tanquam in nuptijs iuſtis. Queis ſupoſitis, iam, ante Senatus Conſultum, & Marci Orationem, quæſitum eſt, an in ea ſpecie Senator poſsit, ex dote data, lucrum aliquod retinere, vel idipſum, ex dote dicta, aut promiſſa, petere, & perſequi, actione inſtituta contra libertinam, à qua deceptus eſt. Quale ſcilicet lucrum, apud maritum Senatorem maneret, nuptijs iuſtis contractis, vel ex pacto dotis, aut partis eius in aliquo caſu lucrandæ, vt Accurſius, & Viuianus ponunt *in d. l. A Diuo* 58. iuxta terminos *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſam dator.* vel mortua in matrimonio muliere, ſi dos adventitia fuerit,

rit, quæ cedere eo caſu ſolet lucro mariti, ex iure vetere, de quo etiam Vlpianus *tit. 6. de dotibus*, §. *Aduentitia*, iuncta *l. Si ab hoſtibus* 10. §. 1. *D. ſoluto matrim. l. Dotale* 15. *D. de fundo dotali. l. Celſus* 22. *D. de religioſ.* cum alijs; vel denique, diuortio facto, culpa mulieris, vbi propter grauiores mores, maritus ſextam partem dotis lucrari ſolitus, octauam, propter leuiores, vt Vlpianus idem ſcribit, *d. tit.* 6. §. *Morum*, iuncta *l. Cum mulier* 47. *D. ſoluto matrim. l. Miles* 11. §. *Socer*, & §. *vlt. D. ad legem Iul. de adult.* Vtrocumque itaque, ex propoſitis, caſu, aut alio ſimili, quem ſupponas, licet, dubitatum merito eſt, an maritus Senator lucrum ex dote habeat, vel petat. Dubitandi autem ratio nata ex eo, quod, vt diximus, nuptiæ contractæ ſunt, dolo malo à libertina, ſciente, &, quaſi ingenua, decipiente Senatorem, ac proinde apertè contra legem Iuliam, qua attenta, iam tunc ante Senatus Conſultum, & Orationem Marci, conſtabat, nuptias eiuſmodi, quamuis ſtarent, nec diſſoluerentur, illegitimas eſſe, & iniuſtas, cui & conſequens, nullam dotem eſſe. *d. l. dotis* 68. *D. de iure dot.* nec poſſe, lucrum Senatorem habere, ex dote, quæ nulla eſt. *d. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſam dat.* Dubitandi hanc rationem ſequi, & agnoſcere hactenus, vel in decidendo, videtur Antoninus Pius, cuius reſcriptum extat, *in d. l. à Diuo* 58. vt fateatur, Senatorem, in propoſita ſpecie non poſſe iure ſtricto dotis, ſiue actione propria de dote lucrum habere, aut perſequi ex dote, quæ nulla eſt. Sed è contrario, vel ex ea ipſa cauſa, reſcribit, dandam Senatori, contra libertinam, non actionem de dote, ſed aliam, ad exemplum Prætoris edicti, vt lucrum, quod ex dote, non habet, ſarciatur. Idque elegantem rationem habet; quia quamuis regulariter, nuptijs illicitis contractis, dos caduca fieri, Fiſcoque vindicari ſoleat, ſic, vt nec fructus dotis maritus retineat. *l. ſi quis officium* 38. §. 1. *l. Inceſtæ* 52. *l. dote* 61. *D. de ritu nupt. l. Qui contra* 4. *l. Si quis, Cod. de inceſt. nupt.* Quod & expreſſum eſt in nuptijs, Papia lege prohibitis, apud Vlpianum *tit.* 16. *in fine.* tamen in propoſito nulla eſt ratio æquitatis, aut iuris, ob quam Senator, qui ſine dolo malo, & neſciens, à libertina, quaſi ingenua, deceptus, eam vxorem habuit, neque quod ad ſe attinet, in legem Iuliam commiſit, cadere lucro dotis debeat, ſiue carere actione, contra libertinam. Namque, vt vel maximè fateamur, nuptias iniuſtas, dotemque nullam eſſe, pœna tamen ea eſt, reſpondens admiſſo libertinæ, quæ ſciens dolo malo nupſit, nec producenda ad Senatorem neſcientem, & innoxium. *d. l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* iuncta *l. Sancimus* 22. *C. de pœnis.* Vt vel obiter hinc appareat, non proponi, ſupponive, *in d. l.* 58. quin potiùs alieniſsimam eſſe ab eo contextu quæſtionem, de poteſtate renunciandi priuilegio in Senatore, aut nobili, quam tamen ibi obtrudere, ſiue ad eam trahere ſententiam *d. l.* 58. ineptè nititur Gutierrez *de iuram. confirmat.* 1. *p. cap.* 16. *num.* 60.

Planè quod ſcriptum eſt *in d. l.* 58. Senatori decepto dandam actionem, *ad exemplum Prætoris edicti*, exaudiunt, poſt Accurſium, Salycetus *in d. l. A Diuo Pio.* Alexander *in l. Si cum dotem* 23. §. *vlt. num.* 3. *verſic. Sed contrarium.* Vbi & Barboſa *num.* 12. *D. ſoluto matrim.* Suarez *in l.* 1. *tit. de las ganancias, num.* 6. *in fine, lib.* 3. *fori*, de actione de dolo, 5

quæ

quæ prætorio edicto proponitur. *l.* 1. *D. de dolo*. Quod & ſuaderi creditur, ex eo, quia quamuis de dolo actio, vtpote famoſa, non ſoleat in vxorem marito competere. *l.* 2. *&* 3. §. 1. *&* 2. *D. de actione rer. amotar. l.* 2. *Cod. eodem tit. l. vlt.* §. *vlt. C. de furtis. l. Si quis vxori* 52. *D. eodem tit.* competit tamen, & dari ſolet, quoties ita nuptiæ iure impediuntur, vt nec vxor dici, poſsit, quæ nupſit, nec maritus qui duxit: argumento *ex l. Si concubina* 17. *D. de action. rer. amotar. l. penult.* §. *vlt. D. quod falſo tutore. l. Si vxor* 13. §. *Sed & ſi* 4. *&* §. *Si quis vxorẽ* 6. *D. ad leg. Iul. de adulter.* Nimirum iuris ratio, quę obtinuit, famoſas, turpeſve actiones, & quę doli, vel fraudis mentionem habet, inter coniuges denegari, in honorem, reuerentiamque matrimonij. *d. l.* 2. *l.* 3. §. *Sed cum* 2. §. *de act. rer. amot.* ceſſat in matrimonio, legibus improbato, cuius velamentum proficere, ad vitandam famoſę actionis notam, abſurdum eſſet. *l. Senatoris* 47. *l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Auxilium* 37. *in fine, D. de minorib.* Tantò magis quòd in propoſito, cum libertina, ſciens dolo malo, nupſerit ignoranti Senatori, & decepto, indignior, & iniquior contemplatio eſſet, quę, prętextu matrimonij iniuſti, in libertinam, tanquam nuptam, negaret Senatori actionem de dolo, quia faueret decipienti, & nocenti, contra deceptum, & innoxium.

6 Verùm huic ſentẽtię ne ſubſcribã, facit, quod verbis illis, *ad exemplum prætoris edicti*, demonſtratur, plerumque vtiles, ſiue in factum, actiones, comparatę ad exemplum directarum, quę edicto, aut legibus proditę ſunt. *l. Sed & ſi* 12. *l. boues* 53. *D. ad leg. Aquil. l. Locum* 17. §. *vlt. D. de vſufr.* iuncta *l. Quia* 11. *D. de præſcrip. verb.* Vnde & *in d. l.* 58. placuit alijs, & nobis olim, poſt Briſſonium, *de iure connubiorum pag.* 13. ſignificari, non actionem de dolo, ſed in factum, ad inſtar actionis de dolo, prætorio edicto propoſitæ, qualem ſcilicet in factum actionem detracta, aut temperata doli mentione exerceri inter eas perſonas, quibus reuerentia debetur, ſcimus, ex *l. non debet* 11. *D. de dolo. l.* 4. §. *aduersùs D. de doli except. l. Parens* 5. *cum l.* 6. *&* 7. *D. de obſeq. par. & patr.* Nunc autem, cum & huic expoſitioni obſtare, animaduertam, rationem iuris, ſupra propoſitam, quæ oſtendit, nihil cauſæ eſſe, cur in honorem matrimonij iniuſti, & contra eam, quæ vxor non eſt, denegaretur ipſa directa, de dolo, actio, crediderim potiùs intelligendam eſſe *d. l.* 58. de actione vtili, de dote dicta, aut promiſſa, quæ in ea ſpecie, quamuis ſummo, ſtrictoque iure, dos nulla fuerit, accommodatur tamen ex Reſcripto Pij, Senatori decepto, ad exemplum, ſiue ſimilitudinem ſententiæ edicti, de dolo; nempe vt dolus libertinæ coerceatur, & lucrum, eo interceptum, ex dote ſarciatur, ſeruetur. *l. Si filia* 5. *D. de nuptijs.* Proinde non eſt illa actio vtilis, ſiue in factum, ſubſidiaria actionis de dolo; id enim fruſtrà fieret, cum matrimonij honor non ſit, qui vetet, ipſam de dolo actionem directam dari; ſed eſt vtilis ſubſidiaria actionis illius, qua, ſi dos, & nuptiæ iuſtæ fuiſſent, lucrum ex dote peteretur. Dicitur autem ad exemplum edicti Prætorij de dolo, quia ad illius ſimilitudinem coercet dolum, quamuis diuerſa actio ſit; quomodo verba, *ad exemplum*, vſurpantur in *l.* 2. *D. ſi ſeruitus vindicet. l. In honorarijs* 35. *verſic. Item, D. de obligat. & act.*

act. l. Sed & ſi 7. §. 1. *D. de inſtitor. act.*

7 Sed premenda eſt, vel adhuc magis, ſententia *d. l. A Diuo* 58. exprimet fortaſſe non nihil, ad forenſem vſum. Ergo in primis, ex ea ſententia, commodè infertur, vt quamuis in matrimonio, vt loquimur, putatiuo, νομιζόμενος, ſiue δοκῶν, quale ſcilicet nunc intelligo cōtractum bona fide vtriuſque coniugis, vel iure, vt valeat, non ſuffragante, vt in nuptijs ſeruilibus, iure ciuili, *l.* 3. *Cod. de nupt.* vel refragante ad tempus, vt in, minore duodecim annis, vxore; vel denique refragante in perpetuum, & reſiſtente, vt inter Senatorem, & libertinam, & hodie inter conſanguineos, intra gradus prohibitos; quamuis, vt cœpi dicere, in, id genus, matrimonijs putatiuis, quę contracta nimirum fuit, bona fide vtriuſque coniugis, impedimentum ignorantis, lucra, conſtante matrimonij imagine, & aſpectu, quæſita, quæ moribus Hiſpaniæ, & legibus, communia eſſe inter coniuges, ſolent. *l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 3. *fori legum. l.* 2. *cum ſeqq. tit.* 9. *lib.* 5. *compilat.* communicentur etiam inter coniuges, qui ſeſe tales eſſe bona fide, putarunt, vt argumento *ex cap.* 2. *in fine de donat. inter.* docet Panormitan. *ibi num.* 3. poſt alios, Tiraquell. *in connubial. gloſſ.* 8. *num.* 270. doctè Rod. Suarez *in l.* 1. *tit. de las ganancias, ex num.* 1. *lib.* 3. *fori.* D. Præſes Couarr. *de ſponſal.* 2. *part. cap.* 7. §. 1. *num.* 7. Didacus Perez *in l.* 4. *verſic. Dubitari, tit.* 4. *lib.* 5. *compilat.* Matienço *in l.* 2. *gloſſ.* 1. *num.* 4. & Azeuedo *ibidem num.* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *compilat.* Ant. Gamma *deciſ. Portug.* 89. *num.* 1. & *deciſ.* 176. *num.* 1. & *deciſ.* 207. *num.* 10. & *deciſ.* 220. *num.* 2. Garçia *de coniug. ac quæſtu num.* 159. Barboſa *in l. Si cum dotem* 23. §. *vltim. num.* 13. & 14. *D. ſol. matrim.* Marius Muta *in conſuetud. Senat. Panormit. cap.* 44. *num.* 59. Giurba *ad conſuet. Meſſan.* 1. *part. cap.* 1. *gloſſ.* 1. *num* 27. & *cap.* 16. *gloſſ.* 2. *num.* 2. Nouiſſimè, poſt ſcripta hæc, viſus, & in vſum ſemper ſcribens, videnduſque, D. Olea *tract. de ceſſ. iur. tit.* 4. *quæſt.* 8. *num.* 8. Arias de Meſa *lib.* 3. *var. cap.* 22. *num.* 5. & 9. Plures *in addit. Mennæ ad Gammam dict. deciſ.* 89. Valdeſij *ad Suarium in dict. l.* 1. *tit. de las ganancias, num.* 1. Barboſa *in dict. cap.* 2. *num.* 9. *de donat. inter.* licet, eo ipſo caſu matrimonij putatiui, diuerſum ſit, in lucro dotis, quod, ex pacto, habiturus erat maritus, ſi matrimonium conſtaret. *l.* 1. quam ita cordatiores accipiunt, *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* iunctis traditis à Rolando *de lucro dotis, quæſt.* 97. *num.* 6. Phanucio *eod. tract. gloſſ.* 3. *num.* 14. & 19. Baeza *de decima tutor. cap.* 12. *num.* 17. Giurba *vbi ſupra, gloſſ.* 9. *num.* 19. & *ſeqq.* ſi tamen bona fides ſolius mariti fuerit, mulierque, impedimenti conſcia, ei decepto nupſerit, & cohabitauerit, ceſſat, quod ad mulieris commodum attinet, communicatio coniugalis, ac quæſtus, non eo ſolo reſpectu, ne quid ipſa participet, ex lucris, vi i induſtriæ quæſitis, quod indubium; quia ei ignoranti fauemus, non decipienti, in matrimonio putatiuo. *l.* 4. *tit.* 6. *de las herencias, lib.* 3. *fori.* iuncta *l. Si cum dotem* 22. §. *vltim.* ibi: *Si mulier in conditione mariti errauerit, putaueritque, eſſe liberum, cum ſeruus eſſet. D. ſolut. matrim. l.* 3. *Cod. eod. tit. l. Si concubina* 17. *D. de act. rer. amotar. l.* 50. *tit.* 14. *part.* 5. Quorum argumento,

probat hoc ipſum Rod. Suarez *in dict. l.* 1. *tit. de las ganancias, num.* 17. *& ſeqq.* Couarr. Matienço, & Phanucio, iam laudati. Eman. Coſta *in cap. Si pater*, 1. *part. verb. Vxorem, num.* 5. *&* 6. *de teſtam. lib.* 6. Noſter Solorçano 2. *tom. de Ind. Gubern. lib.* 2. 5. 21. *num.* 63. In quo labitur, & quidem inconſpectè, ſola vnius coniugis bona fide contentus, in hac re, eſt, Giurba, *locis nuper laudatis, dict. gloſſ.* 1. *cap.* 1. *num.* 28. *&* 30. *& cap.* 16. *gloſſ.* 2. *num.* 2. Sed, quod eſt amplius, eo etiam reſpectu, vt maritus deceptus, quæ communi induſtria parta ſunt, habeat in ſolidum, & ex lucris, mulieris ſolius induſtria, quæſitis, partem ſuam ferat, eamque vel retineat, vel repetat, per exceptionem, aut actionem doli. Id porrò, & eleganter firmatur ex *d. l. A Diuo* 58. *l. penult.* §. *vltim. D. quod falſo tutore*, iuncta *l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt. l.* 50. *cum l. ſeq. tit.* 14. *part.* 5. ex quibus ita, in terminis illationis noſtræ, Barboſa *in l. Si cum dotem* 23. §. *vlt. num.* 12. *&* 18. *D. ſolut. matrim.* Conducit quod eſt traditum, earumdem legum argumento, ignorantem maritum, deceptumque à muliere, quæ, impedimenti conſcia, ei nupſit, poſſe actione de dolo, ſiue, vt nos credimus, vtili de dotę, ad ſimilitudinem edicti, de dolo, ſeruare, aut perſequi iure, & nomine eius, quod intereſt, lucrum ex dote, quod ex pacto habiturus foret, directa actione, ſi nuptiæ conſtitiſſent, ceſſante, in hac ſpecie, conſtitutione, *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* quam ita coanguſtant, ex *d. l. A Diuo* 58. *dict. l. penult.* §. *vltim. D. quod falſo tut.* Baldus, ſe à Bartolo didiciſſe, agnoſcens, *in dict. l.* 1. &, poſt Romanum, Alexander *in dict. l. Si cum dotem* 5. §. *vltim. num.* 3. nec diſſentiens effectu, Caſtrenſis *num.* 2. Phanucius *de lucro dotis, gloſſ.* 3. *num.* 22. Barboſa *in d. l. Si cum dotem*, §. *vlt. num.* 12. *&* 17.

8 Ex eadem ratione iuris, expreſſa *in dict. l. A Diuo* 58. *dict. l. penult.* §. *vlt. D. quod falſo tut.* primus forſitan in commune doceo, & deduco, vt quamvis dici ſoleat, priuilegia matrimonij iuſti, quæ dotis, aut ſaltem mulieris, fauorem non reſpiciunt, ceſſare in matrimonio putatiuo, nec quaſi marito indulgeri; vt *ex l. Si concubina* 17. vbi Bartolus *D. de act. rer. amotar. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* pro explorato ſupponunt, poſt Alexandrum, in *dict. l. Si cum dotem* 22. §. *vltim. num.* 3. & Accurſianos alios *inibi*, P. Barboſa *num.* 18. *&* 19. latè Tiraquell. *poſt connub. gloſſ.* 8. *num.* 235. *& ſeqq.* Rod. Suarez *in dict. l.* 1. *de las ganancias ex num.* 9. *&* 16. & laudati à Valdeſio *in addit. Andr. Fachin. lib.* 10. *contr. cap.* 30. (qua tamen de aſſertione nunc non cenſeo, nec percenſeo priuilegia, ſeu iura, quæ ex ea aſſertione, putatiuo marito, & bonę fidei, negare noſtri practici ſoleat, qualia & potiora diſcutiemus in *tractatu de donationibus, legatis, dotibus, inter iniuſtos coniuges*, infra *hoc libro*) tamen, ea etiam traditione ſuppoſita, excipiendus omnino caſus ſit, quo mulier ſciens, prudenſque impedimenti, in matrimonium convenerit, & ignarum virum deceperit; quo poſito, nec dubitandum, indulgenda huic, decepto quaſi, marito ea ſingula iura, lucra, & priuilegia, quę marito iuſto competerent, & conſervanda ei, per exceptionem doli, aut actionem, ex ſententia *d. l. A Diuo* 58. *d. l. pen.* §. *vlt. D. quod falſo tutore*.

Vnde

Vnde, vt hoc ſaltem exemplo interim rem firmemus, quamvis pluribus placeat, quaſi maritum etiam bonæ fidei, & illiciti coniugij inſcium, inſontemque, non tamen fruiturum lucro, ſeu iure retentionis dotis, propter adulterium quaſi vxoris, vt ex regula *dict. l. Si concubina* 17. *dict. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* notarunt, poſt Accurſium, *in l. Conſenſu* 8. §. *Vir quoque*, *verbo*, *Sibi habere*, *Cod. de repud.* plures apud Tiraquell. *dict. gloſſ.* 8. *num.* 237. ſignanter Barboſa *in dict. l. Si cum dotem* 22. §. *vltim. num.* 19. Giurba *ad conſuetud. Meſſ. dict. cap.* 16. *gloſſ.* 2. *num.* 18. Ar. de Meſa 3. *variar. cap.* 22. *num.* 14. Quibus fauet propriè, & appoſitè quod ſcriptum eſt *in l. Si vxor* 13. §. *Sed & ſi ea* 4. *D. ad leg. Iul. de adult.* accuſationem adulterij, iure mariti, non permitti etiam quaſi marito bonæ fidei (qualem in *dict.* §. *Sed & ſi ea*, Gothofredus rectè ſupponit) contra vxorem, cum qua inceſtum commiſſum, ſiue quæ, contra leges, vxor eſt, quantumvis accuſari, iure extranei, poſsit. Conducit Macri ſimilis locus *in l. Marito* 24. §. *vltim. D. ad leg. Iul. de adult.* iuncta *l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.* Papiniano, apud Auctorem *Collationis legum Moſaic. & Roman. tit.* 4. §. *Papinianus.* Tamen ſi non tantùm innoxius coniugij illiciti, ſed in id etiam à muliere poſtea adultera, pellectus, & inductus ſit, non eſſe invidendum toties decepto ius, retentionis dotis ob adulterium. Congruit planè ſententiæ *dict. l. A Diuo* 58. & firmari non malè poteſt, ex *l. Qui pupillam* 7. illic: *Nec matrimonium eſt hoc*, & *poteſt adulterij accuſari. D. ad leg. Iul. de adulter.* Qua, in propoſito ferè, vtitur P. Barboſa *in l.* 2. *in princip. num.* 96. *D. ſolut. matrim.* Quamquam, ne plura iam, & vt Hiſpanum ius Romano ſuccedat, eſt apud nos receptius, certiuſque omnino, etiam non decepto marito, ſed qui vel ſaltem inſcius, atque innocens illiciti coniugij fuerit, permittendam retentionem dotis, ob adulterium quaſi vxoris, quia noſtratium legum iuſta ſeueritas, perinde animadverti in adulteram, in matrimonio putatiuo, voluit, ac ſi iuſtum ratumque foret. Vt ex *l.* 81. *Tauri*, vbi Gómeſius *num.* 48. *l.* 4. *tit.* 20. *lib.* 8. *compilat.* Gutierr. *lib.* 2. *Canonic. cap.* 12. *num.* 22. D. Præſes Couarr. *de ſponſal.* 2. *part. cap.* 7. §. 6. *in princip.* Barboſa *in dict. l.* 2. *num.* 94. & 95. Id quod etiam, communi iure, verius cenſuere, poſt Gloſſam, *in cap. Plerumque*, *verbo non valebit*, *de donationib. inter*, aliosque, apud laudatos A. Barboſa *in dict. cap. Plerumque*, *num.* 6. Et deciſum referens, Ioannes Griuellus *deciſ. Dolana* 19. *num.* 6.

CAP.

CAPVT X.

AD TERENTIVM CLEMENTEM LIBRO 1. AD LEGEM IVLIAM, & Papiam. In l. Iniquiſsimum 5. D. de iuris, & facti ignorantia.

ARGVMENTVM.

TErentij Clementis locus, applicitus *l. A Diuo 58. D. de ritu nupt.* In phraſi *illud, quam illud*, ſuppletur ſæpe magis, per Helleniſmum. Illuſtratur regula *l. Iniquiſsimum 5.* ratione, & exemplis, etiam ex Baſilicis. Inter quæ primum, ex *l. vlt. D. de S. C. Syllan.* quę & exponitur. Secundum, *ex l. 3. de tributor. act.* cum illius interpretamento. Tertium, *ex l. Si familia 5. D. ſi famil. furt. fec. dic.* cum alijs, pro queis dextrę, & diſtinctæ adnotationes. In *d. l. 5.* invulgatus obex detectus, & remotus. Familia interdum, de vno ſervo, aut duobus, tametſi per ſe, & propriè de pluribus. Quartum, & quia vulgare, leui manu, tactum, *in l. is qui 9. D. quæ in fraud. creditor.*

1 EXtat *in l. Iniquiſsimum 5. D. de iuris, & facti ignorantia*, inſignita iuris regula, ex *lib. 2.* Terentij Clementis *ad legem Iuliam, & Papiam*, quæ fugitiua, ab hoc tractatu videri, poſsit, niſi iungatur his, quæ nuper ſcripſimus. Conſtat autem, Terentium Clementem illo *lib. 2. & 3. ad leges noſtras*, interpretatum fuiſſe ea capita Iuliæ, Papiæque legum, quę ad matrimonia, & adiacentia pertinent, vt colligere eſt, ex inſcriptionibus *l. Non cogitur 21. D. de ritu nupt. l. Siue 61. D. de iure dot. l. Soceri 146. Digeſt. de verbor. ſignific.* quem & ordinem, tenuiſſe, veteres alios iuris Conſultos, in libris ad eaſdem leges, probauimus, perſpicuè magis, ſupra in præfatione huius libri; proinde, quantùm arbitror, commodiſsimè (Cuiacio, & alijs ſilentibus) accommodanda verbis illis Iuliæ legis, in noſtro capite, *ſciens dolo malo*, & iungenda præcedentibus eſt, ſententia *d. l. Iniquiſsimum 5.* vt ſit veluti ratio, generaliſque regula, deducta ex propoſitis, *in dict. l. A Diuo 58.* Nam, cum ibi Senatori ignoſcatur, tribuaturque, ius lucri dotis petendi, ob ignorantiam eius, ſcientiamque libertinæ, quæ nocere iſti, debet, ſicut & ignorantia ſua Senatori ſoli proficere, rectiſsimè inde iam Terentius infert: *Iniquiſsimum videri cuiquam, ſcientiam alterius, quàm ſuam, nocere, vel ignorantiam alterius, alij profuturam.* Quorum vtrumque contra eſſet, ſi vel ignorantia Senatoris proficeret libertinę, integram dotem recuperanti, vel ſcientia libertinæ noceret Senatori, ne lucrum habeat ex dote, vt in illicito matrimonio, bona fide vtriuſque, contracto, iuxta *l. 1. Cod. de condict. ob cauſ. dator.*

2 Illud item leuioris notę, in gratiam tamen eorum, quos cupediæ iſtæ, & condimenta amœnioris doctrinæ capiunt, non prætermiſerim, extare, in verbis illis, *Scientiam alterius, quàm ſuam*, exemplum, nondum vulgò notatum, Helleniſmi, ſiue Hebraiſmi, iuris auctoribus vſitati, quo plerumque in his orationibus, *illud, quàm illud*, ſubaudienda eſt vox *tam*, de quo nos ſupra *lib. 1.* interdum, & frequentiùs vox,

vox, *potiùs*, ſiue *magis*, vt in præſenti, *ſcientiam alterius*, potiùs *quàm ſuam*. Similia exempla plura ex noſtris, & profanis, ſacriſque libris, dabit Ant. Auguſtin. *lib. 4. emendat. cap. 8.* Iuſtus Lipſ. *lib. 5. epiſtolic. quæſt. epiſt. 23. & lib. 3. hiſtor. Taciti annot.* 12. Cuiac. *ad Paul. lib. 4. ſentent. tit. 6. in fine.* Hillig. *ad Donell. lib. 22. cap. 6. litt. X.* Iacob. Guther. *lib. 3. de iure man. cap. 25.* Pamelius *in Tertullianum de velandis Virgin. cap. 16. num. 130.* Fr. Iuretus *in Symmachum lib. 1. epiſt. 89.* P. Andr. Schottus *lib. 5. obſeruat. human. cap. 34.* eruditè ex noſtratibus, mihi publicè, & priuatim chariſsimus, D. Laurentius Ramirez de Prado, cui debebunt æternùm Muſæ humaniores, deductæ ab eo ad Senatum, ſoliumque Togæ, in *Pentecontarcho cap. 30.* &, eis illaudatis, vt ſolent, noui exſcriptores *ſacrorum aduerſariorum*, quæ docto P. Ludouico de la Cerda adſcribuntur, *cap. 61. num. 12. & cap. 185. num. 2.* Damus & nos, eiuſdem locutionis, & ſupplectionis verbi, *magis*, *aut potiùs*, ſicut apud Græcos τὸ μᾶλλον, prætermiſſa illis exempla, & relicta nobis, velut ſpicas à tergo legendas, Ambroſium *lib. 2. de Virginib.* in initio: *Ne vel ſuſceptum deſeruiſſe munus, vel nobis arrogaſſe ampliùs videremur, exemplis, quàm præceptis putauimus imbuendam.* Vegeſium *lib. lib. 5. de re milit. cap. 11. quatenus eos imperitiæ vſus inſtituit, quàm altior doctrina firmauit.* Optatum Afr. *lib. 3. aduerſus Parmenianum: Meritò Paulus docet, orandum eſſe pro Regibus, & Poteſtatibus, etiam ſi talis eſſet Imperator, qui gentiliter viueret: quantò quòd Chriſtianus; quantò quòd Deum timens; quantò quòd Religioſus; quantò quòd miſericors?* Id eſt, *quantò magis.* Conſtantium Auguſtum, apud Ammianum Marcellinum, *lib. 15. Aucta gloria mea confiteor, qui iuſtus in deferenda ſuperiori poteſtate, nobilitati mihi propinquæ, quàm ipſa poteſtate, videor, eſſe ſublimis.* Et inferioris æui ſcriptorem Ioann. Saresber. *in Polycrat. lib. 2. cap. 27. mendacij credendus erat, quàm occultæ veritatis interpres.*

Sed de inſcriptione, & verbis ſatis: de re, & regula iam videamus, de qua etſi pluribus magnus Cuiacius *ad tit. D. de iuris, & facti ignorantia, in dict. l. 5.* nos tamen, non paucioribus, illuſtrabimus, & fortaſſe propriè, electèque magis. In primis autem ſciendum eſt, ſubnixam eſſe hanc regulam ratione illa naturalis æquitatis, quæ docet, ſui quemque facti, & doli pœnam ſubire, nec deberi alteri, per alterum, iniquam conditionem inferri. *l. Non debet 74. D. de reg. iur. l. 1. D. de alienat. iudicij. l. Soluendo 39. D. de negot. geſt. l. In cauſæ 27. D. de procurator. l. de pupillo 5. §. Si plurium 5. D. de oper. noui nunciat.* cum ſexcentis alijs. Redditur autem hæc eadem ratio, & coniungitur regula *l. Iniquiſsimum*, cum illa *l. Non debet 74. D. de regul. iur.* ab Anonymo Scholiaſte Baſilicon *lib. 2. tit. 4. ad dict. l. 5.* qui, ei explanandæ, vtitur, appoſito exemplo de duobus fratribus, quorum alter mortem fratris ſciuit, alter ignorauit, nempe vt ſcienti cedat tempus bonorum poſſeſsionis petendæ, & ignoranti non cedat, ac proinde neque ſcientia vnius noceat alteri, neque ignorantia proſit, iuxta terminos *l. 1. D. de iuris, & facti ignorant.* iuncta *l. 3. D. quis ordo in bon. poſſ. ſeru.* cum *l. Seruus 7. §. vlt. D. de bonor. poſſeſſ.* de queis alij, & alibi.

Iam verò exempla conſentanea 4

ei regulæ, nec vulgò adhuc, quod ſciam, nota, aut notata ſunt, quæ ſequuntur. Primum, neque à tractatu de ereptitijs noſtrarum Iuliæ, Papiæque legum, prorſus alienum, ex *l. vltim. D. de S. C. Syllan.* vbi ſi, de pluribus hæredibus, quibuſdam invitis, aut ignorantibus, apertum ſit teſtamentum, ait Calliſtratus, non amittere portiones ſuas eos, qui culpa carent. Pertinet ea ſententia ad edictum prætorium, quo prohibetur, ne quis ſciens dolo malo, aperiendum, recitandum, deſcribendumve curet teſtamentum eius, qui à familia occiſus dicitur, ante quæſtionem de familia habitam, & ſupplicium de noxis ſumptum. *l 3. §. Quod ad cauſam, cum §§. ſeqq. D. de S. C. Syllan.* & in eum, qui contra fecit, popularis actio eſt in centum aureos, ex eodem edicto. *l. In cognitione* 13. *l. Lege* 25. *§. vltim. D. de S. C. Syllan.* Et hoc ampliùs, ſi aperturam adierit, eripitur ei hæreditas ex Senatus Conſulto, & Fiſco vindicatur. *l.* 3. *§. Non tantùm, l. Neceſſarios* 5. *§. Non aliàs, D. de S. C. Syllan.* Apertura ſola ſine aditione coercetur actione populari ex edicto, non autem ereptione hæreditatis; quia nec eripi, vt indigno poteſt, quod non habet, quia nondũ adijt. Ereptitij vel nomen ipſum, iuſque, ſupponit præcedentem acquiſitionem relicti in eo, cui eripitur, ſiue aufertur. Ergo ſi non modò eius, qui à familia occiſus dicitur, teſtamentum apertum, ſed etiam hæreditas ex eo adita, vt Accurſius, claſſicique ſupponunt *in dict. l. vltim. D. de S. C. Syllan.* & *in l. Si ea* 3. *Cod. de his, quibus, vt indignis.* & *in l. Marcellus* 3. *§. vltim.* Fulgoſius in hac re notat, ſi vocem, *vel*, accipias pro coniuncta, *D. ad S. C. Trebell.* & apertum teſtamentum ſit, quibuſdam ex hæredibus iunctis, aut ignorantibus idcirco reſpondetur, non amittere portiones ſuas eos, qui culpa carent, quia pœna edicti, eique conſequens pœna Senatus Conſulti, relata ad eum, qui ſciens dolo malo aperuit. *dict. l.* 3. *§. Quod ad cauſam*, producenda non eſt ad ignorantes, aut invitos, ne vnius ſcientia noceat alteri, contra regulam noſtræ *l. Iniquiſſimum* 5. iuncta *d. l. A Diuo* 58. *cum l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.*

Secundum exemplum ſit, *ex l. Sed ſi ſeruus* 3. *D. de tributor. act.* quo loci ſi alter ex duobus dominis communis ſervi, ſciat, eum in peculiari merce negotiari, alter ignoret, ſcriptum eſt, tributoriam actionem dandam in eum ſolum, qui ſcit. Itaque ſolus ſciens in tributum vocabitur, tanquam extraneus creditor, cum alijs creditoribus peculiaris mercis, nec vtetur priuilegio deductionis eius, quod ipſi ſervus debet. *l.* 1. & paſsim, *D. de tributoria. l.* 1. *§. Licet* 20. *D. de exercitoria. §. Introduxit* 3. *& §. Cæterùm* 5. *Inſtit. quod cum eo*; in ignorantem autem tributoria non dabitur, ſeu de peculio. *dict. l. Sed ſi ſeruus* 3. quia iniquiſsimum eſſet, ſciẽtiam alterius domini nocere ignoranti, & auferre ei priuilegium deductionis, quod tributoria conuentus non haberet, & habet in de peculio. *l. Sed ſi damnum* 9. *§. Peculium* 2. *cum ſeqq. & toto tit. D. de pecul.* Porrò quod traditur *in dict. l. Sed ſi* 3. ſcientem, conventum tributoria, deducere etiam in ſolidum quod alteri domino, qui ignorauit, debetur, & ſimiliter ignorantem in actione de peculio deducturum etiam in ſolidum, quod ſcienti debetur, non repugnat regulæ no-

noſtræ; quaſi ſcilicet ignorantia vnius proſit ſcienti ad deductionem; neque ex eo fit, ſed propria, & eleganti in ſingulis ratione, & quidem eo, qui ſciens fuit, convento tributoria, quia conuenitur in ſolidum, nec pro ea parte ſola, quam ipſe in peculiari merce habet, ſed etiam pro ea, quæ ad dominum ignorantem pertinet, exemplo actionis de peculio, inſtitoriæ, exercitoriæ, & quod iuſſu. *l. Et ancillarum* 27. §. *vlt. D. de pecul. l. Habebat* 13. §. *vlt. D. de inſtitor. l.* 1. §. *vlt. cum l.* 2. *D. de exercit. l. vlt.* §. *vlt. D. quod iuſſu.* quod peroptimè in tributoria euinci, ex *d. l. Sed ſi* 3. admonuit ibi, contra Accurſium, Fulgoſius noſter, poſt Iacobum de Arenis. Vnde & æquum viciſsim eſt, vt qua ratione conuenitur ſciens ex perſona, & pro parte ſocij ignorantis, pari ratione ex eadem perſona, & parte, poſsit deducere quod ignoranti ſocio debetur. *l. Si noxali* 11. §. *vlt. D. de pecul.* in ignorante autem, conuento actione de peculio, deductio eius, quod ſcienti debetur, ſubſtinetur, tum ex illa æquitatis, & æqualitatis ratione, quia cum de peculio conueniatur in ſolidum, hoc eſt pro ea etiam peculij parte, quæ ad ſcientem pertinet, permittendum ei eſt, vt deducat, quod ſcienti debetur, vt ex Iuliano *lib.* 12. *Digeſtorum*, proponitur *in d. l.* 3. *in fine, & in d. l. Si noxali* 11. §. *vlt.* tum etiam, *quoniam*, vt ſcriptum eſt *in d. l.* 3. *de peculio conuenitur*; ius autem ex natura actionis de peculio ea eſt, vt præceptio, ſeu deductio ſit eius, quod debetur ei domino, qui conuenitur, aut alteri, cuius ex perſona tenetur, & quidem ſine diſtinctione ſcientiæ, vel ignorantiæ. *d. l. Si noxali* 11. §. *vlt. l. Sed ſi duobus* 15. *D. de pecul. l.* 1. *D. de tributor.* adeò vt vel ipſe ſciens, conventus actione de peculio, deducere poteſt ſolidum, quod ſibi debetur. *d. l.* 3. *in fine princ.* Sibi itaque, & expenſæ ratione æqualitatis, ſiue naturæ actionis electæ, non autem ignorantiæ vnius, quaſi alij proficiat, imputare debet creditor, ſi priuilegium deductionis patiatur in ſpecie *dict. l.* 3. quia cum poſſet tributoria in ſcientem agere, pro ea parte peculiaris mercis, quæ ad eum ſolum pertinet, quo caſu deductionem non pateretur, maluit, vel tributoria in ſolidum contra ſcientem, vel de peculio contra ignorantem, aut ſcientem experiri. §. *Cæterùm* 5. *Inſtit. quod cum eo. l. Quod in hærede* 9. §. *Eligere, D. de tribut.* Adijcimus, rei firmandæ, ſummam eiuſdem *l.* 3. *ex Baſilicis lib.* 18. *tit.* 2. *cap.* 3. cuius hic planior, quàm in Latinis, contextus eſt: *Si verò qui contraxit, ignorantem conuenerit, ſupradicta actio, ſcilicet, tributaria, locum non habet, ſed actio de peculio: & quod vtrique debetur in ſolidum deducitur, nam idem quoque ſeruatur, ſi is, qui ſcit, conueniatur actione de peculio.*

Tertium exemplum ſit, ex *l. Si plurium* 5. *l. Si communis* 9. *l. Si ex duobus* 17. *D. de noxalib. act. l. Familia* 5. *D. ſi famil. furt. feciſſe dicat.* quibus locis proditum eſt, ſi plurium dominorum ſervus, familiave communis deliquerit, vno ex dominis ſciente, & altero ignorante, in eum quidem, qui ſcit, dari actionem in ſolidum, detracta noxæ deditione; in ignorantem verò noxalem, vel ſi delictum furti ſit à familia facti, ſcientem quidem teneri omnium, & ſingulorum ſeruorum nomine, tanquam ſi plura furta ſint, ignorantem verò dumtaxat, quaſi ex vno furto, omnium 6

ſer-

ſervorum nomine, ſiue, quod idem eſt, tanquam ſi vnus liber furtum feciſſet, ex beneficio edicti prætorij. *l. 1. & toto tit. D. ſi famil. furt. fec. dic.* Proinde nec ſcientia vnius domini nocet ignoranti, vt vel teneatur ſine noxæ deditione, vel ſingulorum nomine, quaſi ex pluribus furtis, nec ignorantia alterius prodeſt ſcienti, vt fruatur facultate, dedendi noxæ, de qua *in l. Si in re 19. D. de noxalib. l. Supra 11. §. Officium, D. de aqua, & aquæ pluu.* facit, quin locus ſit regulæ noſtræ *l. Iniquiſſimum 5.*

17 Sunt autem duo, vel properanter, & breuiter adnotanda, expediendis, ne quem morentur, ſuperioribus iuris locis. Vnum eſt, ignorantem, ſi conueniatur, vel ob noxam communis ſervi, *actione noxali*, vel ob furtum communis familię, ex edicto, *ſi familia furtum feciſſe dicatur*: dimidium eius, quod præſtiterit, poſſe à ſocio ſciente conſequi. *dict. l. Si communis 9. in fine. l. Si ex duobus 17. D. de noxalib. l. Familia 5. verſ. Et ſi ſeruus, D. ſi famil. furt. feciſſ. dic.* Scientem autem, ſiue ſervi, ſiue familiæ communis nomine, conventus, præſtiterit, conſequi partem poſſe à ſocio ignorante; ſi tamen ipſe, vt ponimus, ſciuit, & prohibere etiam, potuit, non tamen iuſsit. *d. l. Si ex duobus 17. D. de noxalib. dict. l. Familia 5. verſic. Quod ille, & verſic. Sed non amplius*, alioquin ſi iuſsit, nihil à ſocio repetit, quia ſui propriè facti pœnam ſuffert. *dict. l. Si ex duobus 17. verſic. Illud. dict. l. Si communis 9.* quam ita interpretandam de ſciente, ſimulque iubente: argumento ex *l. Sed & eo 10.* quæ ſtatim ſequitur, & conciliandam ea diſtinctione, cum *dict. l. Familia 5.* docent Scholiaſtę Grecanici *lib. 60. Baſilicon tit. 5. in dict. l. 9. & 17.* &, poſt Accurſium, Latini omnes veteres, & nouiores conſtanter, ſi Fulgoſium excipias, dubitantem, nec diſſentientem, ad *d. l. Si communis 9. & d. l. Si ex duobus 17. num. 1. & 2.*

18 Alterum, & latinis ignotius, eſt, quod diximus, poſſe ſcientem, qui non iuſsit, partem conſequi à ſocio ignorante, intelligi variè, oportere, pro varietate noxæ, qua de agitur; nam ſi ea fuerit ſervi vnius communis, & conventus ſine noxæ deditione, qui ſcivit, litis æſtimationem pręſtiterit, puta duplum ex furto ſervi, conſequetur ab ignorante ſocio non partem totius litis æſtimationis, ſed partem pretij ipſius ſervi, quem vel ipſe innocens, ignoranſque, in noxali iudicio dedere cogeretur, niſi litis ęſtimationem ſubire, mallet. *dict. l. Si ex duobus 17. verſic. Ipſi tamen.* Sin autem furtum fuerit familię communis, & conventus, qui ſciuit, ſine beneficio edicti, omnium ſervorum nomine, pro ſingulis duplum pręſtiterit, conſequetur à ſocio ignorante, non partem pretij vnius ſervi, vt in ſuperiori ſpecie, quia ex edicto de furto, à familia facto, non liberaretur ignorans, deditione vnius ſervi, ſed vel omnium, vel æſtimationis litis pro vno. *dict. l. 1. D. ſi famil. furt. fec. dic. l. Illud 32. D. ad leg. Aquil. l. Si familia 9. D. de iuriſdict.* iuncta *l. Quod ait 31. D. de noxalib. l. 3. §. vltim. D. de publicanis*; neque dimidium vniuerſæ litis æſtimationis, quam ſubijt, totius familiæ nomine; quia, ex beneficio edicti, non tenetur ignorans, totius familiæ nomine. *dict. l. Familia 5. in princip. verſic. Quod ille*, quem ita Accurſio, & alijs, ſine cauſa nutantibus, referunt ad ſcientem *Ba-*

ſi-

ſilica lib. 60. *tit*. 15. & ex eis, tametſi non laudatis, Cuiacius *lib*. 6. *obſeru*. *cap*. 1. *& lib*. 22. *&* 39. *ad edictum Pauli in l*. 9. *&* 17. *D*. *de noxalib*. Sed non ampliùs conſequetur ſciens ab ignorante, quam ſi, vnius nomine, præſtitiſſet. *dict*. *l*. *Familia* 5. *verſic*. *Sed non ampliùs*; hoc eſt, conſequetur *partem*, vt *in principio eiuſdem legis* dicitur, æſtimationis litis, quam, vnius ſervi nomine, tanquam pro furto, ab vno facto, præſtare ignorans, cogeretur. Ea enim eſt in his ſpeciebus æquitas, & æqualitas repetitionis, vt quatenus ignorans, pro ſua parte, & perſona, & ſepoſita noxę indiuiduitate, teneretur, ex furto communis ſervi, aut familiæ; hactenus ſciens, qui ſolvit, ab ignorante repetat, vel partem pretij ſervi, in furto ſervi communis, vel partem litis æſtimationis, furti vnius ſervi, in furto familiæ communis, notat Anonymus interpres *Baſilicon dict*. *lib*. 60. *tit*. 15. *in d*. *l*. 5.

9 Illud, indictum adhuc, & inauditum forſitan vulgò, ideoque non prætereundum, eſt, quod in dicta *l*. *Familia* 5. *verſic*. *Si ergo*: quæſtio eſt de furto, facto à duobus dumxtaxat ſervis communibus; & tamen ita verba ſunt, vt ſupponant, dominum ignorantem teneri dumtaxat, vt duplum præſtet, ac ſi vnus liber furtum feciſſet. Id autem obſcurum eſt; quia conſtat, duos ſervos non facere familiam. *l*. *Deteſtatio* 40. §. *vltim*. *D*. *de verbor*. *ſignific*. quin potiùs tres, ad minimum, ſervos conſtituere familiam, argumento ex *l*. 1. *D*. *de optione*, *vel elect*. *leg*. & vt plurimùm quindecim, ex vulgari taxatione Apuleij *apolog*. 1. *pro ſe ipſo*; ergo, etiam extra cauſam furti, à familia facti, ignorans dominus duorum ſervorum communium, non tenetur, niſi vnius nomine duplum præſtet: & ſuperior diſtinctio inter furtum ſervi communis, & furtum familiæ, quoad repetitionem ſcientis, quamvis rectè applicetur principio *dict*. *l*. *Familia* 5. non tamen verſiculo, *Si ergo*, eiuſdem legis. Hæc vt intelligantur, monemus, preeunte Alberico, *in l*. 1. *D*. *ſi familia furt*. *fec*. *dic*. tametſi idem ſecus, & ſequiùs *in d*. *l*. *Familia* 5. appellationem familiæ in eo edicto, duorum etiam ſervorum numero contentam eſſe, vt vel invito cuiuis euincit Marcellus, *in dict*. *l*. 5. *verſic*. *Si ergo*, qui ſingularis eſt in hanc rem. Neque id ſine ratione, aut exemplo; quia quamvis nihil *faciliùs*, vt Cicero ſcribit *in Orat*. *pro Cæcinna*, *quàm probari ijs*, *qui latinè ſciunt*, *in vno ſeruulo familiæ nomen non valere*, *neque dubium eſt*, *quin ſi*, *ad rem iudicandam*, *verbo ducimur*, *non re*, *familiam intelligamus*, *quæ conſtet ex ſeruis pluribus*, *quin vnus homo familia non ſit*; *verbum certè hoc non modò poſtulat*, *ſed etiam cogit*; interdum tamen *ratio iuris*, *& Prætorum voluntas*, *& hominum prudentum conſilium*, *& auctoritas*, contraducunt, faciuntque, vt vel in vno ſeruo, aut ſaltem duobus, teneat familiæ nomen, *non quòd idem ſit ſeruulus*, *quòd familia*, *verùm quia non quibus verbis*, *quidque dicatur*, *quæritur*, *ſed quæ res agatur*. Exemplum nobile in, *vnde vi*, Interdicto, cuius in verbis illis, *aut familia tua deiecit*, cum quæreretur, quem ſeruorum numerum familię appellatio contineret, vtrum pluriùm, an verò & duum, vel trium: placuit iam olim, etiamſi vnus ſervus vi deiecerit, familiam, videri, deieciſſe. *leg*. 1. §.

Mmm *ſed*

Sed quæritur 17. *D. de vi, & vi arm.* &, vt Cicero inibi loquitur, *tam reſtitues, ſi vnus ſeruulus, quàm ſi familia deiecerit vniuerſa; non enim alia cauſa eſt æquitatis in vno ſeruo, & in pluribus.* Itaque non immeritò Paulus *lib. 5. ſentent. tit. 6. de interd.* §. *Non tantùm* 3. pro indubitato, & recepto ponit, in, *vnde vi*, Interdicto, etiam duos ſervos, familiæ nomine, contineri, cum & contineatur vnus, Cicerone, & Vlpiano teſte; quin & Græcis iuriſperitis, *lib.* 60. *tit.* 17. *ad dict. l.* 1. §. 17. *D. de vi, & vi*: ergo & eadem ratione in edicto, de quo nunc quærimus, *ſi familia furtum feciſſe, dicetur*, pertinet appellatio familiæ, vel ad duos dumtaxat ſervos; quia non eſt minor æquitatis ratio, imò fortaſſe, inopiæ, aut frugalitatis intuitu, maior in eo, qui non plures, quàm duos ſervos habet, ne ob eorum furtum vtrumque noxæ dedere, aut, pro ſingulis, litis æſtimationem ſufferre, cogatur, & tantillo patrimonio cadat, quàm ſi plures ſervos haberet. Planè vbicumque hæc ratio æquitatis non eſt, & proprietatem verbi ſequimur, certa, & recepta diſſinitio eſt, *dict. l. Deteſtatio* 40. §. *vltim.* quæ docet, vnicum ſervum, familiæ appellatione, non contineri (niſi iuxta luſum Phœdri liberti *de Æſopo lib.* 3. *fabul. Æſopus domino cum eſſet ſolus familia*) nec duos quidem familiam facere, vt in edicto *vi bonorum raptorum*, & *de incendio, ruina, naufragio*, ad quod referenda, *dict. l. Deteſtatio* 40. vtpote *ex lib.* 56. Vlpiani ad edictum, ex quo & ſunt *l.* 2. & 4. *D. vi bonor. rapt. l.* 1. & 3. *D. de incend. ruin. naufrag.* Et in vtroque edicto ſervus à familia diſtinguitur. *dict. l.* 2. §. *Vi bonorum* 19. *l.* 4. §. *penult. D. vi bonor. rapt. l.* 1. *D. de incend.* &, familiæ nomine, ſignificatur non vnus, duoue ſervi, ſed corpus quoddam, cœtuſque ſervorum. *l. Pronunciatio* 195. §. *Seruitutium, D. de verbor. ſign.* Eſt itaque alia propria, & alia arbitraria vſurpatio verbi, *Familia*, variaque numeri ſervorum, qui familiam faciunt, taxatio pro re, & inſtituto. Sic & *turba*, Servio in *Virgil.* 10. *Æneid.* eſt *multitudo*, & Nonio Marcello in ea voce, *populi conuentus*; & vt de *cœtu*, Seneca *lib.* 3. *contr.* 8. *non ſi vna vicinia coit, aut ſi tranſeuntium paucorum numerus affluxit, ſed vbi totus, aut ex magna parte populus, ſiue multitudinis magnæ nomen eſt.* Siue denique, vt Vlpianus definit, in turba factum accipimus, non vtique ſi duo fecerint, *quia duo, turba non propriè dicentur*; ſed ſi plures fuerunt, *decem, aut quindecim homines, turba dicetur. l.* 4. §. *Turbam* 3. *D. de vi bonor. raptor.* & tamen vel de tribus interdum *turba* dicitur, vt idem Servius notat ad illud 3. *Æneid.*

Turba ſonans prædam pedibus circumvolat vncis.

Vel de duobus ſolis, vt Deucalion, apud Ouidium 1. *Metamorphoſ.*

Terrarum, quaſcumque vident Occaſus, & Ortus
Non duo turba ſumus.

Quartum eiuſdem regulæ exem- 10
plum, ſuperioribuſque expeditius, licebit, colligas *ex l. Is qui* 9. *D. quæ in fraud. credit.* Vbi ſi is, qui à fundatore debitore, cuius bona ex edicto poſſeſſa ſunt, ſciens rem emerit, & poſtea alij ignoranti, & bona fide ementi vendiderit, reſponſum eſt, ex Sabini ſententia, non teneri, ſecundum emptorem, actione Pauliana, quæ datur in emptorem ſcientem, fundationis participem, qualis fuit primus emptor, qui & Pauliana tenetur in ſolidum pretium rei, quod ac-

accepit. Enim verò huius reſponſi ratio ea redditur, quia dolus ei dumtaxat nocere debet, qui eum admiſit. *l. 4. §. de auctoris 27. & §. Auctoris 31. D. de doli except. l. Sed & ſi 7. §. Prætor, D. de publiciana.* Reddi & poteſt ex noſtra regula; quia iniquum eſſet, primi emptoris ſcientiam nocere ſecundo, ignoranti, vel huius ignorantiam prodeſſe ſcienti. Similia exempla colliges ex *l. Eum qui 18. Cod. ad l. Iul. de adulter.*

CAPVT XI.

AD LEG. INIQVISSIMVM 5. D. DE IVRIS, ET facti ignorantia.

ARGVMENTVM.

CONſentaneis, quæ diximus, ad regulam *dict. l. 5.* adduntur diſſentanea. Primum, *ex l. Liberis 7. §. Si duo 3. D. de liber. cauſa.* Cui tamen, fere ex diametro, opponitur, *lex vltim. D. quib. ad libert. proclam. non lic.* Rei explicandę, & componendæ, præmiſſa aliqua; & refutata ex Baſilicis, Connani, aliorumque interpretatio. Subſcribitur potiùs Cuiacio, poſt Irnerium, Martinumque. Non ſemel Iuriſconſulti, dum velut dubitant, aut interrogant, affirmant. Obijcitur rurſus, & exponitur *lex Non ſolus 22. §. Sed & ſi 2. D. de liber. cauſa.* Denique & replicatur *ex d. l. Liberis 7. §. Si quis 2.* cum pleriſque alijs, quibus in pari cauſa pro libertate deciditur. At reſpondetur, ſine agnitione Tribonianiſmi, aut antinomiæ ſubniti *§. ſi duo,* propria ratione, quæ & redditur. Secundum diſſentaneum eſt, *ex l. item 7. §. proinde 7. D. de S. C. Macedon.* Cuius in priore parte ſpecies, & intellectus planior. Non item in ſecunda; quamquam & ea propriè intelligitur ex ſeueriori iure, atque eius ratione. Omiſſa, aut intermiſſa alia, & in eis *lex Nec ſupina 6. D. de iuris, & facti ignorantia.*

1 COnſentiunt quæ expoſuimus, ac veluti conſciſcunt cum ratione iuris, & regula *dict. l. Iniquiſſimum 5.* Nunc iam, vt & quæ diſcrepare ab ea, videntur, explicemus, animadvertimus in primis, pertinere propriè ad hanc regulam, nobilem, inter veteres iuriſprudentes, diſputationem, de duobus emptoribus liberi hominis, ſe venire patientis, ad pretium participandum, quorum emptorum alter, liberum hominem ſcit, eſſe, qui venditur, alter ignorat. Præmonemus autem in emptore liberi hominis, vt emptio teneat, deſiderari iure bonam fidem, hoc eſt, vt ignoret, liberum eſſe eum, qui venditur; quippe ſi ſciat, nulla emptio eſt. *l. 4. 5. & 6. l. Si in emptione 34. §. Liberum. l. Liberi 70. D. de contrah. empt. l. Licinius 4. verſic. Reſpondit, D. quibus ad libert. proclam. l. Minor 39. §. Pater, D. de euict. l. Si tibi 25. Cod. eodem tit.* & emptore ſciente, non fit ſervus, qui venditur, ſed liber manet. *l. Liberis 7. §. Si quis ſciens 2. l. Imò 16. §. Tunc habet, l. Qui ſciens 33. D. de liberal. cauſa. l. Scientis 6. Cod. de ingen. manum. dict. l. Licinius 4. verſic. Reſpondit*; quia quamvis & eo caſu, quo emptor ſcit, indignus libertate ſit, qui libertatem pretio poſthabuit, & maior viginti annis ad pretium participandum, ſe venundari paſſus eſt, tamen & indignus emptor, eum ſervum habere, cuius libertatem ſciens opprimere, voluit, impia, & degeneri mercatione, queſtuque deteſtabili, vt

vt ſcriptum alibi eſt, *in l. vnic. §. Similique, Cod. de latina libert. toll. l. Fœdiſsimam 7. Cod. de poſtlim. reu.* Vnde & in pari cauſa indignitatis, ſeu turpitudinis, potior eſt poſterior, & conſequenter liber homo, qui in quaſi poſſeſsione ſuæ libertatis eſt. *l. 3. l. penult. D. de condict. ob turp. cauſ. l. vltim. D. de condict. ſine cauſa. l. Cum par 154. D. de reg. iur.* & fauorabilior conditio libertatis, & liberationis, quàm ſeruitutis, & pœnæ. *l. Arrianus 47. D. de obligat. & act. l. Inter 38. D. de re iudic.*

5 Eo ſuppoſito, in propoſita ſpecie quæritur, an propter emptorem, qui liberum ſcit, venditio non teneat, nec denegetur libero homini ad libertatem proclamatio, an potiùs propter eum, qui ignorat, & venditioni, & ſervituti locus ſit, ſiue quatenus in ea hypotheſi, ignorantia, ſcientiave vnius emptoris alteri proſit, vel noceat? In qua quæſtione, Paulus *in l. vltim. D. quibus ad libertatem proclam.* conſenquenter regulæ noſtrę affirmat, hominem venditum fieri ſervum, non tamen eius, qui ſcit, ſed tantùm alterius, ac proinde neque ſcientiam vnius emptoris nocere ignoranti, neque ignorantiam alterius prodeſſe ſcienti. E contra autem Vlpianus in *l. Liberis 7. §. Si duo 3. D. de liber. cauſa*, reſpondet *in verſic. Sed enim* in fine, euenire, *vt ei proſit qui comparauit ſciens, quod alius ignorauit*; ſentit itaque, ignorantiam vnius prodeſſe alteri ſcienti, & vtriuſque emptoris ſervum effici eum, qui venditur. Quod à Paulo, & à regula noſtræ *legis Iniquiſsimum 5.* diſcrepat toto Cœlo; nec probari facilè poteſt, probata interdum noſtris Academicis, conciliatio Connani, *lib. 2. comment. cap. 1. num. 6.* aliorumque, ſic Vlpiani extremum verſiculum *in dict. §. Si duo*, exaudientium, vt ſenſus ſit, euenire, *vt ei*, ſcilicet ignoranti emptori, *proſit ille, qui comparauit ſciens, quòd*, id eſt quia alius ignorauit, vt proinde ſcientia alterius, non tam ex ſe proficiat alij ignoranti, quàm ex eo quòd alius ignorauit, & conſequenter dignus eſt, quia ignorauit, vt vel inſolidum habeat ſervum eum, cuius pars ad ſcientem pertinere, non poteſt. Non probanda, inquam, hæc expoſitio, quamvis ſecurè admiſſa Hotmano ad §. *Serui 4. enunc. 3. Inſtit. de iure perſonarum.* Fabro *in iuriſprud. tit. 3. princip. 4. illat. 3.* & alijs; nam præterquamquòd & durior eſt, quia iuxta eam ſcribendum eſſet, in *dict. §. Si duo, quòd ipſe ignorauit*, non vt ſcriptum eſt, *quòd alius ignorauit*; repudiatur apertè in libris iuris *Baſilicon*, vbi ſententia *dict. §. Si duo*, ſic ſummatim exprimitur *lib. 48. tit. 8. Si duo emerint, alter quidem ſciens, alter verò ignorans, ignorantia vnius etiam ei, qui ſcit, prodeſt.* Et in eiſdem libris in translatione ad verbum, quam vocant, Τὸ κατὰ πόδας, ſic ſcriptum eſt in fine *dict. §. Si duo*, vertente Gentiano Hervetto: *eueniet ergo, vt vnius ignorantia proſit ei, qui ſcit, & habeat dimidium ſerui.*

Hæret in re explicanda Fr. Balduinus, & diſſenſionem, inter Paulum, & Vlpianum, fere agnoſcit *in iuriſprud. Mutiana pag. 225.* Ego autem in primis illud obſervo, quod nondum ſatis vulgò obſervatum, conſentire cum noſtra regula Vlpianum *in dict. §. Si duo*, & Paulum *in dict. l. vltim.* in eo ſaltem, quòd vnius emptoris ſcientia non noceat alteri ignoranti; id enim magis eſſe, affirmat Vlpianus, *in principio dict. §. Si duo*, & conſequenter, vt 3

prop-

propter emptorem, qui ignorat, venditio teneat, & venditus fiat ſeruus, vt interrogatiuè, & quaſi dubitans, Paulus ſcribit *in dict. l. vltim. verſic. Sed propter*, & ſapienter interrogando docens, ſuo, & Socratico, ſiue Academico more, verecundè decidit illud ipſum affirmatiuè; de quo interrogat, vt Papinianus alibi, ſiue Vlpianus, *in l. Papinianus 43. in fine D. ad S. C. Trebell. Interrogare ſapienter*, eſt docere: *Et ſi alter ſit, qui interrogat, alter qui docet, ex vno tamen ſapientiæ fonte vtriuſque ſenſus procedit*, ait Carolus Rex, apud Alcuinum, ſiue Albinum, *in Dialogo de Arte Rhetorica*; ſiue, vt appoſitè magis, Fabius Quintil. *libr. 9. Inſtitut. Orator. cap. 2. Interrogamus etiam*, interdum, *quod negari non poſsit*. Eo itaque, in quo Paulus, & Vlpianus conſentiunt, ſuppoſito, nempe, ſcientiam vnius non nocere ignoranti, proinde & venditionem tenere, & venditum fieri ſeruum, ſequitur propria magis, & ambigua queſtio, an ſcilicet ignorantia alterius proſit ſcienti; ſiue, an eò vſque venditio teneat, & venditus efficiatur ſeruus, vt fiat vtriuſque emptoris pro parte, an verò ſolius ignorantis, & in ſolidum. Vlpianus vult, vtriuſque fieri, & ignorantiam vnius prodeſſe ei, qui ſciens comparauit. *dict. §. Si duo in fin*. Paulus fieri quidem ſeruum, ſed non etiam eius, qui ſcit, ſed tantùm alterius. *dict. l. vltim. in fine*. His conciliandis, idoneior nulla diſtinguendi ratio, quàm quæ præmonſtrata ab Irnerio, Martinoque, apud Accurſium *in dict. §. Si duo, verbo, Ignorans*, Alberico *in dict. l. vltim*. & ex eis certè, poſt eos, propoſita Cuiacio ad noſtram *leg. Iniquiſsimum 5. ſub tit. de iur. & facti ignorantia*, & alijs nouioribus, diſtinguendum eſſe, an emptor quiſque pro parte emerit, an in ſolidum, quomodò in non diſsimili ſpecie diſtinguitur, *in l. Cognitio 8. §. 1. D. de liberal. cauſa*. Namq; ſi vnuſquiſque emptor partem liberi hominis emerit, ſiue, vt proponitur *in dict. §. Si duo, ſimul emerint partes*, non ſolùm ſcientia vnius non nocet ignoranti, ſed è contrario, quod plus eſt, ignorantia vnius, ſiue quod vnus ignorauit, prodeſt ei, qui ſciens comparauit; id ex eo euenit; quia cum, pro conſtanti, ſuppoſitum ſit, venditionem valere, & venditum fieri ſeruum debere; & tamen nec venditio, nec ſeruitus pro parte poſsint induci, quoniam indiuidua vtriuſque natura eſt. *l. Si pariter 9. in fine, D. de liberali cauſa. l. Cum ex cauſa 139. D. de verbor. oblig*. & rurſus qui ignorauit, partemque emit; non poſsit maiorem partem dominij in ſeruo habere, quàm ipſe emit, conſequens eſt, vt venditio, ſeruituſque in ſolidum conſiſtant, partem ſcienti adquiri. In eoque alia, & benignior ratio eſt ignorantiæ vnius, quæ prodeſt ſcienti, quàm ſcientiæ, quæ ignoranti non nocet; quoniam in hoc rationum iuris conflictu; cum neceſſe ſit, venditionem, & ſeruitutem vel in ſolidum tenere, vel in ſolidum nõ tenere; & conſequenter vel ignorantiam vnius prodeſſe ſcienti, vel ſcientiam obeſſe ignoranti, æquius, meliuſque viſum eſt, excuſari ſciẽtem, propter ignorantem; quàm puniri ignorantem, propter ſcientem: argumento *ex l. Abſentem 5. D. de pœnis*. At ſi duo in ſolidum emerint, neque ignorantia vnius excuſat ſcientem; neque ſcientia onerat ignorantem; iuxta regulam noſtræ *legis Iniquiſsimum 5*. à qua in hac ſpecie, non eſt ratio indiuiduitatis, quæ nos cogat, recedere; quia cum ignorans in ſolidum

emerit, quamvis ſcientem, ſcientia ſua, excludat, poteſt fieri ſeruus in ſolidum eius, qui in ſolidum ignorans emit, ac proinde venditio, & ſeruitus in ſolidum defendi, vt & proponitur in *d. l. vltim.* quam in hac ſpecie accipi iuris ratio ſuadet.

4 Nec traditioni huic adverſatur Vlpianus *in l. Non ſolus* 22. §. *Sed & ſi* 2. *D. de liber. cauſa* vbi, diſtinctione propoſita, inter emptores liberi hominis pro parte, aut in ſolidum, generaliter ad vtrumque caſum concludit ita: *Nec alterius ſcientia alteri nocebit, vel ignorantia proderit.* Quia reſpondendum eſt, ſermonem, ſententiamque *dict.* §. *Sed & ſi* 2. referri omnino oportere ad actionem in factum, quæ ignoranti emptori liberi hominis, promittitur Prætorio edicto, in duplum eius, quod propter emptionem dedit, vel obligatus eſt, contra ipſum liberum hominem, qui liberum ſe ſciens, venundari pro ſeruo paſſus eſt, dolo malo, vt emptorem deciperet, & tamen pretium non participauit; ideoque & proclamare ad libertatem poteſt, & conſequenter eo caſu, quo nec venditio, nec ſeruitus effectum habet, *l. Rectiſsimè* 14. *cum legib. ſeqq.* vſque ad *l. Non ſolus* 22. *D. de liber. cauſa. l. Quidam* 10. §. *vltim. D. de fideicom. libert.* quæ tamen actio denegatur ſcienti emptori, quia ipſe ſe decepit. *l. Imò* 16. §. *Tunc habet, D. de liber. cauſa.* Proinde ſi duo emerint, ſiue pro parte, ſiue in ſolidum, alter ſciens, alter ignorans, & quæratur, an illa actio danda ſit vtrique, vel neutri, cum ſupponamus, neque venditioni, neque ſeruituti locum eſſe, ideoque & ceſſet ratio illa indiuiduitatis emptionis, & ſeruitutis, quæ in emptoribus per partes pervicit, vt ignorantia vnius alij prodeſſet, vt ſic venditio, ſeruituſque in ſolidum conſiſterent. *d. l. Liberis* 7. §. *Si duo*, & è contrario hæc in factum actio, vtpote propoſita in duplum pretij, ſiue quantitatis, datæ ob emptionem, ſit diuidua. *l.* 2. §. 1. *l. In executione* 85. §. *Prima ſpecies, D. de verbor. obligat.* non eſt, cur recedamus à regula *dict. l. Iniquiſsimum* 5. & ideo dicimus indiſtinctè, quoad hanc actionem, nec alterius ſcientiam alteri nocituram, nec ignorantiam profuturam, ſed actionem ignoranti dandam pro parte, ſi partem; & in ſolidum, ſi ſolidum emerit, & denegandam ſemper ſcienti. *d. l. Non ſolus* 22. §. *Sed & ſi.* 2.

Nondum tamen in vador es; vrget enim acriter magis, contra interpretationem *dict.* §. *Si duo*, Decumana iuris ratio, quæ ſuadet, in pari cauſa indiuiduitatis, ob quam neceſſe eſt, vt vel in ſolidũ quis liber ſit, vel inſolidum ſeruus, pronunciandum fuiſſe pro libertate, vt inſolidum liber eſſet, qui vendebatur, vt contingit in pari cauſa indignitatis liberi hominis, ſe venire patientis, & emptoris ſcientis. *dict. l. Liberis* 7. §. *Si quis ſciens* 2. cum laudatis ſupra; & in pari numero ſententiarum, aut teſtium pro libertate, & ſeruitute. *l. Lege Iunia* 24. *D. de manumiß. l. Inter pares* 38. *D. de re iudic. l. Quoties* 20. *D. de reg. iur.* & in vno iudicio contra libertatem, pro parte vnius domini, & alio, pro libertate contra petitorem partis dominij. *l. Duobus* 30. *verſic. Commodius, D. de liber. cauſa.* Queis tamen obiectionibus vt fiat ſatis, animadvertendum breuiter eſt, eas procedere, vel vbi omnino par cauſa eſt indignitatis liberi hominis, & emptoris, vt *in dict. l. Liberis* 7. §. *Si quis ſciens* 2. non autem 5

tem in propoſito *dict.* §. *Si duo*, vbi ignorans emptor indignus non eſt, quin imò dignus, vt propter eius bonam fidem, venditioni, ſeruitutique in ſolidum locus ſit; vel procedere, vbi nulla culpa eius eſt, de cuius libertate quæritur; tunc enim fauor libertatis obtinet, vt præualeat ſententia, pro libertate. *dict. l. Lege Iunia* 24. *D. de manumiſſ. dict. l. Inter pares* 38. *D. de re iudic.* & vt quis potiùs ſit in ſolidum liber, quàm inſolidum ſeruus. *l. Iudicatæ* 29. *D. de except. rei iudic. l. Alieno* 31. §. 1. *D. de fideicom. libert. l. Cum duobus* 13. *Cod. de inoffic. teſtam. l. Cum filius* 76. *l. Cum pater* 77. §. *Cum exiſtimaret* 29. *D. de legat.* 2. *l. Qui graui* 11. *D. de iure codicill. l. Pater* 6. *D. de dotis collat. dict. l. Duobus* 30. *verſic. Commodius*, in quo occultam ad Iulianum, & Sabinianos extare Marcelli notam, ſicut & *in l. Seruus* 18. *verſic. Quod ſi neque*, *D. de vulgari*, ex ſententia eiuſdem Marcelli, *in l. Domino* 16. *D. de S. C. Syllan. l.* 1. *in fine principij*, *Cod. de communi ſeruo manum.* probabiliter ſuſpicatur Cuiacius 11. *reſponſ. Papiniani ad l. iudicatæ* 29. *D. de except. rei iudic.* & ad Iulianum, ex Minicio *in dict. l. Duobus* 30. *&* 30. *Digeſtorum in dict. l. Si ſeruus* 18. *D. de vulgari*; cui ſubſcripſit noſter, Salmanticæ, & in Supremo Regio Senatu affectione, & ſtudijs conſors, Don Petrus Velaſco in controuerſijs Proculi, & Caſſij ad *dict. l. Duobus* 30. tametſi idem Cuiacius *ad l.* 1. *Cod. de communi ſeruo manum.* vbi & Merilius *in* 50. *deciſiones Iuſtiniani.* Anton. Faber *lib.* 18. *coniectur. cap.* 10. & alij, eumdem verſiculum commodiùs imputent Triboniano. At in quæſtione noſtra, indignitas liberi hominis, qui pretium prætulit libertati, rei inæſtimabili, & ſine pretio pretioſæ, & ignorantia bonæ fidei emptoris, qui partem emit, facit, vt non ſit par cauſa, fauorque liberi hominis, & emptoris ignorantis, quia ille indignus ſolida libertate, quam prodidit; iſte autem dignus parte hominis, quam emit, ideoque obruitur libertatis fauor indignitate ſe vendentis, & præualente ſeruitutis cauſa; quia pro parte ſeruus eſſe non poteſt, fit in ſolidum ſeruus. *d. l. vlt. d. l. Liberis* 7. §. *Si duo*; quo ſemel conſtituto, & admiſſo, prodeſt deinde ignorantia vnius emptoris alij ſcienti, non vt, propter hunc, ſeruus fiat, quia id contra libertatem non fieret, in pari indignitate liberi hominis, & emptoris ſcientis. *dict. l. Liberis* 7. §. *Si quis ſciens*, ſed vt in eo homine, quem propter ignorantem emptorem, in certam, ſolidamque ſeruitutem venire, conſtat, partem ſciens habeat, quam ignorans habere, non poteſt, quia non emit. *dict. l. Liberis* 7. §. *Si duo*, *verſic. Sed enim.*

Eſt & alterum ad eandem regulam *dict. l. Iniquiſsimum* 5. exemplum, pertinens, *in l. Item ſi* 7. §. *Proinde* 7. *D. de S. C. Macedon.* vbi ſi alter filio familias mutuam pecuniam, contra Macedonianum, dederit, alter eamdem ſtipulatus ſit, ſcriptum in primis eſt, exceptionem Macedoniani obſtaturam etiam ſtipulatori, licet ipſe mutuam non dederit. Sed & ſi alter vter eorum, nempe ſtipulator, aut numerator, ignorauerit, filium familias eſſe, ſiue in patris poteſtate eum, cui credebatur, reſpondetur adhuc, exceptionem vtrique nocituram, idemque fore in duobus reis ſtipulandi. Nocet itaque vnius ſcientia alij ignoranti, contra regulam *dict. l. Iniquiſsimum* 5. ſanè quod ad priorem par- 6

tem

tem *dict. l. 7. §. Proinde*, de vno numeratore, & alio ſtipulatore, expeditior res eſt, ſi vel cum Accurſianis, Salyceto, Caſtrenſi, & alijs, ponamus, fuiſſe ſtipulatorem procuratorem eius, qui numerauit, cuius mandato, & nomine ſtipulatus eſt, vnde & vnius eorum ſcientia nocere alij, potuit: argumento ex *l. Procuratoris 5. D. de tributor. act. l. Sed ſi ſeruo 13. D. de contr. empt. l. Imò 16. §. Quare. l. In ſeruo 17. l. Non ſolus 22. §. penult. D. de liber. cauſa. l. 4. §. Quæſitum 18. D. de doli except.* vel ſi ponamus, ſtipulatum fuiſſe, delegante numeratore ex cauſa lucratiua, quo & caſu, ex perſona, ſcientiaque delegantis, obſtat Macedoniani exceptio ei, cui filius familias delegatus eſt. *l. Iulianus 7. D. de doli except. l. 2. §. Aliud 3. D. de donat. l. Neſſennius 41. D. de re iudic.* quamvis diuerſum ſit in delegatione, ex cauſa oneroſa. *l. Doli 19. l. Si quis 12. D. de nouat.* vel denique quod & ad caſum ſcientiæ alterutrius, & ad ſententiam, verbaque textus, accommodatius eſt, &, ante Nouiores, vidit *Fulgoſius in d. l. 7. §. Mutui dationem num.* 2. ſi obſeruemus, ſequutam fuiſſe, poſt numerationem, incontinenti, ſtipulationem, cum id, vt ad ſolet, ageretur, vt quaſi vnus contractus eſſet, re, & verbis permixtus, & implendæ ſtipulationi numeratio præcederet. *l. Si ita 6. §. vltim. cum l. ſeq. D. de nouat. l. Obligamur 52. in princip. & §. Re, & verbis, D. de oblig. & act. l. 3. §. vlt. cum l. Contra 6. D. de S. C. Macedon. l. Si ita 126. §. Chryſogonus, verſic. Supereſt, D. de verb. oblig. l. Certi 9. §. Numeraui, D. de rebus cred.* ſic enim cum negotium omne, quod geritur, ſiue contractus, conſtet duabus, veluti partibus, perſoniſque numeratoris, & ſtipulatoris; conſequens etiam eſt, in vtriuſq; parte, & perſona requiri ignorantiam, ne Macedoniani exceptio obnitatur, vitiumque ſcientiæ vnius nocere alteri, ob coniunctionem obligationis, quæ ex vnius numeratione, & alterius ſtipulatione conficitur.

Hæc, inquam, qualiacumque ex- 7
pediendæ priori parti *dict. §. Proinde 7.* non inidonea; quæ quamuis poſteriori etiam aſſertioni, de duobus reis ſtipulandi, qui ſcilicet, aut eorum vnus, mutuam pecuniam filio familias dederat, alter ſciens, alter ignorans, applicari poſſe, videantur, propter obligationis duorum reorum coniunctionem, quæ facit, vt liberatus ab vno reo credendi, liberetur ab vtroque, ſiue, vt vtrique obſtet exceptio Macedoniani, ob ſcientiam vnius. *§. 1. Inſtit. de duobus reis. l. 2. & 3. §. 1. D. eodem tit. l. Si rem 31. §. 1. D. de nouat.* quomodò inter alios Donellus 12. *comment. cap. 27.* & Anton. Faber *in rationali ad eum §. 7.* ferè cenſent, mihi tamen non faciunt ſatis. Nec ſubſidij plus in Accurſio, qui durum, & iniquum pene eſſe, agnoſcens, quod ſcriptum eſt, in *d. §. Proinde*, allatis multis locis contrarijs, nihil fere reſpondet, niſi quod ſubindicat, intelligendum eſſe eum textum, de duobus reis ſocijs, quod ab Accurſio acceptum firmare, nititur, Fulgoſius, potiùs, quàm firmat. Itaque malim, præmonere, poſt alios, in *d. §. Proinde*, ibi: *In patris eſſe poteſtate ſe*; veriùs dicendum eſt (quomodò in editione *Pandectarum Charondæ*, & in alijs legitur, ſeiuncta, & quaſi auulſa, particula, *ſe*, à voce *veriùs*, quæ ſequitur) legendum potiùs eſſe, iunctis, quæ malè diſparantur, *ſeueriùs dicendum eſt*, ſicut *in l. Si teſtamento 49. §. 1. in fine,*

D.

D. de fideiuſſor. Florentię legitur, *ſeuerior, & vtilior eſt in vtroque caſu illa ſententia*, pro eo, quod in vulgatis Haloandrinis, *ſed verior*. Inſinuatur autem, & commendatur, eo verbo, appoſitiſsimè, ratio ſententiæ propoſitæ, *in dict. §. Proinde* 7. ducta ex ſeueritate Senatus Conſulti Macedoniani, quæ & obtenditur in ſimili ſpecie, *in l. Sed ſi pater familias* 9. *D. de S. C. Macedon.* ſicut ſeueritas iuris Iuliæ, Papiæque legum *in l. Si compenſandi* 6. *Cod. de hæred. inſtit.* & ſeueritas ſeculi *in l.* 3. *§. vltim. D. de ſuppellectil. leg.* & alibi ſimilia, non ſemel. Enim verò Macedioniani ſeueritas iuſta, & durities potiſsima in eo eſt, quod in odium, pœnamque fœneratorum, qui pecunia filijs familias credita, peſsimo, & pernicioſo parentibus exemplo, materiam peccandi malis moribus præſtant, actio, petitioque cum effectu, non datur creditori. *l.* 1. *l. Sed ſi pater* 9. *§. penult. D. de S. C. Macedon. l. Qui exemptionem* 40. *D. de condict. indeb.* nec ſolùm denegatur creditori ſcienti, filium familias eſſe, cui credit, ſed etiam ignoranti, niſi omnino probabilem, iuſtamque ignorantiæ cauſam habeat. *l.* 1. *&* 3. *D. de S. C. Macedon. l.* 1. *&* 2. *Cod. eod. tit.* Quocirca & generaliter Pomponius definit, obſtare Macedoniani exceptionem creditori, qui ſciuit, aut ſcire potuit, filium familias eſſe eum, cui credebat; *l. penult. D. de S. C. Macedon.* quippe nec ſatis eſt, filium familias ſe pro patre familias geſsiſſe, niſi & ei ſe meritò credidiſſe, creditor probet; ſiue quia palàm, publicèque pro patre familias habitus; ſiue quia ipſe creditor minor; ſiue denique quia aliunde ſcire, non potuit. *dict. l.* 3. *in princip. & §.* 1. *& ſeqq. l. penult. D. de S. C. Maced. dict. l.* 1. *&* 2. *Cod. eod. tit. l. Verum* 11. *§. vltim. de minor. l. Regula* 9. *D. de iuris, & facti ignor.* Vnde & facilè apparet, cur in *dict. §. Proinde* 7. in ſtipulatore, & numeratore, & in duobus reis ſtipulandi pecuniæ creditæ, quorum alter filius familias ſciuit, alter ignorauit, ſeueriùs dicatur, exceptionem vtrique nocere; nempe quia negari non poteſt, eum etiam, qui ignorauit, ſcire ex ſocio potuiſſe, filium familias eſſe eum, cui credebatur, proinde nec probabilem eius ignorationem eſſe, qui cùm alio ſciente contrahens, vel eſt, vel eſſe, debuit, non ignarus conditionis filij familias: argumento *ex l. Qui cum alio* 19. *D. de reg. iur. l.* 1. *D. de exercit. act.* Nocet ei igitur, non ſcientia ſocij, contra regulam noſtræ *legis Iniquiſsimum* 5. ſed improbabilis propria ignorantia, ſiue non tam quòd alter ſciuit, quàm quòd ſcire ipſe potuit. *dict. l. penult. D. de S. C. Macedon.* ex qua ita, poſt Iacobum de Arenis, interpretatur doctè Caſtrenſis *in l. Sed Iulianus*, *§. Non ſolùm, num.* 2. *D. eod. tit.* Hæc, & ſi quæ alia in libris noſtris ſunt de extraneis, quorum alter ſcit, & alter ignorat, propiora, & concinniora cenſuimus, illuſtrandis verbis Clementis, *in dict. l. Iniquiſsimum* 5. ideoque & ſepoſuimus conſultò, vt exponeremus. Porrò quæ ad eum locum Cuiacius cumulat, de ſcientia, & ignorantia filij ſervi, & procuratoris, quatenus patri, dominoue noceat, aut proſit, altioris inſpectionis ſunt, & alienioris, niſi fallimur, à Clementis contextu, qui propriè magis de ſcientia, & ignorantia in extraneis, quàm in patre, & filio, domino, & ſervo, ſeu procuratore, vbi perſonarum, ſeu mandati coniunctio facit, vt quaſi vnius, eiuſdemque hominis ſcientia ſit, non al-

ſervorum nomine, ſiue, quod idem eſt, tanquam ſi vnus liber furtum feciſſet, ex beneficio edicti prætorij. *l.* 1. *& toto tit. D. ſi famil. furt. fec. dic.* Proinde nec ſcientia vnius domini nocet ignoranti, vt vel teneatur ſine noxæ deditione, vel ſingulorum nomine, quaſi ex pluribus furtis, nec ignorantia alterius prodeſt ſcienti, vt fruatur facultate, dedendi noxæ, de qua *in l. Si in re* 19. *D. de noxalib. l. Supra* 11. §. *Officium, D. de aqua, & aquæ pluu.* facit, quin locus ſit regulæ noſtræ *l. Iniquiſsimum* 5.

17 Sunt autem duo, vel properanter, & breuiter adnotanda, expediendis, ne quem morentur, ſuperioribus iuris locis. Vnum eſt, ignorantem, ſi conveniatur, vel ob noxam communis ſervi, *actione noxali*, vel ob furtum communis familię, ex edicto, *ſi familia furtum feciſſe dicatur*: dimidium eius, quod præſtiterit, poſſe à ſocio ſciente conſequi. *dict. l. Si communis* 9. *in fine. l. Si ex duobus* 17. *D. de noxalib. l. Familia* 5. *verſ. Et ſi ſeruus, D. ſi famil. furt. feciſſ. dic.* Scientem autem, ſiue ſervi, ſiue familiæ communis nomine, conventus, præſtiterit, conſequi partem poſſe à ſocio ignorante; ſi tamen ipſe, vt ponimus, ſciuit, & prohibere etiam, potuit, non tamen iuſsit. *d. l. Si ex duobus* 17. *D. de noxalib. dict. l. Familia* 5. *verſic. Quod ille, & verſic. Sed non amplius*, alioquin ſi iuſsit, nihil à ſocio repetit, quia ſui propriè facti pœnam ſuffert. *dict. l. Si ex duobus* 17. *verſic. Illud. dict. l. Si communis* 9. quam ita interpretandam de ſciente, ſimulque iubente: argumento ex *l. Sed & eo* 10. quæ ſtatim ſequitur, & conciliandam ea diſtinctione, cum *dict. l. Familia* 5. docent Scholiaſtę Gręcanici *lib.* 60. *Baſilicon tit.* 5. *in dict. l.* 9. *&* 17. &, poſt Accurſium, Latini omnes veteres, & nouiores conſtanter, ſi Fulgoſium excipias, dubitantem, nec diſſentientem, ad *d. l. Si communis* 9. *& d. l. Si ex duobus* 17. *num.* 1. *&* 2.

18 Alterum, & latinis ignotius, eſt, quod diximus, poſſe ſcientem, qui non iuſsit, partem conſequi à ſocio ignorante, intelligi variè, oportere, pro varietate noxæ, qua de agitur; nam ſi ea fuerit ſervi vnius communis, & conventus ſine noxæ deditione, qui ſcivit, litis æſtimationem pręſtiterit, puta duplum ex furto ſervi, conſequetur ab ignorante ſocio non partem totius litis æſtimationis, ſed partem pretij ipſius ſervi, quem vel ipſe innocens, ignoranſque, in noxali iudicio dedere cogeretur, niſi litis ęſtimationem ſubire, mallet. *dict. l. Si ex duobus* 17. *verſic. Ipſi tamen.* Sin autem furtum fuerit familię communis, & conventus, qui ſciuit, ſine beneficio edicti, omnium ſervorum nomine, pro ſingulis duplum pręſtiterit, conſequetur à ſocio ignorante, non partem pretij vnius ſervi, vt in ſuperiori ſpecie, quia ex edicto de furto, à familia facto, non liberaretur ignorans, deditione vnius ſervi, ſed vel omnium, vel æſtimationis litis pro vno. *dict. l.* 1. *D. ſi famil. furt. fec. dic. l. Illud* 32. *D. ad leg. Aquil. l. Si familia* 9. *D. de iuriſdict.* iuncta *l. Quod ait* 31. *D. de noxalib. l.* 3. §. *vltim. D. de publicanis*; neque dimidium vniuerſæ litis æſtimationis, quam ſubijt, totius familiæ nomine; quia, ex beneficio edicti, non tenetur ignorans, totius familiæ nomine. *dict. l. Familia* 5. *in princip. verſic. Quod ille*, quem ita Accurſio, & alijs, ſine cauſa nutantibus, referunt ad ſcientem *Ba-*

ſilica lib. 60. tit. 15. & ex eis, tametſi non laudatis, Cuiacius lib. 6. obſeru. cap. 1. & lib. 22. & 39. ad edictum Pauli in l. 9. & 17. D. de noxalib. Sed non amplius conſequetur ſciens ab ignorante, quam ſi, vnius nomine, præſtitiſſet. dict. l. Familia 5. verſic. Sed non amplius; hoc eſt, conſequetur partem, vt in principio eiuſdem legis dicitur, æſtimationis litis, quam, vnius ſervi nomine, tanquam pro furto, ab vno facto, præſtare ignorans, cogeretur. Ea enim eſt in his ſpeciebus æquitas, & æqualitas repetitionis, vt quatenus ignorans, pro ſua parte, & perſona, & ſepoſita noxę indiuiduitate, teneretur, ex furto communis ſervi, aut familiæ; hactenus ſciens, qui ſolvit, ab ignorante repetat, vel partem pretij ſervi, in furto ſervi communis, vel partem litis æſtimationis, furti vnius ſervi, in furto familiæ communis, notat Anonymus interpres Baſilicon dict. lib. 60. tit. 15. in d. l. 5.

9 Illud, indictum adhuc, & inauditum forſitan vulgò, ideoque non prætereundum, eſt, quod in dicta l. Familia 5. verſic. Si ergo: quæſtio eſt de furto, facto à duobus dumxtaxat ſervis communibus; & tamen ita verba ſunt, vt ſupponant, dominum ignorantem teneri dumtaxat, vt duplum præſtet, ac ſi vnus liber furtum feciſſet. Id autem obſcurum eſt; quia conſtat, duos ſervos non facere familiam. l. Deteſtatio 40. §. vltim. D. de verbor. ſignific. quin potiùs tres, ad minimum, ſervos conſtituere familiam, argumento ex l. 1. D. de optione, vel elect. leg. & vt plurimùm quindecim, ex vulgari taxatione Apuleij apolog. 1. prò ſe ipſo; ergo, etiam extra cauſam furti, à familia facti, ignorans dominus duorum ſervorum communium, non tenetur, niſi vnius nomine duplum præſtet: & ſuperior diſtinctio inter furtum ſervi communis, & furtum familiæ, quoad repetitionem ſcientis, quamvis rectè applicetur principio dict. l. Familia 5. non tamen verſiculo, Si ergo, eiuſdem legis. Hæc vt intelligantur, monemus, præeunte Alberico, in l. 1. D. ſi familia furt. fec. dic. tametſi idem ſecus, & ſequiùs in d. l. Familia 5. appellationem familiæ in eo edicto, duorum etiam ſervorum numero contentam eſſe, vt vel invito cuiuis euincit Marcellus, in dict. l. 5. verſic. Si ergo, qui ſingularis eſt in hanc rem. Neque id ſine ratione, aut exemplo; quia quamvis nihil facilius, vt Cicero ſcribit in Orat. pro Cæcinna, quàm probari ijs, qui latinè ſciunt, in vno ſeruulo familiæ nomen non valere, neque dubium eſt, quin ſi, ad rem iudicandam, verbo ducimur, non re, familiam intelligamus, quæ conſtet ex ſeruis pluribus, quin vnus homo familia non ſit; verbum certè hoc non modò poſtulat, ſed etiam cogit; interdum tamen ratio iuris, & Prætorum voluntas, & hominum prudentum conſilium, & auctoritas, contraducunt, faciuntque, vt vel in vno ſeruo, aut ſaltem duobus, teneat familiæ nomen, non quòd idem ſit ſeruulus, quòd familia, verùm quia non quibus verbis, quidque dicatur, quæritur, ſed quæ res agatur. Exemplum nobile in, vnde vi, Interdicto, cuius in verbis illis, aut familia tua deiecit, cum quæreretur, quem ſeruorum numerum familię appellatio contineret, vtrum plurium, an verò & duum, vel trium: placuit iam olim, etiamſi vnus ſervus vi deiecerit, familiam, videri, deieciſſe. leg. 1. §.

Sed quæritur 17. *D. de vi, & vi arm.* &, vt Cicero inibi loquitur, *tam reſtitues, ſi vnus ſeruulus, quàm ſi familia deiecerit vniuerſa; non enim alia cauſa eſt æquitatis in vno ſeruo, & in pluribus.* Itaque non immeritò Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.* 6. *de interd.* §. *Non tantùm* 3. pro indubitato, & recepto ponit, in, *vnde vi*, Interdicto, etiam duos ſervos, familiæ nomine, contineri, cum & contineatur vnus, Cicerone, & Vlpiano teſte; quin & Græcis iuriſperitis, *lib.* 60. *tit.* 17. *ad dict. l.* 1. §. 17. *D. de vi, & vi*: ergo & eadem ratione in edicto, de quo nunc quærimus, *ſi familia furtum feciſſe, dicetur*, pertinet appellatio familiæ, vel ad duos dumtaxat ſervos; quia non eſt minor æquitatis ratio, imò fortaſſe, inopiæ, aut frugalitatis intuitu, maior in eo, qui non plures, quàm duos ſervos habet, ne ob eorum furtum vtrumque noxæ dedere, aut, pro ſingulis, litis æſtimationem ſufferre, cogatur, & tantillo patrimonio cadat, quàm ſi plures ſervos haberet. Planè vbicumque hæc ratio æquitatis non eſt, & proprietatem verbi ſequimur, certa, & recepta diffinitio eſt, *dict. l. Deteſtatio* 40. §. *vltim.* quæ docet, vnicum ſervum, familiæ appellatione, non contineri (niſi iuxta luſum Phœdri liberti *de Æſopo lib.* 3. *fabul. Æſopus domino cum eſſet ſolus familia*) nec duos quidem familiam facere, vt in edicto *vi bonorum raptorum*, & *de incendio, ruina, naufragio*, ad quod referenda, *dict. l. Deteſtatio* 40. vtpote *ex lib.* 56. Vlpiani ad edictum, ex quo & ſunt *l.* 2. *&* 4. *D. vi bonor. rapt. l.* 1. *&* 3. *D. de incend. ruin. naufrag.* Et in vtroque edicto ſervus à familia diſtinguitur. *dict. l.* 2. §. *Vi bonorum* 19. *l.* 4. §. *penult. D. vi bonor. rapt. l.* 1. *D. de incend.* &, familiæ nomine, ſignificatur non vnus, duoue ſervi, ſed corpus quoddam, cœtuſque ſervorum. *l. Pronunciatio* 195. §. *Seruitutium, D. de verbor. ſign.* Eſt itaque alia propria, & alia arbitraria vſurpatio verbi, *Familia*, variaque numeri ſervorum, qui familiam faciunt, taxatio pro re, & inſtituto. Sic & *turba*, Servio in *Virgil.* 10. *Æneid.* eſt *multitudo*, & Nonio Marcello in ea voce, *populi conuentus*; & vt de *cœtu*, Seneca *lib.* 3. *contr.* 8. *non ſi vna vicinia coit, aut ſi tranſeuntium paucorum numerus affluxit, ſed vbi totus, aut ex magna parte populus, ſiue multitudinis magnæ nomen eſt.* Siue denique, vt Vlpianus definit, in turba factum accipimus, non vtique ſi duo fecerint, *quia duo, turba non propriè dicentur*; ſed ſi plures fuerunt, *decem, aut quindecim homines, turba dicetur. l.* 4. §. *Turbam* 3. *D. de vi bonor. raptor.* & tamen vel de tribus interdum *turba* dicitur, vt idem Servius notat ad illud 3. *Æneid.*

Turba ſonans prædam pedibus circumvolat vncis.

Vel de duobus ſolis, vt Deucalion, apud Ouidium 1. *Metamorphoſ.*

Terrarum, quaſcumque vident Occaſus, & Ortus
Non duo turba ſumus.

Quartum eiuſdem regulæ exemplum, ſuperioribuſque expeditius, licebit, colligas *ex l. Is qui* 9. *D. quæ in fraud. credit.* Vbi ſi is, qui à fundatore debitore, cuius bona ex edicto poſſeſſa ſunt, ſciens rem emerit, & poſtea alij ignoranti, & bona fide ementi vendiderit, reſponſum eſt, ex Sabini ſententia, non teneri, ſecundum emptorem, actione Pauliana, quæ datur in emptorem ſcientem, fundationis participem, qualis fuit primus emptor, qui & Pauliana tenetur in ſolidum pretium rei, quod ac- 10

accepit. Enimvero huius reſponſi ratio ea redditur, quia dolus ei dumtaxat nocere debet, qui eum admiſit. *l. 4. §. de auctoris 27. & §. Auctoris 31. D. de doli except. l. Sed & ſi 7. §. Prætor, D. de publiciana.* Reddi & poteſt ex noſtra regula; quia iniquum eſſet, primi emptoris ſcientiam nocere ſecundo, ignoranti, vel huius ignorantiam prodeſſe ſcienti. Similia exempla colliges ex *l. Eum qui 18. Cod. ad l. Iul. de adulter.*

CAPVT XI.

AD LEG. INIQVISSIMVM 5. D. DE IVRIS, ET facti ignorantia.

ARGVMENTVM.

Conſentaneis, quæ diximus, ad regulam *dict. l. 5.* adduntur diſſentanea. Primum, *ex l. Liberis 7. §. Si duo 3. D. de liber. cauſa.* Cui tamen, fere ex diametro, opponitur, *lex vltim. D. quib. ad libert. proclam. non lic.* Rei explicandæ, & componendæ, præmiſſa aliqua; & refutata ex Baſilicis, Connani, aliorumque interpretatio. Subſcribitur potiùs Cuiacio, poſt Irnerium, Martinumque. Non ſemel Iuriſconſulti, dum velut dubitant, aut interrogant, affirmant. Obijcitur rurſus, & exponitur *lex Non ſolus 22. §. Sed & ſi 2. D. de liber. cauſa.* Denique & replicatur *ex d. l. Liberis 7. §. Si quis 2.* cum pleriſque alijs, quibus in pari cauſa pro libertate deciditur. At reſpondetur, ſine agnitione Tribonianiſmi, aut antinomiæ ſubniti *§. ſi duo,* propria ratione, quæ & redditur. Secundum diſſentaneum eſt, *ex l. item 7. §. proinde 7. D. de S. C. Macedon.* Cuius in priore parte ſpecies, & intellectus planior. Non item in ſecunda; quamquam & ea propriè intelligitur ex ſeueriori iure, atque eius ratione. Omiſſa, aut intermiſſa alia, & in eis *lex Nec ſupina 6. D. de iuris, & facti ignorantia.*

1 Conſentiunt quæ expoſuimus, ac veluti conſciſcunt cum ratione iuris, & regula *dict. l. Iniquiſſimum 5.* Nunc iam, vt & quæ diſcrepare ab ea, videntur, explicemus, animadvertimus in primis, pertinere propriè ad hanc regulam, nobilem, inter veteres iuriſprudentes, diſputationem, de duobus emptoribus liberi hominis, ſe venire patientis, ad pretium participandum, quorum emptorum alter, liberum hominem ſcit, eſſe, qui venditur, alter ignorat. Præmonemus autem in emptore liberi hominis, vt emptio teneat, deſiderari iure bonam fidem, hoc eſt, vt ignoret, liberum eſſe eum, qui venditur; quippe ſi ſciat, nulla emptio eſt. *l. 4. 5. & 6. l. Si in emptione 34. §. Liberum. l. Liberi 70. D. de contrah. empt. l. Licinius 4. verſic. Reſpondit, D. quibus ad libert. proclam. l. Minor 39. §. Pater, D. de euict. l. Si tibi 25. Cod. eodem tit.* & emptore ſciente, non fit ſervus, qui venditur, ſed liber manet. *l. Liberis 7. §. Si quis ſciens 2. l. Imò 16. §. Tunc habet, l. Qui ſciens 33. D. de liberal. cauſa. l. Scientis 6. Cod. de ingen. manum. dict. l. Licinius 4. verſic. Reſpondit;* quia quamvis & eo caſu, quo emptor ſcit, indignus libertate ſit, qui libertatem pretio poſthabuit, & maior viginti annis ad pretium participandum, ſe venundari paſſus eſt, tamen & indignus emptor, eum ſervum habere, cuius libertatem ſciens opprimere, voluit, impia, & degeneri mercatione, quæſtuque deteſtabili,

vt

vt ſcriptum alibi eſt, *in l. vnic. §. Similique, Cod. de latina libert. toll. l. Fœdiſsimam 7. Cod. de poſtlim. reu.* Vnde & in pari cauſa indignitatis, ſeu turpitudinis, potior eſt poſterior, & conſequenter liber homo, qui in quaſi poſſeſsione ſuæ libertatis eſt. *l. 3. l. penult. D. de condict. ob turp. cauſ. l. vltim. D. de condict. ſine cauſa. l. Cum par 154. D. de reg. iur.* & fauorabilior conditio libertatis, & liberationis, quàm ſeruitutis, & pœnæ. *l. Arrianus 47. D. de obligat. & act. l. Inter 38. D. de re iudic.*

5 Eo ſuppoſito, in propoſita ſpecie quæritur, an propter emptorem, qui liberum ſcit, venditio non teneat, nec denegetur libero homini ad libertatem proclamatio, an potiùs propter eum, qui ignorat, & venditioni, & ſeruituti locus ſit, ſiue quatenus in ea hypotheſi, ignorantia, ſcientiave vnius emptoris alteri proſit, vel noceat? In qua quæſtione, Paulus *in l. vltim. D. quibus ad libertatem proclam.* conſequenter regulæ noſtrę affirmat, hominem venditum fieri ſeruum, non tamen eius, qui ſcit, ſed tantùm alterius, ac proinde neque ſcientiam vnius emptoris nocere ignoranti, neque ignorantiam alterius prodeſſe ſcienti. E contra autem Vlpianus in *l. Liberis 7. §. Si duo 3. D. de liber. cauſa*, reſpondet *in verſic. Sed enim* in fine, euenire, *vt ei proſit qui comparauit ſciens, quod alius ignorauit*; ſentit itaque, ignorantiam vnius prodeſſe alteri ſcienti, & vtriuſque emptoris ſeruum effici eum, qui venditur. Quod à Paulo, & à regula noſtræ *legis Iniquiſsimum 5.* diſcrepat toto Cœlo; nec probari facilè poteſt, probata interdum noſtris Academicis, conciliatio Connani, *lib. 2. comment. cap. 1. num. 6.* aliorumque, ſic Vlpiani extremum verſiculum *in dict. §. Si duo*, exaudientium, vt ſenſus ſit, euenire, vt *ei*, ſcilicet ignoranti emptori, *proſit ille, qui comparauit ſciens, quòd*, id eſt quia alius ignorauit, vt proinde ſcientia alterius, non tam ex ſe proficiat alij ignoranti, quàm ex eo quòd alius ignorauit, & conſequenter dignus eſt, quia ignorauit, vt vel inſolidum habeat ſeruum eum, cuius pars ad ſcientem pertinere, non poteſt. Non probanda, inquam, hæc expoſitio, quamvis ſecurè admiſſa Hotmano ad §. *Serui 4. enunc. 3. Inſtit. de iure perſonarum.* Fabro *in iuriſprud. tit. 3. princip. 4. illat. 3.* & alijs; nam præterquamquòd & durior eſt, quia iuxta eam ſcribendum eſſet, in *dict. §. Si duo, quòd ipſe ignorauit*, non vt ſcriptum eſt, *quòd alius ignorauit*; repudiatur apertè in libris iuris *Baſilicon*, vbi ſententia *dict. §. Si duo*, ſic ſummatim exprimitur *lib. 48. tit. 8. Si duo emerint, alter quidem ſciens, alter verò ignorans, ignorantia vnius etiam ei, qui ſcit, prodeſt.* Et in eiſdem libris in translatione ad verbum, quam vocant, Τὸ κατὰ πόδας, ſic ſcriptum eſt in fine *dict. §. Si duo*, vertente Gentiano Heruetto: *eueniet ergo, vt vnius ignorantia proſit ei, qui ſcit, & habeat dimidium ſerui.*

3 Hæret in re explicanda Fr. Balduinus, & diſſenſionem, inter Paulum, & Vlpianum, fere agnoſcit *in iuriſprud. Mutiana pag. 225.* Ego autem in primis illud obſeruo, quod nondum ſatis vulgò obſeruatum, conſentire cum noſtra regula Vlpianum *in dict. §. Si duo*, & Paulum *in dict. l. vltim.* in eo ſaltem, quòd vnius emptoris ſcientia non noceat alteri ignoranti; id enim magis eſſe, affirmat Vlpianus, *in principio dict. §. Si duo*, & conſequenter, vt prop-

propter emptorem, qui ignorat, venditio teneat, & venditus fiat ſeruus, vt interrogatiuè, & quaſi dubitans, Paulus ſcribit *in dict. l. vltim. verſic. Sed propter*, & ſapienter interrogando docens, ſuo, & Socratico, ſiue Academico more, verecundè decidit illud ipſum affirmatiuè, de quo interrogat, vt Papinianus alibi, ſiue Vlpianus, *in l. Papinianus 43. in fine D. ad S.C. Trebell. Interrogare ſapienter*, eſt docere: *Et ſi alter ſit, qui interrogat, alter qui docet, ex vno tamen ſapientiæ fonte vtriuſque ſenſus procedit*, ait Carolus Rex, apud Alcuinum, ſiue Albinum, *in Dialogo de Arte Rhetorica*; ſiue, vt appoſitè magis, Fabius Quintil. *libr. 9. Inſtitut. Orator. cap. 2. Interrogamus etiam*, interdum, *quod negari non poſsit*. Eo itaque, in quo Paulus, & Vlpianus conſentiunt, ſuppoſito, nempe, ſcientiam vnius non nocere ignoranti, proinde & venditionem tenere, & venditum fieri ſeruum, ſequitur propria magis, & ambigua queſtio, an ſcilicet ignorantia alterius proſit ſcienti; ſiue, an eò vſque venditio teneat, & venditus efficiatur ſeruus, vt fiat vtriuſque emptoris pro parte, an verò ſolius ignorantis, & in ſolidum. Vlpianus vult, vtriuſque fieri, & ignorantiam vnius prodeſſe ei, qui ſciens comparauit. *dict. §. Si duo in fin.* Paulus fieri quidem ſeruum, ſed non etiam eius, qui ſcit, ſed tantùm alterius. *dict. l. vltim. in fine.* His conciliandis, idoneior nulla diſtinguendi ratio, quàm quæ præmonſtrata ab Irnerio, Martinoque, apud Accurſium *in dict. §. Si duo, verbo, Ignorans*, Alberico *in dict. l. vltim.* & ex eis certè, poſt eos, propoſita Cuiacio ad noſtram *leg. Iniquiſsimum 5. ſub tit. de iur. & facti ignorantia*, & alijs nouioribus, diſtinguendum eſſe, an emptor quiſque pro parte emerit, an in ſolidum, quomodò in non diſsimili ſpecie diſtinguitur, *in l. Cognitio 8. §. 1. D. de liberal. cauſa.* Namq; ſi vnuſquiſque emptor partem liberi hominis emerit, ſiue, vt proponitur *in dict. §. Si duo, ſimul emerint partes*, non ſolùm ſcientia vnius non nocet ignoranti, ſed è contrario, quod plus eſt, ignorantia vnius, ſiue quod vnus ignorauit, prodeſt ei, qui ſciens comparauit; id ex eo euenit; quia cum, pro conſtanti, ſuppoſitum ſit, venditionem valere, & venditum fieri ſeruum debere, & tamen nec venditio, nec ſeruitus pro parte poſsint induci, quoniam indiuidua vtriuſque natura eſt. *l. Si pariter 9. in fine, D. de liberali cauſa. l. Cum ex cauſa 139. D. de verbor. oblig.* & rurſus qui ignorauit, partemque emit, non poſsit maiorem partem dominij in ſeruo habere, quàm ipſe emit, conſequens eſt, vt venditio, ſeruituſque in ſolidum conſiſtant, partem ſcienti adquiri. In eoque alia, & benignior ratio eſt ignorantiæ vnius, quæ prodeſt ſcienti, quàm ſcientiæ, quæ ignoranti non nocet; quoniam in hoc rationum iuris conflictu, cum neceſſe ſit, venditionem, & ſeruitutem vel in ſolidum tenere, vel in ſolidum nõ tenere; & conſequenter vel ignorantiam vnius prodeſſe ſcienti, vel ſcientiam obeſſe ignoranti, æquius, meliuſque viſum eſt, excuſari ſciẽtem, propter ignorantem; quàm puniri ignorantem, propter ſcientem: argumento *ex l. Abſentem 5. D. de pœnis.* At ſi duo in ſolidum emerint, neque ignorantia vnius excuſat ſcientem, neque ſcientia onerat ignorantem, iuxta regulam noſtræ *legis Iniquiſsimum 5.* à qua in hac ſpecie, non eſt ratio indiuiduitatis, quæ nos cogat, recedere; quia cum ignorans in ſolidum eme-

emerit, quamvis ſcientem, ſcientia ſua, excludat, poteſt fieri ſeruus in ſolidum eius, qui in ſolidum ignorans emit, ac proinde venditio, & ſeruitus in ſolidum defendi, vt & proponitur in *d. l. vltim.* quam in hac ſpecie accipi iuris ratio ſuadet.

4 Nec traditioni huic adverſatur Vlpianus *in l. Non ſolus* 22. §. *Sed & ſi* 2. *D. de liber. cauſa* vbi, diſtinctione propoſita, inter emptores liberi hominis pro parte, aut in ſolidum, generaliter ad vtrumque caſum concludit ita: *Nec alterius ſcientia alteri nocebit, vel ignorantia proderit.* Quia reſpondendum eſt, ſermonem, ſententiamque *dict.* §. *Sed & ſi* 2. referri omnino oportere ad actionem in factum, quæ ignoranti emptori liberi hominis, promittitur Prætorio edicto, in duplum eius, quod propter emptionem dedit, vel obligatus eſt, contra ipſum liberum hominem, qui liberum ſe ſciens, venundari pro ſeruo paſſus eſt, dolo malo, vt emptorem deciperet, & tamen pretium non participauit; ideoque & proclamare ad libertatem poteſt, & conſequenter eo caſu, quo nec venditio, nec ſeruitus effectum habet, *l. Rectiſsimè* 14. *cum legib. ſeqq.* vſque ad *l. Non ſolus* 22. *D. de liber. cauſa. l. Quidam* 10. §. *vltim. D. de fideicom. libert.* quæ tamen actio denegatur ſcienti emptori, quia ipſe ſe decepit. *l. Imò* 16. §. *Tunc habet, D. de liber. cauſa.* Proinde ſi duo emerint, ſiue pro parte, ſiue in ſolidum, alter ſciens, alter ignorans, & quæratur, an illa actio danda ſit vtrique, vel neutri, cum ſupponamus, neque venditioni, neque ſeruituti locum eſſe, ideoque & ceſſet ratio illa indiuiduitatis emptionis, & ſeruitutis, quæ in emptoribus per partes pervicit, vt ignorantia vnius alij prodeſſet, vt ſic venditio, ſeruituſque in ſolidum conſiſterent. *d. l. Liberis* 7. §. *Si duo*, & è contrario hæc in factum actio, vtpote propoſita in duplum pretij, ſiue quantitatis, datæ ob emptionem, ſit diuidua. *l. 2.* §. 1. *l. In executione* 85. §. *Prima ſpecies, D. de verbor. obligat.* non eſt, cur recedamus à regula *dict. l. Iniquiſsimum* 5. & ideo dicimus indiſtinctè, quoad hanc actionem, nec alterius ſcientiam alteri nocituram, nec ignorantiam profuturam, ſed actionem ignoranti dandam pro parte, ſi partem; & in ſolidum, ſi ſolidum emerit, & denegandam ſemper ſcienti. *d. l. Non ſolus* 22. §. *Sed & ſi* 2.

Nondum tamen in vador es; vrget enim acriter magis, contra interpretationem *dict.* §. *Si duo*, Decumana iuris ratio, quæ ſuadet, in pari cauſa indiuiduitatis, ob quam neceſſe eſt, vt vel in ſolidũ quis liber ſit, vel in ſolidum ſeruus, pronunciandum fuiſſe pro libertate, vt in ſolidum liber eſſet, qui vendebatur, vt contingit in pari cauſa indignitatis liberi hominis, ſe venire patientis, & emptoris ſcientis. *dict. l. Liberis* 7. §. *Si quis ſciens* 2. cum laudatis ſupra; & in pari numero ſententiarum, aut teſtium pro libertate, & ſeruitute. *l. Lege Iunia* 24. *D. de manumiſſ. l. Inter pares* 38. *D. de re iudic. l. Quoties* 20. *D. de reg. iur.* & in vno iudicio contra libertatem, pro parte vnius domini, & alio, pro libertate contra petitorem partis dominij. *l. Duobus* 30. *verſic. Commodius, D. de liber. cauſa.* Queis tamen obiectionibus vt fiat ſatis, animadvertendum breuiter eſt, eas procedere, vel vbi omnino par cauſa eſt indignitatis liberi hominis, & emptoris, vt *in dict. l. Liberis* 7. §. *Si quis ſciens* 2. non au- 5

tem

tem in propoſito *dict.* §. *Si duo*, vbi ignorans emptor indignus non eſt, quin imò dignus, vt propter eius bonam fidem, venditioni, ſeruitutique in ſolidum locus ſit; vel procedere, vbi nulla culpa eius eſt, de cuius libertate quæritur; tunc enim fauor libertatis obtinet, vt præualeat ſententia, pro libertate. *dict. l. Lege Iunia* 24. *D. de manumiſſ. dict. l. Inter pares* 38. *D. de re iudic.* & vt quis potiùs ſit in ſolidum liber, quàm inſolidum ſeruus. *l. Iudicatæ* 29. *D. de except. rei iudic. l. Alieno* 31. §. 1. *D. de fideicom. libert. l. Cum duobus* 13. *Cod. de inoffic. teſtam. l. Cum filius* 76. *l. Cum pater* 77. §. *Cum exiſtimaret* 29. *D. de legat.* 2. *l. Qui grani* 11. *D. de iure codicill. l. Pater* 6. *D. de dotis collat. dict. l. Duobus* 30. *verſic. Commodius*, in quo occultam ad Iulianum, & Sabinianos extare Marcelli notam, ſicut & *in l. Seruus* 18. *verſic. Quod ſi neque*, *D. de vulgari*, ex ſententia eiuſdem Marcelli, *in l. Domino* 16. *D. de S. C. Syllan. l.* 1. *in fine principij*, *Cod. de communi ſeruo manum.* probabiliter ſuſpicatur Cuiacius 11. *reſponſ. Papiniani ad l. iudicatæ* 29. *D. de except. rei iudic.* & ad Iulianum, ex Minicio *in dict. l. Duobus* 30. & 30. *Digeſtorum in dict. l. Si ſeruus* 18. *D. de vulgari*; cui ſubſcripſit noſter, Salmanticæ, & in Supremo Regio Senatu affectione, & ſtudijs conſors, Don Petrus Velaſco in controuerſijs Proculi, & Caſsij ad *dict. l. Duobus* 30. tametſi idem Cuiacius *ad l.* 1. *Cod. de communi ſeruo manum.* vbi & Merilius *in* 50. *deciſiones Iuſtiniani.* Anton. Faber *lib.* 18. *coniectur. cap.* 10. & alij, eumdem verſiculum commodiùs imputent Triboniano. At in quæſtione noſtra, indignitas liberi hominis, qui pretium prætulit libertati, rei inæſtimabili, & ſine pretio pretioſæ, & ignorantia bonæ fidei emptoris, qui partem emit, facit, vt non ſit par cauſa, fauorque liberi hominis, & emptoris ignorantis, quia ille indignus ſolida libertate, quam prodidit; iſte autem dignus parte hominis, quam emit, ideoque obruitur libertatis fauor indignitate ſe vendentis, & præualente ſeruitutis cauſa; quia pro parte ſeruus eſſe non poteſt, fit in ſolidum ſeruus. *d. l. vlt. d. l. Liberis* 7. §. *Si duo*; quo ſemel conſtituto, & admiſſo, prodeſt deinde ignorantia vnius emptoris alij ſcienti, non vt, propter hunc, ſeruus fiat, quia id contra libertatem non fieret, in pari indignitate liberi hominis, & emptoris ſcientis. *dict. l. Liberis* 7. §. *Si quis ſciens*, ſed vt in eo homine, quem propter ignorantem emptorem, in certam, ſolidamque ſeruitutem venire, conſtat, partem ſciens habeat, quam ignorans habere, non poteſt, quia non emit. *dict. l. Liberis* 7. §. *Si duo*, *verſic. Sed enim.*

6 Eſt & alterum ad eandem regulam *dict. l. Iniquiſsimum* 5. exemplum, pertinens, *in l. Item ſi* 7. §. *Proinde* 7. *D. de S. C. Macedon.* vbi ſi alter filio familias mutuam pecuniam, contra Macedonianum, dederit, alter eamdem ſtipulatus ſit, ſcriptum in primis eſt, exceptionem Macedoniani obſtaturam etiam ſtipulatori, licet ipſe mutuam non dederit. Sed & ſi alter vter eorum, nempe ſtipulator, aut numerator, ignorauerit, filium familias eſſe, ſiue in patris poteſtate eum, cui credebatur, reſpondetur adhuc, exceptionem vtrique nocituram, idemque fore in duobus reis ſtipulandi. Nocet itaque vnius ſcientia alij ignoranti, contra regulam *dict. l. Iniquiſsimum* 5. ſanè quod ad priorem partem

tem *dict. l. 7. §. Proinde*, de vno numeratore, & alio ſtipulatore, expeditior res eſt, ſi vel cum Accurſianis, Salyceto, Caſtrenſi, & alijs, ponamus, fuiſſe ſtipulatorem procuratorem eius, qui numerauit, cuius mandato, & nomine ſtipulatus eſt, vnde & vnius eorum ſcientia nocere alij, potuit: argumento ex *l. Procuratoris 5. D. de tributor. act. l. Sed ſi ſeruo 13. D. de contr. empt. l. Imò 16. §. Quare. l. In ſeruo 17. l. Non ſolus 22. §. penult. D. de liber. cauſa. l. 4. §. Quæſitum 18. D. de doli except.* vel ſi ponamus, ſtipulatum fuiſſe, delegante numeratore ex cauſa lucratiua, quo & caſu, ex perſona, ſcientiaque delegantis, obſtat Macedoniani exceptio ei, cui filius familias delegatus eſt. *l. Iulianus 7. D. de doli except. l. 2. §. Aliud 3. D. de donat. l. Neſſennius 41. D. de re iudic.* quamvis diuerſum ſit in delegatione, ex cauſa oneroſa. *l. Doli 19. l. Si quis 12. D. de nouat.* vel denique quod & ad caſum ſcientiæ alterutrius, & ad ſententiam, verbaque textus, accommodatius eſt, &, ante Nouiores, vidit *Fulgoſius in d. l. 7. §. Mutui dationem num. 2.* ſi obſeruemus, ſequutam fuiſſe, poſt numerationem, incontinenti, ſtipulationem, cum id, vt ad ſolet, ageretur, vt quaſi vnus contractus eſſet, re, & verbis permixtus, & implendæ ſtipulationi numeratio præcederet. *l. Si ita 6. §. vltim. cum l. ſeq. D. de nouat. l. Obligamur 52. in princip. & §. Re, & verbis, D. de oblig. & act. l. 3. §. vlt. cum l. Contra 6. D. de S. C. Macedon. l. ſi ita 126. §. Chryſogonus, verſic. Supereſt, D. de verb. oblig. l. Certi 9. §. Numeraui, D. de rebus cred.* ſic enim cum negotium omne, quod geritur, ſiue contractus, conſtet duabus, veluti partibus, perſoniſque numeratoris, & ſtipulatoris, conſequens etiam eſt, in vtriuſq; parte, & perſona requiri ignorantiam, ne Macedoniani exceptio obnitatur, vitiumque ſcientiæ vnius nocere alteri, ob coniunctionem obligationis, quæ ex vnius numeratione, & alterius ſtipulatione conficitur.

Hæc, inquam, qualiacumque expediendæ priori parti *dict. §. Proinde 7.* non inidonea; quæ quamuis poſteriori etiam aſſertioni, de duobus reis ſtipulandi, qui ſcilicet, aut eorum vnus, mutuam pecuniam filio familias dederat, alter ſciens, alter ignorans, applicari poſſe, videantur, propter obligationis duorum reorum coniunctionem, quæ facit, vt liberatus ab vno reo credendi, liberetur ab vtroque, ſiue, vt vtrique obſtet exceptio Macedoniani, ob ſcientiam vnius. *§. 1. Inſtit. de duobus reis. l. 2. & 3. §. 1. D. eodem tit. l. Si rem 31. §. 1. D. de nouat.* quomodò inter alios Donellus 12. *comment. cap. 27.* & Anton. Faber. *in rationali ad eum §. 7.* ferè cenſent, mihi tamen non faciunt ſatis. Nec ſubſidij plus in Accurſio, qui durum, & iniquum pene eſſe, agnoſcens, quod ſcriptum eſt, in *d. §. Proinde*, allatis multis locis contrarijs, nihil fere reſpondet, niſi quod ſubindicat, intelligendum eſſe eum textum, de duobus reis ſocijs, quod ab Accurſio acceptum firmare, nititur, Fulgoſius, potiùs, quàm firmat. Itaque malim, præmonere, poſt alios, in *d. §. Proinde*, ibi: *In patris eſſe poteſtate ſe*; veriùs dicendum eſt (quomodò in editione *Pandectarum Charondæ*, & in alijs legitur, ſeiuncta, & quaſi auulſa, particula, *ſe*, à voce *veriùs*, quæ ſequitur) legendum potiùs eſſe, iunctis, quæ malè diſparantur, *ſeueriùs dicendum eſt*, ſicut *in l. Si teſtamento 49. §. 1. in fine,*

D. de fideiuſſor. Florentię legitur; *ſeuerior, & vtilior eſt in vtroque caſu illa ſententia*, pro eò, quod in vulgatis Haloandrinis, *ſed verior*. Inſinuatur autem, & commendatur, eo verbo, appoſitiſsimè, ratio ſententiæ propoſitæ, *in dict. §. Proinde* 7. ducta ex ſeueritate Senatus Conſulti Macedoniani, quæ & obtenditur in ſimili ſpecie, *in l. Sed ſi pater familias* 9. *D. de S. C. Macedon.* ſicut ſeueritas iuris Iuliæ, Papiæque legum *in l. Si compenſandi* 6. *Cod. de hæred. inſtit.* & ſeueritas ſeculi *in l.* 3. *§. vltim. D. de ſuppellectil. leg.* & alibi ſimilia, non ſemel. Enim verò Macedioniani ſeueritas iuſta, & durities potiſsima in eo eſt, quod in odium, pœnamque fœneratorum, qui pecunia filijs familias credita, peſsimo, & pernicioſo parentibus exemplo, materiam peccandi malis moribus præſtant, actio, petitioque cum effectu, non datur creditori. *l.* 1. *l. Sed ſi pater* 9. *§. penult. D. de S. C. Macedon. l. Qui exemptionem* 40. *D. de condict. indeb.* nec ſolùm denegatur creditori ſcienti, filium familias eſſe, cui credit, ſed etiam ignoranti, niſi omnino probabilem, iuſtamque ignorantiæ cauſam habeat. *l.* 1. *&* 3. *D. de S. C. Macedon. l.* 1. *&* 2. *Cod. eod. tit.* Quocirca & generaliter Pomponius definit, obſtare Macedoniani exceptionem creditori, qui ſciuit, aut ſcire potuit, filium familias eſſe eum, cui credebat; *l. penult. D. de S. C. Macedon.* quippe nec ſatis eſt, filium familias ſe pro patre familias geſsiſſe, niſi & ei ſe meritò credidiſſe, creditor probet, ſiue quia palàm, publicèque pro patre familias habitus; ſiue quia ipſe creditor minor; ſiue denique quia aliunde ſcire, non potuit. *dict. l.* 3. *in princip. & §.* 1. *& ſeqq. l. penult. D. de S. C. Maced. dict. l.* 1. *&* 2. *Cod. eod. tit. l. Verum* 11. *§. vltim. de minor. l. Regula* 9. *D. de iuris, & facti ignor.* Vnde & facilè apparet, cur in *dict. §. Proinde* 7. in ſtipulatore, & numeratore, & in duobus reis ſtipulandi pecuniæ creditæ, quorum alter filius familias ſciuit, alter ignorauit, ſeuerius dicatur, exceptionem vtrique nocere; nempe quia negari non poteſt, eum etiam, qui ignorauit, ſcire ex ſocio potuiſſe, filium familias eſſe eum, cui credebatur, proinde nec probabilem eius ignorationem eſſe, qui cum alio ſciente contrahens, vel eſt, vel eſſe, debuit, non ignarus conditionis filij familias: argumento *ex l. Qui cum alio* 19. *D. de reg. iur. l.* 1. *D. de exercit. act.* Nocet ei igitur, non ſcientia ſocij, contra regulam noſtræ *legis Iniquiſsimum* 5. ſed improbabilis propria ignorantia, ſiue non tam quòd alter ſciuit, quàm quòd ſcire ipſe potuit. *dict. l. penult. D. de S. C. Macedon.* ex quia ita, poſt Iacobum de Arenis, interpretatur doctè Caſtrenſis *in l. Sed Iulianus*; *§. Non ſolùm, num.* 2. *D. eod. tit.* Hæc, & ſi quæ alia in libris noſtris ſunt de extraneis, quorum alter ſcit, & alter ignorat, propiora, & concinniora cenſuimus, illuſtrandis verbis Clementis, *in dict. l. Iniquiſsimum* 5. ideoque & ſepoſuimus conſultò, vt exponeremus. Porrò quæ ad eum locum Cuiacius cumulat, de ſcientia, & ignorantia filij ſervi, & procuratoris, quatenus patri, dominoue noceat, aut proſit, altioris inſpectionis ſunt, & alienioris, niſi fallimur, à Clementis contextu, qui propriè magis de ſcientia, & ignorantia in extraneis, quàm in patre, & filio, domino, & ſervo, ſeu procuratore, vbi perſonarum, ſeu mandati coniunctio facit, vt quaſi vnius, eiuſdemque hominis ſcientia ſit, non al-

alterius. Abſtinemus itaque nunc, fortaſſe alibi ea de re opportunius dicturi.

Tandem, quod continenter, & vno veluti contextu, poſt *dict. l. Iniquiſsimum* 5. ſequitur *in l. Nec ſupina 6. D. de iuris, & facti ignor.* ex Vlpiano *lib. 18. ad leges Iuliam, & Papiam*; quamvis noſtro etiam Capiti, ex verbis illis, *ſciens dolo malo*, non deſit, qui adaptare conetur, poſt Donellum 1. *comm. cap.* 18. ſimilius tamen veri eſt, ex librorum ordine, & textus verbis, pertinere eum locum ad poſtrema Capita legum noſtrarum, *de pœnis cœlibum, & orborum*, de quibus *lib. 18. ad leges noſtras*, Vlpianum diſſeruiſſe, conſtat *ex l. Si totam 83. D. de adquir. hæred. l. Ait 16. D. de iure Fiſci*, vbi & dicemus plenius, ſi Deus volet.

CAPVT XII.

AD VLPIANVM LIBRO 3. AD LEGEM IVLIAM, ET PAPIAM in l. Oratio 16. D. de ſponſalibus.

ARGVMENTVM.

ORatio Marci de nuptijs Senatorijs ſupplenda, & producenda ad ſponſalia ex legibus noſtris. His, niſi expreſſa res, dubitabilis foret ratione iuris, & *l. In eo 45. §. Hoc caput 2. D. de ritu nupt.* Prohibitione nuptiarum abſoluta, & perpetua pro regula eſt, ſponſalia comprehendi. Ratio, & exemplum regulæ, *in l. 60. §. Quamuis 5. D. de ritu nupt.* Aliud *in l. Quid ergo 13. §. Item ſi.* & *§. Cum autem, D. de his qui not. infam.* quæ, & alia explanantur. Sed propriè, & plenè magis, Paulus *in l. ſolet 10. §. 1. D. de his, qui notant. inf.* & vulgares ad eam traditiones. Vltra eas mota dubitatio ex ratione luctus viduarum, quæ, præter periculum turbationis ſanguinis, fuit etiam reuerentia memoriæ defuncti mariti. Id adſtruitur ſolidè, inter alia, ex *l. Denique 5. D. de ritu nupt.* Ad *l. Liberum 11. §. Pomponius, D. de his qui not. inf* recta interpretatio. De ſponſalium lætitia, & pompa non pauca (ex queis & illuſtrantur Hieremiæ, & Apocalypſis loci) & quàm aliena vtraque à viduę luctu, Ambroſio expendente. Concluditur tandem, reſpondeturque, ſponſalia eſſe inter cauſas, receptas minuendi luctus, Pompeio Feſto Auctore; deinde & poſſe ea, à vidua iniri, ſalua luctus diſciplina.

1 SVperſunt in eodem argumento, adfecto adhuc potius, quàm abſoluto, de effectu prohibitionis nuptiarum ex noſtro Capite, corollaria non pauca, ſuo iam ordine admetienda. Primum, tametſi propriè magis ad Orationem Marci, & Senatus Conſultum, de quibus ſupra *cap. 7.* quàm ad Iuliæ verba pertinens, eſt: an poſt eam Orationem, prohibitione nuptiarum, inter Senatorios, & libertinas, ſcenicaſque, comprehendantur ſponſalia, vt loquimur de futuro, qualia ſic vulgò dicimus, futurarum nuptiarum repromiſsiones, an ſcilicet & iſthæc nullius momenti ſint, nec ſperatam pactam ſponſam habere Senatorio, liceat, libertinam, aut ſcenicam. Tractata hæc quæſtio eſt ab Vlpiano *lib. 3. ad leges Iuliam, & Papiam, in l. Oratio 16. D. de ſponſalib.* ex quo itidem libro & referendæ ad *Caput* hoc ipſum de connubio Senatoriorum ſunt, *l. Si quis Senatorio 27. D. de ritu nupt. l. Etiam 4. D. de iure aur. annul.* Ratio autem dubitandi, in ea quæſtione, eſt, quia Oratio Imperatorum Marci Au-

Aurelij Antonini, & Commodi eius filij, *de ſponſalibus nihil loquuta eſt*, vt exprimitur *in d. l. Oratio* 16. Ergo nec porrigenda prohibitio eſt ad ſponſalia; eſt enim plus quàm certum, ſponſalia, & nuptias differre toto genere, ſicut ſpem, & rem. *l.* 1. *l. Si puellæ* 6. *D. ſponſalib. l. Si vxor* 13. §. *Diui, D. ad leg. Iul. de adult. l.* 2. *Cod. de repud.* & vel ex inſignitis, inter eas res, differentijs, liquet, quas perſecutus eſt Modeſtinus *lib.* 4. *differentiarum, in l. In ſponſalibus* 14. *D. de ſponſalib. l. Ea quæ* 32. *D. ad municip.* Accedit, quod & eſt receptiſſimum, nuptiarum appellatione, ſiue mariti, vxoriſque nominibus, non contineri, quoties propriè, & participè loquimur, ſponſas, ſiue ſponſalia de futuro, niſi in materia apertè fauorabili. *l. Non ſine* 5. *Cod. de bonis, quæ liber. l.* 4. *D. de fundo dot.* ſiue quæ ſponſi, aut ſponſæ fauorem reſpicit, vt in *l.* 1. §. *Et primùm* 2. *D. pro dote, l. Si vxor* 13. §. *Diui, & §. Si minor* 8. *D. ad leg. Iul. de adulter. l. Propter* 7. *Cod. eodem tit. l. Itèm* 15. §. *Sponſum* 24. *D. de iniur. l.* 3. & 4. *D. ad leg. Pompei. de parricid. l. Labeo* 6. (quæ eſt Vlpiani *lib.* 5. eſt ad legem Iuliam, & Papiam, & à nobis ſuo loco explicanda) *l. Seruius* 8. *D. de gradib. & affinib. l. In legibus* 5. quæ ex Caio itidem eſt, *lib.* 4. *ad leges noſtras, D. de teſtibus. l. Quæſitum* 17. §. *vlt.* cum *l. ſeq. D. de rebus auctor. iud. poſſid.* aliàs *l.* 2. §. *vlt. & l.* 3. *D. de priuileg. cred. l. Si ſponſa* 74. *D. de iure dot.* non auten in materia indifferenti, & multò minùs in odioſa, aut pœnali, vt deducunt, docentque vulgò, ex *l. Solet* 10. §. 1. *D. de his, qui not. infam. l. Si quis officium* 38. *D. de ritu nupt.* At prohibitio hæc nuptiarum cum ignominioſis fœminis, ex noſtris legibus, ita plerumque accepta eſt Vlpiano, & alijs iuris auctoribus, vt quia matrimoniorum libertatem, & frequentiam coarctat, odioſa cenſeatur, coanguſtetur interpretatione, non adiuvetur. Vt ex *l. Palàm* 43. §. 1. & 2. & 3. & §. *Si qua, D. de ritu nupt. l. Imperator* 24. *D. de his, qui not. infam.* iuncta *l. Hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſtr.* de quo ſæpiùs ſuprà, ac præſertim *lib.* 3. *cap.* 12. 13. 15. & 21. Non debuit itaque Oratio Marci, quæ de nuptijs Senatoriorum, non autem de ſponſalibus loquuta eſt, ad ſponſalia produci, vt ea proinde inhibeat, & reſcindat.

2 Argumentum rei, &, quod mirere, prætermiſſum hactenus, ex *l. In eo* 45. §. *Hoc caput, Digeſt. de ritu nupt.* vbi in eo capite noſtræ legis Iuliæ, quod ait, inuito patrono, libertam, quæ ei nupta eſt, alij nubere non poſſe, quamuis beneficium id ſit, patroni fauore, & patronalis reuerentiæ intuitu, comparatum. *d. l. In eo* 45. §. *vlt. l. Filio* 48. §. *vlt. D. de ritu nupt. l. Libertæ* 8. *Cod. de oper. lib.* placuit tamen, appellatione nuptæ, ſponſam non contineri, & ideo poſſe libertam, patrono deſponſatam, ſi ei nuntium repudij miſerit, inuito eo, alij nubere; non alia prorſus ratione, niſi quia caput illud ſtrictę, & odioſæ potiùs, quàm fauorabilis interpretationis eſt, quatenus libertæ adimit, diuertendi libertatem, quam impediri, aut coarctari, inciuile Romani iuris auctoribus viſum eſt. *l.* 2. *Cod. de inutilib. ſtipul. l. Neque* 14. *Cod. de nupt. l. Si ſtipulatio* 19. *l. Titia* 134. *D. de verb. oblig.* (eo vtique addito, legem Iuliam in eo capite loquutam fuiſſe ſignatè de nupta, non de ſponſa. *l. vlt. D. de diuort. d. l. In eo* 45. *in princ. & §. Hoc caput.*) Pari itaque, aut potiori ratione, & exemplo nuptiarum appellatio in pro-

prohibitione, ex Oratione Marci, non complectetur ſponſalia, ne coarctetur libertas contrahendi, quã perinde, atque diſtrahendi, ſaluam ſemper eſſe, debere, iuris ratio ſuadet. *d. l. Neque* 14. *Cod. de nupt. l. Titio* 71. §. 1. *l. Hæres* 79. §. *vlt. D. de condit. & demonſtrat.*

3 Queis tamen dubitandi cauſis neglectis, Vlpianus noſter in *d. l. Oratio* 16. *D. de ſponſalib.* contra reſpondet, affirmatque, poſt Orationem Marci, quæ quaſdam nuptias in perſona Senatorum inhibuit, etiam ſponſalia, ipſo iure, nullius eſſe momenti, in his caſibus, veluti ſi Senator libertinam deſponderit, vbi etiam ſponſalia improbanda, Vlpianus idem docet in *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vlt. D. de donationib. inter.* Decidendi ratio ſubindicatur in extremo. *dict. l. Oratio* 16. *Vt ſuppleatur quod Orationi deeſt.* Significatur, ſupplendam eſſe ſponſalium mentionem in Oratione, quæ de nuptijs ſolis locuta eſt: ſupplenda porrò eſt, ex lege Iulia, quæ vtrorumque meminit in noſtro Capite: *Sponſam, vxoremue*, & poſtea, *ſponſa, nuptaue. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* Id autem ſumma cum ratione, quia Oratio Marci, & Senatus Conſultum fuerunt, veluti appendices, & partes Iulię legis, cuius prohibitioni imperfectę, & ad nudum nuptiarum nomen reſtrictæ, adiecerunt reſciſsionem matrimonij, vt animaduertimus ſupra *cap.* 7. Conſtat verò, poſteriores leges, niſi apertè prioribus contrariæ ſint, quo caſu quę poſterior tempore eſt, validior eſt ſanctione, vt ſcriptum eſt in *Nouella* Martiani *de matrimon. Senat.* in fine. *l. vltim. D. de Conſtitut. Princip. l.* 1. §. *Si ſerui* 19. *D. de quæſtion.* pertinere, & trahi ad priores, & ex eiſdem normam, formamque interpretationis accipere, ſiue, vt Græci loquuntur, κανονίζονται, vt in tractatu Iuliæ, Papiæque legum, ad alia earumdem capita, monet Paulus *in l. Sed & poſteriores* 28. *D. de legib.* Traditur ergo poſterior Marci Oratio ad priorem legem Iuliam, cui conſentiens potiùs eſt, quàm contraria, indeque accipit, vt & ad ſponſalia pertineat. Eaque idonea, & propria obiectionibus ſubmouendis, quas pro dubitandi ratione expendimus, cauſa eſt, ob quam hęc prohibitio, tametſi alioquin odioſa, & ſtricta, ideoque regulariter non producenda à nuptijs ad ſponſalia, vt in exemplis, ſupra notatis, producatur tamen in ſpecie *d. l. Oratio* 16.

Planè, & extra eam ſpeciem, 4 ne generalem *dict. l. Oratio* 16. ſententiam, veluti indotatam mittamus, ſi in commune magis quæſieris, an prohibitis nuptijs prohibita ſponſalia de futuro intelligantur, omiſsis quæ ea de re, forenſi paraturæ dabunt, poſt multos, Montealegre *in praxi lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 76. & 118. *cum ſeqq.* Riccius *collectan. deciſ.* 538. *part.* 3. Velaſcus *de priuileg. pauper.* 2. *part. quæſt.* 56. *num.* 70. & *ſeqq.* diligenter noſter olim Præceptor, D. Ioſephus Vela *diſſert. Hiſpal.* 7. *ex num.* 33. ſic perpaucis habeto: ſi prohibitio matrimonij abſoluta, & perpetua eſt, nempe neque ad ætatem, tẽpuſve certum, neque aliquem contrahendi modum reſtricta, nec tam de pœna impoſita, contra prohibitionem coeuntibus, porrigenda ad ſponſalia, quàm de iure, & effectu prohibitionis quæramus, an ea ſcilicet pertineat ad ſponſalia: affirmandum generaliter eſt, pertinere, & cum qua nuptiæ contrahi non poſſunt, hanc ne deſponderi quidem poſſe, vt, pro regula veluti, proponitur *in l.*

Si quis tutor 60. §. *quamuis* 5. *D. de ritu nupt.* vbi & eiuſdem regulæ electa ratio redditur; *nam quæ duci poteſt, iure deſpondetur.* Innuitur nimirum, quod & res eſt, ſponſalia eſſe, vt Græci vocant, μνηστείας, hoc eſt, præmunitionem, & quaſi proluſionem futurarum nuptiarum, vt quæ nunc deſpondetur, poſtea ducatur. *l.* 1. *&* 2. *D. de ſponſalib.* Proinde & conſequens eſſe, iure eam deſpenderi, quæ duci vxor poteſt, & è cõtrario illam, cum qua nuptiæ contrahi non poſſunt, nec poſſe quidem deſponderi. Quorſum enim præmunitio, & proluſio nuptiarum, quæ nec ſunt futuræ, nec poſſunt? Aut quænam niſi improba, & improbata ſpes rei, iure prohibitæ, ideoque & impoſſibilis, nec ſperandæ? argumento ex *l. Si in emptione* 34. §. *Liberum* 2. *D. de contrah. empt. l. Inter* 83. §. *Sacram, D. de verbor. oblig.* iuncta *l. Filius* 15. *D. de conſtit. inſtitut.*

5 Exemplis ratio, & regula lucidior fiet; ac ne nunc repetam vulgatum illud, ex *d. l. Oratio* 16. *D. de ſponſal.* quod propria, & peculiari ratione nititur, vt iam dixi. Primum eſt *in d. l. Si quis tutor* 60. §. *Quamuis* 5. *D. de ritu nupt. l. Tutor* 15. *D. de ſponſalib.* quibus traditum eſt, Orationẽ Marci, & Senatus Conſultum, quę matrimonium inter pupillam, & tutorem, filioſque eius interdixerunt, ad ſponſalia etiam pertinere, nempe vt quamdiu, & quatenus nuptiæ inhibentur, ſponſalia quoque inhibita ſint. *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vlt. D. de donat. inter.* quoniam æquè in ſponſalibus vrget ratio potentatus, & periculum impediendæ redditionis rationum tutelę, quæ ſunt cauſæ prohibitionis nuptiarum. *l. Præfectus* 63. *l. Libertum* 64. §. 1. *l. Non ſolùm* 67. §. *Sed videamus in fine, D. de ritu nupt. l. penult. Cod. de interd. matrim. inter tut.*

Secundum exemplũ elicio ex *l. Quid ergo* 13. §. *Item ſi, &* §. *Cum autem, D. de his, qui not. infam.* Verba *vtriuſque* §. hæc ſunt: *Item ſi alteri ſponſa, alteri nupta ſit, ex ſententia edicti punitur. Cum autem factum notetur, etiamſi cum ea quis nuptias, vel ſponſalia conſtituat, quam vxorem ducere, vel non poteſt, vel fas non eſt, erit notatus.* Priorem partem exprimit ita Harmenop. *lib.* 4. *Proxeiri tit.* 1. Ἡ μνηστευομένη ἑτέρῳ καὶ ἑτέρῳ γαμηθεῖσα ἀτιμονται, *deſponſa alteri, & alteri nupta punitur*, tribuitque eam ſententiam veteri legi παλαιῷ Νόμῳ, reſpiciens ad *dict. l. Quid ergo* 13. §. *Item ſi*, Alexius Comnenus *Nouella* 3. *de ſponſalib.* ad finem, apud Harmenopulum *dict. loco.* Photius in *Nomocan. tit.* 13. *cap.* 2. Pertinet hæc ſententia ad Prætorij edicti eam partem, qua notatur, qui binas nuptias, binave ſponſalia eodem tempore conſtituta habet. *l.* 1. *in fine, D. de his, qui not. inf.* quo iure poſito, affirmatur, eam etiam, quæ vni nupta, & poſtea alteri deſponſa eſt, quamvis verbis edicti non apprehendatur, quæ ſunt de binis ſponſalibus, aut binis nuptijs, non autem de nupta vni, & alteri ſponſa; notari tamen ex ſententia edicti, quia perinde vt probroſæ, & improbatæ ſunt, in ea, quæ nupta eſt, & manet, aliæ nuptiæ, §. *Affinitatis* 6. *cum ſeq. Inſtit. de nupt.* ita & ſponſalia, quæ nuptijs præparant: argumento ex *l. etiam* 15. §. *Si duo, D. de manum. vin.* iuncto proprio ad rem, *textu in cap. vltim. de eo, qui duxit in matrim. quam poll. per adult.* & prohibitio Polygamiæ, ſeu binarum nuptiarũ, quæ edicti notę cauſam dedit. *l.* 2. *C. de inceſt. nupt. l. Nullus* 7. *C. de Iudæis*, complectitur etiam ſponſalia. *l. Ea, quæ* 5. *C. de donat. ante nupt. l. Eum qui* 18. *in fin. C. ad leg. Iul. de adulter.* iuncta *d. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vltim. D. de donat. int.* 6

7 Porrò quod ſequitur in *d.* §. *cum autẽ*, & exponitur dextrè, ex noſtra regula, & eam dextrè expẽſum confirmat, præter vulgi mentem; nam cum ſententia ſit, notari edicto, &, contra prohibitionem Polygamiæ, facere eum, qui vel ſponſalia bina conſtituit, & alterutra eorum cum ea, cuius nuptias ius, aut fas vetat. Et notari ideo; quia Prætor, cum binorum ſponſalium, nuptiarumve meminit, non de iuſtis ſponſalibus, aut nuptijs vtriuſque, quales, primis manentibus, ſecundæ eſſe non poſſunt, ſed de contractis facto ipſo, tametſi iure invalidis, ſenſit, factumque ipſum notauit, vt proponitur *in princip. dict.* §. *Cum autem*; neceſſariò ſupponitur, ſponſalia irrita cum ea, cuius nuptiæ prohibitæ ſunt, conſiſtere, & conſtitui potiùs de facto, vt loquimur, quàm iuris effectu, & conſequenter prohibitionem, quæ facit, vt vxorem aliquam ducere, ius, aut fas non ſit, operari etiam, ne deſponderi iure poſſit, vt & traditur, in *dict. l. Si quis tutor* 60. §. *Quamuis, D. de ritu nupt.* Dices fortaſſe, rationem hanc, deductam ex regula *d.* §. *Quamuis*, valere quidem poſſe, quoad effectum prohibitionis, porrigendæ à nuptijs ad ſponſalia, non autem vt infamiæ nota, ſeu pœna, binis nuptijs propoſita, producatur ad ſponſalia, quæ in pœnali materia, nuptiarum nomine, non apprehenduntur, vt & ſupra monuimus, & oſtendunt, *lex Solet* 10. §. 1. *D. de his, qui not. inf. l. Si quis officium* 38. §. 1. *D. de ritu nupt.* ſed quoad ſpeciem *dict. l. Quid ergo* 13. §. *Item ſi*, *cum* §. *ſeq.* reſponſio in promptu eſt, productionem pœnæ, & infamiæ non tam fieri à nuptijs ad ſponſalia, quàm à ſponſalibus binis, quæ edicti verbis prohibentur, puniunturque. *dict. l.* 1. *in fine, D. de his, qui not. infam.* ad ſponſalia cum nuptijs iuncta, in quibus potior eſt prohibitionis, pœnæque ratio. Conducit, & in eumdem, cum *dict.* §. *Cum autem*, ſenſum collimat Innocentij Tertij locus, in *cap. Nuper* 4. *de bigamis non ordin.* & elucidat propriè ad Baſilica, ex quo antiquo, vt nominat, Scholiaſte, Anonymus *lib.* 21. *tit.* 2. *in dict. l.* 13. adducto, ad rem, Canone 98. *Synodi* 6. *in Trullo.*

Tertium exemplum ſit, ex *cap. vnico de ſponſalib. lib.* 6. *cap. Ad audientiam*, cum ſimilibus, *eodem tit.* in antiquis. *cap. Litteras* 4. *de deſponſat. impub.* quibus in commune docemur, prohibitionem nuptiarum cum conſanguinea, vel affini, ſterili, aut religioſa, aliave ſimili, quæ, Eccleſiaſtico iure, duci vxor non poteſt, complecti etiam ſponſalia pura, abſolutaque, vt hæc perinde irrita, ac nullius momenti ſint. *l. vltim. D. de condict. ſine cauſa.* Cui fortaſſe ſimile & illud, quod cum nouerca, ſocru, vel nuru, nuptijs prohibitis, intelliguntur etiam prohibitæ cum ea, quæ ſponſa tantùm patris mei, vel filij, fuit, aut ſponſæ meæ mater, vt & hîc prohibitio à nupta ad ſponſam trahatur. *l. Si qua* 12. §. 1. *&* 2. *l. Adoptiuus* 14. §. *vltim. in fine. D. de ritu nupt.* §. *Si vxor* 9. *Inſtit. de nupt. d. cap. Ad audientiam* 4. *de ſponſalib.* 8

Sed obtinuit regula, vt dixi, quoties perpetua, & abſoluta prohibitio eſt, nec tam de illius pœna, producenda ad ſponſalia, quàm de vi, & iure prohibitionis in eiſdem tractatur. Vnde nec in difficili eſt explicatio eorum exemplorum, quæ deuiare à ſuperioribus, & exorbitare ab ea regula, & ratione iuris, videntur, & ſignificantur verbo, *Plerumque*, in *dict. l. Si quis* 9

tu-

tutor 60. §. *Quamuis*, *D. de ritu nupt.* Tale in primis eſt illud, vt quamuis nuptiæ, inter impuberes, nullius momenti ſint. *princip. Inſtit. de nupt. l. penult.* §. *vltim. D. quod falſo tutore. l. Minorem* 4. *D. de ritu nupt. cap. Continebatur* 6. & *cap. Atteſtationes* 10. *cum ſeq. de deſponſat. impub.* ſponſalia tamen, inter eoſdem, valeant, ſi modò intelligant, quod agitur, id eſt, ſi non minor ſeptennio, ſed, vt Græci aiunt, ἑπταετὴς, ſponſa ſit. *l. In ſponſalibus* 14. *D. de ſponſal. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *penult. D. de donat. l. Si vxor* 13. §. *Si minor* 8. *D. ad leg. Iul. de adult.* Paulus *lib.* 2. *ſentent. tit.* 19. Nimirum prohibitio hæc, ſiue ætatis præfinitio, in nuptijs, non abſolutè, & in perpetuum à nuptijs arcet, ſed quamdiu impuberes ſunt, qui contrahunt, & impares nuptiali iugo, & proli. *l. Hæc conditio* 10. *D. de condit. & demonſtr.* ſiue quamdiu non pubes maſculus, & fœmina non viri potens; quia non poteſt videri nupta, quæ virum pati non poteſt. *l. penult. D. quando dies legat. ced.* Proinde nec producenda eſt ad ſponſalia, in quibus diſpar ratio eſt, quia non tam iugo, & proli nunc ſubijciunt, quàm eiſdem præparant, deſtinantque; idcircoque nihil vetat, quominùs & quæ non dum nubilis eſt, nunc deſponderi poſſit, vt poſt legitimam ætatem ducatur.

10 Eiuſdem fere generis eſt, quod legimus in *l. Solet* 10. §. 1. *D. his, qui not. inf.* *Quæ virum eluget, intra id tempus, ſponſam fuiſſe, non notet.* Scitum eſt, eam, quæ nubit, intra id tempus, quo virum elugere, moris eſt, ſiue ante quàm elugeat, notari infamia, ex edicto Prętorio. *l.* 1. *l. Liberum* 11. §. 1. *D. de his, qui not. infam. l. Decreto* 15. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog. l.* 1. & 2. *Cod. de ſecund. nupt. l.* 4. *Cod. ad S. C. Tertyll.* Inde itaque quęſitum, an hęc nota, immaturis nuptijs inuſta, pertineat etiam ad ſponſalia, vt perinde notetur, quę, intra tempus luctus legitimi, deſponſa tantùm alteri fuit? Affirmat autem Paulus, non notari, ſiue quia non perpetua, ſed temporalis improbatio hæc eſt, acerbarum nuptiarum, reſtricta ſcilicet ad ſpatium, luctui præfinitum; & ideo nocere ei, non debet, quòd dum eluget, deſponſa ſit, ſi non, niſi poſt quàm eluxit, nubat, quomodò apud Dionem *lib.* 48. *hiſtor.* comperio, Octauiam, Cæſaris Auguſti ſororem, marito eius defuncto, & prægnantem adhuc, Antonio deſponſatam fuiſſe, προμνηστευσαμένην: ſiue quia quatenus pœnam, ignominiamque continet, & libertatem nuptiarum coarctat, ſtrictæ, & odioſæ interpretationis eſt hæc iuris cautio, nec porrigenda à nuptijs ad ſponſalia: argumento ex *l. In eo* 45. §. *Hoc caput*, *D. de ritu nupt. iuncta l. Cum quidam* 19. *D. de liber. & poſth. l. Hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſtr.* ſiue denique, quia in hacce re eſt omnino diuerſa ratio nuptiarum, & ſponſalium; quippe periculum turbationis ſanguinis, ad quam Prætor in edicto de infamibus ſe retulit, & propter quam maritus elugeri, ſolet. *l. Liberorum* 11. §. 1. *D. de his, qui not. infam.* meritò veremur in nuptijs, quas ſuo iure commixtio ſanguinis, corporumque ſubſequitur, non item in ſponſalibus, quæ commixtionem hanc præparant potiùs in futurum, quàm præſtant. Queis conſiderationibus, in exemplo hoc elucidando, vtuntur, inter veteres, Albericus, Caſtrenſis, & alij in *d. l. Solet* 10. Fulgoſius *in d. l. Oratio* 16. *in fine*, Cynus, & reliqui in *l. vn. Cod. ſi Rector Prouinciæ*,

&

& nouiores, quos non moramur.

31 Illud nobis iuſtiorem, fortaſſe & alijs, qui ex ratione iuris potiùs, quàm ex commentario ſapiunt, moram nunc facit, quòd turbatio illa ſanguinis, cuius meminimus, quãtumuis vel præcipua, vel primaria cauſa ſit in edicto Prætoris, indicendi fœminis luctus legitimi, non tamen ſola; adiungenda enim ei regulariter eſt alia ratio honeſtatis, ſiue honoris, & reuerentię, debitæ mariti memoriæ, quam etſi facilè impugnari, ex *d. l. Liberorum* 11. §. *Pomponius* 2. *D. de his, qui not. inf.* cenſoria, ſine ſuffragio, auctoritate, qua ſolet, affirmet nuperus *diſputationis de partu* concinnnator, Alf. Carrança *cap.* 13. *num.* 24. nobis tamen (vel interim vt pro interpretatione *d.* §. *Pomponius* 2. opportuniùs alio loco attigenda, obſervaſſe, ſufficiat, quod ex Pomponio illic proponitur, viduam, quæ peperit, ſtatim nubere poſſe, exaudiri oportere de vidua, cuius maritus lugeri, non debuit, vt infamis, iuxta hypotheſim præcedentem, & ſubſequentem, quomodò, ex Latinis, Ioannes, apud Accurſium in *dict.* §. 2. vbi & Gothofredus, poſt Cuiacium, 6. *obſeruat.* *cap.* 32. & ex Græcis, Harmenupulus in *promptuario lib.* 4. *tit.* 6. §. 60. & 61. conſpicuè Nizæus *Baſilicorum* Scholiaſtes ad *lib.* 21. *tit.* 2. *in dict.* §. 2. & in eum ſenſum redigenda *Synopis libr.* 21. *tit.* 2.) firmant ſatis hanc cauſam luctus legitimi, ex mariti reuerentia petitam, Iuſtinianus in *Nouella* 22. *de nuptijs cap.* 40. dum ſcribit, mulierem, que immaturas nuptias, intra tempus ſcilicet luctus init, *negligere mariti memoriam*; & *licet filios*, ex marito prædefuncto, *non habeat, propter ſolam honeſtatem* puniri. Accedunt & Cæſares, qui abſtinentiam nuptiarum nuncupant, *religionem luctus, præſtitam priori viro. l.* 1. *Cod. de ſecund. nupt. l. Si qua* 4. *Cod. ad S.C. Tertyll.* & quod eſt amplius, tẽpus duorum menſium, additum decimeſtri antiquo luctus anno, *exiguum*, adhuc eſſe, & videri, docent in *l.* 2. *Cod. de ſecund. nupt. l.* 1. *C. Theodoſ. eod. titul.* Vtrumque rectè minùs, ſi ad turbationem ſanguinis referas, propter quam abſtinentia à nuptijs, non tam priori viro præſtatur, quàm publicæ diſciplinæ, & decori, etiamſi indignus luctu ſit, prior vir. *dict. l. Liberorum* 11. §. 1. cuiuſque turbationis periculo vitando, decem, & vt maximè vndecim menſium ſpatium abſtinentiæ nuptiarum ſufficeret; rectiſsimè autem, & honeſtiſsimè, reſpectu reuerentię mariti, cuius memorię nulla nõ debita, & præſtanda à matronali verecundia, religio luctus, nullumque eius ſpatium viduę, caſtæ, & pudicæ videri non exiguum, debet. Adſtipulatur in eadem re auctoritas priſmorum, è Græcia, iuris Interpretum, inter quos Scholiaſtes vetus *Synopſis Baſilicon lib.* 12. *Eclog. titul.* 2. *cap.* 5. ſic de cauſis legitimi fœminarum luctus ſcribit: Κατὰ γὰρ δύο τρόπους, ὁ πένθιμος καιρὸς εἴωθε τυπῦσθαι, διὰ τὸ μὴ σύγχυσιν γίνεσθαι τῆς γονῆς, καὶ διὰ τὴν ὀφειλομένην τιμὴν τοῖς ἀνδράσιν, quę ſic exprimas, licet: *Duabus enim de cauſis, luctus tempus conſueuit, præfiniri; ne fiat turbatio ſanguinis; & propter reuerentiam debitam maritis.* Concinit & eiſdem fere verbis, Scholiaſtes alter Harmenopuli *lib.* 4. *tit.* 6. §. *de adulterio.* Suffragantur etiam hiſtorici, qui ſubindicant, in viduis non prægnantibus, & in quibus proinde ratio illa turbationis ſanguinis ceſſaret, neceſſe adhuc fuiſſe, luctum Senatus Conſulto, aut lege minui, ſiue remitti, vt deponere lugubria poſ-

poſſent, & nubere, γαμεῖσθαί ἂν γε μὴ ἐν γαστρὶ ἐχωσιν, hoſt eſt, *nubere, ſi prægnantes nō eſſent*, vt de Caligulę conſtituto, memorat Dio Caſsius *lib.* 59. *hiſtor.* quod fruſtra omnino fieret, niſi & ſepoſita turbatione ſanguinis, ſupereſſet ratio illa reuerentiæ mariti, luctui ſubſtinendo, donec tempore, aut lege minuatur.

12 Denique ne diutius moremur, pervincit & hoc ipſum propriè, & fortiter Vlpiani locus, *in l. Denique* 6. *D. de ritu nupt.* vbi ita ſcriptum eſt: *Denique Cinna ſcribit: Eum, qui abſentem* (ſiue vt cauſatè Cuiacius corrigit, *eum, qui abſens*) *accepit vxorem, deinde rediens à cœna iuxta Tyberim periſſet, ab vxore lugendum, reſponſum eſt.* Cui ſententiæ illatio hæc ſubiungitur, ex Paulo *in l.* 7. quę ſequitur: *Ideoque poteſt fieri, vt in hoc caſu aliqua virgo, & dotem, & de dote habeat actionem.* Ergo & ceſſante prorſus periculo turbationis ſanguinis, vtpote in ea, quæ abſens accepta vxor, vel deducta à marito abſente eſt, quæque, vt ſupponitur, virgo manſit, nuptijs, non concubitu, ſed conſenſu ſolo factis, ſiue, vt Harmenopulus exprimit *libr.* 4. *tit.* 7. μὴ συναφθεῖσα ἀνδρὶ ἀλλ' ἔτι παρθένος οὖσα, hoc eſt, *non dum cognita à viro, ſed adhuc virgo exiſtens*, viget adhuc, obtinetque obſervantia, & neceſsitas luctus legitimi marito mortuo; & conſequenter vel ſola ratio memoriæ, & reuerentiæ mariti, affert neceſsitatem lugendi, & quidem μέχρι ἐνιαυτοῦ, ſiue *per annum*, vt monet auctor idem *dict. lib.* 4. *tit.* 4. *in princip.* Proinde, vt iam ad rem, cum conſtet, ius legitimi luctus in fœminis, non tantùm cauſa turbationis ſanguinis, ſed etiam reuerentię marito, qui elugetur, debitæ, niti; eaque ipſa poſterior cauſa, cum ſola ſupereſt, neceſsitatem elugendi, & abſtinendi à nuptijs inducat, vt ſingulariter euincit *dict. lex Denique* 6. *D. de ritu nupt.* conſentaneum eiſdem videtur, vt & abſtineat à ſponſalibus vidua, intra id tempus, quo virum eluget, & nocere ei, quoad pœnas immaturi coniugij, ſi contra fecerit, quia vtcumque turbationem ſanguinis in ſponſalibus ſolis non vereamur, inficiari tamen non poſſumus, lædi, & laceſsi veluti, memoriam, reuerētiamque maritalem, præmatura deſtinatione nuptiarum, & feſtiuitate ſponſalium.

Sanè quid ni lædatur honor mortui mariti, cum & formam ipſam, diſciplinamque luctus dilui quodammodò, & diſſolvi, celebritate ſponſalium, liquidò oſtendi poſsit. Quippe eſt ſcitiſsimum, lugentes, ſumpto triſtiori habitu, ſiue lugubribus, abſtinere debere conviuijs, ornamentis, & alba veſte, vt ait Paulus *lib.* 1. *ſentent. tit. vltim.* iuncta *l. Decreto* 15. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irroget. l. Genero* 8. *D. de his, qui not. infam.* viduaſque verecundas, quæ ſeriò, & ſanctè defuncti coniugis memoriam colunt, non modò cœtibus, & coniugijs, ſed &, inter alia ornamenta, renuntiare, ſolitas, auro, & purpuræ, ἀποθέμεναι χρυσὸν τε, καὶ πορφύραν, vt prę notatum alijs iam, ex Dionyſio Halicarn. *lib.* 8. Liuio *lib.* 34. Terentio *in Heautontimorum.* ſignatè Hieronymus *ad Principiam*, vbi de Marcella vidua: *Aurum, vſque ad annuli ſignaculum, repudiauit.* Idem *epiſt.* 9. *ad Saluinam*, *Tu verò*, inquit, *quæ in tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates; quæ lotam purpuriſſo, & ceruſſa faciem ſuper feretrum eius, lachrymis diluiſti; quæ pullam tunicam, nigroſque calceos, candidæ veſtis, & aurati ſocci depoſitione,* 13

Qqq *ſump-*

ſumpſiſti. E contra verò in ſponſalibus, ne nunc de auſpicibus, ſiue proxenetis, pararijſque, item de ſignatoribus, & teſtibus, tabulis, teſtationique ſponſalium adhibitis, plura dicam, quam, *ſponſaliorum turbam*, vocat Suetonius in *Auguſto cap.* 53. eaque, ſicut olim vexatum Auguſtum, ita vexari, & commiſceri viduam, lugentẽ, indecens eſt, & alieniſſimum ab eo ſtatu, cuius propria eſt, *ſolitudo ante oſtium, nihil ornati, nihil tumulti*, vt non extra rem Terentius *in Andria*. Sunt præterea in ſolemnibus, & celebritate ſponſalium pleraque, à ſtatu, & habitu lugentis aliena. In primis conuiuia, quæ & ſponſalia propriè dicuntur, vt diſtinguantur à repotijs, quæ nuptias ſequuntur. Cicero *ad Quintum fratrem epiſt.* 8. *ſponſalia Craſſipedi præbui. Huic conuiuio puer optimus, Q. tuus, meuſque, quòd perleuiter commotus fuerat, defuit.* Deinde arrharum, munerumque ſponſalitiorum, de queis tam ſæpe *in libris noſtris* datio, & acceptio, præſertimque annuli pronubi, qui à ſponſo ſponſæ mittitur. *l. Si donatæ* 36. §. *vlt. D. de donat. inter. cap. Noſtrates* 3.30. *quæſt.* 5. *cap. Illud* 11. *de præſumpt.* & plerumque fuit aureus, δακτυλιον εκ χρυσȣ, vt ait Clemens Alexand. 3 *pædag. cap.* 11. eoque oppignorari à ſponſo digitum ſponſæ, ſcribit Tertull. *in apolog. cap.* 6. Rurſus & albus color in veſtibus, à quo abſtinent lugentes, propriuſque eſt nuptiarum, ſponſalium, feſtorumque dierum. Horat. *lib.* 2. *Satyr.* 2.

Ille repotia, nataleis, alioſve dierum
Feſtos albatus celebret.

Sidon. *lib.* 5. *epiſt.* 7. vbi de præpoſtera inconcinnitate quorumdam, ita: *Nam libenter incedunt armati ad epulas, albati ad exequias, pelliti ad Eccleſias, pullati ad nuptias, caſtorinati ad lætanias.* Caſsiodorus *lib.* 4. *epiſt.* 1. *Equos argenteo colore veſtitos, quales decuit eſſe nuptiales.* Illuſtrandus hinc ſacer *Textus* Ioannis *in Apocalypſi cap.* 19. vbi de ſponſa ita: *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſsino ſplendenti, & candido.* Denique mutua fidei colligatio, per dexteram, & oſculum, cuius, inter ſolemia ſponſalitia, mentio in *l. Si à ſponſo* 16. *Cod. de donat. ante nupt.* ſiue per *dexteræ colluctationem, & oſculi congreſsionem*, quibus intervenientibus deſponſatæ, nec dum nuptæ, *corpore, & ſpiritu, maſculo mixtæ ſunt per oſculum, & dexteras, per quæ primùm reſignarunt pudorem ſpiritus, per commune conſcientiæ pignus, quo totam condixerunt confuſionem*; vt Tertullianus grauiter loquitur *libro de velandis virgin. cap.* 2. *ad finem.* Et de dextris, invicem nexis, inter ſponſos, eleganter Claudianus *in epithalamio Palladij, & Serenæ.* Sidonius in *epithalam. Polemij ad finem carm.* 15. & *in epithal. Ruricij carm.* 11. Trebellius Pollio *in Gallienis.* Auſonius *edyllio* 13. *in centone nuptiali.* Adde inſuper, ſi placet, ad hæc, & alia, gaudij, & feſtiuitatis inſignia, in ſponſalibus, alluſione propria nuncupari vocem, *ſponſi*, & *ſponſæ*, vocem *gaudij*, & *lætitiæ*. Hieremiæ *cap.* 16. *Ecce ego auferam de loco iſto in oculis veſtris, & in diebus veſtris vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ.* Et *cap.* 25. & 33. iuncto Apocalypſis *cap.* 18. *in fine*, & *cap.* 9. Matthæi: *Numquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?*

Pugnant itaque, vt iam concludam, 14

dam,

dam; non modò cum honore mariti mortui, ſed & cum verecundia, & diſciplina viduæ lugentis, pompa, celebritaſque ſponſalium, cum & neceſſe ſit, atra lugubria, luctu non conſummato, alba ueſte mutari; conviuia, aurum, & ornamenta, à queis lugentes abſtinent, vſurpari ab eiſdem per ſponſalitias; epulas, munera, & annulos, tandemque, quod indignius, per dextram, & oſculum, fidei, & æterni amoris velut obſides, premortuo coniugi oppignoratos, immatura reſignatione pudoris, & nexus, alij obligari, & licentia, lætitiáque ſponſalium acerbos adhuc mariti manes ſuſcitari, & laceſſi; dum, *pro Epitaphio*, *Epithalamium* mortuis redditur, vt in re ſimili ſcribebat Balſamon *ad Concil. Carthagin. can.* 106. Vt inclamari, non immeritò poſsit his viduis Naſonis illud 2. *Faſtorum*, *de abſtinentia à nuptijs in Februis.*

Dùm tamen hæc fiunt, viduæ ceſſate puellæ,
Expectet puros pinea tæda dies;
Conde tuas, Hymenæe, faces, & ab ignibus atris
Aufer; habent alias mæſta ſepulcra faces.

Quamquàm potiores ſunt, vt & grauiores, Ambroſij ſententiæ, an Gemmæ, *libro de viduis*, vbi poſt alia de lugubri viduæ habitu, pompa funebri, & mœſtæ fronti impreſſa triſtitià: *ſuaſimus*, ait, *fateor, vt veſtem mutares, non vt flammeum ſumeres; vt à ſepulchro recederes, non vt thalamum præparares?* Addit, ad illius libri finem, de vidua nuptias repetente: *Nonne iterum paſſura quod repetit, & ad ipſos votorum tumulos, lamentorum ſtrepitus perhorreſcit? Vel cum accenſis funalibus nox ducitur, nonne pompæ funebris exequias magis putat, quàm thalamum præparari?*

Hæc, quæ non tam in ſpeciem, 15
quàm in vſum ſtudioſæ iuuentutis, de celebritate, & pompa ſponſalium, à viduarũ luctu aliena, prænotauimus, eludi, aut declinari leui opera poſſunt, ſi obſeruemus, inter alias priuatas cauſas, minuendi luctus fœminarum, præter publicas ſcilicet, quibus interuenientibus, Senatus Conſulto luctus diminui, & triſtior habitus, cæteraque id genus inſignia remitti fœminis ſolebant. *l. Decreto* 15. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog.* recenſeri à Pompeio Feſto *de verbor. ſignific.* verbo, *Minuitur*, illam, *cum d. ſponſa eſt*, ſiue *cum puella deſponſaretur.* Quod vtique ſi certum eſt, apparet, non obſtare lugubria, & luctum, quominùs ante tempus eius expletum, poſsit quæ luget, deſponderi, quia eo ipſo luctus minuitur, & inſignia luctus deponere, iure licet. Id autem, quamuis pugnet quodammodò cum honore, & memoria mariti mortui, cuius vel ſolam cauſam ſufficere, indicendo legitimo fœminis luctui, ſupra affirmauimus; præualuit tamen in hac re, publica nuptiarum vtilitas, fauorque, quarum non leuiter frequentia impediretur, niſi licet viduæ lugenti, ſponſalia ſaltem interim collocare, & cõditionem nuptiarum quærere, poſt annum luctus, licitè contrahendarum. Rectè itaque docemur in *d. l. Solet* 10. §. 1. *Quæ virum eluget, intra id tempus ſponſam fuiſſe, non nocet.* Siue, vt ſcriptum eſt in *Synopſi lib.* 21. *tit.* 2. *cap.* 5. πενθοῦσα καλῶς μνηστεύεται. Addimus in eamdem rem, moris præterea fuiſſe viduis pudicis, quas honeſta aliqua ratio adegit, de conditionibus nuptiarum, intra luctus tempus tractare, & ſponſalia, iam tunc deligere, & expedire, ſic eorum ſolemnia, pompamque temperare,

vt diſciplinam luctus non omnino laxarent, aut diluerent, ſed à conuiuijs, ornamentis, cæremonijſque feſtiuioribus interim abſtinerent. Exemplum habes in Hortenſij Martia, quæ poſt Hortenſij mortem, & in ipſo luctus primordio, Catoni renuptura (ſiue vt aculeatè Hieronym. *inter Hortenſium, Catonemque diſcurrens*, 1. ad Iouin. *cap.* 27.) *miſerando concita vultu, effuſas laniata comas, concuſſaque pectus vulneribus crebris, cineresque ingeſta ſepulchri*, prioris fœdera coniugij repetit. Quo de Lucanum noſtrum audi *lib*. 2. ſeuera illa nuptiarum ſymbola deſcribentem, qualiaque vel lugentem decerent:

Fœdera ſola tamen, variaque carentia pompa
Iura placent, ſacriſque Deos admittere teſtes.
Feſta coronato non pendent limine ſerta;
Infulaque in geminos diſcurrit candida poſtes;
Legitimaque faces, gradibuſque acclinis eburnis
Stat torus, & picto veſtes diſcriminat auro.
Turritaque premens frontem matrona corona,
Tralata, vetuit, limen contingere planta.
Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus;
Balteus haud fluxos gemmis adſtrinxit amictus,
Colla monile decens, humeriſque hærentia primis
Suppara, nudatos cingunt anguſta lacertos.
Sic, vt erat mœſti ſeruans lugubria cultus,
Quoque modo natos, ſic eſt amplexa maritum
Obſita funerea cælatur purpura lana.
Non ſoliti luſere ſales, nec more Sabino
Excepit triſtis conuicia feſta maritus;
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui,
Iunguntur taciti, contentique, auſpice Bruto.

CAPVT XIII.

AD LEG. SI QVIS OFFICIVM 38. D. DE RITV NVPT, l. vnic. Cod. Si Rector Prouinciæ.

ARGVMENTVM.

PRemiſſæ regulę, de prohibitione nuptiarum, complectente ſponſalia, eſt alia exceptio in *l.* 38. *D. de ritu nupt.* Magiſtratus nuptiæ, cum Prouinciali, interdictæ, non item ſponſalia, tametſi aliud in tutore, & pupilla: & quæ vtriuſque ratio. Priore caſu an reddendæ arrhæ ſponſalitiæ? Affirmatur in *d. l.* 38. Negatur *in l. vnic. Cod. ſi Rector Prouinciæ*. Hac abrogari *l.* 38. creditum multis, contra quos expenduntur *Baſilica*, & Græci Scholiaſtę. Reiecta itidem diſtinctio Cyrilli, inter Pręſidem Prouincię, & inferiores officiales. Reiecta & magis Hotmani opinio, de Triboniani manu in *d. l.* 38. Sponſandi verbum, & Arrharum in ſponſalibus mentio, ante, & ſub Iuriſconſultis. Tentata noua interpretatio, & diſtinctio, inter arrhas, & ſponſalitia munera. Propoſita etiam, nec tamen probata, conciliatio Briſſonij, & Academicorum, quibus tandem præfertur prima Accurſij, & Martini. Adnotatur, pro fori vſu, non extendi Decretum Tridentini, de forma matrimonij ad ſponſalia. Sed & ſubiungitur, pro Eccleſię vſu, ex-

expedire fortaſſe, certam aliquam formam ſponſalibus ab Eccleſia præſcribi. Sponſalium in Eccleſia vetere ſui etiam ritus, & teſtationes.

1 SEd vt maneamus adhuc in ea regula, de prohibitione nuptiarum, pertinente ad ſponſalia, expendendum alterũ eſt, ex ratione iuris, ſupra tradita, elucidandum exemplũ, quod extat in *l. Si quis officium* 38. *D. de ritu nupt.* vbi docemur, eum, qui officium in Prouincia adminiſtrat, quamuis oriundam inde, aut domicilium ibi habentem, vxorem ducere non poſsit, tamen ſponſare eamdem, non prohiberi. Id porrò, vt nunc generalem eam regulam, quæ proponitur in *d. l. Si quis tutor* 60. §. *Quamuis* 5. *D. de ritu nupt. d. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vlt. D. de donat. inter*, & exemplo huic opponitur, diſsimulemus; labefactatur tamen apertè, propriéq; magis comparatione nuptiarum Rectoris Prouinciæ cum Prouinciali fœmina, & tutoris cum pupilla. Et ſanè comparabiles ſpecies ſunt, cum vtrumque nuptiarum genus eadem potentatus ratio prohibeat, vt Papinianus loquitur in *l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* iuncta *l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ vt indign.* Proinde & affirmandum videbatur, ſponſalia cum Prouinciali fœmina collocare, Prouinciæ Præſidi non magis licere, quàm tutori cum pupilla. *dict. l. Si quis tutor* 60. §. *Quamuis. l. Tutor* 15. *D. de ſponſalib.* Sed differentiæ, inter vtrumque caſum, ratio, nondum notata vulgò, ea forſitan eſt. Quippe in tutore, quamvis & potentatus ratio matrimonij interdicto cauſam præbuerit, non ea tamen ſola, aut præcipua, ſed adiuncta eidem alia, & expreſſa forſitan Senatus Conſulto, ne ſcilicet matrimonij obtendiculo, redditio rationum tutelę inhibeatur, & fraudes, in adminiſtratione commiſſæ, diſsimulentur. *l. Libertum* 64. §. 1. *l. Non ſolùm* 67. §. *Sed videamus in fine, D. de ritu nuptiar. l. penultim. Cod. de interd. matrimon.* Hæc autem ſecunda ratio perinde viget in ſponſalibus, à tutore cum pupilla contractis, quia perinde eorum prætextu, & reuerentiæ, ac coniunctionis, inde natæ, vinculo, impediri facilè poteſt exactio rationũ tutelæ. At in Prouinciæ Præſide, & ſimilibus, ſola potentatus ratio obſtat nuptijs, ne ſcilicet terrore poteſtatis, & impreſsione, extorqueatur matrimonium invitæ fœminæ. Quare cum tota interdictionis ratio libertatem matrimonij reſpiciat, eaque ipſa libertas maneat etiam, poſt contracta ſponſalia à Præſide cum Prouinciali, quia eiſdem renunciare, & aliam conditionem nuptiarum quęrere, liberum ſemper fœminæ Prouinciali eſt. *dict. l. Si quis officium* 38. *l. vnic. Cod. ſi Rector Prouinc. vel ad eum pertin. ſponſal.* non eſt cur iam miremur, ceſſante, libertatis matrimonij impediendæ, periculo, & ratione, qua prohibitio nititur, non produci eam à nuptijs ad ſponſalia, & licere Prouinciæ adminiſtratori ſponſam eam habere, quam vxorem non poteſt. Accedit, quòd & vt Fulgoſius conſiderat *in dict. l. vnic. Cod. ſi Rector Prouinc.* ipſa hæc nuptiarum prohibitio, temporaria eſt, non perpetua, & reſtricta ad id tempus, quo quis officium in Prouincia adminiſtrat; idcirco nec obſtare debet ſponſalibus, quę contracta ita ſunt, vt non, niſi poſt officium depoſitum, impleantur, ſeu perficiantur, matrimonij nomine, & iure. *d. l. Si quis officium* 38. iunctis traditis *Capite præcedenti*, pro explananda *l. Solet* 10. §. 1. *D. de his, qui not. infam.*

Rrr Sub-

2 Subſiſtamus tamen parumper. Vellit enim aurem, & veluti anteſtatur inſignis nodus, quem ex ſententia *d. l. Si quis officium* 38. iuncta *l. vnic., Cod. ſi Rector Prouinc.* nectet facilius quiuis, quàm ſoluet; nam cum Paulus in *d. l.* 38. ſcribat, adminiſtrantem in Prouincia poſſe, inde originem, aut domicilium habentem fœminam ſponſare: ita ſcilicet, vt poſt depoſitum officiū liceat mulieri, renuciare ſponſalibus, nuptijſque, arrhis tantummodò redditis, quas acceperit; proditum è contrario eſt in *d. l. vnica*, licere deſponſatæ fœminæ, & eius parentibus, mutata voluntate, recedere à ſponſalibus, ita vt & ſponſalitias arrhas, ſeu pignora lucratiua habeant, ſi non putauerint, eſſe reddenda. Componendi tam aperti diſſidij ratio, non vna tentata, Accurſio *in d. l. vn.* verbo, *Pignora*, & in *d. l.* 38. verbo, *Arrhis* & explota nouioribus. Nec feliciores iſti, &, inter eos, Cuiacius *lib. 4. obſeru. cap.* 22. & in *recitat. ad eam l. vnic.* Ræuardus *lib. 2. var. cap. vlt*, Faber *in Iuriſpr. tit. 9. princ. 1. illat. 12.* queis nouiſsimè adlubeſcit Iacob. Gothofredus *in commentario ad leg. vnic. ſi Prouinciæ Rector in Cod. Theodoſiano*, &, ex noſtratibus Arias de Meſ. *lib. 3. var. cap. 36. num. 23.* dum, poſt Fulgoſium, in *d. l. vnic.* & Baldum *inibi num.* 10. affirmat, aut abrogari in *d. l vn.* vetus ius *d. l.* 38. & remiti ſponſæ in ea ſpecie neceſsitatem arrharum reddendarum, aut ſententiam *d. l.* 38. ſic exaudiendam, vt prouincialis mulier, ſponſalibus renuntians, non ſit obnoxia antiquę pœnæ quadrupli, ſed impunè renuntiet, *arrhis tantummodò redditis, quas acceperat*, nempe ſi velit reddere: quod & faciundum veluti ſupponitur, quia plerumque ita fit, & verecundiæ ſponſæ congruit, vt quæ repudiat ſponſum, nihil ex eius bonis retinere velit, vt inſinuatur fere in *d. l. vn.* ibi: *Si ea non putauerint, eſſe reddenda.* & apud Anianum ad *l. vn. Cod. Theodoſ. ſi Prouinciæ Rector.* Non autem, quia ſi nolit reddere, cogatur; non enim cogitur, vt exprimitur in *dict. l. vnic.* quomodò & exaudit, ſiue exponit, Giffanius ad *l. penult. Cod. de ſponſal.*

Non feliciores, inquam, iſti; 3
quippe non antiquari *dict. l. vnic.* ius *dict. l.* 38. argumento, non leui, ſunt *Baſilica*, & eorum *Synopſis*, quibus in libris vtrumque hoc caput, & *d. l.* 38. & *d. l. vnic.* proponitur in eamdem ſententiam, quæ in Latinis hodie extat, vt videre eſt in *Baſilicis lib. 28. tit. 1. & 2.* & *in Synopſi lib. 28. tit. 1. cap. 20. & tit. 5. poſt caput* 40. quin & ſententiæ *dict. l.* 38. meminit Theodorus Balſamo in *Scholijs ad Photium in Nomocan. tit. 13. cap. 2.* ſententiæ autem *dict. l. vnic.* Harmenop. *in promptuario lib. 4. tit. 2. §. de Præſidibus*. Simile autem verò non eſt, tam accuratè iuris noui Græcanici Concinnatores, & Interpretes, vtrumque illud iuris fragmentum in Rhapſodias ſuas contuliſſe, ſi repugnantia crederent, vel vnum alteri derogare. Quid quòd clauſula illa *dict. l. 38. arrhis tantummodò redditis*, neceſsitatem reddendarum arrharum innui, coarguit eadem clauſula, ad neceſsitatem itidem omnino referenda, in re ſimili, in *l. penultim. verſic. Sin verò, Cod. de ſponſalib.* & *Baſilica*, & Balſamo, apud quos clauſula illa *d. l.* 38. ſic abſciſsè, abſoluteque vertitur, μόνους τοὺς ἀῤῥαβῶνας ἀποδιδοῦσι, *arrhas tantummodò reddit*. Porrò ſicut vox illa, *tantummodò*, refertur eò, & pertinet, ne vltra ſimplum cogatur, arrhas reddere, ita & reliqua eiuſdem orationis euincunt, non modò liberum

rum ei eſſe, ſi velit, ſed & cogi, reddere ſaltem in ſimplum. Quid denique, quod neque abrogari, *dict. l.* 38. & manere, iure etiam nouiori, poſt *dict. l. vnic.* arrharum reddendarum neceſsitatem, extorquet vel invitis, *lex penultima, verſic. Quæ ita, Cod. de ſponſal.* Vbi Leo, & Anthemius Cæſares, aliquot poſt Gratianum, alioſque Auctores *dict. l. vnic.* annis, præcipiunt, ſi poſt ſponſalia contracta, matrimonium committere, iure non poſsit, propter perſonam, conditionem, aliamve cauſam ſimilem, quæ nuptias inhibet, debere ab eo, qui ſponſalibus renuntiat, arrhas præſtitas tantummodò reddit, hoc eſt, vt Hermenopulus exprimit, αὐτοὶ οἱ ἀρραβῶνες ἀναδιδόσθωσαν ἁπλοῖ. *Arrhæ quidem ipſæ reddantur, ſed ſimplæ.* Proinde vbi perſonæ conditio, qualis eſt Prouincialis fœminæ, & Rectoris Prouinciæ nuptijs obſtat, conſequens eſt, reddi ſaltem ſimplarias arrhas debere.

4 Viam aliam, rei componendæ, ineunt Græci Scholiaſtæ, & inter eos primus, Cyrillus *in notis ad librum* 28. *Baſilicon tit.* 2. *de ritu nupt. ad dict. l.* 38. & conſentiens fere adnotator alter, apud Harmenop. *dict. lib.* 4. *tit.* 2. & ex Latinis, poſt Cuiacium iam laudatum, noſter D. Nicolaus de Caſtro *exercit. Salmantic. prælect.* 3. *ad princip. Inſtitut. de empt. & vendit.* §. 24. *num.* 68. Diſtingunt hi inter Pręſidem, eiuſdemque liberos, propinquos, domeſticos, participes, ſiue aſſeſſores, quibus Præſes ipſe in ſponſalibus collocandis operam dedit, vt proponitur *in dict. l. vnica,* & inter adminiſtrantes in Prouincia officium, de queis *in d. l.* 38. Præſidique ipſi ſubiectos, quales in officio, ſeu miniſterio publico Præſidis, & extra eius tamen domum diuerſantes, ideoque & à domeſticis, ſeu participibus diſtincti, & nuncupati officiales, cohortales, apparitores fuerunt, Princeps, Cornicularius, adiutor, commentarienſis, numerarij, ſcriniarij, exceptores, alijque ab actis, à libellis, & ab epiſtolis, quos notitia Imperij recenſet. Diſcriminis, inter vtrumque hominum genus, ratio ea redditur ab Anonymo Scholiaſte Synopſis, quem Carolus Labbæus exhibet *d. lib.* 28. nēpe ὅτι χειρίζοντα τὸ ὀφφίκιον, μὴ πάνυ δυνάμενον ἐκφοβεῖν θεματίζει, τὸν δὲ ἄρχοντα, καθ' ὑπερβολὴν εἶναι φοβερὸν τίθεται, id eſt, *quia officium gerentem non eò vſque potentem eſſe, exterrendo, ſiue, non nimis eſſe poſſe terribilem, ſtatuit; Magiſtratum autem per excellentiam eſſe terribilem, proponit.* Sed & huic diſtinctioni quominùs acquieſcam, mouet non leuiter, quòd non ſat cauſæ eſt, cur generalis illa mentio adminiſtrantis in Prouincia officiū, contrahi debeat ad inferiores, exterioreſque Præſidum adminiſtros, cum perinde conueniat ipſis Præſidibus, Rectoribuſq; Prouinciarum, qui Prouinciam adminiſtrare, dicuntur, in *d. l.* 38 §. 1. & adminiſtrare in Prouincia. *l. Aufertur* 46. §. *Quod à Præſide, D. de iure Fiſci,* cum ſimilibus, contra Cyrillum à Ræuardo expenſis 2. *var. cap. vlt.* Gothofredo ad *d. l vnic.* vt alia interim, alienaque ab Hotmano, huic diſtinctioni obiecta, prætercam.

Planè quod ille ipſe Hotmanus 2. 5
amicabil, cap. 11. ſiue difficultate rei, ſiue amicabilis in Cuiacium arietationis ſtimulis præceps actus, contendit, Triboniano adſcribendum eſſe totum illum verſiculum, *Quamuis ſponſare,* vſque ad finem principij *d. l.* 38. vellem firmiori coniecturæ Tybicine niteretur, quippe ne nunc meminerim ſententiæ *dict. l. penult. verſic. Quæ ita, Cod. de ſponſal.* de qua opportuniùs infra, quod ad re-

lis

liqua Hotmani argumenta pertinet, non video in primis, cur Tribonianica vox habenda ſit, *ſponſare*, cum, *deſponſare*, verbum à ſimplici illo profluens, ſit noſtris, aliiſque ſcriptoribus prioris, & purioris paulò latinitatis vſitatum. *l. Tutor* 36. *l. Non eſt* 66. *D. de ritu nupt.* Plautus *in milite glor. actu* 4. *ſcæna* 2. Tertull. *de velandis virginib. cap.* 6. *Deſponſata enim quodammodò nupta.* & inibi ſæpe. Sueton. *in Iulio cap.* 1. ac præterea affirmatur perquàm audenter (ſubſcribat quamvis Hotmano Alb. Gentil. *lib.* 3. *de nupt. cap.* 16.) arrharum ſponſalitiarum nuſquam mentionem, apud Iuriſconſultos, occurrere, earumque inſtitutum ad Cæſares, Iuriſconſultis poſteriores, referri oportere, quaſi verò non idem Paulus *in l. Si donatæ* 36. §. 1. *D. de donat. inter.* annuli, à ſponſo ſponſæ dati meminerit, eumque ipſum in emptionibus, arrhæ nomine, intervenire ſolitum conſtet, ex *l.* 5. §. *Item ſi inſtitor. D. de inſtitor. act. l. Ex empto* 11. §. *Is qui vina* 6. *D. de act. empti.* & in ſponſionibus, ex *l. Si gratuitam* 17. §. *vltim. D. de præſcript. verb.* Denique & in ſponſalibus plerumque eorum contractorum argumentum, & ſymbolum, fideique datæ pignus & arrabonem annulum fuiſſe, nec modò apud Hebræos, de queis *Geneſis cap.* 38. ſed Iuriſconſultorum æuo, & antiquiori, indicant non obſcurè, Plautus *in milite glor. actu* 4. *ſcæna* 1. Terentius *in Hecyra actu* 5. *ſcæna* 3. Plinius *lib.* 33. *natur. hiſtor. cap.* 1. exertè Iuuenalis *in* 6. *ad Poſthumum, ſponſalia parantem*: *& digito pignus fortaſſe dediſti.* Tertullianus *in Apologet. cap.* 6. *Aurum nulla norat, præter vno digito, quem ſponſus oppignoraſſet pronubo annulo.* Idem *de Idolol. cap.* 16. *Neque annulus, aut coniunctio maritalis, de alicuius idoli honore deſcendit.* Et in commune de arrhis ſponſalitiis, ſeu ſubarrhatione, Iulius Solinus, Paulo, & Iuriſconſulis aliis ætate par, aut prior, in *Polyhiſtore cap.* 10. *Nupturæ non parentum arbitrio tranſeunt ad maritos, ſed quæ, præ aliis, ſpecie valent, ſubarrhari volunt* (niſi tamen *ſubhaſtari*, legere mauis, vt Salmaſius, aliique cenſent, præeunte Pomponio Mela *lib.* 2. *cap.* 1. vbi de Getis) *& licentia taxationis admiſſa, non moribus nubunt, ſed præmiis.* Apuleius 5. *Aſin. aurei*: *Ego verò ſororem tuam iam mihi confeſtim arrha, atque his nuptiis coniugabo.* Capitolinus *in Maximino Iuniore*, Paulo, & Vlpiano noſtris fere coævus, & de arrhis ab eodem Maximino datis, ſponſaliorum inſignibus: *Manſerunt autem apud eam arrhæ Regiæ, quæ tales fuerunt.*

Sanè ſi Triboniani in hacce re peccatum aliquod fuiſſe, volumus, peccauit ille potiùs in verbis *dict. l. vnicæ*, ex Theodoſiano Codice tranſcribendis, vbi illa eadem conſtitutio extat *in l. vnic. ſi Prouinciæ Rector.* Cuius ſi ipſiſsimum contextum, qualem hodieque ibidem legimus, in Iuſtiniani Codice repræſentaſſet, expeditior nobis iam eſſet, pugnæ huius placandæ, ratio. Nunc autem, ſiue Triboniani id incuria, ſiue ſciola cura accideret, pro verbis illis, *ſponſalia dederit*, quæ in principio *d. l. vn.* Theodoſianus Codex agnoſcit, ſcriptum in Iuſtiniani Codice eſt, *arrhas ſponſalitias dederit.* Inter eas verò lectiones diſcrimen multum; nam ſponſalium, ſiue ſponſalitiorum voce, quam ſolam Theodoſianus Codex præfert, præter repromiſsionem ipſam futurarum nuptiarum, ſignificari etiam, & comprehendi ſolent, tam arrhæ, & ſymbola fidei, inter ſponſos oppignoratæ, 6

tæ,

tæ, *vt in l. Patri 6. Cod. Theodoſ. de ſponſalib. l. vnic. Cod. ſi nuptiæ ex reſcript. pet.* quàm ſponſalitia munera, & largitates à ſponſo in ſponſam collatę. *l. 2. Cod. de ſecund. nupt. l. Prædia 8. Cod. de prædiis minor. Nouella* Valentiniani *de Epiſcopali iudicio. l. vltim. Cod. de ingen. manum.* Iam verò & arrhæ ſponſalitiæ, quamvis ſint velut pignora, vt & vocantur in *dict. l. Patri 6. Cod. Theodoſ. de ſponſal.* iuncto Petro Chryſologo *ſerm. 5.* quia his *humanorum ſponſaliorum pignoribus ſubarrhantur* ſponſæ, vt Hieronymus loquitur *de laude Virginitat.* Cuiacio laudatus; propriè tamen, partitèque diſtinguntur à pignoribus, quippe hæc ſic dantur, ceduntque loco rei, pro qua obſtringuntur, vt ea præſtita reddatur pignus debitori. Vt in *l. Cuicumque 5. §. Item ſi inſtitor 15. D. de inſtitor. act.* Arrhæ autem ſunt veluti partes rei, quæ debetur, & ideo ſic traduntur, non vt reddantur, ſed vt complendæ ſint, præſtito reliquo, quod promiſſum, vt, poſt Varronem *lib. 4. de lingua Latina*, monet Iſidorus *lib. 5. Orig. cap. 25. & lib. 9. cap. 8.* Proinde & diſtinguendæ multò magis arrhæ, & *extrinſecùs data pignora*, qualia nominantur in *dict. l. vnic.* eaque circumlocutione ſignanter deſcribuntur ſponſalitia munera, quę generali appellatione ſponſalium comprehenſa iam fuerant, initio eiuſdem conſtitutionis, iuxta lectionem Theodoſiani Codicis. Nam vt arrhæ, fidei nuptiarum obſtringendæ, inter ſponſos, ita & munera ſponſalitia, benevolentiæ, amorique, inter eoſdem teſtando, veluti oppignorantur, indeque pignora data extrinſecùs, hoc eſt, præter ſponſalium fidem, & vinculum, dicuntur.

Ergo, lectione iſta Theodoſiana, eiuſque explanatione ſuppoſita, aut *in principio dict. l. vnica* in Iuſtiniani Codice, pro verbis illis, *Arrhas ſponſalitias*, legendum eſt, *arrhas, aut ſponſalitia*, quomodò Gotthicus Theodoſiani Codicis Paraphraſtes, Anianus exprimit, *in dict. l. vnica*, aut ſaltem iuxta mentem, lectionemque Theodoſij Codicis, ſic res elucidanda, vt cum initio *dict. l. vnic.* propoſita ſit quæſtio, de Prouinciæ Rectore, qui Prouinciali fœminæ ſponſalia dederit, hoc eſt arrhas, & munera ſponſalitia, quorum vtrumque ſponſalium vox complectitur, vtrique etiam quæſtionis capiti reſpondeat deciſio eiuſdem *l. vnic.* qua & duo cauentur. Primum quidem de arrhis, in *verſic. Non modò*, vbi ſcribitur, fœminam ipſam, eiuſque parentes, iuris laqueis liberari, pœnæque ſtatutæ expertes eſſe, *quæ quadruplum ſtatuit*, vt legimus in Theodoſiano Codice, hoc eſt, quadrupli arrharum, quæ ante conſtitutionem Leonis *in l. penult. in fine, Cod. de ſponſalib.* fuit legitima pœna, ſponſalibus renuntiantium. *l. Patri 6. C. Theodoſ. de ſponſal. l. vnic. eodem Cod. ſi nuptiæ ex reſcript. pet.* Secundum verò, quod cauetur, eſt, de ſponſalitijs muneribus, ſiue pignoribus, extrinſecùs acceptis, in verſic. *Sed extrinſecùs*, nempe vt ea lucratiua habeant, ſi non putent, eſſe reddenda; quia quamvis reddi munera hæc ſoleant à ſponſo, aut ſponſa, cuius culpa matrimonium non ſequitur. *l. Cum veterum 15. Cod. de donation. ante nupt. l. 3. tit. 11. part. 4.* in propoſito tamen nulla culpa eſt fœminæ Prouincialis, quæ nuptias recuſat. Igitur quod ad arrhas attinet, non negatur in *dict. l. vnic.* reddi eas à ſponſa, debere, iuxta

ſententiam *d. l. Si quis officium* 38. *d. l. pen. verſic. Quæ ita* (nam & earum alia ratio eſt, quàm munerum, cum illæ ſint intrinſeca , vt ſic dicam, pignora nuptiarum , queis non ſequutis, reddi, æquum eſt; hæc autem, pignora data extrinſecùs , hoc eſt, non tam nuptiarum , quàm mutuæ dilectionis inter ſponſos) ſed eximitur dumtaxat ſponſa pœnæ quadrupli. Neque eſt , cur vel ex eo arguteris, eximi eam à redditione arrharum, cũ eximatur quadruplo , in quo & arrharum quantitas continetur. *d. l. penult. in fine*. Id enim vt vt verum ſit , quoties quadrupli pœnæ locus erat , tamen vbi ei pœnæ ſponſa eximitur , non eſt itidem conſequens, vt & ſimplo earũdem arrharum eximatur , cum eius reſtitutio non ſit pœna (quin imò diſtinguatur à pœna quadrupli, vt in *l. vnica, Cod. Theodoſ. ſi nuptiæ ex reſcript. petantur*. Eiuſque rei exemplum appoſitiſsimum extat , in *d. l. Patri 6. Cod. Theodoſ. de ſponſal.* vbi remiſſa pœna quadrupli , manet tamen obligatio, reddendi ſimpli arrharum.

8 Hæc noſtra de ſententia *d. l. vnicæ* , & conciliatione cum Paulo in *d. l.* 38. non paucis ab hinc annis cogitatio fuit ; quæ ſi cui tamen , vt & eſt præter mentem ex Latio , & Græcia Interpretum , (quin & Baſilicorum , quorum in corpore , & *Synopſi* pars illa *dict. l. vnicæ* , *ſed extrinſecùs data pignora lucratiua habeant*, accipitur conſtanter de arrhis, & exprimitur ita, κερδαίνειν τοὺς ἀρραβῶνας) ſcrupuloſior , aut longiuſculè petita videbitur , ſequatur per me licet(me tamen nec ducente , nec ſequente) conciliationem aliam , quam , poſt Briſſonium *de iure connubiorum pag.* 51. Academicis anteceſſoribus placere , video, ſcilicet vt ſententia Pauli *in dict. l.* 38. obtineat , cum ſponſalia ſola ab adminiſtrante in Prouincia , datis arrhis contracta ſunt, quo caſu cum nihil ille peccauerit in mandata Principum , quibus nuptiæ cum Prouinciali , non autem ſponſalia inhibentur, *dict. l.* 38. Nihil etiam cauſæ eſt , cur arrhis excidat , quin potiùs bono , & æquo congruit , vt ſicut liberum ſponſæ eſt , renunciare ſponſalibus , finito officio , & nuptias recuſare , ita & arrhas in ſimplum ſaltem reſtituit. *d. l.* 38. *d. l. penul verſic. Quæ ita*. Cæſarum autem conſtitutio in *d. l. vnica* , referenda eſt ad eum caſum, quo ſimul cum ſponſalibus , & arrhis datis , nuptiæ ab adminiſtrante Prouinciam contractæ ſunt. In quo, ne Principum mandata offenderint , permittitur eo caſu fœminis , & earum parentibus , Rectoribuſque, à nuptijs reſilire, & arrhas lucrifacere. Cui diſtinctioni etſi non vſque quaque faueat contextus *d. l. vnic.* tamen & adaptari facilè poſſet , niſi & alia obſtarent, ex iuris ratione , expenſa acriter à Gothofredo *ad dict. l. vnic. C. ſi Prouinc. Rector.* qui & ad *l. 6. Cod. Theodoſ. de ſponſal.* conicctatur, pœnam quadrupli arrharum inductam fuiſſe, ex legibus Iulia, & Papia. Aſt de eo nos opportuniùs ad *caput de ætate ſponſalium*.

Illud potius adijcimus , & firmiore aſſenſu firmamus , in *dict. l.* 9
38. mutatam voluntatem à ſponſa, poſt depoſitum officium à Præfecto, at *in dict. l. vnica*, officio adhuc durante, quę fuit prima Accurſij , & apud eum Martini ſolutio in *gloſsis d. l. vnicæ* , quam & placuiſſe, video, aliquot , poſt hæc exarata , annis, ſcribenti , & edenti , & diſtinguendi vtriuſque caſus , luculentam , vt ſolet , rationem reddenti , noſtro quondam ex aſſe in Academicis ſucceſſori , nunc autem & primario, & com-

communi Magiſtro Don Ioſeph Reteſio *de donationib. tom. 2. cap. 22. num. 9.*

10 Sit iam, velut mantiſſa diſputationis noſtræ de effectu prohibitionis nuptiarum, producendo, aut non, ad ſponſalia, & diſtinctionis in hac re propoſitę, *Capite ſuperiore*, illatio ad fori vſum, quæ ſequitur. Ergo cum, vt huc vſque tradidimus, prohibitio matrimonij ad ſponſalia pertineat, tunc cum illa abſoluta, & perpetua eſt, nec diſpar prohibitionis ratio in nuptijs, & ſponſalibus, nec tam de pœnæ, quàm de prohibitionis iure quærimus, non autem ſi ad tempus, aut certum contrahendi modum reſtricta, prohibitio ſit, & diuerſa ſponſalium cauſa, & nuptiarum, iſtarumque pœnalis prohibitio; conſequens hodie eſt, prohibitionem Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi *ſeſſione 24. de matrim. reformat. cap. 1.* cuius decreto, matrimonium aliter, quàm coram Parocho, aut de eius, ordinarijve licentia, aliò Sacerdote, & duobus, tribuſve teſtibus contrahi, prohibetur, & aliter contractum eſſe irritum, nulliuſque momenti, declaratur, non pertinere ad ſponſalia, vt vocamus, de futuro, ſiuę repromiſſionem futurarum nuptiarum. Primò, quia prohibitio hæc S. Concilij non eſt indefinita, & abſoluta, ſed reſtricta ad ſpeciem matrimonij clandeſtini, modumque eiuſdem contrahendi, ſine Parocho, & teſtibus; proinde & nihil vetat, quominùs ſponſalia ſine Parocho, & teſtibus contrahantur, ſi ſequantur deinde nuptiæ, inoffenſa forma Concilij. Secundò, quia Tridentini decreti ratio, qua prohibitio matrimonij clandeſtini, nouaque eiuſdem contrahendi forma ſubnititur, proſpexit grauibus peccatis vitandis, *quæ ex clandeſtinis coniugijs ortum habent, præſertim verò eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua contraxerant, relicta, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt; cui malo ab Eccleſia, quæ de occultis non iudicat, ſuccurri non poteſt, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur*, quomodò fere Synodus loquitur. Hęc autem ratio, & adulterij cum alia vxore, poſtea ducta, periculum, in ſponſalibus non æquè viget, quia ſi, ſponſalibus clam, aut publicè contractis neglectis, nuptię cum alia contrahantur, valent hæ ipſæ matrimonij vinculo, & iure, & ſponſalia cum alia prius contracta ſoluuntur, & euaneſcunt. *cap. penult. de ſponſalib. cap. 1. de ſponſa duorum. cap. vltim. 27. quæſt. 2.* Ergo diuerſa ratio cum ſit, non eſt, cur producatur interdictum matrimonij clandeſtini ad ſponſalia, argumento proprij ad rem *textus in dict. l. Si quis officium 38. D. de ritu nupt.* Tertiò denique, quia Concilij cautio in eo Canone, quatenus pœnam irriti iniungit matrimonio clandeſtino, ſtrictæ, & pœnalis interpretationis eſt, & quatenus coarctat libertatem, aliter quã ex Synodi forma contrahendi, eſt correctoria veteris recepti iuris, & vtroque reſpectu coanguſtandæ potiùs, quàm producendæ ad conſequentias. Idcircoque nec pertinet ad ſponſalia, vt in re ſimili docuimus ſupra *cap. 11. ex l. Solet 10. §. 1. D. de his, qui not. infam. l. In eo 45. §. Hoc caput, D. de ritu nupt.* concinit receptiſſima traditio Gloſſę *in Clementina 1.* verbo, *Contrahere, de conſanguinit.* Quibus argumentis, poſt Nauarrum, alioſque, innumeros ſententiæ, & illationi noſtræ adlubeſcunt, P. Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 12.* Gutierr. *eodem tractat. cap.* 4.

4. *& de iuram. confirm.* 1. *part. cap.* 51. *ex num.* 3. Baſil. Legion. *de matrim. lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 6. alij apud Zænedum *in practicis quæſt.* 30. *num.* 22. &, pluribus laudatis, Auguſt. Barboſa *in collectan. ad Concil. Tridentin. dict. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *num.* 146. ſepiùſque ita Eminentiſsimos Romanæ Eccleſiæ Cardinales cenſuiſſe, oſtendit Farinac. 4. *part. declarat. Cardinal. in cap.* 1. *de matrim. ſeſſ.* 24. *Tridentinæ Synodi.*

11 Quin & libens adijcio, ſint licet ſponſalia ſine Parocho, & teſtibus, hodie contracta, immunia a prohibitione, & pœna Concilij, videri tamen grauibus, cordatiſque viris, & inter eos, Ferdinando Mendozæ *de Concilio Illiberitano confirm. lib.* 3. *cap.* 35. è Chriſtianę Reipublicæ bono valde futurum, certam aliquam, ſolemnemque contrahendi formam, ſponſalibus ab Eccleſia præſcribi, aliterque contracta irrita deinceps decerni, exemplo Tridentini Canonis in matrimonijs clandeſtinis. Quippe quamvis ex occultis ſponſalibus non ſit illud periculum perpetui concubinatus, ſiue adulterij, ex tranſitu ad nuptias cum alia, vt iam diximus; inficiari tamen non poſſumus, ſponſalibus non palàm, & teſtatò contractis, anſam quamdam, ac veluti illecebram prauis moribus dari, fidei ſponſalium impunè rumpendæ, eluſis, vt perſæpe fit, mulierculis miſeris, quas ſponſalium nomen illexerat. Conſtat autem, inter noſtrates, grauis, & lethalis peccati reum eſſe, frangentem, ſine cauſa, ſponſalium fidem, ideoque & graue id crimen, & diris deuouendum, ſiue abſtentione communionis, dicitur *in cap. Si qui* 31. *quæſt.* 3. conducunt *cap. Deſponſatas* 46. *cum ſeq. & cap. vlt.* 27. *quæſt.* 2. *cap.* 1. *de ſponſa duorum.* D. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 27. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 2. ſanè, iure Romano vetere, tametſi non omnino in ſponſalibus teſtatio, & ſcriptura exigeretur. *l.* 4. *l. In ſponſalibus* 7. *D. de ſponſalib.* fuiſſe tamen ſua etiam, ſcitaque ſolemnia ſponſalium, fidei teſtandę, ac præter auſpices, proxenetaſque, & ſimiles, quos ſponſaliorum turbam vocat Sueton. in *Auguſto cap.* 53. Scripturam, ſiue Tabulas ſponſalium, & repromiſsionis futurarum nuptiarum, eiſque tabulis ſignandis, teſtes adhibitos, oſtendunt, Tertull. *de velandis Virgin. cap.* 12. ibi: *Hæ ſunt tabellæ priores naturalium ſponſaliorum.* Servius *in Virg.* 10. *Æneidos*: meminitque eius veteris iuris, & inſtrumentorum, in ſponſalibus, Alexius Comnenus *Nouell.* 3. *de ſponſal.* ſed & Eccleſiaſtico antiquo iure, peragi ſolita, ante Leonem Cæſarem, cognomento Philoſophum, etiam inter impuberes, & de futuro ſponſalia ſolemniter, benedictione Sacerdotis, ſacraque precatione adhibita, propria ſpōſalium, & diuerſa à nuptiali, docuit me Leo idem *Nouella* 74. Alexius Comnenus *Nouell.* 3. *&* 4. *de ſponſal.* earumque conſtitutionum memores, Harmenop. *in promptuar. lib.* 4. *tit.* 1. Photius *in nomocan. tit.* 13. *cap.* 2. vbi & Theodor' Balſamo *in Scholijs*, eòq; forſitan reſpiciunt Trosleianum Concil. *cap.* 8. ante medium. Syricius *epiſtol.* 1. *ad Himmerium cap.* 4. extat *in cap. de coniugali* 50. 27. *q.* 2. tametſi aliter ibi, poſt Gratianum, vulgò accipiatur. Quapropter neque inſolens, neque alienum ab Eccleſiæ, & ciuili vſu videri, poteſt, ſtatum aliquem, ſolemnemque teſtationis ritū in ſponſalibus definiri, quo prætermiſſo, ea nullius momenti ſint, totque clancularìarum ſponſionum fraudibus occurratur.

* * *

CA-

CAPVT XIV.

DE DONATIONIBVS INTER CONIVGES, CONTRA LEGEM Iuliam. Ad leg. 3. §. 1. l. Cum hic ſtatus 32. §. vltim. D. de donationib. inter.

ARGVMENTVM.

IN quæſtione proſcripta non valere, ipſo iure, donationes, cenſuit Antonius Faber, imputans Triboniano contextum *dict. l. 22. §. vltim.* è contra Nos cum Latinis, & Grçcis, valere ipſo iure: quod & firmamus variè, ac validè, *ex l. Si voluntate 7. Cod. de donat. inter*, ac demum ex ratione iuris. Exponitur in hunc ſenſum, quin & pro eo expenditur, *lex 3. §. 1. D. de donat. inter.* Cuius & ratio elucidatur. De obiectione *ex l. Si concubina 17. D. rer. amotar.* impeditior, & operoſior eſt ſolutio nodi, *in dict. l. 32. §. Si quis ſponſam*, cuius in theſi, obſervata veſtigia ſenſuum Iuriſconſultorum, & ad rem noſtram conſequentia. Affirmatur, donationem in illa theſi, mero iure valere. Error qualitatis vxoriæ non facit, vt donatio non teneat, ipſo iure, ſicut nec alius error cauſę prӕteritæ donandi: idque adſtruitur ſolidè, & plenè ex diſciplina iuris, niſi conditionaliter cauſa exprimatur, aut vertatur in efficientem; quo tamen caſu, quod mero iure valuit, eliditur exceptione: inter cauſam præteritam, & conditionem, ſiue impulſiuam, & efficientem, ac finalem, diſcretio, ex Philoſophis, & Iuriſconſultis. Iam pro *dict. §. Si quis ſponſam*, reſpondetur, cum Fulgoſio, verba, *Nullam eſſe*, exaudienda, quoad effectum, quod & variè illuſtratur. Tandem ad *l. Si voluntate 7.* Interpretamentum.

1 ACcedant, circa effectum prohibitionis nuptiarum, inter Senatorios, & libertinas, de quo tam multa huc vſque ex *cap. 7. cum ſeqq.* quæſtiones aliæ eiuſdem argumenti; nempe de donationibus, legatis, dotibus inter coniuges, qui, contra Iuliæ legis præſcriptum, nuptias inierunt, veluti Senator cum libertina, aut è contra. In primis autem, quoad donationes, tractata quæſtio eſt, in noſtra ſpecie, ab Vlpiano in *l. 3. §. 1. l. Cum hic ſtatus 32. §. vltim. D. de donationib. inter.* Quibus locis, ſi Senatoris filia libertino, contra Senatus Conſultum, & Marci Orationem, quæ Iuliam legem ſubſecuta eſt, nupſerit, aut Senator, contra inhibitionem eiuſdem iuris, libertam vxorem duxerit, alterque alteri, ea forma, & facie, veluti nuptiarum, manente, donauerit, quęſitum eſt, an valeat donatio. Dubitādi cauſa perelegans, quām & Vlpianus exprimit, in *d. l. 3. §. 1.* nimirum quia eo iure poſito, quo donationes inter virum, & vxorem, ſiue inter, matrimonio, nuptijſve, iunctos inhibentur, conſequens eſt, vbi viri, & vxoris, ſiue nuptiarum, matrimonijque ius deficit, donationes valere, ceſſareque eo caſu prohibitionem iuris; ſicut & prohibitio furti actionis exercendæ inter coniuges ceſſat, ceſſante matrimonio iuſto. *l. Si concubina 17. D. de actione rer. amotar.* Conſtat autem, non modò antiquo iure Iuliæ, Papiæque legis, ante Marci Orationem, & Senatus Conſultum, nuptijs, à Senatorio cum libertina initis, deficere ius, nomenque ſolemnium, ſeu iuſtarum nuptiarum. *l. Si Senatori 31. l. Lege 44. D. de ritu nupt.* ſed & poſt Orationem, & Senatus Conſultum adeò eas non tenere matrimonij vincu-

lo, & iure, vt neque validæ nuptiæ ſint. *l. Oratio* 16. *D. de ſpo ſ. lib. l. Oratione* 16. *D. de ritu nupt. d. l.* 3. §. 1. *verſ. Ergo.*

2 Qua tamen dubitandi ratione neglecta, reſpondet contra Vlpianus *in dict. l.* 3. §. 1. *Fas non eſſe, eas donationes ratas eſſe, ne melior ſit conditio eorum, qui deliquerunt*, quorum verborum ſtructura, ſimulque iuris illa ratione, quæ in hac re redditur, *in dict. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *penult. D. de donat. inter.* vt euincatur, donationes has nullas eſſe, quia factæ, non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad vxorem, quæ vxor non erat, impediente iuris prohibitione, deceptus inter alios Antonius Faber *de error. dec.* 79. *err.* 4. contendit, donationes has, in prohibitis nuptijs factas, non magis valere, quam quæ inter iuſtos coniuges fiunt, & conſequenter, ipſo iure, nullius momenti eſſe; proinde nec defendi ex ratione iuris poſſe, & adſcribendum Triboniani imperitiæ, quod de eiſdem donationibus, quaſi mero iure valerent, eripiendis donatario, tamquam indigno, & in Fiſcum cogendis, traditur *in d. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vlt.*

3 Ego autem in primis, quod attinet ad ſententiam *dict. l.* 3. §. 1. aſſentior potiùs Accurſio, Baldo, Salyceto, illic, & in *dict. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vltim.* Fulgoſ. *in l. Ea quæ* 5. *C. de donationib. ante nupt.* Gloſſę *in cap. vltim.* verbo, *Conſtante, de donat. inter.* affirmantibus, donationes tales inter coniuges, δοκοῦντας, ſeu putatiuos, valere ſummo iure, &, vt loquuntur, de iuris rigore (quamvis ex æquitate effectum non habeant, de quo poſtea) nec modò quoties bona fide vtriuſque, ſiue alterutrius impedimentum iuris ignorantis, ſed indiſtinctè, etiam ſi mala fide, & ſcientia vtriuſque, nuptiæ, contra prohibitionem, incantur. Idque primum mihi ſat exprimit Vlpianus ipſe, in *dict. l.* 3. §. 1. dum docet, ſi aliquod impedimentum interueniat, ne ſit omnino matrimonium, donationem valere; indeque infert in *verſic. Ergo*, ſi Senatoris filia libertino, contra Senatus Conſultum, nupſerit, valituram donationem, quia nuptiæ non ſunt. Quod Enthymema, ſiue ex primo enunciato conſecutio, cum legitima, & ſtricti iuris regulis conſentanea ſit, euincit etiam, attentis eiſdem regulis, donationes haſce valere. Firmatque id ipſum clariùs latior contextus *eiuſdem* §. 1. *l.* 3. *lib.* 30. Baſilicon *tit.* 1. apud Scholiaſtem, verbis ſervientem, quem vocant κατὰ πόδας, vbi cum perinde enuncietur, & inferatur, valere, inter prohibitos coniuges, donationes, quia inter eos nuptiæ non ſunt; ſubiungitur, ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἡ ἀκρίβεια, *Cæterùm hæc mero iure. Non eſt autem fas, eas donationes valere, ne delinquentes in nuptijs iniuſtis, melioris conditionis ſint, quàm qui eas ſecundùm leges contrahunt.*

4 Deinde hoc idem fortiter probat Alexandri reſcriptum, *in l. Si voluntate* 7. *Cod. de donation. inter*, vbi proditum eſt, donationem collatam à pupilla, quæ ex voluntate patris nupſit filio tutoris, eſſe ipſo iure irritam; è contra verò donationem, factam ab eadem pupilla, ipſo iure tenere, vbi matrimonium iure non valuit: veluti quoties, patre non deſtinante, aut deſpondente, nupſit, contra Senatus Conſultum, filio tutoris, non alia vtique differentiæ, inter vtrumque caſum, ratione, niſi quia priore caſu, cum matrimonium iure conſtiterit, ex voluntate patris deſtinantis, deſpondentiſve filiam filio tutoris. *l. Tutor*

36. *l. Non eſt* 66. *D. de ritu nupt. l. Qui pupillam* 7. *D. ad leg. Iul. de adulter. l. Si Patris* 6. *Cod. de interd. matrim. inter pupill.* Eſt etiam locus prohibitioni donationum, inter iniſtos coniuges, ideoque & iſtę ipſo iure irritæ ſunt. *l.* 3. §. *Sciendum, D. de donationib. inter.* Secundo autem caſu, cum matrimonium iure non conſtiterit, refragante Senatus Conſulto, de quo in *dict. l.* 1. *cum ſeqq. Cod. de interd. matrim.* conſequens etiam eſt, ceſſare prohibitionem donationum, vtpote inter non coniuges, ideoque eas ipſo iure tenuiſſe, affirmatur, in *dict. l. Si voluntate* 7. Accedit, rei ſubtiliùs firmandæ, quod & ſubſequitur in *d. l. Si voluntate* 7. tametſi indigna perſona eius fuerit, qui nec maritus poteſt dici, nempe filij tutoris, qui, contra Senatus Conſultum, pupillam, non à parte deſtinatã, vxorem duxit; vtiles tamen actiones ſuper reuocandis his, quæ pupilla huic marito donaũt, competere pupillæ. Porrò ſi donatio ipſo iure non magis conſtitiſſet, quàm quę inter veros coniuges fit, nec dominium in donatarium transferretur. *d. l.* 3. §. *Sciendum,* iuncta *l. Nunquam* 31. *D. de acquir. rer. dom.* & directa vindicatio rei donatæ extantis, aut directa condictio conſumptæ, donatori competeret. *l. Si ſponſus* 5. §. *vlt.* aliàs *l.* 6. *cum ſeq. l. Si ſtipulata* 33. §. 1. *l. Si donatæ* 36. *D. de donat. inter.* Ergo quod vtiles dumtaxat actiones, pro donatis reuocandis, indulgentur pupillæ, in *d. l. Si voluntate* 7. manifeſto argumento eſt, tenuiſſe ipſo iure donationes, in prohibitis nuptijs factas, ad quas alioquin reuocandas, fruſtra vtiles actiones indulgerentur, ſi directæ ſuppeterent. *l.* 1. 2. *&* 3. *D. de præſcrip. verb.* quod poſtremum, extorquente ſententia *d. l. Si voluntate* 7. fateri tandem cogitur vel inuitus, atque immemor eorum, quæ in principio aſſeruerat, Anton. Faber *d. error* 4. *in fine, & ſeq.* Nec diſsimilis, & non ſpernendæ forſitan notæ, eſt, quod reſcribitur in *l. Eum qui* 18. *in fine, Cod. ad leg. Iul. de adulter. l. Ea quæ* 5. *Cod. de donat. ante nupt.* mulierem, cui vt ſponſæ promiſſum eſt, ab eo, qui vxori alij alligatus, hanc, ficto cœlibatu, & ſponſione, ſollicitabat ad nuptias, iure omni illicitas, *non poſſe* promiſſa *petere cum effectu;* quo ipſo veluti inſinuatur, poſſe petere ipſo iure, vtpote ex promiſsione mero iure valida, quamuis, quoad exactionis effectum, petitioni obſtitura exceptio ſit, quomodò verba hæc, cum effectu valere, petere, obligari, aut ipſo iure tantùm, apud Iuriſconſultos diſtingui ſolent. *l. Ex his omnibus* 54. *D. de cond. indeb. l. Quamuis* 8. §. *Si mulieri* 12. *D. ad S. C. Velleian. l. In hoc* 14. §. *vlt. D. communi diuid.*

Sed & pro eadem parte expendi 5
poteſt, quamuis in alijs cum propoſitis fere pugnans, quod ſcriptum eſt in *d. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vlt.* ea, quæ donata ſunt in illicitis nuptijs, quaſi ab indignis ablata, Fiſco vindicari. Nam, cum quæ indignis auferuntur, ſint eius conditionis, vt in perſona eorum, quibus data, aut relicta ſunt, ipſo iure conſtiterint, ſed poſtquam eis adquiſita ſunt, non permittetur, retinere, & auferantur, eripianturque, & Fiſco vindicentur, vt vel ereptitiorum nomen indicat, & notiſsima diſtinctio indignorum, & incapacium. *l.* 2. *D. de his, quæ vt indign. l. penult. D. de iure Fiſci. l. Si quis* 26. *D. de lege Cornel. de falſ. l. Cum hæreditas* 4. *l. Cum fratrem* 9. *Cod. de his, quibus, vt indign.* Vlpianus *tit.* 19. §. *Lege.* iuncta *l.* 4. *D.*

ne quis eum, qui in ius vocab. Ea ipſa ablatio donationum, tamquam ab indignis, & in Fiſcum delatio ſupponit, donationes ipſo iure conſtitiſſe, & adquiſitas fuiſſe donatarijs, quibus vtique non adquirerentur, neque conſiſterent, ſi prohibitione donationum, inter coniuges, apprehenderentur. *dict. l.* 3. §. *Sciendum*; ne interim expendam, tamquam remotius, exemplum legati, aut hæreditatis, relictæ in illicitis nuptijs, veluti à pupilla tutori, aut à prouinciali fœmina Præfecto, cui, contra prohibitionem, nupſit, vbi tamquam indignis adquiſita eripi, & proinde adquiri, & valere, ſicut donationes mero iure, ſupponitur in *l.* 2. §. 1. iuncta *l. Claudius* 13. *D. de his, quæ vt indign. l. vlt. D. de legat.* 1.

6 Denique, apud me, rem in aperto fere relinquit, ratio ipſa iuris, qua attenta, non occurrit prohibitionis aliquod genus, quo donationes iſtæ irritæ, inaneſve fiant. Quippe nec prohibitio donationum, inter coniuges, propriè, & ſtrictè non apprehendit eas, quæ fiunt inter non coniuges, neque vlla alia legum ciuilium prohibitio eſt, quibus donationes hæ labefactentur, ipſo iure. Nam quod proferri poteſt ex *l. Qui contra* 4. *l. Si quis* 6. *C. de inceſt. nupt.* quib' vetiti coniugij initores, quoquomodò inter ſe donata conſequi, prohibentur (vt omittam, nouas eas ſanctiones, & Vlpiano adeo nouiores, parùm propriè ei, & alijs anterioris ſeculi, & iuris auctoribus explanandis, applicari) vtcumque tamen ſit, non eò pertinet, vt donationes ipſo iure non teneant, nec earum ius, ſed effectum, eaſdem conſequendi, reſpicit, facitque, vt ſic donata, tamquam indignis, eripi, & vindicari Fiſco, debeant, vt exprimitur in *dict. l. Qui contra* 4. Proinde vel eo ipſo ſupponitur, donationes ipſo iure conſiſtere: & ſanè, quid ni conſiſtant, quæ nullo iure ſtare, prohibentur?

Noſtræ huic aſſertioni, quæ ſtatuit, valere, mero iure, donationes, in prohibitis nuptijs factas, fauent potiùs, quàm refragantur, Vlpiani verba in *dict. l.* 3. §. 1. ibi: *Sed fas non eſt, eas donationes ratas eſſe, ne melior ſit conditio eorum, qui deliquerunt.* Nimirum hiſce verbis non negatur, donationes ſummo, meroque iure valere, quod & Vlpiani eiuſdem collectio, & argumenta, ſupra perpenſa, ſatis oſtendunt, ſed honeſtatis, ſiue æquitatis quadam ratione (quam, vt à iure certo diſtinguat, fas Vlpianus appellat) ſuaderi, ne donationes iſtæ ratæ eſſe, debeant, hoc eſt, nec in futurum confirmari, neque ad effectum, exitumve perduci, quomodò, ea locutione, ratum eſſe, non ſemel iuris noſtri Auctores vtuntur. *l. Donationes* 31. §. *vltim. D. de donat. l.* 4. §. 1. *D. pro ſuo*, iuncto *tit. D. ratam rem hab.* cum alijs ſexcentis. Itaque lego magis, quàm in hac re laudo, Harmenopulum *lib.* 4. *promptuarij tit.* 11. *in princ.* & Concinnatores *Eclogæ iuris Græcanici* Baſilicon *lib.* 30. *tit.* 1. *cap.* 2. dum, facta, breuitatis forſan ſtudio, exæquatione donatorum in legitimis nuptijs, & prohibitis ſcribunt de vtriſque pariter, & eiſdem verbis ἀνίσχυροί εἰσι αἱ δωρεαί, id eſt: *Inualidæ ſunt donationes*; illæ enim, quæ inter iuſtos coniuges, proprio, ſummoque iure inualidæ: At iſtæ è contra validæ mero iure, ſed ſine effectu; quia donata eripiuntur quaſi ab indignis, & Fiſco vindicantur. *dict. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vltim. D. de donat. inter*, vbi quod Vlpianus præmittit, *& putem etiam,*

etiam, ſponſalia improbanda, reſpondet eo ipſo quæſtioni, quæ in eo erat, an ſaltem, quaſi in ſponſalibus, factæ donationes valerent, vt in priore parte præcedentis §. *Si quis ſponſam*: nec ineptiæ Triboniani imputandum, quod ait, *putem*, quaſi non opinionis, ſed indubiæ aſſertionis res eſſet, quoniam imò in Senatore res, nõ indubia Vlpiano, quia Oratio de ſponſalibus non locuta, & ſupplenda ex lege Iulia fuit. *l. Oratio* 16. *D. de ſponſal.* & in tutore, non pro explorato habuit, ſed *intelligendum*, ita *eſſe*, Paulus ſcripſit, *l. Si quis tutor* 60. §. *Quamuis*. *D. de ritu nupt.* & in alijs, *qui matrimonium copulare prohibentur* (vt ſcriptum eſt in *d. l.* 32. §. *vlt.* phraſi nõ Tribonianica, vt Faber vult, ſed Vlpiano, alijſque iuris auctoribus, nõ inſolenti. *d. l.* 32. §. *Oratio* 16. *l. Si extraneus* 6. *D. de cond. cauſ. dat. l. Copulandis* 8. *C. de nupt.*) dubitari iuſtiùs potuit, argumento *ex l. Si quis* 38. *l. In eo* 45. §. *Hoc caput* 4. *D. de ritu nupt. l. Solet* 10. §. 1. *D. de his, qui not. inf.* quamvis plerumque exiſtimãdum ſit, vt & Vlpian⁹ putat, prohibitis abſolutè, & perpetuò nuptijs, etiam ſpõſalia improbanda. *d. l. Si quis tutor* 60. §. *Quamuis*, diximus latè ſupra *cap.* 11.

8 Iam verò cauſa illa honeſtatis, æquitatiſque, quam Vlpianus expendit, *ne melior ſit conditio eorum, qui deliquerunt*, apertiſsima eſt, & appoſitiſsima; nam cum certum ſit, delinquere eos, qui prohibitas nuptias contrahunt. *l. vltima, D. de leg.* 1. conſequens etiam eſt, non debere eos ex ſuo delicto meliorem conditionem ſuam facere, quàm ſi non deliquiſſent. *l. Non fraudantur* 134. §. 1. *D. de regul. iur. l. His ſolis* 7. *in fin. Cod. de reuoc. donat.* Quod ſanè accideret, ſi quæ donata iuſtis coniugibus capere per leges non licet, hi, vel ideo quia iniuſti, cõiuges, capere, & retinere cũ effectu poſſent. Accedit, quòd &, ex eadem æquitatis ratione, prohibitio illa Papię legis, quæ iuſtos coniuges, liberis carẽtes, inter ſe matrimonij nomine nõ vltra decimam capere ex teſtamento patitur, teſte Vlpiano *tit.* 15. iuncta *l.* 2. *C. de infir. pœn. cælib.* quamvis ceſſare, videatur, in non iuſtis coniugib⁹, quales ſunt Senatorij libertinæ, & ingenui famoſæ nuptijs coniuncti, tamen & ad eoſdem porrigitur, vt nihil inter ſe capiant, vt Vlpianus ait, *tit.* 16. §. *Aliquando*, hoc eſt neq; vltra decimam, ne melior ſit eorum delinquentium conditio, neq; decimam ipſam, quia iniuſtas nuptias, ad præmia, legibus tributa, iuſtis nuptijs proficere indignum eſſet. *l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt. l. vnic.* §. 1. *D. vnde vir, & vxor.* Similiter accuſatio, & pœna adulterij, quamvis in ea, quę vxor legibus eſſe, non poteſt, & contra earum prohibitionem ducta eſt, exerceri, non poſsit, iure mariti, ne ius, & beneficium, iuſto marito datũ, ei indulgeamus, qui contra ius marit⁹ eſt. *d. l. Filio* 48. §. 1. non omnino tamẽ ceſſat accuſatio, ſed exercetur extranei iure, ne ob id ipſum impune ſit adulteriũ vxori, quod cõtra leges vxor eſt, ſiue ne, quia nubẽdo contra leges deliquit, melioris cõditionis ſit. *l. Si vxor* 13. §. *ſed & ſi ea* 4. *D. ad leg. Iul. de adul.*

Nec contrariũ, ſed, eadẽ ratione inuerſa, diuerſum, eſt quod, pro ratione dubitandi, attulimus, ex *l. Si concubina* 17. *D. de act. rer. amotar.* vbi prohibitio exercenti actionis furti, inter cõiuges, contrahitur ad cõiugẽs iuſtos, ceſſatq; inter eos, in quib⁹ matrimoniũ non eſt, vtpote cõtra leges contractũ. Quippe obſervandũ eſt, prohibitionẽ hanc reſpicere matrimonij honorẽ, & reuerẽtiam perſonarũ coniugum, inter quos turpes, aut famoſas actiones exerceri, fas non eſt. *l.* 1. *&* 2. *l.* 3. §. *Sed &* 2. *D. de act. rer. amot. l.* 2. *C. eod. tit.* quòcirca & indignũ viſum eſt, beneficiũ hoc, ſiue ius legitimæ ſocietatis coniugũ, & iuſtarũ nuptiarũ, produci ad eos, qui, iniuſtis nuptijs initis, in leges cõmittũt 9

dict. l. Si concubina 17. iuncta *dict. l. filio* 48. §. 1. *l. vnic. D. vnde vir, & vxor.* At è contrario donationum prohibitio, inter coniuges, quamuis & ipſorum fauorem, præſertim donatorum, reſpicere quadantenus, videatur, ex cauſis traditis in *l.* 1. 2. & 3. *l. Sed ſi vir* 31. §. *Quod legaturus* 7. *D. de donat. inter.* Continet tamen propriè, quoad donatarios, ſeueritatem iuris, & aliquatenus in donatore, ob coarctationem libertatis donandi. *l. Illud* 5. §. 1. *D. de pactis dotal. l. Cum multæ* 20. §. *Simplices, Cod. de donat. ante nupt.* vnde & odioſa, correctoria, exorbitans, prohibitio hæc à pragmaticis noſtris vocari, ſolet. Proinde quamvis inter iniuſtos coniuges, ceſſante prohibitionis forma, & fauore, donationes, ipſo iure, valeant, vt diximus; cum tamen graue exemplo ſit, clauſtra hæc, & repagula ſtricti, & ſeueri iuris, quæ coniugibus iuſtis obſtant, relaxari non iuſto coniugi, eidemque donatario indigno, vt vel ideo melioris conditionis ſit, quia deliquit, rectiſsimè affirmatur in *dict. l.* 3. §. 1. donationes has, effectu, ratas eſſe, non debere. Nam ſi & antiqui legumlatores, quod extraneis, ac ſæpe ignotis in donationibus, ſucceſsionibuſque tribuitur, nec coniugibus iuſtis concedunt, *reprimendum inter hos potiùs, vt in loco ancipiti, quàm incitandum feruorem mutuum, arbitrati*, vt eleganter ſcriptum eſt, in *l. vltim. Cod. Theodoſ. de legitim. hæred.* quantò acriùs reprimendus ille eſt, & coercendus inter iniuſtos coniuges, ne in illicitis nuptijs cauſam veluti, titulumque liberalitatis, invicem exercendæ, & capiendi effectum nanciſci, videantur.

10 Acriùs ſanè aſſertioni noſtræ aduerſatur, & Fabro fauet, tametſi ab eo ad rem non perpenſus, Vlpianus in *d. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vltim.* iuncto *præcedente* §. *Si quis ſponſam.* Scriptum in eo eſt, ſi quis ſponſam habuerit, deinde eamdem vxorem duxerit, cum non liceret, eique mox donauerit, videndum eſſe, an donationes, quaſi in ſponſalibus factę, valeant. Subiungitur autem, tractari hanc quæſtionem à Iuliano, in perſona puellæ, minoris duodecim annis, & maioris ſeptenni, quæ in domum quaſi mariti, veluti vxor, non fiat interim matura, fortaſsis *libro* 21. *Digeſtorum*, in quo ſimilem quæſtionem tractauit, vt liquet *ex l. Falſus* 11. §. *Iulianus, D. quod falſo tut.* Rei autem explicandæ, in primis Iulianus ſupponit, fieri puellam, ea ipſa deductione, ſponſam, quamvis vxor non fiat interim, quia per ætatem non licet. In quo tamen Vlpianus *in dict.* §. *Si quis ſponſam*, verius eſſe, ait, quod & viſum Labeoni, fortaſsis *libro poſteriorum* 3. *in l. penult. D. quando dies leg. ced.* aut *lib.* 6. *in l. Quod vir* 65. *D. de donat. inter*, & Papiniano *lib.* 10. *quæſtionum in l. Dotis* 68. *D. de iure dot.* denique ab Vlpiano ipſo ex Labeone, & Papiniano propoſitum *in l. Quæſitum* 9. *D. de ſponſalib.* iuncta, & iungente obſeruatore magno Cuiacio 1. *cap.* 15. *l. Quæſitum* 17. §. *vltim. D. de rebus auctor. iud. poſsid.* aliàs *l.* 2. *in fine de priuil. cred. l. Si vxor* 13. §. *Si minor* 8. *D. ad leg. Iul. de adult. l. Hæc conditio* 10. *D. de condit. & demonſtr.* nimirum diſtingui oportere, an deductionem immaturæ puellæ præceſſerint ſponſalia, parte interpoſita, quæ durant prorſus etiam, poſt deductionem eius, tamquam vxoris; an vero nō præceſſerint, quo caſu ſola ductio neque facit ſponſalia, quorum contrahendorum animus non fuit, neque nuptias, quæ con-

contrahi per ætatem non protuerunt. Vnde & ad quæſtionem propoſitam initio *d.* §. *Si quis ſponſam*, Vlpianus infert, ſi ſponſalia prçceſſerint, valere donationẽ, quaſi factam in ſponſalibus (ad quam vtique diſtinctionis partem referenda eſt; laudatus Labeo in *l. quod vir* 65. *D. de donat. inter*) ſi verò non præceſſerint, *nulla* eſt, inquit, *quia non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad vxorẽ fecit, & ideo nec Oratio locum habebit*. Sentit itaque apertè Vlpianus, nullam eſſe ipſo iure, in ea ſpecie donationem, exprimitque id, tum verbis, quæ ſponſalibus præcedentibus valere, & illis non præcedentibus nullam eſſe, adeo vt nec oratione firmetur, oppoſitis, veluti ex aduerſo, ſpeciebus, affirmat; tum ratione iuris, qua vtitur, quia non tamquam extraneæ, ſed quaſi vxori, quæ non eſt, fuit donatum. Cui ſententiæ, & rationi cum eodem fere contextu, & verborum tenore ſubiungat, in *d.* §. *vlt. d. l.* 32. ſpeciem de Senatore, libertinam deſpondente, & donationibus factis, quaſi in ſponſalibus, & affirmat, etiam ſponſalia improbari, euincit eadem iuris ratio, & Vlpiani mens, etiam in hac ſpecie, donationes ipſo iure eſſe nullius momenti, vtpote non prçcedentibus, quia non quaſi ad extraneam ſunt factę, ſed quaſi ad ſponſam, quæ nec fuit, nec eſſe potuit; quomodò & comparantur in re, non diſsimili, hi caſus ſponſæ immaturæ, & cõtra leges ductæ ab eodem Vlpiano in *l. Hæc conditio* 10. §. 1. *D. de condit. & demonſtr.*

11 Nihil, vt videtur, nobiſcum prima ſpecie pugnantius, hac Vlpiani ſententia in *dict.* §. *Si quis ſponſam cum* §. *ſeq.* Cui tamen, priuſquàm reſpondeamus, eaque interim ſepoſita, diſpiciamus ex ratione iuris, an in quæſtione prima *dict.* §. *Si quis ſponſam*, donatio, facta puellæ, ante duodecim annos, vxori ductæ, cum qua ſponſalia non prçceſſerunt, cenſeri, debeat, nulla ipſo iure; an potiùs ita nulla, vt effectu non teneat, tametſi mero iure valeat. Ego autem, prçeunte Raphaele Fulgoſio, *in dict. l. Ea quæ* 5. *num.* 2. *Cod. de donat. ant. nupt.* & apertiùs *in l. Eam quam* 14. *Cod. de fideicommiſsis, num.* 5. non dubito, quin poſtremum hoc certius ſit, idque Vlpiano ipſo auctore, qui vt donationem nullam eſſe, non præcedẽtibus ſponſalibus, probet, ratione illa vtitur, *quia non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad vxorem fecit.* Atqui hæc ratio æquè euinceret in priori diſtinctionis parte, in qua ſponſalia præceſſerunt, donationem nullam eſſe, quia non donatum eſt quaſi ſponſæ, ſed quaſi vxori, quæ nec eſt, nec eſſe tunc poteſt. Et tamen ea ratio non obſtat, quominùs tunc omnino valeat donatio. Igitur nec obſtabit, quominùs in poſteriori ſpecie valeat ſaltem mero iure.

Sed Vlpianum, vt dixi, ſepono, & hoc ipſum oſtendo generali ratione iuris; quippe aut donator ſciens, prudenſque, vxorem non eſſe, quam immaturam duxerat, ei tamquam vxori donauit, aut per errorem putans, vxorem eſſe, quæ non erat. Primo caſu extra omnem dubitationem eſt, valere donationem, nec modò ipſo iure, ſed effectu quoque, quamuis ſponſalia non præceſſerint. Nihil enim hic vitij, quod donationi obſtare poſsit, prçter falſam demonſtrationem, à ſciente donatore vſurpatam qualitatis perſonæ donatarij, de qua alioquin conſtat, vitiare donationem. §. *Huic proxima* 30. *cum* §. *ſeq. Inſtit. de legat. l. Demonſtratio* 17. §. 1. *l. Falſa* 33. *cum l. ſeq. D. de condit. & demonſtr.* At ſe- 12

ſecundo caſu, ad quem propriè magis Vlpiani diſputatio refertur, *in d.* §. *Si quis ſponſam*, nempe cum per errorem exiſtimans, vxorem eſſe, quam ante annos nubiles duxerat, ei tamquam vxori donauit, non minùs certum apud me eſt, donationem ipſo iure valere, ſiue non facere eum errorem, vt ſit nulla ipſo iure. Conſtat etenim de perſona, cui donatum voluit donator, errorque vertitur dumtaxat in qualitate, ſcilicet vxoria, eius perſonæ, quæ vxor non erat; cuiusmodi error nec conſenſum excludit, nec donationi obeſſe, debet, ſicut neque inſtitutioni, aut legato *l. falſa* 33. *D. de condit. & demonſtrat. l. His verbis* 48. §. *vlt. l. Nemo* 58. §. 1. *D. de hæred. inſtit. l. Non ideo* 5. *Cod. eod. tit.* iuncto §. *Siquidem in nomine* 29. *Inſtit. de legat.*

13 Et vt dicas, errorem hunc qualitatis vxoriæ diffundi veluti in errorem cauſæ donandi; fuit enim ea cauſa donandi, quia, per errorem, eam, cui donabat, vxorem eſſe, cum non eſſet, exiſtimabat, proinde nec donare aliter, voluit, quàm ſi vxor verè eſſet, vt Vlpianus ſentit, & nos fatemur; affirmamus tamen adhuc conſtanter, non fieri, hoc errore, donationem inualidam ipſo iure. Error enim cauſæ præteritæ voluntariæ donandi, aut contrahendi, (qualis hic eſt, quia vxorem fuiſſe, credidit, quæ non fuit) etiam quo caſu ea falſa cauſa exprimitur, relatis in præteritum verbis (niſi conditionaliter, ſiue conditionis forma, & tenore exprimatur, *d. l. demonſtratio* 17. §. *at ſi conditionaliter, D. de condit. & demonſtr. l.* 3. §. *Si tamen* 13. *D. de bonis lib. l. cum ad præſens* 37. *D. de reb. cred. l. Conditio* 100. *l. Si ita* 120. *D. de V. O. l. Cum in ſecundo* 16. *D. de iniuſto rupto*) quantumuis falſam cauſam fuiſſe, conſtiterit, neque repetitionem donati tribuit. *l. Damus* 52. *l. In ſumma* 65. §. *Id quoque* 2. *D. de condit. indeb. l.* 2 §. *vlt. l.* 3. *D. de donat.* neque impedimento eſt, quominùs ipſo iure valeat ob eam cauſam relictum, legatumue, cui nimirum ratio legandi non cohæret, vt Papinianus loquitur, in *l. cum tale* 72. §. *falſam cauſam* 6. iuncta *l. demonſtratio* 17. §. *quod autem* 2. *D. de cond. & dem.* §. *Longè magis* 31. *Inſtit. de legat. l. Generali* 32. §. *Duas* 6. *D. de vſufr. leg. l. Aurelius* 28. §. *vltim. D. de libert. leg. l. Qui vxori* 18. *D. de auro, & arg. leg. l. Cum quidam* 21. *D. de legat.* 2. *l. vlt. in fin. D. de hæred. inſtit.* Quin eo etiam caſu, quo apparet, non aliter donaturum quem fuiſſe, quàm ſi vera cauſa, & qualitas eſſet, ob quam donabat, & præterita illa cauſa, ſiue impulſiua, ὀρεκτικὴ αἰτία, vertitur in efficientem, ſiue ποιητικὴν, non tamen fit invalida ipſo iure, aut nulla donatio, ſed petenti donatario exceptio doli obijcitur, vtpote ei, qui occaſione iuris ciuilis, quo attento donatio valuit, contra voluntatem donantis vtatur, ac proinde dolo contra æquitatem. *dict. l. Cum tale* 72. §. *Falſam* 6. iuncta *l.* 1. §. 1. *l.* 2. §. *Circa, D. de doli except. l. Si quis cum aliter* 36. *D. de verbor. oblig. l.* 1. *C. de falſa cauſa, adiecta leg.* aut ſi legatũ inſtitutio donatio traditione ad effectũ perductę ſint, repetitioni ob errorem, defectumque cauſæ, locus fit. *l.* 3. *l. Si pater* 4. *l. Nec apud* 7. *Cod. de hæred. inſtit.* iunctis *l.* 1. §. *vlt. D. de Carboniano edict. l. Aufertur* 46. *D. de iure Fiſci. l.* 2. §. *vlt. cum l.* 3. *D. de donat. l. In ſumma* 65. §. *Sed agere* 3. *D. de condit. indebit.* iuncta item *l.* 1. *D. de condict. ſine cauſa.* Quæ tamen ipſa doli exceptio, & repetitio, ſeu conditio, conſtitiſſe mero iure donationes, aut relicta, adeo vt ca-

earum actio, & adquiſitio eſſet, euincit (vt & optimè euincitur ex *l. vlt. in fine, D. de hæredib. inſtit.*) cum & exceptio actionem ſupponat. *l. 2. D. de except.* & condictio translationem dominij rei, quæ condicitur. *l. vlt. in fine, D. vſufructu ar. quem cau. §. Sic itaque diſcretis* 14. *Inſtit. de action.* Diuerſum autem, propriumque ius exhæredationis, quæ per errorem facta filij, tamquam non filij, ſi filium fuiſſe, probetur, nullius momenti fuiſſe, intelligitur. *l. Si poſthumus* 14. *§. vlt. D. de liber. & poſth. l. 1. §. Idem ait, D. de Carbon. edict.* vel exhæredationis odio, vel quia cum certo magis, & explorato iudicio egeat filij exhęredatio, quàm inſtitutio. *l. Sub conditione* 18. *D. de bonor. poſſ. contr. tabul.* non cenſetur ritè illa facta, quę per errorem facta eſt. *l. Non putauit* 8. *§. Non quæuis. D. de bonor. poſſeſſ. contr. tabul. l. Si impubes* 7. *§. interdum, D. de Carbon. edict.* ita fere, poſt Accurſium, Caſtrenſis *in l. Si pater n. 3. Cod. de hæred. inſtit.*

14 Poſtremò, vt ad rem propiùs, ſiue ex re ipſa argumentemur, errorem qualitatis vxoriæ, ſiue falſæ cauſæ nuptiarum, ob quam donatur, non efficere, quin donatio valeat ipſo iure: probat apertè, expenſus ſupra, *textus in l. Si voluntate* 7. *C. de donat. inter.* in pupilla, tutoris filio contra ius nupta, eique tamquam marito excuſabili errore, cum talis non ſit, donante, & tamen affirmatur, donationem ipſo iure tenere, & pupillæ pro reuocatione non directam, ſed vtilem actionē competere. Conſpirat in eamdem ſententiam, quod de relictis à pupilla tutori, cui ignorans contra ius nupſit, ei tamquam indigno eripiendis, & conſequenter mero iure validis, proditum eſt *in l. 2. §. 1. D. de his, quæ vt indign.* Conſpirat & quod ſupra, ex Vlpiano ipſo, expendimus *in d. §. Si quis ſponſam,* vbi ſponſalia præceſſerunt, valere ipſo iure, & effectu donationem, factam quaſi vxori ei, quæ neque vxor erat, neque eſſe poterat, quæ valitura tamen non erat, ſi qualitatis vxoriæ error, ipſo iure, nullam faceret. Nec diſsimilem expenſionem habet inſinuatio illa petendi, ſaltem ipſo iure, quamvis non cum effectu, promiſſa tamquam ſponſæ ei, quæ ſponſa eſſe non potuit. *in d. l. Ea quæ* 5. *Cod. de donat. ante nupt. l. Eum qui* 18. *in fin. C. ad leg. Iul. de adult.* de queis ſupra ſignantiùs aliqua. Denique & fere in ſpecie *textus in l. Si pater* 4. *Cod. de hæred. inſtit. l. Aufertur* 46. *D. de iure Fiſci,* iuncta, & ad eum ſenſum redigenda, *l. Neque* 5. *C. de teſtam.*

Hæc de errore falſæ cauſæ præteritæ, validitatem actus ipſo iure non impediente, cum ex generali, & germana iuris ratione cenſeantur, cuius auctoritas apud artis magiſtros, interpretum adſtipulatione non eget (quamquam & ſi quis iſtam deſiderat, adeat, licet, poſt alios, Donell. *lib. 14. com. cap.* 10. Anton. Fabr. *in ration. ad l. Damus* 52. *D. de cond. indeb.* Dom. Larream *deciſ. Granat.* 66. *num.* 6.) ac præterea quoad ſpeciem, *dict. l. 32. §. Si quis ſponſam,* firmentur ſpecialibus locis, quorum meminimus, cogimur neceſſariò, non aſſentiri Baldo, *in l. Eam quam* 14. *num.* 22. *Cod. de fideicom.* & poſt alios Eman. Coſtæ *in cap. Si pater* 1. *part.* verbo, *Vxorem, num.* 16. *de teſtam. in* 6. P. Barboſę *in l. Si cum dotem* 22. *§. vltim. num.* 20. *&* 27. *D. ſolut. matrim.* P. Thomę Sanctio *de matrim. lib. 6. diſput. 2. num.* 7. *&* 9. Scipion. Gentili *de donat. inter. lib. 4. cap.* 2. Arias de Meſa *lib. 3. var. cap. 22. n.* 19. Queis cōſenſiſſe, 15

Xxx nol-

nollem, noſtrum Reteſium *de donation. inter. cap. 2. num. 2. & 3.* affirmantibus, donationes tamquam vxori factas ei, quæ neque vxor eſſe poterat, nec ſponſa erat, eſſe nullius momenti ipſo iure, idque non ſolùm in ſpecie *dict. §. Si quis ſponſam*, ſed etiam *in §. ſeq. de donatis inter coniuges illicitos*; quia error, & defectus, vt aiunt, finalis cauſæ donandi, nempe matrimonij, ſiue qualitatis vxoriæ, facit, vt, ipſo iure, donatio, ex defectu voluntatis, nulla ſit. *dict. §. Si quis ſponſam.* Cuius contrarium tam ex iuris ratione, & regulis in commune, quàm in ſpecie harum donationum, euicimus ex *d. l. Si voluntate 7. dict. l. Eum qui 18. dict. l. Ea quæ 5.* quas expendit, neque expedit, Iaſon *vbi nuper num. 16.*

15 Ac præterea, vt vel curſim illos, aliosque, ex foro, libelliones in acceptione finalis cauſæ, non ſemel ſibi imponentes, aliiſque, niſi caueant, impoſituros, moneamus, finalis cauſa non eſt in præſens, vel præteritum, ſed in futurum; illa ſcilicet, *propter quam quid fit*, vt ait Ariſtotel. 2. *phyſic. cap.* 3. ſiue ad quam conſequendam, tamquam finem, intenditur, & actus dirigitur, vnde & illam vocat, *propoſitum faciendi operis*, Seneca *epiſt.* 65. & Angelicus Thomas *primam inter omnes cauſas.* 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 2. ſicut Ariſtoteles cauſam cauſarum, quia propter eam, & vt ea ſequatur, aliæ cauſæ operantur, & præcedunt. Quin & noſtri Iuriſconſulti, quamquam, latiore cauſæ vocabulo, complectantur etiam cauſam futuram, ſiue finalem, propter quam, vt ſequatur, datur, aut fit. Vt in titulis *D. & Cod. de condict. cauſa data, cauſa non ſequuta*; tamen cum partitè, diſtinctè, &, vt ſic dicam, ἐυαιογικος ſeu doctrinaliter loquuntur, cauſam accipiunt in præteritum, vel præſens, & ſeparant à futura, aut finali, quam, non cauſam, vocant, ſed potiùs rem, ſeu conditionem. *l. Damus 52. l. In ſumma 65. in princip. & §. Id quoque cum ſeqq. D. de cond. indeb. l. 1. D. de condict. ob turp. cauſ. l. 8. §. vltim. cum l. 3. D. de donat. l. 3. l. Si repetendi 7. Cod. de cond. ob cauſ. dat. l. demonſtratio 17. §. Quod autem. l. Si ita 12. D. de condit. & demonſtrat.* iuncta *l. Qui pecuniam 30. de reb. cred.* de qua peritè noſter, & ex bene fundata iuris peritia in Schola, & Foro Primarius, D. Ioſephus Retes *tom. 2. opuſcul. lib. 8. cap. 16.* fortaſſe Stoica notione, & ſenſu, qui vnicam efficiētem cauſam agnoſcunt, ſiue opificem, vt ait Seneca *d. epiſtol. 65.*

16 At, vtcumque de cauſæ nomine ſit, illud ſaltem de re, & ad rem conſtare debet, præteritum, præſenſve matrimonium, & ex eo contractam iam, vel ſuppoſitam qualitatem vxoriam, non poſſe dici, aut eſſe cauſam finalem, in donante, tamquam ei, quæ vxor iam eſt, ſed impulſiuam (& quoties aliter donaturus non eſſet, efficientem donationis, & vt talem ſufficientem, vt quamvis ipſo iure donatio conſtiterit, repetatur tamen detecto errore, ſeu defectu cauſæ efficientis, vt ſupra expreſsimus) vt poſt Oldradum *conſil.* 5. notat in propoſito Monterius Cueua *deciſ. ciuili* 10. *num.* 26. cui iunge in ſimili, ſi vacat, Fontanell. *de pact. nuptialib. clauſ.* 4. *gloſſ.* 1. *num.* 14. *& ſeqq.* Cutell. *de donat.* 1. *tomo tract.* 1. *diſc.* 3. *part.* 6. *ex num.* 2. Donat. Anton. Marin. *lib.* 1. *variar. cap.* 87. *num.* 5. *& cap.* 85. *ex num.* 2. D. Larrea *deciſ.* 33. *n.* 13. *&* 60. nec fore extra cenſuram iuſtam eos, qui cauſam etiam præte-

teritam pro finali habent, expenduntque, ſi prooemialibus verbis exprimatur, abutentes phyſicis elementis, & brochardica allegatione, *l. vltim. D. de hæredib. inſtit.* quales, præter laudatos Coſtam, Barboſam, Sanctium, & alios, Tiraquellus *in tract. ceſſante cauſa, limitat.* 1. *num.* 27. 31. *&* 64. multis, & poſt multos, D. Valençuela *conſ.* 119. *ex num.* 57. 66. *&* 80. ac de finali, & impulſiua cauſa, in eumdem ſenſum plura, ex alijs, Caſtillo *lib.* 5. *controu. cap.* 172. D. Larrea *allegat. Fiſcal.* 81. Olea *de ceſſ. tit.* 2. *quæſt.* 7. *n.* 2.

17 Sanè hiſce ſtabilitis, vt exertis in contrarium verbis *dict.* §. *Si quis ſponſam*, quæ ſponſalibus præcedentibus, valere donationem, *ſi minùs nullam eſſe*, exprimunt, *quia non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad vxorem* fecit, faciamus ſatis, Fabriana coniectura omiſſa, Tribonianum, vt ſolet, accuſante, *dict. dec.* 79. *err.* 6. reſpondemus potiùs interim, poſt Fulgoſium, *in d. l. Eam, quam* 14. *num.* 5. adverſatiuam illam aſſertionem *dict.* §. *Si quis ſponſam*, *valere*, & *nullam eſſe*, referendam pariter eſſe, ad effectum ſcilicet, vt quemadmodùm priore caſu, nempe ſponſalibus præcedentibus, donatio, quamuis tamquam vxori facta, valet, ſeu ſubſtinetur, quoad effectum, ſiue rata futura eſt, vt eò reſpiciens loquitur Labeo, *in l. Quod vir* 65. *D. de donat. inter.* Ita è contrario in poſteriori ſpecie, vbi ſponſalia non præceſſerunt, donatio, vt cumque ipſo iure valida, tamen nulla ſit, quoad effectum, vtpote cum neque cum effectu peti à donataria, *dict. l. Ea quæ* 5. *dict. l. Eum qui* 18. & à donante, ſi tradiderit, repeti, poſsit. *dict. l. Si voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* quoniam non quaſi extraneæ, ſed quaſi vxori donauit, ſiue vt Vlpianus, greca phraſi, alijs etiam iuris auctoribus vſitata, nec grammaticæ Fabri ferulæ obnoxia, exprimit, *non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad vxorem fecit.* Et ideo *nec Oratio locum habebit* in hac donatione, ſiue non confirmabitur, præmortuo donatore, Oratione Seueri, quæ ad ſolas donationes inter maritum, & vxorem factas, & propter matrimonium, ipſo iure, invalidas, pertinet. *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *Oratio* 16. *&* §. *Si ſponſus* 22. iuncta *l.* 3. §. *Sciendum* 10. *D. de donationib. inter.* Proinde non ad factas quaſi vxori ei, quæ neque vxor erat, neque eſſe poterat, & invalidas, quoad effectum, non propter matrimonium, ſed ex defectu voluntatis. Planè quòd nullam donationē, interpretamur de nulla effectu, tametſi merò iure valida, nec præter morem, mentemque eſt iuris auctorum. *l. Et eleganter* 7. §. *Seruus pactionis, D. de dolo. l. Si creditor* 13. *D. de liberat. leg.* iuncta *l. Marcellus* 66. *l. Nihil* 112. *D. de regul. iur.* Imò nec ſine exemplo, apud Vlpianum ipſum, *in eadem l. Cum hic ſtatus* 32. §. *Si ambo, D. de donationib. inter.* vbi nullius momenti donationem eſſe, aut valere, dicitur, quoad effectum confirmationis, ſeu non repetendi, quomodò donationes inter iniuſtos coniuges, valere ſcilicet merò iure, & ratas non eſſe, quoad effectum, explicuimus *ſupra*, Vlpiano explicando, in *l.* 3. §. 1. *D. de donationib. inter.* Sic & quod non deberi, dicitur ei, cui tamquam filio per errorem, cum non eſſet, relictum eſt, *in l. Neque* 5. *Cod. de teſtament.* exaudiendum eſt, non deberi cum effectu, ita vt cum effectu peti, aut acceptum retineri, poſsit (ſicut nō deberi legatum, ſcriptum in re ſimili eſt, *in l. Penult.* §. *Seia, D. de adim. leg.* & non poſſe peti, in *l. Si inimicitiæ* 9. *D. de his, quæ*

vt

vt indign. pro eo quod eſt, non deberi, aut peti poſſe cum effectu, quia petenti exceptio obſtat. *l.* 3. §. *vlt. l. Si ſeruus* 15. *l. Ex parte* 22. *D. de adimend. legat.*

18 Sic denique explanari poteſt, quod Vlpianus ſcribit, in *l. vnica, D. vnde vir, & vxor*, de quo, capite ſequenti, opportuniùs. Firmauimus huc vſque non modò in ſpecie *d. l. cum hic ſtatus* 32. §. *Si quis ſponſam*, ſed ex profeſſo in quæſtione §. *vlt.* eiuſdem legis, donationes inter illicitos coniuges, veluti Senatorem, & libertinam, vel tutorem, & pupillam, ipſo, meroque iure, valere; Adrianus & ſimul, expoſita dubitandi, & decidendi ratione, ratas non eſſe effectu, ſed auferri, quaſi ab indignis, & Fiſco vindicari. *dict. l.* 32. §. *vlt. l.* 3. §. 1. *D. de donationib. inter*, Quæ cum ita ſint, obſcura valde eſt, & ex adverſo oppoſita huic ſecundæ parti aſſertionis, Conſtitutio Alexandri, *in l. Si voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* dum docet, pupillæ, tutoris filio contra ius nuptæ, ſi eidem donauerit, quamuis donatio ipſo iure teneat, & indigna perſona donatarij ſit, qui nec maritus dici, poteſt, quia matrimonium iure non valuit, vtilem tamen actionem, pro donatis reuocandis, competere. Non vident, aut prætereunt conniuenter hunc obicem, plerique ex iam laudatis, inter quos tamen, poſt Accurſium, Baldum, Albericum *in dict. l.* 32. §. *vltim.* notant, Accurſij ſenſum explanãtes, & ſubſtinentes, Fulgoſius, & Salicetus ibidem, & *in dict. l. Si voluntate* 7. Cuiac. *lib.* 1. *definit. Papin. in l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* Scipio Gentilis *lib.* 4. *de donat. inter, cap.* 3. (quos, & Fabrum *decad.* 79. *err.* 5. Accurſium ſequi, & ſubſtinere potiùs, quàm inſectari, oportuiſſet) notant nempè, quamvis differentiæ ratione parùm expoſita, in *d. l. Si voluntate* 7. tractari de pupilla, tutoris filio nupta, & donante, eaque inſcia prohibitionis nuptiarum, vel decepta, aut coacta, quę ſingula probabiliter ſupponuntur. Vt in *l. vltim. D. de leg.* 1. *l.* 2. §. *per contrarium, D. de his, quæ vt indign. l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* iuncta *l. vlt. D. de iuris, & facti ignor.* ſed quod præcipuum eſt, de pupilla donatrice, quęque, ſi donatario, tamquam indigno, Fiſcus auferat, vertatur in diſpendio rei ſuæ, quam donauit, omittendæ, in quo genere damni nemini, nedum fœminæ, & pupillæ, nocere, iuris ignorantia ſolet. *l. Error* 8. *cum l. ſeq. D. de iuris, & facti ignor. l. Quamuis* 11. *Cod. eodem tit. l. Interdum* 29. *D. de cond. indeb.* Idcircoque vtiles actiones, directis, vtpote ex donatione ipſo iure valida, dominio translato, deficientibus, accommodantur pupillæ, pro donatis reuocandis, ſic vt ipſa potiùs, quàm Fiſcus auferat indigno marito, & in hoc ereptitio præferatur Fiſco, vt in ſimilibus cauſis fit. *l. Si ab hoſtibus* 11. §. *vltim. D. ſolut. matrim. l.* 5. §. *amittere* 2. *D. de his, quæ vt indign. l. vnic.* §. *Quæ autem* 12. *Cod. de caduc. toll.*

E contrario apud Vlpianum *in d. l.* 32. §. *vlt.* quæſtio, & deciſio eſt, de Senatore, aut tutore, libertinam, aut pupillam ducente, eidemque donante, vt & ſeries Orationis ſuadet *præcedentis* §. *Si quis ſponſam*, qui fuit itidem de eo, qui donauit quaſi vxori, non quaſi extraneæ, ac demum poſitio illa quæſtionis, an donatio valeat, quaſi facta in ſponſalibus, ac proinde de ſponſo donante, cum conſtet in ſponſalibus ſolemne fuiſſe, ſponſum ſponſæ donare, raro autem ſponſam ſponſo. *l. Si à ſponſo* 16. *verſ. Quod ſi. l. Cum* 19

mul-

multa 20. *Cod. de donat. ante nupt.* enim verò in Senatore, vel tutore donante ei, quam contra leges duxit, non præſumitur ignorantia, cui parci, ſed delictum prohibitarum nuptiarum, quod imputari ei debeat. *dict. l. vltim. D. de leg.* 1. *l.* 3. §. 1. *D. de donat. inter.* ne repetat, reuocetve donatum, quod mero iure conſtitit. *l. Si ab hoſtibus* 11. §. *vlt. D. ſoluto matrim.* & in pupilla ipſa, cui donatum eſt, quamvis ciuilis iuris ignorantia præſumi, & proficere ei, etiam in lucris, ſoleat. *l. Quamuis* 11. *Cod. de iuris, & facti ign. l. Regula* 9. *l. vlt. D. eodem tit.* non tamen proficit, vt quamvis ipſo iure adquiſitum retineat, contra Fiſci ereptionem, donatum tamquam vxori, quæ non niſi iniuſta, & proinde indigna vxor eſt, cum è contrario ſi vxor iuſta eſſet, non modò retinere, ſed neque adquirere donatum poſſet. *l.* 3. §. *Sciendum, D. de donat. inter.* ne ſcilicet melior fiat pupillę donatarię conditio, quia maritus donans deliquit, argumento ex *d. l.* 3. §. 1. cum, etſi pupilla non deliquerit, non debeat tamen ex delicto tutoris, eiuſdemque veluti ſocij, & mariti, lucrum retentionis nanciſci. *l. Alterius* 49. *D. de regul. iur. l.* 4. §. *Illa etiam quæſtio* 23. *D. de doli except. l. Si duo* 5. *D. ſi quis caution.*

CAPVT XV.

DE RELICTIS INTER CONIVGES ILLICITOS. AD L. 2. §. *PER contrarium* 2. *D. de his, quæ vt indign. l. vltim. D. de legat.* 1. *l. vnica, D. vnde vir, & vxor. l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.*

ARGVMENTVM.

EX Vlpiani *fragmentis tit.* 16. *§. Aliquando*, ducta regula, & ex ea difficultas, ac fere diſsidium laudatarum in hac epigraphe legum, cum *l.* 32. *§. vlt. D. de donat. inter.* Diſtinguitur, inter donationes, & relicta. Diſtinctionis ratio, caligantibus in ea, & de re alijs, petita, quoad pupillam, ex legibus noſtris, iuxta quas fuit capax ſolidi. Petita etiam, quoad prouincialem fœminam, ex noſtris legibus de abſente, Reipublicę cauſa. Lux inde Papiniano in *l.* 63. *D. de ritu nupt.* tametſi nec Cuiacij traditio improbetur. Ad *l. vn. D. vnde vir, & vxor,* refertur Cuiacij, & Barboſæ acumen, & refellitur. Non potuit illic peti bonorum poſseſsio, etiam ſine re, ipſo iure. Ex *l. Non eſt* 12. *§. vlt. D. de bonor. poſſeſſ.* invulgata adhuc aſſertio de pœna capiendi inter ſe nihil in nuptijs iniuſtis, propria earum, quæ iniuſtæ ex legibus noſtris, non item in tutoris cum pupilla, aut Præfecti cum Prouinciali, quos non modò iniuſtas, ſed etiam irritas fuiſſe, ſupponitur. Ad *leg. Claudius* 13. *D. de his, quæ vt indignis*, illata explanatio.

1 IAm verò, vt à tractatu donationum, inter iuſtos coniuges, ad legata inter eoſdem, ſiue relicta, transeamus, propria huius loci eſt, & præmunienda, pro fundamento veluti dicendorum, Vlpiani regula ex earum *fragmentis tit.* 16. §. *Aliquando*, quæ ſic habet: *Aliquando nihil inter ſe capiunt, id eſt, ſi contra legem Iuliam, Papiamque Poppæam contraxerint matrimonium, verbi gratia, ſi famoſam quis vxorem duxerit, aut libertinam*

Senator. Eſt hæc regula exceptio amplioris regulæ, præmiſſę ab eodem Vlpiano *tit*. 15. de capacitate ſaltem decimæ, matrimonij nomine, vnius coniugis, ex teſtamento alterius. Quò iam reſpiciens monet *d. tit.* 16. aliquando coniuges nihil inter ſe capere, ideſt, ne decimam quidem, nempe ſi contra leges noſtras Senator libertinam, aut ingenuus quiuis famoſam vxorem duxerit, quoniam iniuſtæ nuptiæ, nec melioris conditionis facere eos, debent, vt, quaſi non coniuges, vltra decimam capiant. *dict. l.* 3. §. 1. *verſic. Ne melior*, *D. de donationib. inter.* imò nec proficere ad ipſius decimæ capacitatem, pro præmio veluti matrimonij, iuſtis coniugibus indultam, noſtris legibus. *l. filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt. l. vnic. D. vnde vir, & vxor.*

Sed in primis, ſtabilitis nuper, pro explananda *dict. l.* 32. §. *vlt.* omnino repugnat, quod ex Martiano traditur, *l. vltim. D. de leg.* 1. *dict. l.* 2. §. *per contrarium* 2. *D. de his, quæ vt indign.* legatum, vel hæreditatem relictam à tutore pupillæ, quam contra S. C. duxerat, capere illam cum effectu, poſſe, neque auferri, tamquam indignę; quia imputari pupillæ, à tutore deceptæ; delictum nuptiarum non poteſt. Et tamen ſi legatum donatio eſt. *l. Legatum* 36. *D. de legat.* 2. & hæreditas non inter liberos, parenteſque relicta, lucratiuæ cauſæ accenſetur. *l. vnic.* §. *Lucratiuas*, *Cod. de imponenda lucrat. deſcript.* non videtur, ſeparanda legati, hæreditatiſve cauſa à donatione, de qua *in dict. l.* 32. §. *vltim.* maximè cum donatio inter coniuges ſupremæ voluntatis exitum habere, ſoleat. *l. In donationibus* 12. *Cod. ad leg. Falcid. dict. l. Cum hic ſtatus* 32. §. 1. *D. de donat. inter.* Accedit, quòd ſi vxor iuſta eſſet, non poteſt tamen ex mariti teſtamento legatum, hæreditatemve, niſi matrimonij nomine, capere, & tunc non vltra decimam, ex legibus Iulia, & Papia, teſte Vlpiano *in fragm. tit.* 15. &, ſi iniuſta vxor ſit, ne decimam quidem, vt Vlpianus idem ſcribit *tit.* 16. §. *Aliquando.* Proinde non, quia iniuſta vxor eſt, pupilla, tametſi, non tam ſuo, quàm mariti delicto, qui eamdem contra leges duxit, debet ex mariti delicto melioris conditionis fieri, & ſolidi legati, vel hæreditatis capacitatem conſequi. *dict. l.* 3. §. 1. *dict. l.* 32. §. *vltim. D. de donat. inter. l. Alterius* 49. *D. de reg. iur.* præſertim cum legatum, & hæreditas, perinde ac donatio, tamquam in vxorem conferri intelligatur. *l. vnica*, *D. vnde vir, & vxor. l. Si militi* 6. *l. Si fortè* 8. *l. Dotem* 16. *D. de caſtr. pecul.*

Poſtrema hęc cum ſuadeant, exæquari, debere, relicta in teſtamento, donationibus in eo, vt perinde pupillæ auferantur, ſiue cum effectu non capiant, vt in *dict. l.* 32. §. *vltim.* his tamen non perpenſis, & contraria aſſertione *dict. l. vltim. D. de legat.* 1. *dict. l.* 2. §. *Per contrarium* 2. *D. de his, quæ vt indign.* in contrarium acti plerique, poſt Accurſium, *in l. Qui contra* 4. verb. *Fiſco vindicari*, *in princip. Cod. de inceſt. nupt.* & poſt alios Eman. Coſta, Barboſa, & Sanctius iam laudati, Molina de *iuſtit. diſput.* 220. Fontanella *de pactis nuptial. tom.* 1. *clauſula* 4. *gloſſ.* 1. *num.* 69. Matienço *in l.* 2. *gloſſ.* 1. *numer.* 5. *tit.* 9. *libr.* 5. *compilat.* Bened. Pinel. 1. *ſelect. cap.* 6. *num.* 50. & 54. Epitomator Sanctij, Tancredus Siculus 3

6.

6. *de matrim. diſp.* 2. nullaque idonea differentiæ ratione, inter legata & donationes reperta, docent exæquari è conuerſo, oportere, donationes legatis, & hæreditatibus, trahique ad ius, in his cõſtitutum, ita vt donata pupillæ, aut alij coniugi, bonæ fidei, perinde à teſtamento relicta, apud eam maneant, neque auferantur, ſicut & Regio noſtrate iure expreſſum, creditur, in *l.* 50. *tit.* 14. *part.* 5. iuncta *l.* 4. *tit.* 6. *lib.* 3. *fori.* Et vt reſpondeant ex diametro oppoſitæ Vlpiani ſententię, *in dict. l.* 32. §. *vltim.* quæ de pupilla donataria eſt (nam ſi ea donaſſet, repeteret. *l. Si voluntate* 7. *Cod. de donation. inter.* de qua ſupra) eique donatum, vt indignæ, auferri, apertè ſtatuit, aut difficultatem diſsimulant, tranſmittuntque indiſcuſſam, aut pleraque, vix digna, referri, ne dum refelli, comminiſcuntur, quale Petri Barboſæ illud de pupilla, non allegante iuris errorem, in *dict.* §. *vltim.* aliter atque *in dict. l. vltim. D. de legat.* 1. aut denique quod ſuffragio pluſquàm cenſorio Cuiacius firmat, *ad l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ vt indign.* vt quamvis quæſtio *in dict. l.* 32. §. *vltim.* nominatim in libertina, aut pupilla, quibus donatum eſt, proponatur, deciſio tamen ereptionis, quaſi indignis, non ſit admittenda in pupilla, ſed referenda ad libertinam, & ſimiles.

4 Nobis autem, quibus iuris auctorum ſcripta interpretari, & ſubſequi, non taxare, aut torquere, placitum ſemper, placet & potiùs nunc, ſecunda alia, & conſtantior Accurſij traditio, *in dict. l. Qui contra* 4. verb. *Fiſco, & in l.* 2. §. 1. verb. *Aufertur, D. de his, quæ vt indign. & in l. Præfectus* 63. verb. *Conſequi, D. de ritu nupt.* quam & communem vocant; probantque, poſt Fulgoſ. Salicetum, & alios, Dom. Præſ. Couarruu. in 4. *de ſponſalib.* 2. *part. cap.* 7. §. 1. *num.* 8. Anton. Lanar. *conſ.* 86. Briſſonius *de iure connub. pag.* 47. Scip. Gentil. *de donat. inter lib.* 4. *cap.* 3. diſtinguentes inter donationes, de queis *in dict. l.* 32. §. *vltim.* illic: *Quaſi ab indignis ea, quæ donata ſunt*, & inter teſtamento relicta, legata, hæreditateſve, *dict. l. vltim. D. de legat.* 1. inibi: *Ex teſtamento eius capere poteſt. dict. l.* 2. §. *Per contrarium: Magis eſt, vt dicatur, capere illam ex teſtamento. l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* illic: *Non ſit auferendum, quod teſtamento relictum eſt*; & poſtea: *Exemplo tamen pupillæ, nuptæ tutori, quod relictum eſt, poteſt mulier conſequi.* Quæ ſingulę adeo perſpicuæ diſcriminis, inter donata, & relicta, notæ perſtrinxiſſent fortaſſe oculos contrariæ ſententiæ aſſertorum, (ſicut & perſtrinxere, & caligantem fere reliquere, & nutantem laudatum ſupra, neque vnquam illaudandum, Coſtam *num.* 8.) niſi conniuere, veluti facere, diſcriminis, ſeu differentiæ ratio, quæ difficilis viſa olim Fulgoſio *in dict. l. Qui contra numer.* 1. manet etiam hodie in obſcuro.

Nam quod Briſſonius affert, 5 donationem fieri, tamquam vxori. *l. Res vxoris* 24. illic: *Quia pudicitiæ præmio ceſsit. Cod. de donationib. inter.* Legatum autem, & hæreditatem, ob meritum, extrinſecùs obvenire. *l. Nec adiecit* 9. *D. pro ſocio*, vix eſt, vt ſubſiſtat, cum & legatum, ac hæreditas, vxori relicta, cenſeatur relinqui tamquam vxori, ſiue ob meritum matrimonij. *l. vn. Digeſt. vnde vir, & vxor. l. vxori* 27. *D. de vſufruct. legat. l.* ſi

ſi militi 6. illic: *Quia vxor ei non propter militiam nota eſſet. l. Si fortè* 8. *l. Dotem* 16. *in princip.* & §. 1. *D. de caſtr. pecul.* Vlpianus *tit.* 15. illic: *Matrimonij nomine decimam capere poſſunt.*

6 Quod verò Gentilis,& Coſta in donatione, quia conſtante matrimonio fit, peccari in prohibitionem aliquam, & multò minùs à donataria, cuius coniugium, quantumcumq; illicitum, quo tempore accipit, diremptum eſt. *l. Si eum* 9. §. *vltim. cum l. ſeq. D. de donat. inter.* non eſt ſatis, rei explicandę: quippe & legati, hæreditatiſque inter coniuges, eo ipſo, poſt mortem, tempore, in quod excurrunt, capiendi prohibitio eſt, ex noſtris legibus, ſaltem vltra decimam matrimonij nomine, vt ex Vlpiano diximus *dict. tit.* 15. Imò & decimæ ipſius ex matrimonio iniuſto, Vlpiano eodem auctore, *tit.* 16. §. *Aliquando*, & è contrario in donatione non facilè imputandum pupillę ignoranti, coactæ, aut deceptæ, quod pro conſervatione illiciti matrimonij acceperit, ex ratione *dict. l. vltim. D. de legat.* 1. *l. Qui contra verſic. Exceptis, Cod. de inceſt. nupt.*

7 Quocirca, vt differentiæ ratio inter teſtamento relicta, & donationes, quoad pupillam, in quam conferuntur, & de qua Vlpiani, & Martiani diſsidium eſt, explicetur, præmouendum eſt, donationem inter coniuges ſic prohiberi, vt etiam ſi pupilla, iam nubilis, nec contra ius tutori nupta, iuſta vxor eſſet, adhuc tamen donatio, in eam collata, ipſo iure irrita foret. *l. Si voluntate* 7. *in princip. Cod. de donation. inter.* iuncta regula *l. Non tantùm* 20. *in fine, Digeſt. de re iudic.* At legata, hæreditateſve, quamuis inter coniuges alios, non vltra decimam capiantur, matrimonij nomine, ex noſtris legibus; pupilla tamen, ſi vxor iuſta eſſet, vt puta poſt duodecimum annum, & patre deſpondente, aut deſtinante, tutori ſuo nupta. *l. tutor* 36. *l. Non eſt* 66. *D. de ritu nupt. l. Qui pupillam* 7. *D. ad leg. Iul. de adulter. l. Si patris* 6. *Cod. de interd. matr. int. tut.* poſſet ex teſtamento mariti in ſolidum capere, vſque ad annum viceſsimum, ante quem fœmina a pœnis cœlibatus, & orbitatis, immunis eſt, ex lege Papia, Vlpiano auctore, *in fragment. tit.* 16. *in princ.* Tertulliano *in Apologet. cap.* 4. & è contrario ſi iniuſta vxor foret, vt puta ducta contra legem Iuliam, & Papiam, nihil ex teſtamento mariti caperet, vt eſt apud Vlpianum *d. tit.* 16. §. *aliquando.*

Eòque forſan, ſiue ad vtrumque hoc conſtitutum legum noſtrarum, reſpicientes Martianus, & Papinianus in hac quæſtione, non de ſola retentione relicti non auferendi, tamquam indignæ, reſpondent, ſed ſupponunt in primis, ſtabiliuntque, quaſi neceſſariò, & potiſsimum ius capiēdi, ſeu conſequendi, ex teſtamento, veluti mariti, cui leges Iulia, & Papia obſtare, videbantur, niſi de pupillą decepta, & eiſdem legibus excepta, ſermo eſſet. *d. l. vlt.* ibi: *Illa quidem* (ſcilicet pupilla) *ex teſtamento eius capere poteſt. D. de legat.* 1. *d. l.* 2. §. *Per contrarium, magis eſt, vt dicatur capere, illam ex teſtamento, D. de his quæ vt indign. d. l. Præfectus* 63. §. 1. *exemplo tamen pupillæ, nuptæ tutori, quod relictum eſt, poteſt mulier conſequi.* Vlpianus, poſtea exponendus, *in l. vn. D. vnde vir, & vxor, nihil enim capi, propter iniuſtum matrimonium.* Quo ſemel obſervato, apparet, non immeritò à Fiſco auferri pupillæ donatum, quaſi indignæ, in *dict. l.* 32. 8

§.

§. *vlt.* quia quamvis ipſa, proprio delicto, indigna non ſit, vtpote ignorans, decepta, aut coacta in delicto nuptiarum. *dict. l. Qui contra 4. verſic. Exceptis*, iunctis *l. 5. §. Ætati. l. Tutorem 22. in fin. D. de his, quæ vt indign. l. Minoribus 6. Cod. eod. titul. l. 1. Cod. in quib. cauſ. in integr. reſtit. neceſſ.* indigna tamen eſt retinendi donati, cum iuris cenſura, etiam ex alieno delicto, vt *in l. 1. Cod. ſi quis aliquem teſtari, prohib. l. Aufertur 46. D. de iure Fiſci. l. vnic. D. quibus non competit bonor. poſſeſſ. l. 1. §. 1. D. ſi quis aliquem teſt.* quia non debet ex delicto tutoris, quo iniuſta vxor facta eſt, melioris conditionis eſſe, quàm ſi iuſta vxor eſſet, contra rationem *l. 3. §. 1. verſic. Ne melior, D. de donat. inter. l. alterius 49. D. de regul. iur.* ſi autem iuſta vxor eſſet, non adquireret donatum, ne dum retineret, *dict. l. 3. §. Sciendum. dict. l. Si voluntate 7. Cod. de donat. inter.* Eademque in contrarium ratione capit, & retinet pupilla relictum ſibi, teſtamento tutoris mariti, etiamſi eos interim non diſtinguamus à coniugibus illis iniuſtis, ex lege Iulia, & Papia, dę queis Vlpianus *d. tit. 16. §. Aliquando*, & nos infra occuratiùs; ne, quia ignorans, decepta, aut coacta eſt, ac proinde imputari ei delictum iniuſtarum nuptiarum non poteſt, ſit deterioris conditionis, quàm ſi iuſta vxor eſſet, quo euentu, ſcilicet tamquam pupilla, pœnis Iuliæ, Papiæque legum exempta, ſolidum ex teſtamēto mariti caperet. *d. l. vlt. dict. l. 2. §. Per contrarium*, iuncto Vlpiano *d. tit. 16. in princ.*

9 Eiuſdem fere obſervationis, & explicatus, eſt, quod proponitur *in d. l. 2. §. Per contrarium. d. l. Præfectus 63. D. de ritu nupt.* Prouincialem fœminam à Pręfecto, vel Tribuno Militari, vel ab alio ciuile officium in Prouincia gerente, vxorem ductam contra mandata, poſſe, eiuſce mariti teſtamento relictum capere, aut conſequi, nec ei, tamquam indignæ, auferendum, cum tamen ſi vxor iuſta eſſet, non ſolidi, neque vltra decimam capax futura, videretur, imò nec ipſius decimę, tamquam iniuſta vxor, ex Vlpiano *dict. tit. 15. & 16. §. Aliquando*, ac præterea cum non de pupilla, ſed de prouinciali muliere quæſtio ſit, non eſt ætatis excuſatio, quæ ei ſuffragetur, aut pupillæ deceptæ, *in dict. l. vltim. D. de legat. 1.* quin potiùs eam delinquere, idcircoque ei donatum, quamvis, quia vxor non eſt, mero iure conſiſtat, non tamen ratum eſſe effectu, & auferri, veluti indignæ, & delinquenti, expreſſum fere eſt, *in dict. l. 3. §. 1. verſic. Ergo, D. de donat. inter.* Sanè quod attinet ad *d. l. Præfectus 63. §. 1.* probabiliter Cuiacius monet ibidem 1. *definit. Papin. & in d. l. 2. §. 1. D. de his, quæ vt indign. & 6. Obſ. cap. 16.* ſubſcriptore Gentili 4. *de donat. inter cap. 3.* & Collega olim noſtro in Salmāticenſi Anteceſſura, Ario de Meſa 2. *var. c. 40. n. 9.* reſpondere Papinianum, ſub conditione veluti, & caſu, quo prouincialis fœmina, *virgo nupſit*, id eſt, puellaris ætatis, teneræ, immaturæ, nubilis tamen, vt ex Nonio Marcello *cap. 6. de improprijs*, in voce; *Virginis*, nomen id eſſe ætatis, non integritatis ſolius; Cuiacius colligit, quomodò & Servius ad *Virgilianum* illud *Ecloga 6. Ah virgo infelix.* & D. Iſidor. 11. *origin. c. 2. & 12. orig. c. 1. Virginem à virente, ſeu viridi ætate* dictā, ſcribunt, & Tertullianus noſter *de velandis virginib. cap. 11.* Virginē, poſt ætatem nubilem, eſſe, deſinere, tametſi adhuc integram contendens, ita: *Igitur ſi tamdiu virgo, quamdiu acer-*

ba eſt, deſinit virginem, cum matura cognoſcitur, & vt non virgo, iam legi applicatur, ſicut & nuptijs. Vt proinde Papinianus ſentiat, prouinciali fœminæ, quæ virginali ętate Prefecto nupſit, permittendam conſecutionem, & retentionem relicti, exemplo pupillæ, tutori nuptæ, eademque illa ætatis excuſatione, & ratione. de qua nos ſupra.

10 Probabiliter Cuiacius, vt diximus, diſſentiat quamuis Anton. Faber *in iuriſprud. tit* 11. *princip.* 1. *illat* 12. cuius lancinationes, & ſtricturas, ſub Triboniani nomine in Papinianum piget, pudetque, recenſere. Eſt tamen, niſi fallimur, æquè ſaltem probabile, præſignatumque Accurſio, & Saliceto *in d. l.* 63. Papinianum accipi, poſſe, de prouinciali fœmina, non modò virginalis, ſed etiam maturæ, ac firmatæ ætatis, idque non tantùm quia in muliere reſpondet quæſtioni (quo vnico argumento Faber nititur) quàm religioſior ſtrictæ iuris rationis, in virgine deliberandam, propoſuerat, illic, *ſi virgo nupſit*; & poſtea, *poteſt mulier conſequi, & mulieris hæredi*, iuncta *l. Alioquin* 11. §. 1. *D. de contr. empt. l. Exempto* 11. §. *Si quis virginem, D. de action. empti.* Nec etiam, quia ſi de pupillaris ætatis virgine deciſio eſſet, non quaſi exemplo, & comparatione pupillæ, tutori nuptæ, ad mulierem, ſed tamquam proprio iure, quo res ipſa deciſa in pupillari virgine vteretur, ſed vel præcipuè, quia in eadem re Martianus *in dict. l.* 2. §. *Per contrarium de his, quæ vt indign.* ſimpliciter, & indiſtinctè de prouinciali vxore, ducta contra mandata, ſiue nulla virginalis ætatis circumſcriptione, docet, capere illam ex teſtamento, nec quaſi indignā repelli.

Quapropter vt & ſimplex, conſentienſque Martiani, & Papiniani explanatio ſit, dici poteſt, in prouinciali fœmina, Præfecto prouinciæ nubente, etiamſi ſupra ætatem pupillarem, imò vel ſupra adultam ſit, præſumi tamen iure, vim, metum, impreſſionęm poteſtatis, &, vt Papinianus loquitur, in *dict. l.* 36. potentatus rationem, quæ facit, vt delictum illud iniuſtarum nuptiarum, non magis quàm pupillæ, à tutore coactæ, imputari ei, quæ coacta minis, feruore, & terrore poteſtatis potiùs, quàm vltro, & libens nupſiſſe, creditur, idque ſiue pupilla, ſiue virgo, ſiue vidua, & adulta ſit. *l. vnica, Cod. ſi quacumque prædit. poteſt. l. vnic. C. ſi Rector Prouinciæ.* Vnde & quemadmodùm *in principio dict. l.* 63. Papinianus comparat ſpeciem pupillæ tutori, & prouincialis fœminæ, Præfecto ſuo nubentis, quoad effectum, cauſamque prohibitionis matrimonij, quę in vtraque, tametſi ætas diuerſa ſit, eſt tamen vna, eademque, nempe præſumptio coactionis, ſeu poteſtatus, ita & poſtea *in* §. 1. quoad retentionem teſtamento relicti, quamvis deliberando, & dubitanter ei ſoli, quæ virgo nupſit, id non eſſe auferendum, tentet, quaſi ſcilicet, in alia, quàm virgine, ſeu virginali ætate, adeo nec probabilis, nec fauorabilis coactionis excuſatio; ſubiungit tamen, & decidit, poſſe mulierem ſine circumſcriptione ætatis, conſequi cum effectu relictum, idque exemplo, & comparatione pupillæ, cuius nuptias cum eo, qui tutor, vel curator fuit, etiam poſt adultam ętatem, vſque ad annum viceſsimum ſextum, ius improbabat. *l. Filius* 28. §. *Si quis eo, D. de liber. & poſth. l. Non eſt* 66. *D. de ritu nupt. l. Qui pupillam* 7. *D. ad* 11

ad leg. Iul. de adult. l. Si patris 6. C. de interd. matrim. inter tutor. & tamen, illa potentatus excuſatione, capiebat mulier iam cum effectu relictum, *dict. l. vlt. D. de leg. 1. dict. l. 2. §. Per contrarium*: cur non itidem prouincialis fœmina, Præfecto Prouinciæ ſubdita, in quam, vt cumque mulier adulta ſit, ſine præfinitione ætatis, præſumptior certè, terribiliorq; potentatus impreſsio, quàm tutoris in pupillam. *dict. l. vnic. Cod. ſi quacumque prædit. poteſt. dict. l. vnic. C. ſi Rector Prouinciæ*.

12 Porrò quamvis quod attinet, ne Prouincialis mulier, Præfecto nupta, arceatur à capiendo ex teſtamento iniuſti mariti, tamquam iniuſta vxor, ex Vlpiano *dict. tit.* 16. §. *Aliquando*, ſufficiat ratio expoſita potentatus, ſeu coactionis, ob quam ei nuptiæ iniuſtæ non magis imputantur, quàm pupillæ. *dict. l.* 63. §. 1. tamen quoad partem aliam obiectionis ſupra perpenſæ, qua efficiebatur, non debere, hanc iniuſtam vxorem, ſolidum capere, ne melioris conditionis ſit, quàm iuſta vxor, qualis ſi eſſet, non vltra decimam ex teſtamento coniugis caperet, ex Vlpiano *tit.* 15. iuncta ratione *dict. l.* 3. §. 1. *verſ. Ne melior, D. de donationib. inter*, exquirenda alia via eſt, rei expediendæ, eaque nondum obſervata occurrit, quoniam ſcilicet ſi prouincialis mulier, Præfecti iuſta vxor eſſet, veluti ſi in Prouincia ſua adminiſtranti, aut militanti, nupſiſſet, aut ante præfecturam ſponſa, poſtea vxor ducta. *l. Si quis officium* 38. §. 1. *l. Eos qui* 65. *D. de ritu nupt.* capax ſolidi eſſet, ex teſtamento mariti, tamquam abſentis, Reipublicæ cauſa, teſte Vlpiano *dict. tit.* 16. *in princip.* illic: *Aut ſi vir abſit.* Dione Caſsio *lib.* 60. *hiſt.* iunctis ex Pauli, Vlpianique *libris ad leges Iuliam, & Papiam*, *l. Qui mittuntur* 33. *cum l.* 36. 37. & 38. *D. ex quib. cauſis mai.* & Vlpian. *dict. tit.* 16. ad quem Cuiacius, verbo, *Abſit*. Idque etiamſi maritus in Prouincia ſua adminiſtraret. *l. Hi qui* 37. *cum l. ſeq. D. ex quib. cauſ. mai.*. Proinde non eſt melioris conditionis capiendo ex teſtamento, quàm ſi iuſta vxor eſſet, ſed dumtaxat non deterioris; quia ſi iuſta vxor eſſet, caperet, & ideo capit etiam iniuſta, quia non poteſt id ei imputari magis, quàm pupillæ. Diuerſum licet ſit in donatis, quæ ſi iuxta vxor eſſet, non caperet, & ideo neque iniuſta retinet. *dict. l.* 3. §. 1. & §. *Sciendum*.

Nunc vt in illa Vlpiani regula *d. tit.* 16. §. *aliquando*, quæ appendix veluti eſt in hac parte Iuliæ, Papiæque legum, illuſtranda, pergamus, exponitur ex illa appoſitè Vlpianus idem *in l. vnica D. vnde vir, & vxor*, dum ſcribit, bonorum poſſeſsionem inteſtati coniugis, peti non poſſe, ex illo edicto, à coniuge ſuperſtite, ſi iniuſtum fuerit matrimonium, *quemadmodùm*, ſubiungit, *nec ex teſtamento adiri hæreditas, vel ſecundùm peti bonorum poſſeſsio poteſt; nihil enim, capi propter iniuſtum matrimonium, poteſt.* Quæ poſtrema aſſertio obſcura eſt, quia in matrimonio iniuſto, ſi iniuſtus, & indignus coniux inſtitutus ſit, non negatur, poſſe eum adire, adquirere, & capere, imò hoc ipſum exprimitur, & ei, quaſi indigno, auferri hereditatem, dicitur. *dict. l.* 2. §. 1. illic; *Quod ei ex teſtamento vxoris adquiſitum eſt*, & poſtea, *retinere, eum non poſſe*, ac deinde, *ſi ex aſſe hæres inſtitutus adierit*, tandemque, *quaſi indigno ei aufertur hæreditas. l. Claudius* 13. *in fine, D. de his, quæ vt indign.* Idque ſiue inſtituatur à coniuge, perinde indigno, 13

&

& ſciente, vt in *dict. l. Claudius* 13. *in fine*, ſiue ab ignorante, aut non indigno, *vt in d. l.* 2. §. 1. *in princip. & verſ. Tamquam*: quia ignorantia, vel error inſtituentis, tamquam coniugem, eum, qui non fuit, non efficit, vt inſtitutio ipſo iure non teneat, vt *ſuperiore capite* euicimus, *ex l. Si pater* 4. *Cod. de hæredib. inſtit. l. Auferatur* 46. *D. de iure Fiſci. l. Si voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* ſed vt, tamquam indigno, auferatur. *d. l. Aufertur* 46. eaq; ipſa auferendi locutione, in *d. l.* 2. §. 1. & *in d. l. Claudius* 13. *in fine*, ſupponitur, iniuſtum coniugem iam cepiſſe ipſo iure, iuxta vulgarem iam diſtinctionem caduci, & ereptitij, ſiue indignorum, & incapacium, ex lege Papia, apud Vlpianum, *tit.* 19. §. *lege*, *& tit.* 17. iuncta *l.* 4. *D. ne quis eum, qui in vocab. l. pen. verſ. Quadrans, D. de iure Fiſci.* Et conſequenter poſſe eum adire, & ſecundùm tabulas petere, & capere ob iniuſtum matrimonium, contra quàm ſcriptum eſt *in d. l. vnica.*

14 Nec diſplicuit olim quod attinet ad *dict. l. vnic.* Cuiacij ad eum titulum recitatio, quæ aſſertionem illam, *non poſſe peti, ſecundùm tabulas*, exaudit, *cum re*, & non poſſe *ex teſtamento aditi, vel capi*, ſcilicet *cum effectu*, vt *in l. ea, quæ* 5. *Cod. de donationib. inter. l. eum qui* 18. *in fine, Cod. ad leg. Iul. de adulter.* quia poſtquàm petijt, adijt, cepit, Fiſcus eripit quaſi indigno, quomodò & *non deberi*, in ſpecie ſimili. *l. Neque* 5. *Cod. de teſtament.* expoſuimus ſupra. Queis conſequenter veluti, Petr. Barboſa *ad l. Si cum dotem* 22. §. *vlt. num.* 21. *D. ſol. matrimon.* nouè, vt loquitur, notat, & perinde exaudiendum eſſe, quod deſcribitur *in d. l. vn. in princip. de bonorum poßeſsione ab inteſtato*, ex illo Edicto *vnde vir, & vxor*, non poſſe eam ex iniuſto matrimonio peti, nempe vt non petatur cum re, ſiue effectu, quia petitam, ipſoque iure quæſitam, Fiſcus auferet iniuſto coniugi, quaſi indigno, ſicut ex teſtamento auferret. *d. l. vn. verſic. Quemadmodùm. d. l.* 2. §. 1. *& d. l. Claudius* 13. *in fine.*

Nobis autem in primis poſtremum hoc, de adquirenda ex Edicto, & auferenda iniuſto coniugi, vt indigno bonorum poſſeſsione ab inteſtato, diſplicet ſanè; tum quia nulla eſt ratio ob quam bonorum poſſeſsio edictalis, quæ ex edicto non, niſi iuſto coniugi, defertur, peti, adquirique poſsit à coniuge iniuſto, cui non defertur, ſiue in quo certum eſt, locum non habere, vt ſignanter ſcriptum poſtea eſt *in dict. l. vnic.* §. 1. (quippe quamvis ſi vel ex errore teſtantis, aliave ex cauſa incertum, dubiumve ſit, an delata, peti interim poſsit edictalis ſaltem ſine re, veluti à filio, qui ſubiectus dicitur. *l.* 1. §. *Pomponius* 8. *l.* 3. §. *vltim. cum l.* 4. *l. Scriptus* 12. *D. de Carbon. ed. l. Filius* 41. §. *Cum filius* 2. *D. de bonis liber.* iuncta *dict. l. Aufertur* 46. *D. de iure Fiſci*, vel ab alio inſtituto ſub conditione. *l. Si quis inſtituatur* 23. *D. de hæredib. inſtit. l.* 2. §. 1. *l. ſi ſub conditione* 5. *l. Si ſeruus* 10. *D. de bonor. poſſeß. ſecund. tabul.* non tamen quoties conſtat, non eſſe inſtitutum. *l.* 1. §. *Si linum* 10. *l.* 2. §. *Si conſulto* 7. *l. Si ita* 8. §. *Is autem* 3. *l. vltim. D. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tabul. l. vnic. D. ſi tabulæ teſtam. extab.* aut non eſſe ex iuſtis liberis præteritis, quoad contra tabulas, aut alioquin non talem, cui ab inteſtato lex deferat. *l.* 3. §. *Si emancipatus* 5. *verſic. Non enim.* iuncto §. *Sed ſi ſit* 2. *&* §. *Liberi* 10. *cum ſeqq. l.* 1. §. *Et ſui* 6. *l. Non putauit* 8. §. *In adoptionem* 15

nem, cum §. *ſeq. D. de bonor. poſſeſſ. contr. tabul. l. vnic.* §. *vlt. D. vt ex legib. S.C. ve. bonor. poſſeſſ. det.*) tum etiam, quia, vt Vlpianus idem *lib.* 48. *ad edictum, in l. Non eſt* 12. §. *vlt. D. de bonorum poſſeſſ.* in eodem tractatu bonorum poſſeſsionum ab inteſtato (ex quo & *libro* 47. Vlpiani eiuſdem excerpta eſt *dict. l. vn. D. vnde vir, & vxor,* ſicut ex *libro* 49. *dict. l. vnic. D. vt ex legibus*) definit, *vbicumque lex, vel Senatus, vel conſtitutio capere hæreditatem prohibet, bonorum poſſeſsio ceſſat.* Prohibent autem leges Iulia, & Papia, capere inter ſe iniuſtos coniuges, veluti Senatorem, & libertinam; ingenuum, & famoſam. Prohibet etiam, ſiue iubet Senatus Conſultum Calviſianum, ad eaſdem Iuliam, Papiamque leges pertinens, non proficere impar matrimonium maioris quinquagenaria cum minore ſexagenario, ad capiendas hæreditates, vel legatas dotes, quomodò vtrumque exprimitur apud Vlpianum *dict. tit.* 16. §. *Aliquando, &* §. *vlt. in fine,* à quo petenda duo hæc exempla, aptiora, quàm quod aptat Cuiacius, de coniugibus non niſi decimæ capacibus, & appingenda Vlpiano eidem *in dict. l. Non eſt* 12. §. *vltim.* ex qua & ſic liquet, in coniuge iniuſto, vel impare non competere ipſo iure, ſiue ceſſare, aut locum habere bonorum poſſeſsionem, vt loquuntur. *dict. l. vn. D. vnde vir, & vxor, dict. l. vn. in fine, D. vt ex legib. S. C. ve.* Tum denique, quia in his, qui nihil capere poſſunt ex lege Iulia, & Papia, quales eſſe iniuſtos coniuges dicimus, *ex d.* §. *Aliquando,* præter iuris artem, & mentem ſupponitur, poſſe eos ipſo iure petere bonorum poſſeſsionem, vel adire, & adquirere hęreditatem, quæſitamque, vt indignis, eripi, cũ potiùs certum ſit, ſi intra ſtatutum tempus legibus non paruerint; non capere eos relicta, ſed ab ipſis non adquiſita in Fiſcum cadere, antequàm capiant, vnde & caduca definiũtur, apud Vlpianum, *d. tit.* 17. iuncto §. *vlt. in fin. tit.* 16. & diſtinguntur ab ereptitijs, quæ ipſo iure capacibus adquiſita, eripiuntur poſtea, vt indignis. Vt in *tit.* 19. §. *Lege,* eiuſdem Vlpiani.

16 Sed ex poſterioribus hiſce adnotatis, quamvis non diſplicuerit, vt diximus, quoad *leg. vnic. verſic. Quemadmodùm,* Cuiacij expoſitio, placet tamen omnino magis, exponendam eſſe Vlpiani illic ſententiam, iuxta eiuſdem regulam *in dict.* §. *Aliquando,* de iniuſtis coniugibus, ex lege Iulia, & Papia, veluti Senatore libertinæ, aut ingenuo famoſæ coniuncto, quem nequaquam poſſe ipſo iure petere bonorum poſſeſsionem ab inteſtato ex edicto, *vnde vir, & vxor,* vt & indicat illud οὔτε ἁρμόζει, ſiue *non competit,* quod in enarratione *dict. l. vnic.* extat *in Sypnoſi* Baſilicon *lib.* 45. *tit.* 5. & in ipſis Baſilicis *lib.* 45. *tit.* 5. vbi Scoliaſtes, quemadmodùm neque ex teſtamento adire, aut ſecundùm tabulas petere; quoniam nimirum capere eos, lex prohibet Iulia, & Papia, *d. l. Non eſt* 12. §. *vltim.* ſiue quoniam contra eaſdem leges matrimonium contrahentes, nihil ex eiſdem legibus inter ſe capiunt. *dict.* §. *Aliquando,* cui reſpondent apprimè, & inde illuſtranda, illa verba in *dict. l. vnic. nihil enim capi, propter iniuſtum matrimonium. Nihil,* hoc eſt, nec decimam, matrimonij nomine, ex ratione, *l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.*

17 Nec contrarium iam eſt, quamvis non cuiuis explicabile, quod expendimus, officialem Prouinciæ, aut tutorem, eoſdemque iniuſtos coniuges, poſſe ex teſtamento pupillæ, aut pro-

prouincialis coniugis ipſo iure adire, & adquirere, & adquiſita auferri vt indignis, *dict. l. 2. §. 1. D. de his, quæ vt indign.* Namque obſervandum eſt, quod obſervatum nondum hacte-nus in hunc locum reiecimus, pœnam illam capiendi inter ſe nihil, de qua Vlpianus *dict. §. Aliquando*, pertinuiſſe, non ad quoſcumque iniuſtos coniuges, ſed ad eos propriè, & partitè, qui contra leges Iuliam, & Papiam matrimonium contraxiſſent, veluti Senator cum libertina, aut ingenuus cum famoſa, qui exprimuntur *in dict. §. Aliquando*. Quippe & in hiſce propria magis, ſeu maior ratio, ne ſcilicet, ex eiſdem legibus, capiendæ decimæ beneficium haberent, matrimonij, quoad ipſas leges, validi, tametſi iniuſti, prætextu, qui contra ipſas leges contraxiſſent, vt ratiocinatur ad eaſdem leges Terentius Clemens, *in dict. l. Filio 48. §. 1.* iunctis *l. Qui libertinus 37. §. Poſthumus 7. verſic. Ex lege, D. de oper. lib. l. Adigere 6. §. vlt. in fin. D. de iure patronat. l. Auxilium 37. §. vlt. in fine, D. de minorib.* Vlpian. *in fragm. tit. 25. Si quis in fraudem.*

18 Cæterùm extra coniuges memoratos in *dict. §. Aliquando*, expeditum non fuiſſe, an locus eſſet regulæ, & pœnæ, nihil inter ſe capiendi, argumentum rei ſit, quòd vel in matrimonio maioris quinquagenaria, & minoris ſexagenario, quod impar, ſiue iniuſtum eſt, ex legibus noſtris, *l. Sancimus 27. Cod. de nupt. l. Si maior 12. Cod. de legit. hæredib.* neceſſe tamen fuiſſe, videtur, poſt leges noſtras caueri, & exprimi, Senatuſconſulto Caluiſiano, ne id iniuſtum matrimonium proficeret ad capiendas hæreditates, vel legatas dotes, vt apud Vlpianum *dict. tit. 16. §. vlt. in fine.* quoniam ſcilicet pœna non capiendi, & caduci, ereptitijve in Fiſcum cogendi, odioſa, & invidioſa ſemper viſa, vt Iuſtinianus loquitur, *in l. vnica, Cod. de caduc. toll. & in l. 2. §. Quintus, in fine, Cod. de vet. iure enucl.* ac præterea connubij inter perſonas, de queis *in d. §. Aliquando*, tamquam iniuſti, nota nuptiarum libertati, & frequentiæ inimica, ideoque etiam non amplianda, vt *in l. Palàm 43. §. 1. 2. & 3. & §. Si qua, D. de ritu nupt.* iuncta *l. Hoc modo 64. D. de condit. & demonſtr. l. Cum quidam 19. D. de liber. & poſthum.* & tradendis infra, *lib. 3. cap. 21.* ampliari, ſeu produci, non poterant, ad alios coniuges iniuſtos, etiam ex eiſdem legibus Iulia, & Papia, niſi id ſpeciali iure fieret, vt S. C. de quo *d. tit. 16 §. vlt.*

Quantò ergo minùs dicetur, producendam pœnam illam, & notam, nihil capiendi, ad Præfectum, tutoremve, illicitos coniuges, vtpote quorum nuptiæ non contra leges Iuliam, & Papiam, ſed Præfecti quidem contra mandata Cæſarum ſunt; & tutoris contra Orationem Marci Antonini, & Senatus Conſultum. *l. Senatus Conſulto 59. cum l. ſeq. l. Eos, qui 65. l. Non ſolùm 67. §. Sed videamus, D. de ritu nupt. l. Et ſi contra 6. Cod. de nupt. l. 1. & 3. Cod. de interd. matr.* & hoc amplius, quorum coniugia, non vt illa Senatorijs prohibita, iniuſta quidem, ſed valida & legibus Iulia, & Papia. *l. Si Senatori 31. D. de ritu nupt. dict. l. vnica, D. vnde vir, & vxor*, quamvis poſtea ex Oratione, & S. C. irrita etiam, & invalida. *dict. l. 3. §. 1. verſic. Ergo. l. Cum hic ſtatus 32. §. vltim. D. de donationib. inter.* diximus ſupra *hoc libro*, & infra *lib. 3. cap. 1.* ſed iniuſta ſimul, & irrita, nec matrimonij iure, aut vinculo nexa, cuiuſmodi hæc fuiſſe, nemine adhuc docente, aut ducente, didici pridem primus, & docui, ex 19

Vl-

Vlpiano *in l. Si cōcubina* 17. illic: *Vbicumque ceſſat matrimonium, vtpote in ea, quæ tutori ſuo nupſit, vel contra mandata conuenit, vel ſicubi alibi ceſſat matrimonium, ceſſare rerum amotarum actionem. D. de act. rer. amotar.* iuncta, & collata Vlpiani eiuſdem nota, *in l. vltim. §. Illud, verſic. Proinde cum patronus, D. de diuort.* iuncto item Scholio Balſamonis *ad Can. 27. S. Baſilij.* Conducunt in eamdem rem textus, *in dict. l. 3. §. 1. verſic. Sed ſi aliquod, cum ſeq. l. Cum hic ſtatus 32. §. vltim. D. de donationib. inter. l. Si voluntate 7. Cod. eodem tit. l. Eos, qui 65. §. 1. D. de ritu nupt. l. Et ſi contra 6. Cod. de nupt. l. Qui pupillam 7. D. ad leg. Iul. de adult. l. Non eſt 66. l. Præfectus 63. D. de ritu nupt. l. Amplisſimi 4. C. de excuſat. tutor.* de queis alibi tempeſtiuiùs: vt proinde non tam comprehendi pœna, nihil capiendi, vt iniuſti coniuges, quàm extra illam eſſe, vtpote omnino non coniuges, neque tam iniuſti, quàm nulli, ex argutia Papiniani in re ſimili, in *l. vltim. verſic. Sed rectè, & §. vltim. D. de condict. ſine cauſa.* iuncta *l. 1. Cod. de cond. ob cauſam dat. d. l. 3. §. 1. verſic. Ergo. d. l. Si voluntate 7.*

20 Rectè itaque Martianus, dextrèque ſimul, disertè expreſſa prohibitione coniugij, non ex legibus Iulia, & Papia, ſed ex mandatis, vel Senatus Conſulto in *dict. l. 2. §. 1. D. de his, quæ vt indign.* ſupponit, adminiſtrantem in Prouinciam, aut tutorem poſſe, adire, & adquirere mero iure, ex teſtamento prouincialis fœminæ, aut pupillæ, & quidem ſolidum, vel tamquam adminiſtrantem, ideoque abſentem, Reipublicæ cauſa, vel tamquam coniugem pupillæ, legibus caducarijs immunis, iuxta adnotata ſupra, ex Vlpiano *dict. titul. 16. in princip. & verſic. Aut ſi vir abſit;* & tamen decidit, eos retinere adquiſitum, non poſſe, idque non propter leges Iuliam, & Papiam, ſed ex reſcripto Seueri, & Antonini, quorum multa in ſimilibus indignorum ſpeciebus reſcripta. *l. Si pater 4. Cod. de hæred. inſtit. l. Etiam 111. D. de leg. 1. l. 3. D. de iure patron. l. 1. l. 5. §. ætati cum ſeq. l. Cum tabulis 16. §. Quoniam. l. Eum, qui 18. D. de his, quæ vt indign. l. 1. & 2. Cod. eodem tit. l. Si ſequens 15. §. 1. D. de S. C. Syllan. l. Cum mortem 27. l. Eius 29. §. vlt. l. Cum tacitum 40. D. de iure Fiſci. d. l. 3. §. 1. verſ. Diuus, cum ſexcentis alijs.* Ergo vtroque caſu, ait Martianus, etiam ſi ex aſſe inſtitutus hæreditatem adierit (quod inſtituto ex aſſe licuit, etiam ante apertas tabulas. *l. 3. Cod. de iure deliber. l. 1. §. vlt. D. de iur. & facti ignor.* & poſt apertas, ac multò minùs poſt confirmatas eas, aditione, non fuit locus delationi hæreditatis caducæ in Fiſcum, ex legibus Iulia, & Papia, vt ad eaſdem notant iuris auctores, in *l. 4.* iuncta *l. 3. §. vlt. & l. 5. D. de bonor. poſſeſſ. l. Qui ex duabus 53. D. de adquir. hæredit.* iuncta *l. In teſtamento 31. verſ. Sed & Pamphilam, D. de condit. & demonſtrat.*) Fiſco locum fieri, non tamquam in caduco, ex cauſis iam traditis, ſed vt in excipiendo, quippe ei, vt indigno auferri, hæreditatem; & ſanè meritò, quia quamvis mero iure adquiſierit, ceperit, vtpote non comprehenſus pœna, nihil, aut non ſolidum capiendi, ex legibus noſtris, indignus tamen eſt, qui retineat, cum deliquerit, prohibitas nuptias contrahendo, & meritò puniẽdus ſit, vt Martianus idem ſcribit, in *l. vltim. D. de legat. 1.* apud quem verba illa de tutore, *Ipſe autem non poteſt*, capere, exponenda

ſunt

ſunt de capione, cum effectu retentionis, ex eodem Martiano in *dict. l.* 2. §. 1. *l. Aliud* 71. *D. de verb. ſignif.* ſiue vt non capiat, ita vt non auferatur, quaſi ab indigno, de quo iure auferendi, ſeu non capiendi cum effectu, ex reſcriptis Seueri, & Antonini, tradidit & alia Martianus *lib.* 2. *inſtitutionum*, ex quo *dict. lex Vlt. in l. Etiam* 111. *D. de leg.* 1. *l.* 3. *D. de iure patron.*

4 Neque alterius fili eſt interpretatio Papiniani *in dict. l. Claudius* 13. *D. de his, quæ vt indign.* dum reſpondet, damnato Mœuio in adulterio Semproniæ, eaque non damnata, poſtea vxore ducta, & hærede relicta, neque matrimonium ſtare, neque pertinere hæreditatis lucrum ad mulierem, ſed relictum ad Fiſcum pervenire; adijcitque ſimiliter, ſi ea mulier Sempronium hæredem inſtituerit, auferri ei indigno hæreditatem, ac proinde ſupponit, capere mero iure, & adquirere iniuſtos hos coniuges interſe relicta, contra Vlpianum *dict. tit.* 16. §. *Aliquando*. Sed, vt diximus, nexum hoc, enodandumque eodem filo, quia premiſſa interim, & admiſſa iuris præſumptione, quæ nuptijs initis inter damnatum adulterij, & mulierem, cuius in adulterio damnatus fuit, etiam ſi ipſa nec deprehenſa, nec damnata ſit, habet hanc etiam pro adulterij conuicta, confeſſa, & damnata. *l. Commiſſum* 27. *l. Si qui* 34. *Cod. ad leg. Iul. de adulter. Nouell.* 134. *vt nulli iudicum cap.* 12. §. *Si quis verò.* Certum tamen ius eſt, nuptias cum damnata adulterij, non prohiberi ſpecialiter legibus Iulia, & Papia, quarum pœna illa fuit, *dict.* §. *Aliquando*; ſed generaliter tamquam damnatæ publico iudicio, ex Vlpiano *tit.* 13. §. *vltim.* & ex *Senatus Conſulto*, de quo in *l. Palàm* 43. §. *Senatus* 10. & §. *Quæ in adulterio, verſic. Quod ſi, D. de ritu nupt.* propriè autem, & ſpecialiter lege Iulia de adulterijs. *l. Caſtitati* 9. *Cod. ad leg. Iul. de adulter. l. Mariti* 29. §. 1. *D. eodem tit. l. Auxilium* 37. *in fine, D. de minor.* ac præterea ſic prohiberi, non vt iniuſtæ tantùm ſint, ſed validæ, ſicut Senatorij cum libertina, aut ingenui cum famoſa, ne queis in *dict.* §. *Aliquando*, ſed vt irritæ, inutiles, inanes non teneant, matrimonij iure, & iugo. *dict. l. Palàm* 43. §. *Senatus*, illic: *Vxorem ducere, aut retinere. l. Miles* 11. §. *vlt. D. ad leg. Iul. de adulter. dict. l. Claudius* 13. ibi: *Neque tale matrimonium ſtare.* Doctè ergo, vt ſolet, Papinianus, ceſſante iniuſtorum coniugum, ex Iulia, & Papia legibus, pœna, quæ ad eiuſmodi illi itos coniuges non pertinuit, ſupponit, poſſe eos capere inter ſe mero iure, ſi aliunde capaces ſint (vt puta liberòrum iure à Principe impetrato, aut alia ex illis cauſis, quæ apud Vlpianum *tit.* 16.) ſed quaſi indignis Fiſcum auferre, ex ratione *l. vlt. D. de leg.* 1. quãquam & aliæ ſuppetãt in *d. l. Claudi*⁹ 13. queis, & ad eam plura Nos infra *lib.* 3. *cap.* 11. Referri & ad hanc partem, fortaſſe poſſet Papiniani ſententia nobilis in *l. Cum tabulis* 16. §. *Quoniam, D. de his, quæ vt indign.* ſeponimus tamen conſultò, *Analectis legum noſtrarum de concubinis*, adſcribendam.

CAP.

CAPVT XVI.

AD SCÆVOLAM IN LEG. VXORI 27. D. DE vſufructu legato.

ARGVMENTVM.

EXcitata in reſponſo Scęuolę dubia, & difficilia; queis expediendis, refutatæ Coſtę, Chiffletij, &, quę præ alijs placuit, Cuiacij coniecturæ, de vſufructu non confiſcando. Præmiſſa, aliqua elucidandæ theſi *dict. l.* 27. & ea inter Paradoxum de muliere in *d. l.* 27. perinde ac marito ignara illiciti matrimonij, & tamen obnoxia fructuum repetitioni. Tentatur rurſus emendatio *d. l.* 27. vt pro *biennio* legatur *vicennium*: iam & abſque correctorio ſcalpello, obſervatur, ignota adhuc, differentia, & differentiæ ratio inter hæreditatem, & alia relicta. Vnde & compoſitę *d. l.* 27. *cum l.* 2. *§.* 2. *D. de his, quæ vt indign. l. vlt. D. de leg.* 1. Componuntur item *lex* 4. *cum l.* 7. *Cod. de hæred. inſtit. l. Neque* 5. *Cod. de teſtam.* Explanatur ſimilis differentia inter inſtitutiones, & legata, deleta à teſtatore, ex titulo *de his, quæ in teſtam. del.* Alia inter, in hæredem, & legatarium, noxios necis defuncti, iuncto intellectu *l.* 9. *§. vlt. D. de his, quæ vt indign.* Remotus tandem ſcrupulus, cur Scæuola in *d. l.* 27. de dote, & vſufructu non reſpondeat.

1 PErtinet poſtremò ad hanc ipſam de relictis inter iniuſtos, ſiue illicitos coniuges diſputationem, egetque proprij capitis commentatione, reſponſum Scæuolæ in *l. vxori 27. D. de vſufruct. leg.* Vbi cum vxori maritus per fideicommiſſum, vſumfructum, & alia, & dotem prælegaſſet, hæredeſque ei vſumfructum conceſsiſſent, pronunciato poſt biennium illicito matrimonio, conſultus Scæuola, an quod, præterito tempore, poſſedit, repeti poſſit; reſpondet: *Id, quod, fructus nomine, percepiſſet, repeti poſſe.* Quod perquàm difficile eſt. Nam ſi, vt poſt Dynum Bartolus, Albericus, & cõmuniter fere antiquiores, *repeti poſſe*, accipimus de Fiſco repetente, & auferente, quaſi ab indigna, id quod fructus nomine perceperat, remanet in obſcuro, cur non hoc idem reſpondeatur in dotis prælegato, & alijs relictis, iuxta *dict. l. Claudius* 13. quod vtique, dum Scæuola in facto expreſſum poſtea omittit, & de vſufructu ſolo reſpondet, negare intelligitur. Si verò, vt, poſt Accurſium, rectiùs ſupponunt Cuiacius 1. *reſponſ. Scæuolæ*, & *ad tit. D. de vſufruct. legat. in dict. l. Vxori* 27. Eman. Coſta *in cap. Si Pater*, 1. *part.* verbo, *Vxorem*, *num.* 16. *de teſtament.* Briſſonius *de iure connub. pag.* 48. & alij; ac proinde non Fiſcum, qui cum nihil dederit, non tam repetere, quàm auferre, & eripere, diceretur. *dict. l.* 2. §. 1. *d. l. Claudius* 13. & paſsim, *D. de his, quæ vt indignis auferuntur. D. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vlt. D. de donat. inter.* Sed hęredes mariti eos eſſe, qui repetunt, intelligimus. Remanet eadem quærendi ratio, cur non idem ſit in alijs relictis, & hoc amplius, cur in ea ſpecie à muliere, quam illiciti matrimonij conſciam, & indignam fuiſſe, agnoſcunt, ideoque ab ea mariti ignorantis hæredes repetere, non auferat potiùs Fiſcus, vt ab indigna, ſicut auferet à tutore, aut in Prouincia adminiſtrante, quod ei-

dem coacta vxor, aut pupilla ignara, & decepta reliquit, nec hæredes earum repetunt. *d. l. 2. §. 1.* iuncta *d. l. Claudius 13. d. l. 32. §. vlt.*

2 Nec rem expedit acumen Coſtę, & poſt eum, Barboſæ, Sanctij, aliorumque, apud Meſam *lib. 1. var. d. cap. 22. num. 22.* affirmantium, legatum in *d. l. vxori 27.* fuiſſe nullius momenti, ipſo iure, ob errorem mariti, ignorantis illicitum matrimonium, & relinquentis tamquam vxori ei, quæ non erat, idcircoque hæredes repetere; id enim ſi adeo gratis diuinare, & ponere, licet, quid ni, & certius ſupponatur in pupilla, iuris cenſura ſemper ignara, & decepta. *l. vlt. D. de leg. 1. l. vlt. D. de iur. & facti ignor. l. 1. in fine, Cod. de falſa moneta*, & relinquente tutori, illicito marito, à quo tamen non hæredes pupillæ repetunt, ſed Fiſcus aufert. *d. l. 2. §. 1.* vt omittam nunc quod iam ſupra plenius firmaui, errorem in qualitate coniugis, ſeu filij non facere, vt relictum ipſo iure non teneat, Fiſcoque potius locum aperire, vt eripiat, quaſi ab indigno, quàm hæredi, vt repetat. *d. l. 2. §. 1. l. Aufertur 46. D. de iure Fiſci. l. Si pater 4. Cod. de hæred. inſtit.* Quo & ipſo conuincitur alia, & aliena magis Chiffletij ſequani cogitatio, *lib. 1. de iure fideicommiſſ. cap. 2.* fingens, repeti in *d. l. 27.* vt indebitum, fideicommiſſum, quia relictum tamquam vxori (& quidem iure gentium illicitæ vxori, in quo non malè) nec naturaliter debitum fuerit, cum tamen, vt monuimus, verius ſit, valere, & debitum fuiſſe, ipſo iure, & vt repeti poſsit, non tamen vt indebitum, ſed vt datum ſine cauſa, ſi conſtet, aliter relicturum non fuiſſe. *l. Cum tale 72. §. Falſam 6. D. de condit. & demonſtr. l. Eleganter 23. in princip. & §. Si quis. l. Damus 52. l. In ſumma 65. §. Id quoque 2. D. de condict. indeb. l. 2. §. vlt. l. 3. D. de donat.* vel vtili actione, vt in ſpecie *l. Si voluntate 7. C. de donat. inter.*

Plauſibiliter magis Cuiacius in *dict. l. vxori 27.* &, poſt eum, Scipio Gentilis *de donat. inter, lib. 4. cap. 3.* Bened. Pinell. *lib. 1. ſelectar. cap. 6. num. 64.* Ar. de Meſa *lib. 3. variar. cap. 22. num. 20. & 21.* alijque, vſumfructum hęredes repetere, nec Fiſcum auferre, quamvis dotem, & alia relicta eripiat, quia vſusfructus non confiſcatur, neque in Fiſcum cadit. *l. Si ab eo 9. D. de vſufruct. leg. l. Si Titio 33. D. de vſufructu. l. Titio 96. D. de condit. & demonſtr.* ſiue ne inutilis in perpetuum proprietas, vſufructu redacto in Fiſcum, qui nunquam moritur. *d. l. Si ab eo 9.* iuncta *l. 8.* quæ pręcedit, *D. de vſufr. leg. l. Si vſusfructus 21. D. quib. mod. vſusfr. amitt.* ſiue quia vſusfructus, vtpote perſonæ cohærens, nec ſine perſona conſiſtens, non tranſit, caditve in Fiſcum, qui perſonæ vice non fungitur. *l. Quoties 14. §. vltim.* iuncta *l. Nouatio 24. D. de nouationib. l. Mortuo 22.* iuncta *l. Inter 51. §. vltim. D. de fideiuſſorib. & l. Cum ratio 7. §. vltim. D. de bon. damnator.* de quo tamen effato, & eius rationibus plenius ſuo loco. Cæterùm quod ad Scæuolam attinet, ne vel in hoc tranſcurſu diſsimulemus, ſed pro aculeo ſaltem relinquamus, confiſcari, ſeu publicari vſumfructum, in *l. Si poſtulauerit 27. §. Iubet 11. D. ad leg. Iul. de adulter.* non probamus Cuiacij notam, quia Scæuola non de vſusfructus iure repetendo, aut confiſcando, reſpondet, ſed de eo, *quod fructus nomine mulier percepiſſet, præterito tempore*, in tempus vſque matrimonij illiciti pronuncia-

ciati; quos certè fructus ab indigna perceptos, in Fiſcum redigi, non ſupraſcriptæ iuris rationes vetabant, imò cogebant regulæ, *l. Hæredi* 17. *cum l. ſeq. D. de his, quæ vt indign. l.* 1. *Cod. eod. tit.*

4 Lubrica adeo, & ſubluſtris cum ſit ſententia, interpretatioque *dict. l.* 27. ſuſpicionibus locum facit, quas & proferre, non grauabimur, exercitationi diſcentium, an doctiorum mouendæ, & promouendæ cenſuræ. In primis autem pauca præmunienda. Primum, in quo & omnes conueniunt, mulierem in *dict. l.* 27. conſciam, noxiamve fuiſſe impedimenti, & prohibitionis matrimonij, quod poſtea illicitum pronunciatum; nam ſi ignara, aut culpæ expers, non auferretur ab ea, ſiue repeteretur quod perceperat. *dict. l.* 2. *§. Per contrarium, D. de his, quæ vt indig. l. vltim. D. de legat.* 1. Et è conuerſo maritum fuiſſe innoxium, ignarumque impedimenti, alioquin neque ipſe, neque hæredes repeterent. *l. Cum hic ſtatus* 32. *§. vltim. D. de donat. inter. l. Si ab hoſtibus* 11. *§. vlt. D. ſolut. matrim.* Secundũ, primo huic conſequens, eſt, matrimonium in *d. l.* 27. non fuiſſe cum pupilla, aut prouinciali coacta, quamquam id illicitum vocari, ſolet. *dict. l.* 2. *§. Per contrarium. l. Filius* 28. *§. Si quis eo, D. de liber. & poſthum. l. Tutor* 60. *§. Quid ergo, cum l. ſeq. D. de ritu nupt.* Id enim ſi eſſet in *dict. l.* 27. maritus noxius, & mulier innocens præſumeretur. *dict. l. vltim. D. de legat.* 1. ſed illicitum matrimonium in *dict. l.* 27. accipiendum de contracto cum cognata, aut affine, ab ignorante, eam talem eſſe, per errorem facti, cui parcitur, quomodò, & propriè matrimonium id illicitum, inceſtumque dicitur, in *l. Si adulterium* 38. *§.* 1. *& §. Nonnumquam* 3. *cum ſeq. D. ad leg. Iul. de adulter.* & apud Caium *lib.* 1. *Inſtit. tit.* 4. *§. Sed non* 2. *cum §. ſequ.* Auctorem *collat. leg. Moſaic. tit.* 6. *§. Exemplum.* Tertium eſt, quod & ſupra iam indicauimus, & de quo æquè inter doctiores conuenit, non eſſe Fiſcum eum, qui repetit percepta, fructus nomine, in *dict. l.* 27. ſed hæredes mariti, quos vſumfructum conceſsiſſe, Scæuola ponit, & quibus *repetendi* verbum, & ius propriè congruit. *l. Partis* 10. *D. de præſcript. verb.*

Quartum eſt, vſumfructum, & alia relicta fuiſſe per fideicommiſſum, & dotem prælegatam; & quidem à marito vxori, cui ſolemne veluti fuit, licitumque, ex legibus noſtris, relinquere vſumfructum tertiæ ſaltem partis bonorum, & alia vſque ad eorum decimam, matrimonij nomine, & inſuper dotem prælegare, teſte Vlpiano *tit.* 15. & ex eodem Scæuola *l. Lucius* 78. *§. Maritus* 14. *D. ad S. C. Trebell. l. penult. D. de vſur.* ac præterea Scæuolam in *dict. l.* 27. conſultò, neque in gratijs proponere, hæredes vſumfructum mulieri conceſsiſſe, hoc eſt, cedendo veluti tradidiſſe, & conſtituiſſe. *l.* 2. *§.* 1. *& vltim. l. Per quem* 14. *l. Si mihi* 20. *cum l. ſeq. D. de ſeruit. ruſtic. l.* 3. *§. penult. D. de legat.* 3. *l. Si vſumfructum* 33. *D. de liber. cauſa.* Et de dote, alijſque per fideicommiſſum relictis, an ſcilicet ea tradita, aut repetenda, nihil quæri, aut proponi. 5

Quintum, & quod non modò præter opinionem communem primo præmiſſo ſtabilitam, ſed & præter rationem, cuiquam fortaſſe videatur, ſupponi poſſe *in dict. l.* 27. vxorem fuiſſe perinde ignaram, ac maritum impedimenti matrimonij, ex eoque tentari poſſe, quærendi, dubi- 6

bitandique de fructibus perceptis repetendis, eam rationem eſſe apud Scęuolam, quia percepti fructus ab vxore, impedimenti, & prohibitionis matrimonij ignara, & bona fide, ac titulo fideicommiſsi, vſumfructum per quaſi traditionem, ceſſionemve poſsidente, adquiſiti ei, videntur ſtatim mero, pleroque iure, *l. Inſulam* 42. §. *Fructus, D. ſoluto matrimon.* iuncta regula *l. Qui ſcit* 25. §. 1. *l. In pecudum* 28. *D. de vſur. l. Bonæ fidei* 48. *D. de acquir. rer. dom.* §. *Si quis à non domino* 36. *Inſtit. de rerum diuiſ.* Et vtcumque ex fideicommiſsi cauſa non fiant res adquirentis, dominio Quiritario, & ciuili, ſed dumtaxat in bonis, iure veluti gentium, & poſſeſsionis. *l.* 3. *D. ſi vſufruct. pet.* iunctis *l. Herennius* 42. *D. de vſur. l. Si quis* 29. *D. de vſufruct. leg. l. facta* 63. *D. ad S. C. Trebell.* maximè vbi fideicommiſſum eſt, vſusfructus tamquam vxori ei, quæ vxor non eſt, & proinde impos, eo titulo adquirendi, ex Vlpiano *dict. tit.* 15. & 16. *in fine*; tamen adquiſiti fructus, videntur, ſaltem vſucapione poſt annum perceptionis bona fide, & probabili præſumptione tituli etiam fideicommiſsi concurrente. *l.* 2. *in fine, D. pro ſuo. l.* 4. §. *Fructus* 5. *D. de vſucap. l.* 4. & *vltim. D. pro legato. l. Proculus* 67. *D. de iure dot.* iuncta *l. Pomponius* 13. §. *Sed & legatario in fine, D. de adquir. poſſeſſ.* & multò magis *poſt biennium*, vt ampliore temporis ſpatio expreſſo, Scæuola ponit, ſicut idem in *l. vlt.* illic: *Multis annis, D. pro dote.* iuncta *l.* 3. *l. Reſcriptis* 9. *D. de diuerſ. & temp. præſcr.*

7 Sed ex adverſo pro reſponſo Scæuolæ de fructibus repetendis, non leuiores ſic decidendi, & reſpondendi cauſæ ſunt, ſiue quia cum illicita vxor fuerit, & proinde non vxor, ſed incapax relicti vſusfructus ex teſtamento capiendi ex legibus noſtris, non potuit fructus capere, bonę fidei ſuffragio, ex cauſa legibus improbata. *l. inceſtæ* 52. *D. de iure dot.* iuncta *l. Quemadmodùm* 7. *in fine, Cod. de agricol. & cenſit.* & ad rem traditis à P. Barboſa in *l. Si ante* 6. *num.* 25. *D. ſolut. matrim.* vel ſaltem non potuit, vſucapere ex fideicommiſſo ea, cum qua teſtamenti factio non erat legibus noſtris, vt ad eaſdem Iuliam, Papiamque *lib.* 5. tradidit Paulus in *l. vltim. D. pro hærede.* iuncta *l.* 1. §. *penult. & vltim. D. pro dote. l. Nemo* 7. *D. pro legato. l. Vbi lex* 24. *D. de vſucapion.* ſiue quæ decretoria ratio eſt, quia quamvis admittamus, eam cepiſſe, & vſucepiſſe, hæredibus tamen fructus repetentibus, condictione indebiti, aut ſine cauſa, quia per errorem, tamquam debitum vſumfructum conceſſerunt ex cauſa fideicommiſsi, quam poſtea, illicito matrimonio pronunciato, non ſubſtitiſſe, apparet, non obſtat vſucapio, aut præſcriptio longi temporis, etiam quoad fructus, bona fide perceptos. *l. Indebiti* 15. *in princip.* & §. 1. iuncta *l. Hæc condictio* 66. *D. de condict. indeb. l. Quòd ſi in diem* 16. §. *vltim. D. de hæred. petit. l. Si & me* 32. *D. de rebus creditis. l. rerum* 25. *D. de actione rer. amotar.* Nec rurſus in his fructibus ius Fiſcus habet, quia in relictis tamquam vxori à marito palàm, & bona fide vtriuſque, & vtroque inſcio illiciti matrimonij, nec locus eſt delationi, tamquam caducorum in Fiſcum, neque ereptioni, tamquam ab indignis, argumento ex *l. In fraudem* 10. §. 1. *D. de his, quæ vt indign.* iuncta *l.* 3. §. 1. *Digeſt. de iure Fiſci. l. vltim. in fine, D. de ritu nupt. l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis, Cod. de inceſt. nupt.*

Por-

8 Porrò hiſce poſitis, cum Scæuola in facto exprimat, *poſt biennium*, fuiſſe illicitum matrimonium pronunciatum, nec ſine myſterio id exprimere, videatur ſolertiſsimus iuris auctor in explanandis factis, & propoſitionibus, de queis conſulitur, vt de iure aperto reſpondeat. *l. A teſtatore* 109. *D. de condit. & demonſtrat. l. Seia* 20. §. *vltim. D. de inſtructo, & inſtrum. leg.* & biennij circumſcriptio, aut præſcriptio, nullius in ea hypotheſi vſus videatur, non diſsimulo, fuiſſe aliquando, cum coniectarer, an non potiùs Scæuola ſcripſerit, & legendum ſit, *poſt vicennium*, frequenti in numerorum notis, & in hac ipſa, *biennij*, voce, non nouo mendo (ſicut *tricennij* pro *triennij*, in *l. vnic.* §. *vlt.* vbi Cuiac. *Cod. de vſucap. tranſform.*) quo ſublato in promptu ratio erit, ob quàm de aperto iure ſupponitur, Fiſcum non auferre percepta, fructus nomine, imò neque fructum ipſum, & prælegatum dotis, & alia, nimirum quia poſt vicennium matrimonio illicito pronunciato, cum ante id tempus Fiſco nunciatum non eſſet, præſcriptio vicennij obſtat, quæ non tantùm in accuſationibus criminum fere omnium obſtat, etiam inceſti, *l. Querela* 12. *Cod. ad leg. Cornel. de falſis*, iuncta *l. Vim paſſam* 39. §. *Præſcriptione* 5. *D. ad leg. Iul. de adulter.* ſed & in omnibus Fiſci quæſtionibus, ſiue cauſis, ex quibus Fiſco nunciatur, excepta bonorum vacantium, & commiſsi, *l.* 1. *C. de quadrienn. præſcr. l.* 2. *Cod. de bon. vac.* Fiſcum excludit. *l. In omnibus* 13. *D. de diu. & tempor. præſcr. l.* 1. §. *Præſcriptio, cum ſeqq. D. de iure Fiſci. l.* 3. *D. de requir. vel abſent. damn.* Nec tamen ea obſtat hæredibus mariti ignorantis, quominùs repetant, quia eorum repetitio, vtpote perſonalis ciuilis actio rei, ſiue iuris ſui perſecutoria, erat perpetua, Scæuolæ, & Conſultorum æuo, *princip. Inſtit. de perpet. & temp. act.* nec peribat præſcriptione ordinaria longi temporis decennij, aut vicennij. *l. Indebiti* 15. §. 1. *D. de cōdict. indeb.* imò & iure nouiori non niſi tricenaria. *l. Sicut* 3. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann. l.* 2. *C. de conſtituta pecunia.*

Stent tamen hæc, vt dixi, intra ſuſpicionē. Ad aliam tranſeo iam, quam pene in opinionē transferre, auſim, ſit licet paradoxa, ſeu præter mentē omnium veterū, nouiorumque Interpretū, & quæ nunc primùm nobis in mētem venit. Ergo ſi nihil myſterij, mēdive in voce, *poſt biennium*, malis agnoſcere, ſed eam veluti ex facto à conſulente expreſſam retineas, prætereaſque, obſeruaſſe, licebit, in relictis à pupilla tutori, aut prouinciali muliere Præfecto, cui coacta nupſit, aut generaliter, à coniuge ignorante, & innoxio coniugi cōſcio matrimonij illiciti, quæ fere ſpecies ſunt, *d. l.* 27. *d. l.* 2. §. 1. ſi quæratur, quando ea Fiſcus ei quaſi indigno eripiat, diſtinguendum eſſe genus relicti, an ſcillcet hæreditas fuerit, eiuſve pars, an potiùs legatum, ſeu fideicommiſſum. Quippe in hæreditate, & quidem adita ab hęrede ex aſſe inſtituto, tutore ſcilicet à pupilla, aut Pręfecto à muliere prouinciali, obtinet, ſcriptumque illud eſt in *d. l.* 2. §. 1. *verſ. Vtroque*, nempe vtroque caſu tutoris, & Pręfecti, ſupra expreſſo, fieri locum Fiſco, & quaſi indigno auferri hæreditatem. Pertinere autem hanc aſſertionem de Fiſco auferente, ad hæreditatem ex aſſe, non autem ad alia relicta, ſuadet ſatis ſeries, contextuſque eius loci; namque in principio illic Martianus præmiſerat, auferri hæreditatem ex aſſe, & ad Fiſcum pertinere, ſi emancipatus 9

filius contra tabulas bonorum poſſeſſionem patris, vt præteritus petijſſet, & ex ſubſtitutione impuberis adijſſet hæreditatem. *l. Is qui* 22. *D. de vulgari. l. Filium* 5. §. *Non ſolùm, D. de leg. præſt. l. Sed ſub conditione* 18. §. 1. *D. de bonor. poſſeſſ. contr. tabul. l. In ſeruitutem* 16. §. *Si quis bonorum, D. de bon. libertor. l. Papinianus* 8. §. *Meminiſſe, D. de inoffic. teſtam.* Eoque poſito, Martianus, continuatiua ſimilis ſententiæ particula vtens, ſubiungit; *Item ſi quis contra mandata*, ſpeciem ſcilicet de vxore ducta in Prouincia à Præfecto, in qua ſcribit, ex reſcripto Seueri, & Antonini, *quod ei ex teſtamento vxoris adquiſitum eſt, retinere eum non poſſe, tamquam ſi tutor pupillam, contra decretũ ampliſsimi ordinis, duxiſſet*. Quibus verbis nihil propriè, apertève de hæreditate adquiſita, quin potiùs propriè magis ea verba referuntur ad ſingulare aliquod relictum, legatum, aut fideicommiſſum, ex teſtamento adquiſitum; vt in *l. Præfectus* 63. §. 1. illic: *Quod teſtamento relictum eſt*, & poſtea, *mulieris hæredi reſtitui. D. de iure dot.* & quod præcipuum eſt, ea verba non exprimunt, Fiſcum auferre, ſed eos, quibus adquiſitum eſt, non poſſe retinere, inter quæ multùm intereſt; ſæpè enim non retinetur, ſed aufertur eis, quibus datum eſt, & tamen Fiſcus non aufert, vt in ſpecie ab eodem Martiano in Inſtitutionibus tractata ex reſcripto itidem Seueri, & Antonini de tutore legatario à tutela ſe excuſante, & ideo legatum non retinente. *l. Etiam* 111. *D. de leg.* 1. *l.* 3. *D. de iure patron.* iuncta *l. penult. Cod. de legat. l.* 5. §. *Amittere in fine, D. de his, quæ vt indign.* Concludit itaque Martianus in *verſic. Vtroque*, vt ſententiam priori illi de hæreditate ex aſſe ſubſtituto filio, à Fiſco auferenda, comparabilem forma, & effectu faciat, coniungatque, vtroque caſu Præfecti ſcilicet, & tutoris, ſi ex aſſe inſtitutus adierit, fieri locum Fiſco, & quaſi indigno auferri hæreditatem. E contrario in ſingulari relicto, ſicut Martianus in *dict.* §. 1. *in princip.* dumtaxat ſupponit, adquiſitum id ex teſtamento pupillæ, aut prouincialis vxoris, tutori, aut Pręfecto, non poſſe eum retinere. Et ſimiliter in eadem tutoris ſpecie idem Martianus in *l. vltim. D. de leg.* 1. non affirmat, eripi ei à Fiſco, ſed indefinitè, ac ſine diſtinctione hæreditatis, aut legati, ait, non poſſe eum capere ex teſtamento pupillæ, *Ipſe autem non poteſt*, ſcilicet cum effectu. *l. Aliud* 71. *D. de verb. ſign.* quia hæreditatem Fiſcus eripiet, legatum autem, vel fideicommiſſum repetent hæredes pupillæ; ita Scæuola in *dict. l. Vxori* 27. in vſusfructus fideicommiſſo, relicto à coniuge innoxio, inſciove illiciti coniugij vxori illius complici, conſciæve, & conceſſo vxori ab hæredibus, reſpondet expreſsiore formula, poſſe, fructus nomine, perceptum repeti, & conſequenter non à Fiſco, ſed ab hęredibus, qui conceſſerunt, vt in *l. Partis* 10. *D. de praſcr. verb. l. Matrem* 80. *verſ. Claudius, D. ad S. C. Trebell.*

Differentiæ inter hæreditatem, & ſingularia relicta ratio, clariorem differentiam faciet, ſi obſeruetur, petaturque ex eo, quia quamuis regulariter, ſine diſcrimine inter legata, aut hæreditates, quæ quaſi indignis auferuntur, Fiſcus auferat, *l. Papinianus* 8. §. *Meminiſſe* 14. *D. de inoffic. teſtam.* iunctis *tit. D. & Cod. de his, quæ vt indign.* exceptio paucis caſibus, quibus non Fiſco, ſed hæredi, aut perſonæ certę applicantur. *l. vnic.* 19

vnic. §. *Quæ autem* 12. *Cod. de caduc. toll. l.* 5. §. *Amittere, in fine, D. de his, quæ vt indign. l. penult. Cod. de leg. l. Si patroni* 55. §. *Qui fideicommiſſam, verſ. Sed nec illud, D. ad S. C. Trebell.* Eſt tamen, inter eos caſus vnus, ignotus adhuc, eruenduſque ex *dict. l.* 2. §. 1. & *dict. l.* 27. in quo legatum, fideicommiſſumve, indigno ablatum, ad hæredes regreditur, hæreditas autem ad Fiſcum pertinet, nempe quoties à pupilla, aut prouinciali fœmina, aut marito ignaro, & innoxio, relinquitur tutori, Præfecto, aut vxori, nocenti, conſciæve illiciti matrimonij, idque electa illa, & eleganti diſcriminis cauſa, quia coniux innocens, ignoranſque, non præſumitur relicturus coniugi illicito, ſi eum illicitum eſſe, ſciſſet, cui tamquam iuſto, licitoque relinquebat, ſicut dicimus de relicto à patre pupilli, tutori eiuſdem futuro, tamquam tutori, remunerandæ fidei cauſa, vt Papinianus loquitur, ſiue propter tutelam, neque alioquin relinquendo, *l. Tutor* 28. §. 1. *l. Neſſennius* 32. *cum l. ſeq. l. Amiciſsimos* 36. *D. de excuſat. tut. l. penult. Cod. de legat.* Proinde quandocumque poſtea appareat, cui tamquam coniugi relictum fuit, non fuiſſe niſi coniugem illicitum, defeciſſe voluntas, relinquendi, intelligitur, quod & ſatis eſt, vt fideicommiſſum, quamvis mero iure valuerit, ſicut donatio à pupilla ignorante, in tutorem, cui contrà ius nupſit, collata, *l. Si voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* (in quo tamen quoad Scæuolam in *dict. l.* 27. Coſta, & eum ſequuti, ſuprà laudati, parùm videre) tamen ex præſumpto voluntatis defectu infirmetur, & legatum ſimiliter, ſaltem per doli exceptionem, vtpote quibus adimendis, vel nuda voluntas ſufficit. *l.* 3. §. *vltim. l. Cum ſeruus* 15. *D. de adim. leg. l. Si ita* 14. *D. de legat.* 1. *l. Si iure* 18. *D. de legat.* 3. *l. Fideicommiſſum* 27. *Cod. de fideicommiſſ.* & conſequenter ſi per errorem ab ignorante hærede ſoluta ſint, potiùs tamquam ſoluta, ſine cauſa, hæres repetit, quàm quaſi quæſita Fiſcus aufert. *dict. l. Vxori* 27. iuncta *l. Cum tale* 72. §. *Falſam cauſam* 6. *D. de condit. & demonſtr. l.* 2. §. 1. *cum l. ſeq. l. Qui exceptionem* 40. *l. Ex his* 54. *D. de condict. indeb. l. Qui ſe* 7. *verſ. Nerua, D. de condict. cauſa data. l. Neque* 5. *Cod. de teſtament.* Diuerſum autem in hæreditate, relicta coniugi illicito ab inſcio, & innocente, in qua etiam ſi eadem defectæ, erranti ſque voluntatis ratio concurrat, non tamen ſufficit hæreditati adimendæ, quia hæreditas ſemel data, non facilè adimitur, certè non nuda voluntate. *l. Hæreditas* 4. *Cod. de his, quæ vt indign. l. Si certarum* 17. §. *Si eodem, D. de teſtam. mil.* imò nec pro non data habetur, ſola defectæ voluntatis coniectura. *l.* 1. §. *Et hæreditatis* 4. *D. de his, quæ in teſt. del. l. Si ita ſcriptum* 12. §. *Regula, D. de liber. & poſth. l. Quidam* 27. §. *vlt. D. de condit. inſtitution.* ideoque hęreditatem, vtpote mero iure quæſitam, coniugi illicito, tamquam indigno, Fiſcus eripit. *dict. l.* 2. §. 1. *verſ. Vtroque.* iuncta *l. Aufertur* 46. *D. de iure Fiſci. l. Si pater* 4. *Cod. de hæred. inſtit.*

Iam verò hanc differentiam, ſimulque differentiæ rationem, cuius fundus, auctorque veluti Papinianus in *l. Ex parte* 22. *D. de adim. leg. l. Militis* 36. §. *Veteranus, D. de teſtam. milit.* firmant, fulciuntque, quoad hanc partem delationis hęreditatis in Fiſcum, non item legati, vel fideicommiſsi, ſimilia exempla, quæ ſequuntur. 15

Pri-

12 Primum, & propoſito proximum, eiuſdemque generis, rationiſque, eſt in inſtituto, tamquam filio, neque aliter inſtituendo, quem poſtea non eſſe filium, ſed ſubiectum, vel ſuppoſitum, conſtitit, à quo, vt indigno, hæreditatem Fiſcus aufert. *d. l. Aufertur* 46. *D. de iure Fiſci. l. Si pater* 4. *Cod. de hæred. inſtit. l.* 1. §. *vlt. D. de Carbon. Ed.* quamvis diuerſum ſit in peregrino, in locum fratris adoptato, & tamquam fratre inſtituto à Ciue Romano, in qua ſpecie (quamuis ſi frater eſſet, poſſet etiam peregrinus, ex teſtamento fratris Ciuis capere, vt ex Plinio diſcere, licet in *Panægyrico*, vbi de viceſsima hæreditatis, inter fratrem Ciuem, & peregrinum, ſublata; iuncto Vlpiano in *fragmentis tit.* 20. §. *Latinus* 14.) tamen cum peregrinus fuerit, neque apud peregrinos, adoptione, frater fieri potuerit; ideoque eius inſtitutio, vtpote peregrini, & non fratris, ex teſtamento Ciuis pro non ſcripta ſit. *l.* 1. *Cod. de hæred. inſtit.* ſiue quod eodem recidit, quod teſtator adoptando, & inſtituendo fieri, voluit, irritum ſit, conſequens eſt, portionem hæreditatis, quam tamquam frater adoptatus, & inſtitutus tenet, non vt indigni voluntate defecti à Fiſco auferri, ſed vt peregrini incapacis, & pro non ſcripta reſtitui filio hæredi, debere. *l. Nec apud* 7. iuncta *l.* 2. *Cod. de hæred.* quam ita præeuntibus Græcis Scholijs, *lib.* 35. *Baſilic. tit.* 9. *in extremo*, interpretamur, latinis fere omnibus, ac vel Cuiacio ipſo vacillantibus, & ex nouioribus Benedicto Pinello *lib.* 1. *ſelectar. cap.* 6. *ex num.* 41. Planè diuerſum in legato, aut fideicommiſſo, relicto tamquam filio ei, qui filius non eſt; id enim non à Fiſco auferri, ſed non deberi, ſcilicet cum effectu, quia petenti exceptio obſtat, & contra eum ſi ab inſcio acceperit, repetitio eſt, reſcribitur in *l. Neque* 5. *Cod. de teſtam.* Vbi mentio eorum, quæ teſtamento relinquūtur, refertur propriè magis ad legata, vel fideicommiſſa, quę relinquuntur ab hęrede præſtanda. *princip. Inſtit. de legat.* quàm ad hæreditatem, quæ à teſtatore ipſo datur, & hæres ab eo capit, & à ſemetipſo, non ab alio. *l. Hæres* 54. iuncta *l. Ex parte* 58. *D. de acquir. hæred. l.* 6. §. *vlt. D. de hæred. inſtit.*

Secundum eſt in hærede, cuius nomen, conſultò à teſtatore poſt conſummationem teſtamenti deletum eſt; ei enim hæreditas, vel portio eius relicta, quamvis adeundo, adquiri poſsit, ciuili iure, non tamen prætorio, nec cum effectu. *l. vlt. D. de iniuſto rupto. l.* 2. *D. de his, quæ in teſtament. del.* iuncta *l. vnic. D. ſi tabulæ teſtam. extab. l.* 2. §. *Si conſultò* 7. *l. Si ita* 8. §. *Is autem, D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* & quaſi indigno, & voluntate defecto, à Fiſco aufertur. *l. Cum tabulis* 16. §. *vltim. l. Cum quidam* 12. *D. de his, quæ vt indign. l. Hæreditas* 4. *Cod. eodem tit.* niſi ſi ab inteſtato hæredes probent, ideo inſtituti nomen deletum à teſtatore, quia inteſtatus maluit decedere, quo caſu ipſi auocabunt hæreditatem, iuxta Pauli notam ad Papinianum in *l. vltim. D. de his, quæ in teſt. del.* & apud auctorem *collat. leg. Moſaic. & Rom. tit.* 16. *de legit. hæred.* §. *Paulus*, iuncta *l.* 1. §. *penult. D. ſi tabulæ teſt. null. extab.* E contrario legata, conſultò à teſtatore, & peracto teſtamento deleta, quamuis ipſo iure debeantur, non tamen cum effectu, & petentes exceptione repelluntur, nec Fiſco locus fit. *l.* 1. §. *Sed conſultò* 3. *D. de his, quæ in teſt. del.* iuncta *l. Si inimicitiæ* 9. *in princip. &* §. *vlt. D. de his, quæ vt indign.* 13

Ter-

14 Tertium eſt in hærede, qui ei, à quo inſtitutus, necem intulerit, aut negligendo, necis cauſa fuerit; ab eo enim, vt indigno, hæreditatem Fiſcus eripit. *l. Cum ratio* 7. §. *Præterea*, *D. de bonis damnat. l.* 3. *D. de his, quæ vt indign. l. His conſequenter* 18. §. 1. *D. famil. herciſc.* & *in feudis lib.* 2. *tit.* 24. *quæ fuit prima cauſa benef. amitt.* §. *Item qui dominum.* Et tamen legatum, aut fideicommiſſum, eidem occiſori relictum, non Fiſcus auferret, ſed hæres retineret, aut per errorem ſolutum repeteret. Vt argumento ex *l. penult.* §. *Seia*, iuncta *l.* 3. §. *vltim. D. de adim. leg. l. Si inimicitiæ* 9. *in princip.* & §. 1. *D. de his, quæ vt indign.* notant ex pragmaticis noſtris primarij, D. Molina 1. *de primogen. cap.* 9. *num.* 24. & 38. & *ſeq.* Petr. Barboſa in *l. Ab hoſtibus* 15. §. *vlt. num.* 9. & 10. *D. ſol. matrim.* conducit lex ab hoſtibus 11. §. *vltim. D. ſolut. matrim.* Nec contrarius Vlpianus eſt in *d. l. Inimicitiæ*, §. *vlt.* dum ſcribit, controuerſia ſtatus mota teſtanti à legatario, & proinde impetito ſolo ciuili capite teſtatoris, legatarium adeo indignum fieri, vt denegata ei, teſtamento relicti, perſecutione, id ſtatim Fiſco deferatur, quantò magis ſi naturale caput ipſum, non impetitum modò ſit, ſed peremptum. Quippe obſervare, oportet in *dict.* §. *vltim.* non teſtatori viuo, ſed eius iam defuncti controuerſiam ſtatus, motam à legatario, ideoque Vlpianus non ſic loquitur, vt *ei*, ſcilicet teſtanti, ſed *eius*, nempe defuncti motam ſtatus controuerſiam proponat, eoque poſito apparet, non poſſe ex coniectura voluntatis, quæ in defuncto nulla eſt, & ex indignitate poſt mortem eius ſecuta (non autem, quæ eo viuo ſuberat, vt *in principio eiuſdem l. Si inimicitiæ* 9. & *in d. l. Vxori* 27.) legatum pro adempto haberi, vt hæres vel retineat, vel repetat, ſed aut tamquam indigno, iuris cenſura, legatario auferendum à Fiſco. *l.* 1. ibi: *Poſt mortem eius. l. Cum tabulis* 16. *D. de his, quæ vt indign.* aut quod Vlpiani textus, & inſcriptio, ex *lib.* 14. *ad leges Iuliam, & Papiam*, magis ſuadent, deferendum ſtatim Fiſco, tamquam caducum, *dict.* §. *vltim.* illic: *Ex qua ſpecie ſtatim Fiſco deferetur*, vt exponemus pleniùs infra *in tractatu de caducis*, vbi & de opinione Cyrilli, & veteris Scholiaſtæ *lib.* 60 *Baſilic. tit.* 42. *in dict. l.* 9. cuius in ſingulis ſpeciebus confiſcationi locum eſſe, voluerunt.

Illud vtique, ne quem adhuc malè habeat, explanandum apud Scæuolam reſtat, ſiue coniecturis illis prioribus ex biennij, aut vicennij tempore admiſsis, ſiue diſtinctione hac, quam magis probamus, inter hæreditates, & alia relicta, cur ſcilicet de fructibus perceptis repetendis, dũtaxat quæratur, reſpondeaturque, ac non itidem de vſufructu ipſo, & dote, atque alijs relictis. Sed quoad hæc poſteriora, ne interim ſpeciale quid de dote, & fructibus ex nomine perceptis in illicito, inceſtoue matrimonio, quam ſanè dotem, ſi probabili errore impedimenti, & prohibitionis inſciam vxorem fuiſſe, volumus, vt & poſuimus, non auferri ei, vt indignæ, nec Fiſco deferri, conſtat *ex l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* iuncta *l. Eum qui* 18. *verſic. Ceterùm, Cod. ad leg. Iul. de adult. l. Si adulterium* 38. §. *Fratres*, & §. *Inceſtum* 7. *D. eodem tit.* quamvis ſi conſcia eſſet, auferretur. *l. Si quis inceſti* 6. *Cod. de inceſtis nupt. l. Inceſtæ* 52. *l. dote* 61. *Digeſt. de iure dot.* de queis *capite ſequenti* ex profeſſo, fuerit 15

ſatis nunc, rei expediendæ, Scæuolam in facto enarrando, ſolum vſumfructum, vxori conceſſum exprimere, non dotem, aliave relicta, proinde ſecundùm ea, quæ proponerentur, non fuit, cur quæreret, reſponderetve de illis repetendis, quæ tradita fuiſſe, non ponebatur. Planè de repetendo vſufructu, quem conceſſum exprimit, ideo fortaſſe neque quæſitum, neque reſponſum, quia in eo indubitatum erat, non poſſe, repeti condictione, ſed hæredes, proprietatis dominos, vindicare rem debere. *l. vlt. D. vſufructuar. quem cau.* aut agere de vſufructu reſtituendo ex ſtipulatione fructuaria, ſi ea, vt ſolet, in fideicommiſſo vſusfructus ſit interpoſita. *l. 1. §. Illud 2. & §. Habet 6. cum §. ſeq. l. 3. §. 1. D. vſufructuar. quem cau.* de quo tamen vt explorato, & quia non conſulebatur, nihil ſana, ſobriaque iuriſprudentia Scæuolæ reſpondent, cuius eſt potiùs moris, & genij, principali quæſito abſoluto, ea, quæ illi adiacentia, aut conſequentia ſunt, ex eodem, aut aperto iure deducenda, & decidenda relinquere. *l. Titia 59. §. 1. verſ. Claudius, D. de manumiſſ. teſtam. l. A teſtatore 108. D. de condit. & demonſtrat.*

CAPVT XVII.

DE DOTIBVS IN MATRIMONIIS ILLICITIS. AD LEG. DOTE 61. l. Inceſtæ 52. D. de ritu nupt. l. Si quis 6. Cod. de inceſt. nupt.

ARGVMENTVM.

DOs in nuptijs illicitis, velati Senatoris cum libertina, ſemper nulla; ſed hoc amplius, & primitus, quod in inceſtis cadit in Fiſcum. *d. l. Si quis 6.* In qua obſervatur Tribonianiſmus, circa mentionem dictionis doris, & preterea caducitatem doris eſſe ex iure antiquo. Expoſita cum Latinis, & Græcis *lex vltima, D. de condict. ſine cauſa.* In matrimonio Præfecti cum prouinciali fuit dos caduca, fortaſſe & in tutoris cum pupilla. Coniectatio ad *l. vltim. Cod. de interd. matrim. int. tut.* & de *calumniæ* vocis vſu, & ſenſu. Caducitatis propoſitæ effectus, & cur eidem non locus in donis ſponſalitijs? In matrimonio Senatoris cum libertina, non fuiſſe dotem caducam, tentatum Briſſonio, & Gentili. At cum Accurſio verius fuiſſe, & forſitan ex *legibus Iulia, & Papia*, quod & variè ſuadetur, & præcipuè ex *l. A Diuo 58. D. de ritu nupt. l. Qui contra 4. Cod. de inceſt. nupt.* Vlpiano *tit. 16. §. vlt.* Eo loci ad illa verba, *mortua muliere*, noua adnotatio. Caducam dotem non fuiſſe ablatam, quamdiu frons matrimonij ſtaret. Expenditur in eam rem Papinianus in *l. Dote 61. D. de ritu nupt.* qui & confertur cum Ciceronis *Topicis*. Expenditur idem in *l. Præfectus 63. D. de ritu nupt.*

1 POſtrema eſt ex propoſitis ſupra, circa effectum prohibitionis nuptiarum inter Senatorios, & libertinas, & expeditis de donationibus, relictiſque inter eos coniuges, cõſectanea quæſtio de dote, in eiſdem nuptiis data, dicta, promiſſa. De qua in primis ſtatuimus, dotem in eiuſmodi nuptijs, contra legem Iuliam, contractis, nullam eſſe, & intelligi iuris cenſura, vt exprimitur Antonini Pij reſcripto, vtique ante Marci Orationem, & Senatus Conſultum edito, ac proinde eo tempore, quo tales nuptiæ, quamvis iniuſtæ, & non legitimæ, erant tamen validæ, & ratæ. *l. A Diuo 58. Digeſt. de ritu nupt*, de cuius princi-

ci-

cipali ſententia fusè ſuprà.

2 Eius autem, quam nunc firmamus, aſſertionis ratio in eo eſt, quoniam dos eſt acceſsio, appendixque matrimonij, & nuptiarum, ſine queis non conſiſtit, & propter quas conſtituitur. *l. 3. D. de iure dot. l. vltim. verſic. Sicut enim, Cod. de donat. ante nupt. cap. de prudentia 3. de donat. inter.* Vnde & dos omnis, ſiue eius conſtitutio, tacitam conditionem habere, dicitur, ſi nuptiæ ſequantur. *l. In rebus 17. l. Stipulationem 21. cum l. ſeq. l. Promittendo 41. §. 1. de iure dot. l. 4. §. Huius, D. de pactis,* ideoque quando, & quamdiu nuptiæ non ſunt, nec dos eſt. *dict. l. 3. l. 1. §. penult. & vltim. D. pro dote. §. Si aduersùs 12. Inſtit. de nupt.* & quidem etiam ſi nuptiæ teneant, matrimonij iure, & iugo, ſi tamen ſint iniuſtæ nuptiæ, quales contractæ à filia familias, iniuſſu patris. *l. dotis 68. in princip. D. de iure dot. l. Si vt propoſuis 7. Cod. de nupt. dict. §. Si aduersùs 12.* iuncto *princip. Inſtit. de nupt.* & Senatoris cum libertina, ante Marcum Aurelium. *dict. l. A Diuo 58.* multòque magis, vbi non modò iniuſtæ, ſed & invalidæ, atque irritæ nuptię, etiam quoad nodum, nexumve matrimonij. *l. 1. Cod. de condict. ob cauſ. dator. l. 1. §. penult. D. pro dote,* quales inceſtæ, ſiue illicitæ. *l. Inceſtæ 52. l. Dote 61. D. de iure dot. l. vltim. in princip. & §. vltim. D. de condict. ſine cauſa;* & contractę à Præfecto contra mandata, vel à tutore cum pupilla. *l. Si quis 38. §. 1. D. de ritu nupt. l. penult. & vltim. Cod. de interd. matrim. inter tut.* iuncta *l. Si concubina 17. D. de act. rer. amotar.* vel à minore duodecim annis. *dict. l. dotis 68. l. Si ſponſa 74. D. de iure dot. l. Nec vllam 13. §. 1. verſic. Item pro dote. D. de hæred. petit. l. Quæſitum 17. §. vlt. D. de rebus auctor. iud. poſſid. l. Falſus 11. §. vltim. D. quod falſo tutore,* vel ancilla. *l. Si mulier 59. §. vltim. l. Proculus 67. D. de iure dot. l. Si cum dotem 22. §. vltim. D. ſolut. matrim.* iuncta *l. Lucius 27. D. depoſiti. l. 3. C. ſolut. matrim.* Vel denique cum caſtrato, ſeu omnino exciſo. *l. Si ſerua 39. §. vltim. D. de iure dot.* iuncta *l. Alumnos 14. §. vlt. D. de manum. vind.*

Conſtat itaque, in nuptijs à Senatorio cum libertina, ſeu contra legem Iuliam, contractis, dotem nullam eſſe. 3 Sed an in eiſdem nuptijs, ea dos ad Fiſcum pertineat, vel vt erepta indignis, ſicut donatio, in *l. Cum hic ſtatus 32. §. vltim. D. de donat. inter.* vel tamquam caduca, vt in regula *l. dote 61. D. de iure dot.* Et exaſciatæ nondum quęſtionis, nec tam propriè aſſertionis, quàm coniecturę. Sanè in nuptijs inceſtis, & illicitis dotem auferri, & cedere Fiſco, proditum eſt in *dict. l. Inceſtæ 52.* iuncta *l. dote 61. D. de ritu nupt. l. Si quis inceſti 6. Cod. de inceſt. nupt.* illis verbis: *Dos, ſi qua fortè ſolemniter aut data, aut promiſſa fuerit, iuxta ius antiquum, Fiſci noſtri commodis cedat.* In queis duo curſim notanda. Primum, extare in eis Tribonianicæ curæ in ſupprimendis priſci iuris veſtigijs perſpicuam notam, quam primi forſitan, ante quadraginta, & amplius annos animadvertimus in *Academicis recitationibus ad leg. vnic. Cod. de rei vxor. act.* neque à Iacobo Gothofredo notatum poſtea, ad eam *l. 3.* nam cum in ea conſtitutione, quæ eſt *lex 3. Cod. Theodoſ. de inceſt. nupt.* ſcriptum eſſet, *dos, ſi qua fortè ſolemniter aut data, aut dicta, aut promiſſa,* omiſit Tribonianus verba, *aut dicta,* ſiue mentionem, *dotis dictionis,* quoniam hęc, poſt *l. Ad exactionem 6. Cod. de dotis*

pro-

promiſſ. in vſu eſſe deſierat ; de quo tamen , & ſimilibus Tribonianiſmis plura nos ad *caput illud Iuliæ legis de curatore doti dandæ, dicendæ, promittendæ.*

4 Secundum eſt, pœnam hanc dotis Fiſco cedentis , ſiue caducę in nuptijs inceſtis , eſſe ex antiquo iure , cuius & notæ veluti ſunt , in *dict. l. Inceſtæ* 52. *dict. l. Dote* 61. & (vt Cuiacio, alijſque placitum, quamuis nos aliter *capite præcedenti ad finem*) in *l. Vxori* 27. *D. de vſufruct. legat.* idque ab Archadio , Honorioque in *dict. l.* 6. ſignanter exprimi illic : *Iuxta eius antiquum* , fortaſsis ideo , ne ipſi, ea conſtitutione , qua morum correctionem inducebant, Fiſci, viderentur, habere rationem, ſiue Fiſci fauere compendio , quod à bonis Principibus longè abfuit ſemper, vt in re ſimili ſcripſere eorum parentes , Gratianus, Valentinianus , Theodoſius in *l.* 1. *Cod. de ſecund. nupt.* Cæterùm ei pœnæ locum non eſſe, niſi nuptijs facto ipſo contractis , ſiue attentatis , alioquin ſi attentatæ nuptiæ non ſint , pecunia in dotem data, ob nuptias futuras inceſtas , ſi ſequerentur , non tamen ſecutas , repetitur condictione ſine cauſa , tamquam dos potiùs nulla , quàm caduca, magiſque ob nullam , quàm ob turpem cauſam. *l. vltim. in princip. &* §. *vltim. D. de condict. ſine cauſa* , de qua ita poſt Placentinum , Bartol. Fulgoſ. Salycet. in *dict. l. vltim.* Innominatus , inter Græcos , Scholiaſtes *lib.* 28. *Baſilic. tit.* 4. *in dict. l. Inceſtæ* 52. Alciat. *in rubr. D. ſolut. matrim. num.* 21. Cuiac. 11. *quæſt. Papin. & Faber in ration. dict. l. vltim.* &, poſt Briſſonium , Arias de Meſa 2. *var. cap.* 40. *num.* 7. Scipio Gentil. *de donat. inter. lib.* 4. *cap.* 3. *in princip.* Donell. *in l.* 1. *num.* 10. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* P. Barboſa *in l. Si ante, num.* 27. *D. ſolut. matrim.* & noſter Reteſius *lib.* 2. *opuſc. ſect.* 2. *cap.* 9. *num.* 9. & alij , quos non compilo ; Fabri tamen oſcitantiam non fero , qui in ſuo , vt vocat , *Codice* , *lib.* 4. *tit.* 6. *defin.* 2. *nu.* 3. etiam ſecuto matrimonio illicito , & ſcienti mulieri repetitionem dotis largitur , quaſi dederit , non ob ſtuprum , ſed matrimonium ex Papiniani, vt putat, mente , in *dict. l. vltim.* verè tamen non tantùm contra Papinianum, qui non ſemel , ſignanterque reſpondet ſub conditione illa , *neque nupſit. dict. l. vltim. in princip. &* §. 1. ſed & contra omnem honeſtatis , & iuris rationem.

Deinde & in matrimonio , contra mandata à Pręfecto , ſiue adminiſtrante cum prouinciali fœmina, dotem fieri caducam , ſubindicatur in *l. Si quis* 38. §. 1. *D. de ritu nupt.* & ex Gordiani ignota conſtitutione, quæ Seueri aliam memorat , adnotauit pridem Cuiac. 1. *obſeru. cap.* 11. idque ipſum in tutoris cum pupilla nuptijs , ius dotis fuiſſe , ſcilicet , vt caduca fieret , damnumque, & calumniam (quo nomine Fiſcales delatio , & improba ſæpe petitio nouioribus Cæſaribus ſignificabatur. *l.* 3. *Cod. de aduocat. Fiſci. l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis. cum l. vltim. de indictionib. l.* 2. *de curator. Kalendar. l.* 29. *de petition. in Cod. Theodoſ.* Caſſiodoro *lib.* 4. *var. epiſt.* 32. Videſis ex Hiſpanis *l.* 1. *in fin. tit.* 10. *lib.* 5. *compilat.* iuncto , ex *legibus Longobardorum* , *lib.* 2. *tit.* 27. & de , *Kalumniæ* , verbo, apud mediæ ætatis ſcriptores, Franc. Iuræum in *notis ad Iuonem Carnot. epiſt.* 17. Innoc. Cyronium in *paratitlis ad tit. de iuram. calumn.* Iacob. Gothofred. *ad l. Celebrandis , Cod. de nupt.*) ſeu læſionem eius non capiendæ , aut lucrandæ mari- 5

ritus pateretur, conijciebam fortaſſe primus, ex *l. vltim. Cod. de interd. matrim. inter tut.* argumento à contrario, & ſpeciali in illis verbis: *Tales nuptias ſtare, ne ex huiuſmodi ſubtili, vel maligno tractatu, matrimonia, ſeu proles, ex his progenita, vel dos ſuper his data, vel promiſſa, aliquam læſionem, vel calumniam patiantur.* Accedit prohibendarum eiuſmodi nuptiarum tutoris, & Præfecti par, eademque ratio potentatus, quæ comparabiles, imò pares, eaſdem in ſimilibus cauſis facere ſolet. *l. Præfectus 63. D. de ritu nupt. l. 2. §. 1. D. de his, quæ vt indign.* distinguant licet, me non ſubſcribente, Faber *in iuriſprud. titul. 9. princip. 1. illat.* 12. Scipio Gentilis *de donat. 4. cap. 3.*

6 Planè dum *caducæ* hę dotes, dicuntur, ſatis eo ipſo, *caduci*, nomine ſignificatur, cadere eas in Fiſcum, & cadere, ſiue excidere eis, illos, ad quos alioquin pertinerent, iuxta deſcriptionem *caduci*, apud Vlpianum *tit.* 17. *in princip. & §.* 1. D. Iſidor. *lib. 5. Ethymolog. cap.* 25. & quoad dotem in nuptijs inceſtis exprimitur in *dict. l. Si quis inceſti* 6. Nec tamen ideò coniux culpæ expers, ſiue ignarus, innoxiuſque illiciti matrimonij caret dote, illiuſve, lucro, quo ſi dos caduca non fieret, frueretur; quin potiùs, ſicut alijs in cauſis Fiſco, in caducis pręferri ſolent liberi, & parentes, vſque ad tertium gradum, de queis Vlpianus *tit.* 17. *§. vltim. l. vnic. in princip. verſic. Et cum lex, Cod. de caduc. tollend. l. Pater 29. §. vltim. D. de legat. 2.* aut hęredes, cohæredeſve habentes ius liberorum ex Vlpiano *tit.* 25. *§. Si quis in fraudem. l. Plautius 43. §. Item ſcinditur, D. de condit. & demonſtrat. l. Si in teſtamento 5. D. de vulgari*, aut denique in hoc ipſo argumento ereptitiorum inter coniuges, pupilla, aut prouincialis virgo. *l. vltim. D. de legat. 1. l. 2. §. Per contrarium, D. de his, quæ vt indign. dict. l. Præfectus 63. §. 1. D. de ritu nupt. l. Si voluntate 7. Cod. de donat. inter. l. Qui contra 4. Cod. de inceſt. nupt.* & ſolemne in legibus noſtris eſt, ſcientiam alterius, alteri non nocere, ex regula Terentij 2. *ad leges Iuliam, & Papiam*, in *l. Iniquiſſimum 5. Digeſt. de iur. & facti ignorant.* Cui appoſitum ex hoc tractatu exemplum, neque à librorum Clementis ordine deſsidens, adoptare facilè licet, vt præmonuimus ſupra. Ita & in caduca dote vxor innocens, inſciaque Fiſco potior cenſetur, & dotem ſuam repetit condictione, ſicut pupilla in *l. Si tutor 7. Cod. de interd. matrimon. inter tut.* & prouincialis virgo, ſeu mulier, eiuſve hęredes in *dict. l. Præfectus 63. §. 1. in fine, D. de ritu nupt.* & decepta fœmina à viro alterius marito in *l. Eum qui 18. verſic. Cæterùm, Cod. ad leg. Iul. de adult.* & eadem in contrarium ratione, maritus Senator deceptus à libertina dotem, eiuſve lucrum perſequitur vtili actione, *dict. l. A Diuo 58. D. de ritu nupt. l. Si filia 5. D. de diuort.*

In quo à dote diuerſum, ne id prætereamus, propriumque ius eſt ſponſalitiæ largitatis, ſeu doni, promiſsi tamquam ſponſæ ei, quæ ſponſa eſſe non poterat, quia quamvis id promiſſum teneat, petique mero iure poſsit, quoniam error, falſave demonſtratio qualitatis ſponſæ, non vitiat ipſo iure promiſsionem, vt prænotauimus ſupra. Et ſponſalitia largitas non perinde vt dos à nuptijs 7

pendet, vtpote quæ ſine his, & ſolis ſponſalibus præcedentibus ſolet, ſubſiſtere. *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *Si quis ſponſam* 27. *cum* §. *ſeq. D. de donat. inter.* iunctis traditis ſupra; non tamen petitur cum effectu, etiam ſi innoxia mulier, & decepta ſit. *l. Ea quæ* 5. *Cod. de donat. ante nupt. l. Eum qui* 18. *in fine, Cod. ad leg. Iul. de adulter.* quia lucrum ſponſalitij doni non perinde ac dos, quæ mulieris patrimonium, & in marito oneribus matrimonij reſpondet, cenſeri poteſt, fauorabile, argumento ex *l. Si voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* iuncta *dict. l.* 32. §. *vlt. D. eodem. l. vlt.* §. *penult. Cod. de codicill.*

9 Sed, vt diximus, hæc ita quamuis de dote caduca in inceſtis nuptijs, & Præfecti, tutoriſve, an eadem tamen obtinuerint in dote matrimonij Senatorij cum libertina, ſuſpicari magis, licet, quàm ſcire. Et vt non obtinuiſſe, ſuſpicemur, vt contra Accurſium Briſſonius cenſet *de iure connub. pag.* 13. Gentilis 4. *de donat. inter. cap.* 3. & fuerit fortaſſe argumentum ex eo, quod pœna hæc dotis caducæ, ſiue amittendæ, nec generaliter pertinuit ad omnes nuptias non iuſtas, ſiue illegitimas, certè non ad eas, quæ quamvis non iuſtæ, non validę, ſunt tamen initæ ſine delicto, & turpitudine, in quibus dotis repetitioni, & interdum cum priuilegio locus eſt. *l. Si cum dotem* 22. §. *vltim. D. ſolut. matrim. l. Si ſerua* 39. *l. Mulier* 59. §. *vltim. l. Proculus* 67. *l. Si ſponſa* 74. *D. de iure dot. l. Quæſitum* 17. §. *vltim. D. de rebus auctorit. iud. poſsid. l. Quod Seruius* 8. *D. de cond. cauſ. data. l. Si vt proponis* 7. *C. de iure dot. l.* 3. *Cod. ſoluto matrim. l. Lucius* 27. *D. depoſit.* (iuxta quas ſpecies explananda, ad eaſque referenda *lex* 1. *Cod. de condict. ob cauſam datorum*, illic: *Impediente quocumque modo iuris auctoritate, matrimonium conſtare*; ſiue vt, poſt Accurſianos, Cuiacio, Donello, alijſque ibidem placet, iuxta terminos nuptiarum, facto ipſo non ſecutarum, vt in *l. vltim. D. de cond. ſine cauſa*, de qua ſupra) neque ampliari debuit, vtpote pœna caducaria, & odioſa, ad nuptias Senatoris cum libertina, quibus indictam fuiſſe, nuſquam exprimitur, *l. vnic. Cod. de caduc. tollend. l.* 2. §. *Quintus in fine, Cod. de veter. iure enucl.* iuncta regula *l. Cum quidam* 19. *D. de liber. & poſth.*

Ex adverſo tamen, vt agnoſcamus pœnam caducæ dotis ex Iulia, & Papia legibus in nuptijs Senatoris cum libertina, firmiores coniecturæ ſunt, tum quia propriè legibus noſtris adſcribitur hæc ſpecies caduci, vtpote quibus generaliter inductum nomen, exordium, & materia *caducorum*, indeque *caducariæ* leges dictæ. *l. vnic. in princip. &* §. *Et cum igitur, Cod. de cad. tollend.* Vlpian. *tit.* 19. §. *Lege, & tit.* 28. §. *Inteſtati* 7. *in fine*; tum etiam, quia Senatoris cum libertina, aut adulterij damnata, nuptias, & tutoris cum pupilla, aut Præfecti cum prouinciali exæquari, quoad pœnas ſimiles, prohibitarum nuptiarum, conſtat ex *l.* 3. §. 1. *verſic. Ergo l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vltim. D. de donat. inter. l.* 2. §. 1. *l. Claudius* 13. *D. de his, quæ vt indign. l. vltim. D. de legat.* 1. iuncta *l. vnic. D. vnde vir, & vxor.* & Vlpiano *tit.* 16. §. *Aliquando. l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* cuius in aditu, ac verbis illis, *qui contra legum præcepta, vel contra mandata, conſtitutioneſque Principum nuptias fortè contraxerit*, deſignantur nuptiarum illicitarum primarij veluti ordines tres, vel contra legum Iuliæ, & Papiæ præcepta, quales Senatoris cum li-

libertina, aut famoſa, vel contra mandata, ſicut Præfecti cum prouinciali fœmina. *l. Et ſi contra 6. Cod. de nupt. l. Si concubina 17. D. de act. rer. amot.* vel denique contra conſtitutiones Cæſarum, cuiuſmodi fuit Oratio Marci, cuiuſmodi pleræque inceſtæ, enumeratæ in *l. Nemini 17. Cod. de nupt. l. 1. & ſeqq. Cod. Theodoſ. de inceſt. nupt.* & apud auctorem *collation. leg. Moſaic. tit. 6.* (non autem deſignantur ſaltem ex mente Cęſarum in *dict. l. Qui contra 4.* Eccleſiæ Romanæ Antiſtitum, anteriora licet, conſtituta de inceſtus nuptijs, veluti Calixti, Fabiani, Iulij, de queis in *cap. Coniunctiones 2. cum ſeq. cap. Nullum 7. 35. quæſt. 2.* vt nuperus collectaneorum Codicis concinnator Aug. Barboſa, canoniſticè magis, quàm dextrè, exponit in *dict. l. 4.* Quippe ea decreta deſignari apud Cæſares, appellatione conſtitutionum Principum, inauditum, ac inſolens eo ſeculo, & iure) in quibus ſingulis, nempe inceſtis, & Præfecti, aut tutoris nuptijs dotem in Fiſcum cadere, iam expreſsimus; tum denique, quia Martianus ſcribit, ſi libertina quaſi ingenua, Senatorem deceperit, & ei nupſerit, dandam eſſe Senatori vtilem actionem contra libertinam, vt conſequatur lucrum ex dote, quod non habet, quia dos nulla eſt. *l. A Diuo 58. D. de ritu nupt.* Cum tamen, ſi non tantùm de promiſſa dote, ſed etiam de data, ſiue tradita accipiamus *d. l. 58.* (ſicut eum locum accipi, nec ad promiſſam dotem reſtringi, probabilius eſt) non egeret Senator, deceptus actione ad lucrum dotis, ſi caduca non eſſet, ſed vel retineret, vel mulieri reſtitueret, vt in *l. 1. Cod. de condict. ob cauſ. dator.* ideo autem non retinet, nec reſtituit mulieri, ſed contra illam agit, quia dotem, ſiue datam, ſiue promiſſam, vt caducam Fiſcus aufert. *dict. l. A Diuo 58.* iuncta *l. Si quis inceſti 6. verſ. Dos ſi qu., Cod. de inceſt. nuptijs.*

Poſtremum, & potiſsimum argumentum eſt, ex Vlpiano *tit. 16. §. vltim.* vbi ſuppoſita prohibitione nuptiarum, ex noſtris Iulia, & Papia legibus, inter quinquagenarias, & ſexagenarios. *l. Sancimus 27. Cod. de nupt. l. Si maior 12. Cod. de legit. hær.* affirmat, ſi maior quinquagenaria, minori ſexagenario nupſerit, impar matrimonium appellari, & Senatus Conſulto Caluitiano iuberi, non proficere ad capiendas hæreditates, vel legatas dotes, ac proinde productam eſſe eo S. C. ad has nuptias quinquagenariæ cum minore ſexagenario, regulam illam, nihil inter ſe capiendi, in nuptijs, contra leges noſtras, initis à Senatore cum libertina, aut ingenuo cum famoſa, de qua in §. *Aliquando eiuſdem tit. 16.* diximus *ſupra*; indeque veluti infert, ſubiungitq; Vlpianus in *d. §. vlt. Itaque mortua muliere dos caduca erit.* Quibus verbis ſupponit, & probat, pœnæ dotis caducæ in nuptijs, ob ętatem imparibus, ex lege Iulia, & Papia locum eſſe. Vnde itidem eſt, vt neque immeritò, aut temerè ſupponamus, & coniectemur, fuiſſe eidem pœnę locum in nuptijs, ex eiſdem legibus ob ſtatum, dignitatemve imparibus, vt puta ingenui, aut Senatorij cum famoſa, aut libertina, inducentibus pœnam eiſdem legibus, aut producente ab hiſce ad illas impares nuptias, ſimili iuris conſtitutione, de qua non liquet. 10

11 Illud, ſepoſita interim ad locum, ſiue caput de nuptijs, ob ætatem imparibus, pleniore Vlpiani illuſtratione, dignum nunc explicatu, & expoſitum fortaſſe nondum eſt, cur

cur Vlpianus ſcribat, dotem caducam fore, *mortua muliere*, quaſi ſcilicet non ſit caduca ante id tempus, vel mortuo marito, aut vtroque ſuperſtite, ab initio, & facto ipſo prohibitarum nuptiarum, cum tamen conſtet, eo facto pœnam incurri, & committi, adeo vt quamuis poſtea, prohibitione ceſſante, & nouo conſenſu nuptiæ eſſe incipiant, tamen *in præteritum commiſſo vitio* caducitatis, vt ſic loquar, *mederi non poſſint*, vt ſcriptum fere eſt in conſtitutione Seueri, apud Cuiac. 1. *obſeru. cap.* 11. iuncta *l. Eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Etſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. Paulus* 11. *D. de ſtatu hom. l. Si vxor* 13. §. *Si quis vxorum* 6. *in fine*, *&* §. *Si vxor* 8. *D. ad leg. Iul. de adulter. l. Dotis* 68. illic: *Tunc primùm petetur*. *D. de iure dot.* ideoque & omne, fructuum nomine quaſi ex dote interim perceptum, auferatur. *l. Inceſtæ* 52. *D. de ritu nupt.* ſed obſeruandum eſt, pœnam caducæ dotis, quamvis illicitis contractis nuptijs ex tunc iure ipſo committatur, non tamen cum effectu apparere, exercerive, conſtante adhuc iniuſti quamuis matrimonij facie, ſeu fronte, ſiue vt in ſpecie ſimili Neratius ſcribit, quamdiu in eodem habitu matrimonij permanent. *l. Quod ſeruus* 8. *D. de condict. cauſa data.* Idque non modò in nuptijs, , tantùm iniuſtis, & alioquin validis, nec diſſoluendis, quales fortaſſe fuerunt quinquagenariæ cum ſexagenario ex noſtris legibus, & Vlpiano *dict. tit.* 16. §. *vltim.* & Senatoris cum libertina, ante Orationem Marci Antonini. *l. Oratione* 16. iuncta *l. A Diuo* 58. *l. Si quis* 27. *D. de ritu nupt.* diximus ſupra, ſed generaliter in quibuſcumque illicitis, ſiue interdictis, quæ quoad effectum dotis interim ſubſtinendę, nec repetendę, aut auferendæ, comparantur nuptijs contractis cum puella, nondum nubili, vt nec vulgariter diſcere, licet, ex *l. Si ego* 9. *verſic. Quare.* iuncta *l. Dotis* 7. §. *vltim. in fine. l. Dotis* 68. *verſic. Nam etſi. D. de iure dot. l. Hæc condit.* 10. *verſ. Sed enim, D. de condict. & demonſtr.*

Eius rei electa illa, & elegans ratio eſt, quia cum dos, eiuſque conſtitutio omnis, conditionem illam tacitam habeat, ſi nuptiæ ſequantur. *l. Stipulationem* 20. *l. Plerumque* 10. §. *Si ante, cum* §. *ſequ. D. de iure dot. l.* 4. §. *Huius, D. de pact.* quoties facto ipſo ſecutæ ſunt nuptiæ, & earum habitus perſeuerat, non diſſolutarum, nec tamen iure conſiſtunt, non tam defeciſſe conditio nuptiarum, quàm pendere intelligitur, quoniam ſicut nuptiæ initæ cum puella, non dum nubilis fieri poſſunt nuptiæ, expleta poſtea nubili ætate. *l.* 4. *D. de ritu nupt. l. Si vxor* 13. §. *Si minor.* 8. *D. ad leg. Iul. de adulter.* ita & tutoris cum pupilla poſt vigintiquinque huius annos, annumque vtilem olim, rationes reditas. *l. Filius* 28. §. *Si quis eo tempore, D. de liber. & poſthum.* iuncta *l. Si patris* 6. *Cod. de interd. matrim.* & Præfecti cum prouinciali fœmina, finito officio, & nouo conſenſu. *l. Et ſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. Eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt.* Denique & inceſtæ nuptiæ, ſi inceſtę ſint, ſola iuris ciuilis, ſeu poſititij, non gentium, prohibitione, eaque relaxetur nuptijs confirmatis, iuſta aliqua ex cauſa. *l. Qui in Prouincia* 57. §. 1. *D. de ritu nupt.* iuncta *Nouell.* 139. *indulg. illicit. contra. nupt. cap.* 1. *& Nouell.* 37. *Iuſtini. &* 154. *de his, qui in Oſdroena. l. Si adulterium* 38. §. *Iſdem Pollioni, D. ad leg. Iul. de adulter.* Vnde & quemadmodum

dum dos data, pro puellę nondum nubilis, ant ſponſæ nuptijs, non ſecutis, quamdiu tamen ſpes eſt, ſequi eas poſſe, neque repudij nuntius miſſus eſt, repeti non poteſt, vt ex Seruij bene fundata iuris diſciplina, contra nouatorem Labeonem, Iauolenus, & Neratius docent, in *dict. l. Quod Seruius* 8. *D. de condict. cauſa data. l. Si debitor* 80. *l. Si debitor* 83. *D. de iure dot.* ex fauorabili illa ratione, quia doti deſtinata, quamdiu pro dote fungi, ſperatur, auferri, non debent. *l. Dotis* 7. §. *vlt. in fin. D. de iure dot.* iuncta regula. *l. Pecuniam* 36. *in fin. D. de reb. cred.* ita & in alijs nuptijs interdictis, ſiue non iuſtis, veluti filiæ familias, quãvis ſi ſemel diſſolutæ ſint, & poſtea, patre non conſentiente, redintegrentur, pater dotem prioribus nuptijs deſtinatam poſsit, repetere. *l. Si vt proponis* 7. *in fine*, cuius hęc propria ſpecies, & ſententia eſt, *Cod. de nupt.* iuncta *l. Stipulatio* 63. *Digeſt. de iure dot. l. Cum maritus* 29. §. 1. *Digeſt. de pactis dot.* tamen quando, & quamdiu primæ illæ nuptiæ diſſolutę non ſunt, etiam ſi non iuſtæ, ſiue quamdiu eiſdem renunciatum non eſt, non aufertur dos, ſeu repetitur, neque ab ipſa muliere, neque à parente, vel extraneo, qui dotem dedit. *l. In poteſtate* 10. *D. de ſponſal. l. Si mulier* 59. §. *vltim. l. Si ego* 9. *in princip. verſic. Quare, D. de iure dot.* vbi dum eo caſu, quo nuptiæ, propter interdictionem, ſequi non poſſunt, & res in dotem datæ fuerant, ita vt non ſtatim, ſed, ſecutis nuptijs, fierent accipientis, &, quod notandum, nuntius miſſus eſt, affirmatur, res dantis manere, & vindicari ab eo poſſe; ſupponitur è contrario, non poſſe etiam in nuptijs interdictis vindicari, quamdiu nuntius miſſus non eſt, iuxta diſtinctionem, *l. Dotis* 7. §. *vltim. verſic. Sed ante. l. Stipulationem* 21. *cum l. ſeq. D. de iure dot. dict. l. Quod Seruius* 8. *D. de cond. cauſa dat.* Proinde neque à Fiſco dos, propter interdictionem nuptiarum caduca, vindicatur, interim, vel aufertur; quamdiu ſcilicet facies, ſeu factum nuptiarum manet, & ſpes eſt, firmari eas, poſſe, ſiue quia nec repeteret interim perſona ipſa, quæ dotem dedit, & Fiſcus in caducis ſuccedit; eo iure, conditione, & caſu, quo perſona, à qua cadit, caperet. *l. In facto* 60. §. *vltim. D. de condit. & demonſtr.* ſiue etiam quia cum caducum definiatur, quod cecidit ab aliquo; qui cum capere poſſet, non cepit, teſte Vlpiano *tit.* 17. non poteſt, dici, cecidiſſe, aut cum effectu caduca facta dos, quæ an capiatur, cadatve, pendet ex futuro euentu nuptiarum, confirmandarum, aut diſſolvendarum. *l. Hæc conditio* 10. *verſic. Sed enim*, de quo poſtea *D. de condit. & demonſtrat.* iuncta *l. Dotis* 68. *dict. l. Si debitor* 80. & 83. *D. de iure dot.* ſiue denique, quia etiamſi pœnam caducæ dotis ſtatim committi, & incipientes poſtea, ſublato impedimento, & nouo conſenſu, nuptias, commiſſo in præteritum vitio, mederi non poſſe, agnoſcamus, regulari, ſtrictoque iure conſtitutionis Seueri, cuius meminimus, iunctis *l. Eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Etſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. Si vxor* 13. §. *Si quis vxorem* 6. *in fine*, & §. *Si vxor* 8. *D. ad leg. Iul. de adult. l. Paulus* 11. *D. de ſtatu hom.* benigna tamen indulgentia Principis, ſolet pœna caducæ dotis, & ſimiles remitti pœnitenti, & abſtinenti à nuptijs inceſtis; *l. Si adulterium* 38. §. *Ijdem Pollioni* 6. *cum* §. *ſeq. D. ad leg. Iul. de adulter. l.* 4. *in fine, Cod. de inceſt. nupt. Nouell.* Iuſtiniani 12. *de inceſt. nupt. cap.* 3.

& Nouell. 139. *indulg. illicitè contr. nupt. cap.* 1. *& Nouell.* 154. *de his, qui in Oſdroena.* & *Nouella* Iuſtini 3. *eodem tit.* & hoc amplius, iuſtaque ex cauſa confirmari nuptiæ, poſſunt, etiam in præteritum, non tantùm quoad ſtatum liberorum, ante confirmationem ſuſceptorum, vt in *d. l. Qui in prouincia* 57. §. 1. *D. de ritu nupt.* Sed & multò magis quoad dotem, *Nouella* 12. *de inceſt. nupt. cap.* 3. cuius ſcilicet dotis ius, non ſicut liberorum ſtatus à tempore conceptionis, vel editionis certus, iuxta regulam, de qua Vlpianus *tit.* 5. §. *vlt.* Caius 1. *inſtit. tit.* 4. §. *vlt.* ſed in pendẽti fuit ſimul cũ nuptijs, adeo vt quamdiu illæ nõ diremptæ confirmari, & convaleſcere, potuerunt, neque dos cecidiſſe, aut non valuiſſe dici, poſsit. *l. Dotis* 68. illic: *Non ideo minùs valebit, quòd, ignorante initio patre, nuptiæ non fuerint. D. de iure dot.* iuncta *d. l. Paulus* 11. *D. de ſtatu hom. d. l. Hæc conditio* 10. *verſ. Sed & ſi ei, & in fine D. de condit. & demonſtrationib.*

13 Rectè itaque, vtracunque ex propoſitis iuris ratione fiat, obſervamus, dicimuſque, pœnam caducæ dotis, quamvis ob illicitas nuptias committatur, non tamen cum effectu incipere, exercerive, quamdiu earum habitus manet, ſiue non ante eas diſſolutas, quo tempore ſi iuſtæ nuptiæ fuiſſent, à marito dos lucri fieri, aut vxori reſtitui, ſolet, vt apud Vlpianum *tit.* 6. §. *Mortua, cum* §§. *ſeqq. l. vnic. Cod. ſi dos conſt. matrim.* Idque ipſum firmat, atque inde exponẽdum, quod ex Vlpiano expendimus, *d. tit.* 16. §. *vltim.* eum, vt caducam dotem ſupponat, exprimere caſum, & tempus diſſoluti coniugij, morte mulieris, illic: *Mortua muliere*, non quaſi mortuo marito dos caduca non ſit; iam enim immediatè ſupra idem Vlpianus expreſſerat caſum dirempti coniugij, morte mariti, dotem legantis, & docuerat, mulierem non poſſe dotem capere, ſed vtroque caſu reſpicit tempus diſſoluti coniugij, quia, eo vt cumque conſtante, dos cùm effectu caduca non ſit. Nec diſsimile eſt, quod Papinianus, vt definiat, dote, propter illicitum matrimonium, caduca facta, quid maritus ſolvere debeat: reſpondet ſolvere maritum debere id, quod iudicio de dote redditurus eſſet; quo iudicio non, niſi diſſoluto matrimonio, agitur. *l. dote* 61. iuncta *l. inceſta* 52. *D. de ritu nupt. l. Si quis*, *Cod. de inceptis nuptijs.*

Sed, Papiniano in *dict. l. dote* 61. obiter, nec vulgariter illuſtrando, adhibendus eſt Ciceronis in *Topicis* locus, exagitatus variè, quoad alia, poſt Boetium, à Petro Velleio *in notis*, Franciſco Hotmano *lib.* 1. *obſeru. cap.* 26. Ræuardo *lib.* 4. *varior. cap.* 16. dum propè rem noſtram in argumento à conſequentibus ſcribit, *ſi mulier, cum fuiſſet nupta cum eo, qui cum connubium non eſſet, nuntium remiſit, quoniam qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis manere, nihil oportet.* Quorum verborum ſenſus eſt, in matrimonio illicito, veluti Senatoriæ mulieris cum libertino, cum quo connubium, etiam ante leges noſtras, non erat, vt prænotauimus *capite* 1. *huius libri*, & ei nuncium repudij miſerit, quoniam qui nati ex eo matrimonio ſunt, patrem non ſequuntur, iuxta *l. Lex naturæ* 24. *D. de ſtatu hom.* nihil eſſe retenturum ex dote maritum pro liberis, hoc eſt, non ſextas ex dote pro ſingulis liberis, quales retinebantur in actione rei vxoriæ, diuortio facto, culpa mulieris, teſte Vlpiano, *tit.* 6. *de dotibus*, §. *Propter* 10. & quidem ex antiquo iure, cui retentio hæc tribuitur, in *l.* 2. *in fine*, *Cod. Theodoſ. de re-* 14

repud. vbi ex Iulio, Paulo, Anianus, & in *notis ad leg. 2. Cod. Theodoſ. de dotib.* &, ex eodem Paulo, Boetius *ad Ciceronis Topica*, ſublato tamen poſtea eo iure à Iuſtiniano in *l. vnic.* §.*Taceat 5. verſ. Sileat, Cod. de rei vxor. act.* (ſecundùm quæ & obiter obſerves, licet, iam ante leges noſtras Iuliam, & Papiam, quas fere ſemiſeculo Cicero præceſsit, iura retentionum ex dote; ſiue re vxoria in vſu fuiſſe, & quod ſuſpitionis magis, quàm aſſertionis ſit, non fuiſſe in vſu dotes caducas, ſed inductas fortaſſe inter alias caducorum cauſas, legibus noſtris caducarijs, vt ſupra indicauimus) iam ergo & conſequẽter Ciceronis ſenſui Papinianus in *d. l. Dote 61. D. de iure dot.* reſpondet; maritum ſolvere debere, ſcilicet Fiſco, cui caduca dos defertur, quod iudicio de dote redditurus eſſet mulieri, exceptis ſolis impenſis neceſſarijs, quæ dotem ipſo iure minuunt. *l. Dote 5. D. de dote præleg. l. Si is qui 57. §. Quod dicitur, D. de iure dot.* ſed excluſis retentionibus alijs; ob impenſas vtiles, & ob mores; & ob res donatas, vel amotas, ac tandem propter liberos, quibus in matrimonio illicito, in quo nec dos, nec liberi iuſti ſunt, locus non fuit, ex Papiniani, & Ciceronis cenſura.

15 Sic deinde, vt in viam, Martianus in *dict. l. A Diuo 58. D. de ritu nupt.* in actione danda Senatori decepto, contra libertinam; pro lucro dotis caducæ, reſpicit neceſſariò dirempti coniugij tempus, quo dos, niſi caduca eſſet, mariti lucro cedere, & remanere apud eum, ſolet, vt apud Vlpianum *dict. tit. 6. §. Mortua, cum ſeq.* iuncta *l. Celſus 22. D. de religioſ. l. Si ab hoſtibus 11. §. vltim. D. ſolut. matrim. l. Cum mortem 27. D. de iure Fiſci. l. dotale 15. D. de fundo dot.*

Sic deinde, & omnino Papinianus in *l. Præfectus 63. §. 1. in fin. D. de ritu nupt.* cuius occaſione quàmmultas in Papinianum ipſum, aut Tribonianum excitauit turbas, Faber in *iuriſprud. tit. 9. princip. 1. illat. 12.* vt oſtendat, in ea ſpecie matrimonij, contracti cum prouinciali virgine à Præfecto, dotem caducam non fieri, refert ſe ad caſum matrimonij ſoluti, mortua muliere, ſcribitque, *pecuniam, in dotem datam, mulieris hæredi reſtitui, neceſſe eſſe*, non quaſi non ſit itidem reſtituenda mulieri ſuperſtiti, mortuo marito; id enim pro explorato Papinianus habet, cum in *dict.* §. 1. definierit iam, conſecuturam eamdem mulierem legatum, à marito relictum (& proinde multò magis dotem; cuius, vtpote patrimonij mulieris, melior, fauorabiliorque cauſa eſt, quàm lucri legati, vt apparet ex collatione, *l. Si voluntate 7. Cod. de donat. inter. cum l. Cum hic ſtatus 32. §. vltim. D. eod. tit.* iuncta regula *l. vltim. §. pen. Cod. de codicill.*) Sed vt Vlpianus *dict. tit. 16. §. vlt. in fine*, caſum mortuæ mulieris, in quo mariti lucro dos cedere, aut in Fiſcum cadere ſolet, tamquam digniorem exprimit, ſeu dubitabiliorem; & eodem, dubitationis augendæ, reſpectu, quàm initio virginem nominauerat, poſtea mulierem, perſeuerantia matrimonij, & vt Tertullianus alibi loquitur, mulieritatis profeſsione factam, & in matrimonio illicito mortuam, ſupponit, concluditque, etiam tunc dotem mulieris heredi reſtituendam, quia nec Præfecti potentatu, in nuptijs abuſi, lucro cedere debuit, ex ratione *l. vltim. D. de leg. 1. l. 2. §. 1. D. de his, quæ vt indign.* nec in Fiſcum cadere cum iactura virginis deceptæ, aut mulieris potentatu coactæ, argumento ex *dicta leg. A Diuo 58.* 16

58. *l. Si tutor 7. Cod. de interd. matrim.* *l. Eum qui 18. verſ. Cæterùm, C. ad leg. Iul. de adulter.* iunctis traditis ſupra, quamvis ſi è contrario à muliere ipſa Præfecto hæreditas relicta foret, ei tamquam indigno Fiſcus auferret. *d. l. 2. §. 1. verſic. Quare*; eamque differentiam inter dotem, quam Fiſcus marito, cum damno mulieris hæredis non aufert, & inter hæreditatem ab ea relictam, quam, vt indigno, eripit, inſinuaſſe Papinianum, ſubaudito hæreditatis caſu, eique reſpondente, adverſatiua voce, *tamen*, in caſu dotis, illic, *pecuniam tamen in dotem*, probabiliter diuinat Cuiacius, poſtremum hoc obſervans, 1. *definit. Papin. in d. l. 63.*

CAPVT XVIII.

PARECBASIS

AD LEG. HÆC CONDITIO 10. VERS. SED ENIM D. DE condit. & demonſtrationib.

ARGVMENTVM.

DIſquiritur in *d. l. 10. verſ. Sed enim*, cur conditio nuptiarum, verè defecta, habeatur pro nondum impleta: & ſignanter cur id fieri dicatur, benignè, cum videatur, eſſe ex ratione iuris. Bartoli, & ex eo Coſtę, Barboſæ, & aliorum interpretatio, cui non ſubſcribitur. Vlpiani in *d. verſ. Sed enim* theſis, exaudienda de nuptijs, initis viuo teſtatore. Pater in *dict. l. 10.* ſenſit de primo nuptiali iugo, quod non conſtituunt nuptię immaturæ, iniuſtęve, nec ſi poſtea iuſtę fiant, aut aliæ ineantur, quia non erunt primæ. Diuerſa ratio, & regula *l. Dotis 68. D. de iure dot.* Concluditur propriè, & ex ſtricto iure, conditionem defectam eſſe in *d. verſ. Sed enim*, & relictum, tamquam in caduci cauſa Fiſco deferri. Sed & concluditur, habendam non tam pro defecta, quàm pro nondum impleta, idque benignè pro excluſione Fiſci, & caducorum. Signata res ſimili exemplo, & explanatione *l. Non eſt cogendus 53. in fine, D. ad S. C. Trebell.*

1 DEnique vel in tranſcurſu ex traditione illa, de conditione nuptiarum, ob nuptias interdictas, contractas, non tam defecta, quàm pendente, & ſimiliter in ſuſpenſo habita, pœna, & effectu doctis caducæ, vt traditionem ipſam magis firmemus, ſimulque reliquiarum veteris iuris ſcientiæ amatoribus non iniucundum forſitan, corollarium hoc largiamur, illuſtrandus Vlpianus eſt in *d. l. Hæc conditio 10. verſ. Sed enim, D. de condit. & demonſtr.* vbi quod ſcribit, in relicto à patre filiæ ſub conditione, cum nupſerit, ſi ea nondum nubilis deducta ſit in domum mariti, aut coniuncta ei, cuius nuptiæ interdictæ erant, & dubitetur, an poſtea nubendo, ſcilicet iuſtè, parere conditioni poſſit; quamvis quo caſu pater de primo nuptiali iugo ſenſit, exiſtimari poſſit, defectam eſſe conditionem, tamen benignè dicendum eſſe, *nondum impletam conditionem defectam*, id eſt, habendam benignè, pro non dum impleta, conditionem, quæ verè, & ſtrictè defecta eſt, vt poſt Hilligerum *ad Donell. lib. 8. cap. 33. litt. E.* D. Larrea *deciſ. Granat. 33. num. 79.* Arias de Meſa *lib. 3. variar. cap. 40. num. 23.* contra Cuiacij, & Fabri

bri ſtricturas, explicant nouiores noſtrates, id inquam, quod Vlpianus ſcribit, conditionem haberi pro nondum impleta potiùs, quàm pro defecta, nititur ratione iam tradita; quia cum conditio illa referatur ad nuptias, quæ, quamvis inutiliter ob annos, nondum nubiles, vel ob interdictionem iuris, attentatæ, poſſunt poſtea, ſublato ætatis, iuriſve impedimento, firmari, aut convaleſcere. *dict. l. Minorem* 4. *l. Eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Filius* 28. §. *Si quis eo, D. de liber.* interim, ſiue quamdiu nuptiarum habitus, & ſpes eſt, non tam defeciſſe conditio relicti, quàm pendere, intelligitur, exemplo e iuſdem. *dict. l. Si ego, verſic. Quare*, iuncta *l. Dotis* 7. §. *vlt. in fin. l. Dotis* 68. *l. Si debitor* 80. & 83. *D. de iure dot. l. Quod Seruius* 8. *D. de condict. cauſ. data.*

2 Planè hoc ſuppoſito, illud vel magis nunc indagandum, & indicatum reſtat, cur ſcilicet quod dicitur in *dict. l.* 10. conditionem, pro non defecta, haberi, Vlpianus illic ſcribat, benignè dici, cum tamen Papinianus id ipſum ſupponat, tamquam ex certa, & recta iuris ratione, in *dict. l. Dotis* 68. iuncta *dict. l. Si debitor* 80. & 83. *dict. l. Quod Seruius* 8. & in relicto, cum nupſerit, Labeo in *l. penult. D. quando dies legati ced.* iuncta *l. Quod vir* 65. *D. de donationib. inter*, in qua fortaſſe idonea, rei explicandæ, videbitur communis Bartoli, aliorumque expoſitio ad *dict. l.* 10. *verſic. An tamen*, dum refert, ſentẽtiam illam ad caſum, quo poſt priores nuptias immaturas, ſiue non iuſtas, quæritur, an alij viro poſtea iuſtè nubendo, conditioni pareatur: quo caſu quamvis conditio propter priores nuptias, mero iure, defecta ſit, vt in *dict. l. Dotis* 68. *verſic. Quod enim. l. Si ſponſabus* 58. *D. de iure dot.* benignè tamen habetur pro nondum impleta, & non defecta, vt impleri ſecundis nuptijs poſsit. *dict. l. Hæc conditio* 10. *in fine*, idque eò ad benignitatem colore, quia in *dict. l.* 10. conditio, cum nupſerit, adſcripta fuit ſine expreſsione perſonæ certę, cui nuberet, aliter atque in *dict. l.* 68. *verſ. Quod enim*, vbi dos vni promiſſa fuit, & alij nupſit, quomodò *ex manuſcriptis commentarijs* P. Barboſæ *ad dict. l.* 10. *num.* 4. & 6. Luſitanus alter diſtinguit Arias de Meſa *d. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 24. & 26. Nec improbanda hæc expoſitio, tamquam coarctans indefinitam illam, *an tamen nubendo poſtea*, ad caſum quo alij nupſit, non autem eidem, cui primùm immaturè, aut non iuſtè nupſerat, quoniam imò illi caſui ſoli, non iſti adiectio ea convenit; nam ſi de eidem nupta ſermo eſſet, non diceretur, poſtea nubere, ſed ex prioribus nuptijs, ſublato impedimento ætatis, aut prohibitionis, & perſeuerantia voluntatis, iuſta vxor fieri. *dict. l.* 4. *dict. l. Eos* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Si vxor* 13. §. *Si quis vxorem* 6. & §. *Si minor* 8. *D. ad leg. Iul. de adulter. l. Et ſi contra* 6. *Cod. de nuptijs.*

Verùm etſi appoſitè congruat verbis *dict. l.* 10. ea expoſitio, quam &, poſt alios, retinet Emmanuel Coſta in *repetitione* §. *Si arbitratu ampl. vlt. num.* 24. tamen quoad ſtricti, & benigni iuris diſtinctionem, & cauſam, in habenda pro non defecta conditione, quam quærimus, rem non expedit; tum quia etiam ſi conditio nubendi à patre filiæ adſcriberetur, cum expreſsione perſonæ certæ, cui nuberet, referri tamen, debuit, ad primas nuptias iuſtas, & per immaturas deficere, argumento ex *l. Pater* 101. *verſ. Quare*, 3

re, *D. de condit. & demonſtr.* iuncta *l. Si dies* 21. *D. quãdo dies legat. ced.* tum & fortiùs, quia hoc, quod eſt, conditionem per immaturas, aut iniuſtas nuptias impleri, aut deficere; debet ex tunc, & eo præſenti actu ęſtimari, nec pendere ex futuro euentu, alij poſtea, vel eidem nubendi, cum conditiones ſemel exiſtere, aut deficere, non reaſſumi, aut ſuſcitari, ſoleant. *l. Quidam* 10. *l. Rogo* 21. *D. de fideicom. libert.* iuncto electo, ad rem, *textu in l. Inter* 26. §. *vltim. in fine, D. de pact. dot.* & Vlpianus in *dict. l. Hæc conditio* 10. quæſtionem inijcit, de alij poſtea nubente, non vt exinde æſtimet, an per priores nuptias defecta conditio ſit, ſed vt quo caſu pro nondum impleta habeatur, poſsit impleri, poſtea nubendo.

4 Ergo vt paucorum rem paucis itidem expediamus, animadvertimus, Vlpianum in *dict. l.* 10. *in princip.* ſicut & in §. 1. ac deinceps, quærere, & reſpondere de conditione impleta, aut defecta, viuo teſtatore, atque ita à principio affirmare, conditionem filiæ adſcriptam, cum nupſerit, pro impleta habendam eſſe, ſi ea poſt teſtamentum factum viuo teſtatore nupſerit; quia teſtator impleri ſolùm conditionem voluerit, nec ſatis egerit, quando *præſertim cum conditio hæc talis ſit, vt ſemel impleri debeat.* (in quo vix mihi tempero, quin rideam muſteam criticam Fabri *in iuriſprud. tit.* 9. *princip.* 5. *illat.* 11. qui dum in toto fere contextu *dict. l.* 10. inelegantiam Triboniani accuſat, ſic in *verſ. Præſertim*, concinnè, & propriè ſcribendum fuiſſe, cenſet, præſertim cum conditio hęc talis ſit, *vt vnico non reiterabili actu impleatur*, phraſi non modò ineleganti, ſed & vix latina, certè Tribonianica potiùs, quàm illa Vlpiani, & veterum iuriſprudentum, qui conditionem ſemel extitiſſe, aut implendam dicere, ſolent: *dict. l. Quidam* 10. *l. Rogo* 21. *D. de fideicomm. lib.*) Quibus incontinenti, & continenter cum Vlpianus ſubiungat, in *dict. l.* 10. *verſ. Sed enim*, non omnibus coniugijs conditionem impleri, vt puta immaturis, aut iniuſtis, & eiuſmodi nuptijs filiam defici conditione mero iure, quamuis benigne habenda ſit pro nondum impleta, vt nubendo alij poſtea, impleri poſsit, ſupponitur, vt credimus perquàm probabiliter, continuari ſententiam, ſeu quæſtionem hanc conditionis defectæ, aut nondum impletæ nuptijs iniuſtis, ſiue immaturis, intra eoſdem illos principalis, primariæque ſententiæ terminos nuptiarum initarum, viuo teſtatore.

5 Enim verò eo præmiſſo, propria, & inobſervata ſtricti, & benigni iuris, quoad conditionis implementum diſtinguendi ratio eſt; quoniam teſtator de primo nuptiali iugo ſenſit, quod & regulare eſt. *l. Boues*, §. *Hoc ſermone, D. de verb. ſign. dict. l. dotis* 68. *verſ. Quod enim.* Et Vlpianus in *dict. l.* 10. conſultò exprimit, eaque veluti ſub conditione reſpondet; nuptię autem per ætatẽ impares, aut iure interdicente, & impediente non copulatæ, non conſtituunt nuptiale iugum. *l. Si concubina* 17. *D. de act. rer. amot. l. Si vxor* 13. §. *Si quis vxorem* 6, & §. *Si minor* 8. *D. ad leg. Iul. de adulter.* ac proinde nec per eas conditio nubendi impletur. *dict. l. Pater* 101. *verſ. Quare, D. de condit. & demonſtr. l. Si Ego* 9. *in princip. verſic. Quare, D. de iure dot.* niſi cum conſtat de voto, affectuque patris, ſatagentis, per filię qualeſcumque nuptias etiam immaturas, aut non iuſtas ſatisfieri conditioni, vt in *l. Hæredibus*

bus 77. §. *vlt. in fine, D. ad S.C. Trebell.* iuncta *l. penult.* §. *Iulianus*, *D. quod falſo tutore. l. Qui filium* 4. *verſic. Pubes. D. vbi pupillus educari deb.* Sed nec poteſt poſt tales nuptias conditio impleri, alij poſtea nubendo, quoniam hæ poſteriores nuptiæ erunt non primæ, de quibus pater ſenſit, & quales ſemel, non iterum impleri, voluit. *dict. l.* 10. *dict. l.* 68. *in fine. l. Matrimonij* 21. *in fine*, *D. qui & à quibus*, neque impleri poſtea ex eiſdem cum eodem nuptijs, ſublato impedimento ętatis, aut prohibitionis iuſtis redditis, quia præterquamquòd in legatis, an conditio defecta, vel impleta ſit, non debet ex futuro euentu nuptiarum, cum eodem ſequutarum, pendere. *dict. l. Quidam* 10. *l. Rogo* 21. *D. de fideicomm. lib.* iuncta regula *l. vltim. in fine*, *D. comm. præd. l. Si tibi* 8. §. *vnicus*, *D. de optione leg.* id eſſet, conditionem non impleri ſemel, ſed iterum contra *d. l.* 10. *dict. l. Quidam* 10. *dict. l. Rogo* 21. ſiue non primo, & vnico conſenſu nuptiarum, de quo teſtator ſenſit. *l. Cum fuerit* 13. *D. de condit. & demonſtr. l. Sancimus* 24. *Cod. de nupt.* ſed adiuncto poſteriore, ex tempore ſublati impedimenti, à quo & ex tunc, neque antea iuſtæ eſſe incipiunt nuptię, quę iniuſtę fuerant. *dict. l. Dotis* 68. illic: *Tunc primùm petetur. dict. l. Si vxor* 13. §. *Si quis vxorem* 8. *in fine*, & §. *Si minor* 8. *d. l. Eos qui* 65. §. 1. *verſ. Et ideo poſtea*, *D. de ritu nupt. l. Etſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. Paulus* 11. *D. de ſtatu hom.*

6 Relinquitur itaque, conditionem nubendi in *dict. l.* 10. cum neque prioribus nuptijs, vtpote iniuſtis, immaturiſve impleta ſit, neque per poſteriores validas cum alio, aut iteratas cum eodem impleri poſsit, vtpote ſecundas, ſiue non primas, de quibus ſolis teſtator ſenſit; neceſſariò deficere, ſummo, ſtrictoque iure, ſiue vt Vlpianus loquitur in *dict. l.* 10. filiam *defectam conditione*; de quo poſtea. Iam verò in hoc diuerſa omnino ſpecies, & ratio eſt. *dict. l.* 68. *in princip.* in qua neque expreſſa eſt conditio nubendi, nec ſignata voluntas, ſiue ſenſus primi nuptialis iugi, & ideo quamvis dotis promiſsio in ſe tacitam conditionem habeat nuptiarum. *dict. l.* 68. *l. Stipulationem* 21. *l. Promittendo* 41. §. *Accepti. l. Licet* 43. *D. de iure dot.* iuncta *l. Actus* 77. *D. de regul. iur.* & de primis nuptijs intelligatur. *dict. l.* 68. *verſ. Quod enim*, intelligitur de primis nuptijs validis, ſiue quas aliæ validæ non præcedunt, idque ex natura dotis ipſius, quæ non, niſi validis nuptijs deſtinatur, quibus ſolis ſervire, & fungi poteſt. *l. Si ego* 9. *verſ. Quare*, iuncta *l. Dotis* 7. §. *vlt. in fin. D. de iure dot. l. Quod Seruius* 8. *de cond. cauſa data*, & ideo per nuptias invalidas non tam deficere, quàm pendere, quaſi nondum impleta conditio creditur, vt eiſdem cum eodem viro ex poſt facto firmatis, impleri intelligatur. *d. l. Quod Seruius* 8. *dict. l.* 68. *l. Si debitor* 80. & 83. *l. Si mulier* 59. §. *vltim. D. de iure dot. l. In poteſtate* 10. *D. de ſponſal.* ſicut & cum legatum eſt pupillę, *quandoque nupſerit*, eaque nondum viri potens nupſit, non tam deficit, quàm pendet conditio, vt, ea poſtea iuſta vxore facta, impleatur, & legatum debeatur. *l. penult. D. quando dies leg. ced.* iunctis ex eodem Labeone *l. Quod vir* 65. *D. de donationib. inter. d. l. Si debitor* 80. & 83. quia verbum, *Quandoque*, ſiue quod idem eſt, *quandocumque*, *dict. l. Si mulier* 59. §. *vltim. l. Conditionum* 91. *in fine* iuncta *l. Cum vir* 25. *Digeſt. de cond. & demonſtrat. l. Is cui* 18. *D. quando dies leg.*

leg. ced. tamquam παρατατικὸν, ſiue extenſiuum, & tractum habens, non ad primas abſciſsè nuptias, ſiue primum nuptiale iugum reſtringitur, ſed voluntate patrocinante producitur ad primas nuptias validas, argumento ex *l. In conditionibus* 19. *l. Si ita* 68. *D. de condit. & demonſtr. l. Si ita* 45. §. *vlt. D. de legat.* 2.

7 Neque verò nouum in iure eſt, conditiones expreſſas à tacitis, ſiue quæ inſunt, diſtingui, & ſcrupuloſiùs, ſtrictiùſque illas, quàm haſce æſtimari, impleri, ac deficere, vt in exemplis, *l. Nonnunquam* 52. *l. Si ita* 69. *D. de condit. & demonſtrat. l. Si quis Sempronium* 68. *D. de hæred. inſtit. l. Si ita* 65. §. 1. *D. de legat.* 1. & in ſimili quoad effectum ſemel, aut iterum operandi. *l. Eum qui certarum* 138. §. *vltim.* iuncta *l. Si quis ſtipulatus* 112. *D. de verbor. obligat. l. Si ſterilis* 21. §. *vltim. D. de action. empti*, & eumdem actum, ſeu conditionem, eadem formula expreſſam faciliùs iterari, & ſuſpendi in contractibus, ſiue inter viuos, quàm in vltimis voluntatibus. *dict. l. Si quis ſtipulatus* 112. illic: *Quem volam. l. Apud* 21. *D. de opt. leg. l. Huiuſmodi* 84. §. *Stichum* 9. *D. de leg.* 1. *l. Statuliberum* 11. §. 1. *D. de legat.* 1. iuncta regula *dict. l. vltim. in fine, D. commun. præd.* niſi vbi tacita conditio fuit, & ea inutiliter cepta impleri, etiam in legatis, vt in legato optionis. *l.* 2. §. *data, cum* §. *ſeq. & l.* 3. *&* 4. *l. Cum ita* 9. §. 1. *D. de opt. leg.* iuncto §. *Optionis, Inſtit. de legat.* aut vbi conditionis formula ex voluntate teſtantis, tractum, & iterationem admittit, vt in *d. l. pen. D. quando dies legati cedat.*

8 Bene itaque, & ex bene fundatis, ſtrictiſque iuris regulis Vlpianus ſentit in *dict. l.* 10. *verſ. An tamen filia*, viuo teſtatore, vt initio poſuerat, & ſupponimus, nubente iniuſtè, aut immaturè, etiamſi poſtea iuſtè nubat, conditionem nubendi defeciſſe, ſiue vt idem conſultò loquitur, *defectam conditione* filiam fuiſſe, eoque genere loquendi ſignificat, non caſu, factove alieno, ſed ipſius filiæ, perperam nubentis facto, defici eam conditione, quomodò idem, alijque iuris Auctores ea phraſi vtuntur, in *l. Quæ ſub conditione* 8. illic: *Aut non facientes deficerentur conditione. &* §. *Mortuo* 7. *D. de cond. Inſtit. l. Fideicommiſſaria* 23. §. *vltim. D. de fideicomm. lib.* & hoc amplius eis verbis ſignificatur, aut innuitur, conditione ita deficiente, ſcilicet facto filiæ, & viuo teſtatore, relictum fieri in cauſa caduci, ſicut in Fiſcum cadere debeat, ex regula *l. vnicæ*, §. *Et cum triplici, verſ. Vel ipſum relictum*, & §. *Pro ſecundo, Cod. de caducis tollend.* quamvis ſi alioquin non facto filiæ, temerè nubentis, ſed caſu, aut facto alieno, cum per filiam non ſtaret, & viuo teſtatore conditio defeciſſet, haberetur pro impleta, eaque admitteretur ad relictum, Fiſco excluſo. *l. Turpia* 54. §. 1. *cum* §. *ſeq. D. de legat.* 1. *l. Filiæ* 28. *D. de condit. & demonſtr. l. Quæ ſub conditione* 8. §. *Mortuo* 7. *l. Qui ex fratribus* 24. *D. de condit. Inſtit. l. Inde* 23. §. *Idem* 2. *D. ad leg. Aquil.* & præterea ſi, mortuo teſtatore, qualitercumque conditio defeciſſet, non caderet relictum in Fiſcum, quia defectus conditionis eo tempore non facit caducum, vt docuimus pridem contra Accurſium, Cuiacium, Fornerium, Santolariam, & alios, & ſuo loco pleniùs, ſi Deus volet, dicemus, ex *l. In teſtamento* 31. *in princip.* iuncta *l. Titia* 71. §. *Titio genero, verſ. Ante nuptias, D. de condit. & demonſtrat.* Ac denique quamvis cæteroquin filia, ſi non

ſuo facto, conditione defecta, caducò locum faceret, exempta, immuniſque eſſet caducorum iugo, tam in capiendo ſolido, ſibi relicto à patre, etiã ſi ipſa cœlebs, vel orba eſſet, quàm in retinendo deficiẽte ex aliorum perſona, iuxta ius antiquum. *d. l. vnic. in princip. verſ. Et cum lex. Cod. de caduc. tollend.* iuncto *Vlpiano tit.* 17. & 18. *tit.* 16. *verſ. Item ſi cognati. l. Pater* 29. *in princip.* & §. *vltim. D. de legat.* 2. *l. Si in teſtamento* 5. *D. de vulgari. l. Dotem* 16. §. 1. *D. de caſtr. peculio.*

17 Porrò, vt pergamus, hæc etiam ſi ita obtineant, ſtricto, ſummoque iure, concludit tamen Vlpianus in *dict. l. Hæc conditio* 10. benignè dicendum eſſe, nondum impletam conditionem defectam; ſiue habendam benignè pro nondum impleta, quæ ſtricto iure defecta erat, ac proinde poſtea iuſtè nubendo impleri poſſe. Benignitatis autem ratio, & intuitus, non in ſola paterni, erga filiam, affectus præſumptione, & nuptiarum fauore; hæc enim ſola, & ſingula, quamvis vbi non abſciſsè de primis nuptijs actum eſt, ſufficiant præſũptioni inducendæ, & producẽdæ diſpoſitioni, etiam ad poſteriores nuptias. *dict. l. In conditionibus* 19. *l. Si ita* 68. *D. de condit. & demonſtr. l. Si ita* 45. §. *vltim. D. de legat.* 2. *l. penult. D. quando dies leg. ced.* iuncta *l. Cum pater* 77. §. *Pater certam* 9. *verſ. Quoniam, D. de legat.* 2. *l. Si ſocius* 81. *verſic. Quod ſi ſalua, D. pro ſocio;* Non tamen ſufficiunt pro ducendo relicto, cum nupſerit, vbi, vt Vlpianus exprimit in *dict. l.* 10. pater de primo nuptiali iugo ſenſerat, præſertim quoad ſecundas nuptias, cum alio ineundas. *dict. l. Dotis* 68. *in fine. l. Si ſponſalibus, D. de iure dot. l. matrimonij* 21. *Digeſt. qui & à quibus,* multòque minùs in præiudicium iuris, interim alij quæſiti. *dict. l.* 58. & 68. *l. Stipulatio* 63. *cum l. ſeq. de iure dot. l. Si vt proponis* 7. *Cod. de nuptijs.* iunctis à contrario ſenſu *l. Cum maritus* 29. §. 1. *l. Inter* 26. §. *vltim. in fine, Digeſt. de pactis dot. l. penultim.* §. *vxor* 5. *Digeſt. ſolut. matrimon.* ſed verſatur potiſsimùm, vt ſuſpicamur, benignitatis reſpectus in excluſione caducorum, & Fiſci, in quem, vt præmonuimus, conditione habitâ pro defecta, relictum tamquam in cauſâ caduci recidebat, ſtricto iure, idque vt excludatur, habetur pro nondum impleta, eo benignitatis fine, & prætextu, quo contra caducorum odium, inuidiamque, Iuriſconſulti noſtri vti ſolent, viaſque excogitare, per quas caduca non fiant, *dict. l. vnica in princip. C. de caduc. tollend.*

Subnectimus perſimilis benignitatis in excluſione caducorum exemplum, vulgò non obſervatum, in *l. Non eſt cogendus* 53. *in fine*, illic: *Si autem viuo teſtatore legatarius deceſſerit, benignè reſpondetur. D. ad S. C. Trebell.* Vbi, cum ſervo fideicommiſſaria hæreditas ab hærede, & libertas à legatario relicta proponeretur, & legatarius viuo teſtatore deceſsiſſet, Papinianus docet, ſi hæres ſuſpectam hæreditatem dicat, cogendum eſſe, adire, & manumiſſo reſtituere; idque, vt reſpondet, *benignè*, nec tamen ſolo libertatis fauore, quia libertatis ſolius fauor non ſufficeret, cum hæreditas ab vno, & libertas ab alio relicta ſit, vt ex eodem Papiniano diſces, in *l. Si res* 52. §. *vltim.* iunctis *l. Apud* 11. §. *vlt. cum l. ſeq. l. Si cui purè* 31. *in princ.* & §. 1. *D. ad S. C. Trebell.* ſed quod inobſervatum Cuiacio, ad eos Papiniani locos, Donello *libr.* 7. *comm. cap.* 22. Fabro *libr.* 18. *coniectur.* 18

cap. 7. quia cùm legatarius viuo teſtatore deceſsiſſet, legatum in caduci cauſa erat, vt vel Ioannes Accurſianus præſentit in *dict. l. 53.* gloſſa *Viuo teſtatore*; iuxta regulam *l. vn. §. Et cum triplici, verſic. Vel ipſum relictum, & §. Pro ſecundo, Cod. de caducis tollend.* & tamen penes hæredem erat manſurum, tamquam pro non ſcripto, cum onere libertatis præſtandæ. *l. Cum verò 26. §. Si pro non ſcripto 6. D. de fideicommiſſ.* cuius libertatis fauor, ſimulque fauorabilis excluſio caducorum, fuerunt benignitatis reſpectus, apud Papinianum, quibus motus reſpondeat, cogendum eſſe hæredem, adire, & reſtituere manumiſſo hereditatem.

CAPVT XIX.

PRÆMISSORVM DE DONATIONIBVS, LEGATIS, DOTIBVS Summa. Ad cap. Etſi neceſſe 5. de donationibus inter iuſto-hiſtorica Commentatio.

ARGVMENTVM.

Donata inter illicitos coniuges confiſcantur, niſi ſi donator innoxius. Excipiuntur noua conſtituta, *l. 1. Cod. de naturalib. lib. l. 4. Cod. de inceſt. nupt.* Teſtamento relicta innoxio coniugi, vt cumque illicito, non cedunt Fiſco; aliud ſi nocenti relicta ſint. Dos in nuptijs illicitis nulla, & in Fiſco cadit (vtique poſt illas diſſolutas) niſi ſi nuptiæ non attentatæ, aut coniux innoxius. Succedanea his deciſio *cap. 5. de donat. inter*, at non conſentanea, quia deuiatur illic à regula de dote caduca: & ratio; quia in id vtitur ex Papiniano Innocentius, non apta, aut recta ad illam theſin. Cuiacij, & Alteſerræ ad eum textum hiſtorica enarratio relata, reiecta, & conuicta. Propria eius loci hypotheſis in nuptijs Alfonſi Regis Legionenſis, & Berengariæ Reginę, de caſtris, in dotem datis a Legionenſi, vel Alfonſo Caſtellę, Compoſiti, & expoſiti cum eo textu Lucas Tudenſis, & Rodericus Toletanus. Dos non ſemel pro data à marito, ſiue dotalitio, ſeu donatione propter nuptias, & Hiſpanis arrhis. Cur caducitati non locus in *dict. cap. 5. 2.* Gloſſæ, & Barboſæ placito non acquieſcitur. Applicata Papiniani ratio apud Innocentium, & explicita nouo ſenſu, & fortaſſe dextro.

1 His, quæ de donationibus, legatis, dotibus, inter iniuſtos coniuges, vberiùs ſcripſimus, ſeruiente ſtylo, & ordine, interpretandis veteris Iuriſconſultorum locis, & ſcholaſticæ diſputationi, cuius interdum nos calor longiùs euexit, breuem nunc veluti Synopſin, & Summam certi, & enucleati hucvſque iuris ſubiungere, ſimulque adijcere, ſi quid nouioribus conſtitutionibus immutatum, cenſemus, pretium operæ fore, quo de vtroque dilucidè, ac diſtinctè liqueat, ad Tribunalium, forique vſum. Ergo in primis quoad donationes, exploratum ius fuit, eas inter iniuſtos qualeſcumque coniuges mero iure valere. *l. Si voluntate 7. Cod. de donat. inter. l. 3. §. 1. verſic. Ergo. l. Cum hic ſtatus 32. §. vltim. D. eod. tit.* Cæterùm donatarijs auferri à Fiſco, vt indignis, idque indiſtinctè, ſiue donatarij ſcientes, ſiue innoxij ſint, vt pupilla tutori nupta. *dict. l. 32. §. vltim.* niſi ſcilicet donator ipſe ignorans, & innocens, in qua ſpecie ipſe potiùs repetit, quàm Fiſcus aufert. *d. l. Si voluntate 7.*

Quibus duo adtexenda ex no- 2

ribus conſtitutis. Primum eſt, donata à Senatore, & ſimilibus, illis, quorum mentio in *l.* 1. *Cod. de natural. lib.* & de qua plenè nos infra *hoc libro*, libertinæ, aut famoſæ fœminæ; tamquam vxori, retrahi in primis, vindicarique legitimis filijs, fratri, ſorori, aut parentibus donatoris; demumque, his deficientibus, Fiſco; ſub pœna quadrupli, vt exprimitur in *dict. l.* 1. iunctis, in eamdemque fere ſententiam, *l.* 1. *verſic. Omnium, Cod. de ſec. nupt. l. Si quis inceſti* 6. *Cod. de inceſt. nupt.* quamquam ea quoque pœna, & ereptio, ſimul cum prohibitione eiuſmodi matrimonij, ſublata à Iuſtiniano ſit, in *Nouell.* 89. *quibus modis natural. cap. vltim. Authent. ſed nouo iure, Cod. de natural. liber.* Secundum eſt, excipi, & excuſari à pœna ereptitiæ donationis, etiam donatarios, qui vel errore acerrimo, ſiue acriſsimo, neque affectato, aut ætatis lubrico lapſi illicitis nuptijs conſenſerunt, ſi tamen poſt legitimos annos, aut errore comperto, ab ea coniunctione abſtinuerint. *l. Si qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* cuius hæc extra cauillum poſita, & aperta ſententia eſt, iuncta *l. Si adulterium* 38. *§. Iidem Pollioni* 6. *cum §. ſeq. D. ad leg. Iul. de adulter. l. vltim. D. de ritu nupt.* proinde pupillę, abſtinenti à coniugio tutoris, non fuiſſe auferendum donatum, atque hactenus temperari ex *dict. l.* 4. ſeu corrigi, *dict. l. Cum hic* 32. *§. vltim.* in quæ ſingula mirum quàm peccat Siculus Giurba, donationes inter eiuſmodi coniuges, quamuis mero iure non conſiſtant, valere tamen, vt loquitur, de æquitate, indiſtinctè, & inconſpectè, affirmans, *ad conſuetud. Meſſan. part.* 1. *cap.* 16. *gloſ.* 2. *num.* 20. peccat itidem, tametſi excuſatiùs, poſt Baldum, aliosque in *dict. l. Qui contra* 4. nullibi expreſſum dicens, pupillam donatariam, ob ignorantiam lucrari donatum, ſed dumtaxat Fiſcum ei non eripere, donatorem autem poſſe repetere; contendens, Bart. Chaſſanæus *c. uſ l.* 49. *num.* 8. *&* 12. notatus meritò à P. Barboſa in *l. Si cum dotem* 22. *§. vltim. num.* 23. *D. ſoluto matrimonio.*

Deinde in teſtamento relictis inter iniuſtos coniuges ex Iulia, & Papia legibus veluti Senatorem, & libertinam; vel ingenuum, & famoſam; vel ſexagenarium, aut quinquagenariam, ius certum fuit, nihil poſſe eos inter ſe capere ipſo iure, neque legatum, hæreditatemque, teſtamento inter eos relictam, peti, aut adiri; neque ab inteſtato bonorum poſſeſsione ex Edicto, *vnde vir, & vxor*; inter alios autem illicitos, aut inceſtos coniuges, extra leges Iuliam, & Papiam, certum itidem fuit, & eſt, legatum, hæreditatemve relictam coniugi, ignoranti, & innoxio, veluti à tutore pupillæ, aut à Pręfecto prouinciali puellæ, mulierive coactæ, capi ab eis poſſe ipſo iure, neque auferri tamquam indignis. *l. vltim. D. de legat.* 1. *l.* 2. *§. Per contrarium, D. de his, quæ vt indign. l. Præfectus* 63. *verſic. Sed an, D. de ritu nupt.* è contrario autem hæreditatem relictam coniugi ſcienti illiciti coniugij, veluti Præfecto, tutori, aut damnatæ adulterij, illiuſve marito, quamvis ipſo iure capiatur, eripi tamen eis, vt indignis, & in Fiſcum redigi. *d. l.* 2. *§.* 1. *verſic. Vtroque. l. Claudius* 13. *D. de his, quæ vt indign.* iuncta *dict. l. vltim. D. de legat.* 1. in relictis verò ſingularibus, nempe legatis, fideicommiſsiſque relictis coniugi noxio, conſtitit ſemper, eum, quamuis mero iure capiat, retinere non poſſe, vtpote indignum. *dict. l. vlt. dict.*

dict. l. 2. §. 1. *in princip.* & probabile, tametſi paradoxum eſt, repetituros ab eo indigno hæredes innoxij coniugis, relinquentis potiùs, quam Fiſcum erepturum. *l. Vxori* 27. *D. de vſufruct. legat.* Neque in hoc genere teſtamento relictorum, quidquam eſt ſpecialiter, apertève nouis conſtitutionibus immutatum, niſi, quod magis eſt, ex earum mente, & indulgentia nouiorum Cæſarum, Fiſco in caducis, & ereptitijs parùm fauentium, illicitum, noxiumque coniugem haberi non tam pro indigno, quàm pro experte, ſiue impote capiendi, ideoque ei relicta, quo caſu ex iure antiquo futura Fiſci erant, retineri hodie, aut retrahi à legitimis filijs innoxijs, aut genere proximis, potiùs, quàm à Fiſco eripi. *dict. l. Si quis* 6. *verſ. Nihil*, iuncta *Authent. ſeq. Cod. de incept. nupt. l.* 1. *verſ. Omnium, Cod. de ſecund. nupt.* quarum immemor, reſpondit pro Fiſco, non ſatis rectè in re, Valaſcus *conſultat.* 15.

4 Poſtremò in dote, vt finiamus, duplex ex diſciplina priſci iuris regula eſt. Prima, & generalior, dotem in illicitis, iniuſtiſve nuptijs, nullam eſſe. §. *Si aduerſùs* 12. *Inſtit. de nupt. l. Inceſtæ* 52. l. *A Diuo* 58. *D. de ritu nupt. l.* 3. *l. Si Serua* 39. §. *vlt. l. dotis* 68. *D. de iure dot. l.* 1. §. *penult. D. pro dote. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* Secunda, eam ipſam dotem caducam fieri, & in Fiſcum cadere, in nuptijs inceſtis. *dict. l. Inceſtæ* 52. *l. dote* 61. *D. de ritu nupt. l. Si quis* 6. *verſ. Dos, Cod. de inceſt. nupt.* & in Præfecti cum prouinciali fœmina. *l. Si quis officium* 38. §. 1. *D. de ritu nupt.* iuncta Gordiani conſtitutione apud Cuiacium fortaſſe, & in tutoris cum pupilla. *l. vltim. Cod. de interd. matrim.* Denique in nuptijs contra leges Iuliam, & Papiam, ex Vlpiano *tit.* 16. §. *vltim. in fine.* iuncta *dict. l. A Diuo* 58. *D. de ritu nupt.* niſi ſcilicet ante attentatas illicitas nuptias dos data, & illæ poſtea non attentatæ, non ſecutæ. *l. vlt. in princ.* & §. *vltim. D. de condict. ſine cauſa*; vel niſi eripienda dos ſit coniugi ignaro, innoxioque illiciti matrimonij, cui non eripitur. *dict. l. A Diuo* 58. *l. Præfectus* 63. §. 1. *in fine. D. de ritu nupt. l. Si tutor* 7. *Cod. de interd. matrim. l. Eum, qui* 18. *verſic. Cæterùm, Cod. ad leg. Iul. de adulter.* Ac præterea non committitur caducæ dotis pœna cū effectu, ante illicitas nuptias diſſolutas, imò pendet pendente habitu, & ſpe earum confirmandarum. Vlpianus *dict. tit.* 16. §. *vltim. in fine. l. Præfectus* 63. *in fine, D. de ritu nupt.* iuncta *l. Hæc conditio* 10. *verſic. Sed enim, D. de condit. & demonſtr. l. Si ego* 9. *verſ. Quare. l. Si debitor* 80. & 83. *D. de iure dot. l. Quod Seruius* 8. *D. de condict. cauſa data.* Denique neque quoad hanc partem diſcrepat ius nouum à vetere, niſi in eo, quod in nuptijs inceſtis dos, & alia bona confiſcanda deferuntur in primis liberis legitimis, eiſque non extantibus, Fiſco, ex *Nouella* 12. *de inceſtis nupt. cap.* 1. & 2. *Authent. inceſtas, C. de inceſt. nuptijs.*

His iam nouæ ciuilis iuriſprudentiæ Analectis adijcimus lubenter, 5
ex canonico ſacro receſſu, *Decretalem* Innocentij Tertij *epiſtolam*, cura, & illuſtratione aliqua non vulgari egentem, in *cap. Etſi neceſſe* 5. *de donat. inter.* Vbi proponitur, Regem Legionis, filiæ Regis Caſtellæ in dotem Caſtra aliqua dediſſe, eo pacto, vt ſi eam, ſcilicet quam vxorem tunc ducebat, poſtea aliqua occaſione dimitteret, Caſtra in ius memoratæ vxoris cederent; quocirca cum deinde ob impedimentum, quod illicitam inter eos copulam,

con-

coniugiumque reddebat, ad illius diſſolutionem vrgerentur, eique moram facerent data Caſtra illa, quibus relicta vxore, ſe ex pacto cariturum, ſiue ea ſibi non reſtituenda, Legionenſis Rex verebatur, reſcribit Innocentius Pontifex, Caſtra non tam ob turpem, quàm ob nullam cauſam data, cenſenda eſſe, vtpote cum matrimonium non ſubſiſteret, & proinde nec dos, nec donatio propter nuptias; idcircoque ne cedant commodo eiuſce vxoris, quæ ob illicitum matrimonium pœnam potiùs pati debuerat, iubet, reſtitui Caſtra Regi Legionenſi, &, ad ea reſtituenda, puellam Caſtellæ Regis filiam, præuia excõmunicatione, coarctari.

6 Hæc ſententia Innocentij: in qua, vt leuiora taceam, illud planè difficile, quod cum Caſtra in dotem data proponantur, & matrimonium tamquam illicitum ſeparetur, & pro explorato ſit, vtrumque coniugem conſcium, noxiumque fuiſſe illiciti coniugij, intra ſecundum conſanguinitatis gradum cõtracti (vt, poſt gloſſam illic, verbo, *Reſtitui*, iuncto *cap. Porrò 3. in fine de diuort.* & poſt Panormitanum, Ancharranum, Butriũ, & alios, obſervat ex antiqua eiuſdem Decretalis collectione, Hoſtienſis inibi) Videbantur dotalia hæc Caſtra Fiſco, tamquam caduca, addicẽda, aut ſaltem retinenda potiùs à puella, quæ accepit tamquam dotem, propriumque patrimonium; digniorque quæ retineat, in pari ſcientia, & turpitudinis cauſa, quàm vt reſtituat marito, qui turpiter dedit: argumento *ex cap. 1. cap. de prudentia 3. de donat. inter. cap. 2. de coniugio ſeruor.* iuncta regula *l. vltim. verſ. Dixi. D. de cond. ſine cauſa. l. 3. l. penult. D. de cond. ob turp. cauſ. l. 2. Cod. eod. tit. l. Si procurator 9. D. de doli exceptione*; multòque magis ſi eam puellam, iuſta puellaris ætatis præſumptione innoxiam ſupponamus, vt *in l. Præfectus 63. in fine. D. de iure dot. l. Si tutor 7. Cod. de interd. matrim. l. Eum, qui 18. verſic. Cæterùm, Cod. ad leg. Iul. de adulter. l. 1. Cod. de condict. ob cauſ. dat. l. Qui contra 4. Cod. de inceſt. nupt.* Conducit difficilis alioquin *epiſtola* Papæ Deuſdedit *ad Gordianum Epiſcopum Hiſpalenſem, tom. 2. Concilior. part. 2.* cuius extrema illa ſectio de muliere ſeparata, poſt annum nuptura, & dote ei reſtituenda, fortaſſe tamquam regulis, & rationi incongruens, omiſſa à Gratiano *in cap. Peruenit 30. quæſt. 1.* De quo alij, queis otij magis, cenſeto.

7 Nec ſuffragatur, ſufficitve rei explicandæ, ratio illa Innocentij, ex Papiniano veluti ſumpta, *in dict. l. vltim. D. de condict. ſine cauſa*, nempe quod cum matrimonium non conſiſtat, Caſtra non tam ob turpem, quàm ob nullam cauſam data cenſenda ſint; quippe ea ratio recta, aptave apud Papinianum, qui repetionem largitur pecuniæ in dotem datę ante nuptias inceſtas, quæ neque ſecutæ, neque facto ipſo attentatæ, atque ita, non tam ob turpem cauſam, quàm ob nullam. *d. l. vltim. in princip. & §. vlt.* non item apud Innocentium, qui reſcribit, de reſtituendo dato ob nuptias, non modò attẽtatas, ſed cõſummatas, vt in antiquo, & integro contextu eſt, *d. cap. Etſi neceſſe.* & conſequenter nõ ob nullam, ſed ob turpem cauſam, re ipſa ſecuta. Vt proinde neque immeritò, aut ſaltem non omnino temerè, poſt Azonem, & alios, Ioannes Andreas, & Hoſtienſis indidem, conſcij non dextrè aptatæ Papiniani rationis, & deciſionis vix ratione ſubnixæ, vſurpent decantatum illud: *Sit pro ratione voluntas*.

8 Deſiderat Innocentij interpretatio, facti hiſtorici, cui *Decretalis ea epiſtola* reſpondet, propriam, germanamque enarrationem, in qua magnus ille, etiam in Pontificio iure, Cuiacius, & poſt eum Ant. Dadinus Abeſerra *ad Decretales Innocentij III. in dict. cap. Etſi neceſſe*, vterque Hiſpanicæ hiſtoricę, vt alienæ, minùs peritus, ſimulque malè creduli Hiſpano Hiſtorico Roderico Sanctio de Areualo Epiſcopo Palentino 3. *part. cap.* 38. largiter cum eo labuntur, dum, vt ille loquitur, famoſam eam Decretalem emanaſſe, cenſet, dirimendis inceſtis nuptijs, initis inter Henricum I. Caſtellæ Regem, & Mafaldam filiam Sanctij I. Portugalliæ, parario, & adſtipulatore Comite Aluaro, tunc ob pueritiam Regis omnium potito, & dominante, adeo impotenter, vt vix vrgente auctoritate Innocentij III. Pontificis, ſeparatum coniugium fuerit, vt memorant Hiſpani Scriptores, Rodericus Archiepiſcopus *lib.* 9. *cap.* 2. Alfonſus Cartagena in *Anaceph. l. c.* 82 Auctor *Chronici Generalis Hiſpaniæ*, Alfonſi Sapientis iuſſu compoſiti, 4. *part. cap.* 10. & ex nouioribus Mariana *lib.* 12. *cap.* 5. Garibaius *lib.* 12. *cap.* 40. Alfonſus Sanctius *in Hiſtor. Hiſp. ad annum* 1216. Noſter Manriquius *in Annal. Ciſtercienſibus ann.* 1211. Et Mafaldæ ſeparatæ memoriam, ſanctitate, & miraculis etiam nunc illuſtrem, teſtantes Luſitani Vaſconcelos, Faria, & alij *in Sanctio I.* Franc. Anton. de Yepes *in hiſtoria Benedictini Ordinis centur.* 1. *anno* 67. Sanè huic rei geſtæ vt aptet Cuiacius contextum *dict. cap. Etſi neceſſe* 5. (qui eſt de Rege Legionis, non Caſtellę, & de filiæ Regis Caſtellę non Portugalliæ) ſupponit, fuiſſe Henricum Legionis, & Caſtellæ Regem, vnito iam vtroque Regno, & pro verbis, filia Regis *Caſtellæ*, reponit *Portugalliæ*.

In quibus ſingulis mirùm quàm peccat. Namque Legionis, & Caſtellæ Regna ſub Henrico I. non fuiſſe vnita, imò diuiſa, Caſtellæ Henrico, & Legioni Alfonſo Nono imperante; ac demum, & perpetuò vnita, poſt Henrici, & Alfonſi interitum, in Ferdinando Sancto ex Berengaria, primogenita Alfonſi, vt numeramus, Octaui Caſtellæ Regis, & Alfonſi Noni Legionenſis ex eodem Berengaria filio, res eſt adeò teſtata, vt neque extra Hiſpaniam teſtibus egeat. Henricus Spondanus *in Annalibus poſt Baronium anno* 1230. *num.* 5. Iacobus Gordonius *in Chronologio eodem anno.* Paulus Bombinus *in Breuiario rerum Hiſpanicarum Enneade* 1. *lib.* 6. *ad finem.* & Chronologi alij, atque Hiſtorici. Sed & nihil pertinere ad hypotheſin *d. cap. Etſi neceſſe*, Mafaldam Portugalliæ Regis filiam, perperamque illam, & Henricum Caſtellæ in hanc ſcœnam induci, argumenta euidentia ſunt, tum quod nulla de Caſtris Mafaldæ in dotem datis, & impedimentum diuortio facientibus, vt proponitur in *dict. cap.* 5. in Annalibus noſtris mentio: tum etiam, quia ſi Mafaldæ ab Henrico data, eaque reſtituere, cogenda eſſet, iniungeretur id ab Innocentio Epiſcopis Caſtellæ, aut Portugalliæ, non autem Archiepiſcopo Compoſtellano, & alijs Legionenſibus, ad quos directa *Decretalis epiſtola dict. cap.* 5. tum deni que quia, vt quod res eſt, dicamamus, conſtat, curam ſeparationis inter Henricum, & Mafaldam iniunxiſſe Innocentium (quamquam de eo dubitet Franc. Boſquettus in *notis ad Innocentij Regeſta lib.* 1. *epiſt.* 74.) non Compoſtellano, aut Legionenſibus, ſed Tellio Palentino, & Mau-

Maūritio Burgenſi, Caſtellani Regni Epiſcopis, vt ex *Generali Chronico Alfonſi dict. cap.* 10. & Roderico Toletano *lib.* 9. *cap.* 2. memorant Mariana, & Garibaius; iam laudati. Adijcimus rei lucidæ lucem; obſeruantes, Innocentium de eo coniugio reſcribere, in quo & conſummata copula, & ex ea fortaſſe *proles ſuſcepta eſt*, vt liquet ex integriore contextu eius *Decretalis*, *in antiqua collectione* 3. *lib.* 4. *tit.* 15. *cap.* 1. Hæc autem ſuppoſitio, ſiue aſſumptio aliena à contubernio Henrici, & Mafaldæ, quod quamvis fere conſummatum, & mulierem factam Mafaldam, creditum fuiſſe; ſcribat in Latina Hiſtoria, Mariana *dict. lib.* 12. *cap.* 3. & Garibaius, ex *Generali Chronico*, *d. cap.* 10. vix tamen id credibile; virginemque illam, Portugalliæ redditam, idem ille Mariana in patrij idiomatis hiſtoria, & Luſitani Hiſtorici affirmant, ſaltemque nullam inde prolem ſuſceptam; aut ſperatam, & pueritia Regis poſt diuortium, nec dum puberis, mortui, & properatæ intra annum nuptiæ, & diuortium ſatis ſuadent.

10 Neq; plura in Cuiacium iam. Pergimus potius, monemuſque, pertinere Innocentij *Decretalem* ad coniugium inter Alfonſum, vt vocant, Fernandium IX. Legionis, & Berengariam primogenitam filiam Alfonſi VIII. Nobilis, ſiue Boni, Caſtellæ Regis (& quidem bona fide, ſaltem ex parte Berengariæ, vt poſtea dicemus) quod inter eos initum anno circiter 1201. & poſt diuturnam cohabitationem, binamque ſobolem vtriuſque ſexus ſuſceptam, tamen quia Berengaria, neptis mariti Alfonſi, ex eiuſdem conſobrino Alfonſo erat, adigente Innocentio III. Pontifice, diſſolutum fuit, vt liquet ex *compilatione Anonymi geſtorum Innocentij III.* edita à Boſquetto *tom.* 2. *ad Innoc. III. pag.* 36. *& ſeq.* & teſtantur Rodericus Archiepiſcopus *lib.* 7. *cap.* 24. *&* 31. *Chronicon Generale* 4. *part. cap.* 9. Mariana *lib.* 11. *cap.* 21. *&* 23. Garibai *lib.* 12. *cap.* 31. *&* 37. Paul. Bombin. *in Breuiar. rer. Hiſpanar. lib.* 6. *p.* 117. Henr. Spondan. 1. *tom. Annal. poſt Baron.* tametſi in temporum ratione; fortaſſe *Data epiſtolarum Innocentij*; quæ extant, deceptus, eſt à noſtratibus diſcrepans; an aberrans; referenſque hæc ad annum Pontificatus Innocentij primum, & Chriſti 1198. *num.* 10. & exactiore Chronologię ratione Odoricus Rainaldus, poſt Baronium *tom.* 13. *ad annũ* 1198. *num.* 33. *& ſeqq. & ad ann.* 1204. *num.* 70. & ſignanter hanc hiſtoricam facem Innocentio *in dict. cap. Etſi neceſſe* 5. præferentes Rades de Andrade in *Chronica Militar. Ord. D. Iacobi cap.* 12. *part.* 21. Valdeſius *in addit. ad Rod. Suar. ad l.* 1. *tit. de arrhis*, §. *Nota primò*, *num.* 4. Auguſt. Barboſ. *in collect. ad cap.* 5. *num.* 2. Didacus Colmenarius *hiſt. Segou. cap.* 19. §. 3. Noſter Manrique *tom.* 4. *Annal. Ciſterc. ad annum* 1216. *cap.* 2. *num.* 2. Ac ne in re indubia agamus coniecturis, extat ea ipſa Decretalis eodem illo initio, *Etſi neceſſe*; ſententia; & verbis, tametſi prolixiore contextu, memoratam facti ſeriem complectens, inter *Innocentij III. epiſtolas* editionis Colonienſis *anni* 1575. *lib.* 2. *epiſt.* 71. *ad Fratrem Rainerium.* Et in alia *ad Archiepiſcopum Compoſtellanum* editionis Rom. 1543.

Illud applicationem Innocentij 11
textus huic rei geſtæ firmat omnino, illuſtratque ſimul; quòd quę Caſtra Legionis Regem filiæ Regis Caſtellæ, in dotem tradidiſſe, & pacto, vt ſi illam relinqueret, in ius eius cederent, eaque Caſtra, ſiue eorum retinendorum cauſam impedimentum

præ-

præſtare diſſolvendo coniugio, proponitur *in dict. cap. 5.* conſtat ex hiſtorica ſerie eius æui, tradidiſſe Alfonſum IX. Legionis, vxori Berengariç, Caſtellæ Regis filiæ, idque cæteris luculentiùs, & ad Innocentij textum appoſitè, prodidit illius ſeculi hiſtoricus, Lucas Tudenſis *in mundi Chronico ad Eram* 1226. his verbis: *Cum venirent ad pacem, dedit Adefonſus Rex Legionenſis vxori ſuæ Reginæ, Dominæ Berengariæ, quæ tunc degebat cum patre ſuo in Caſtella, Villarpandum, Ardon, Rodam, Arbolium, Gordonem, & Lunam.* Et inferiùs: *Duxit Berengariam, prudentiſsimam filiam Adefonſi Regis Caſtellæ, vxorem, & tam nobiliter eam deſponſauit ſibi, quòd dedit ei pro dote Turres Legionis, Aſtoricam, Valentiam, & alia triginta Caſtella; poſuit etiam in fidelitate, alia decem Caſtella in manu Baronum Regis Caſtellæ, ne recederet à pactione.* Ac demum contentionem de his Caſtris reddendis Regi Legionis, quædamque ab eo inter moras ſacri Toloſani prælij recepta, alia ſponte à Victore Alfonſo reſtituta, idem deinceps ſcriptor teſtatur, atque, eum ſequutus, Garibaius *lib.* 12. *cap.* 31. Neque abludit Roderici Archiepiſcopi teſtimonium *lib.* 7. *cap.* 31. dum quæ Lucas, dediſſe Alfonſum Legionenſem in dotem Berengariæ, memorat, Rodericus è contra ſcribit, *Nobilem Adelfonſum Caſtellæ, omnia quæ abſtulit, nunc genero, olim hoſti,* ſcilicet Alfonſo Legionenſi, *dediſſe filiæ ſuæ nuptæ Berengariæ.* Nam vt de eiſdem Caſtris Legionenſis Regni, Alfonſo illius Regi ab Alfonſo Caſtellæ bello primùm ablatis, & coniugij pacti cum Berengaria contemplatione redditis, Rodericum, & Lucam loqui, agnoſcamus, nihil inconuenit, Alfonſum Caſtellæ, eo intuitu reſtituentem, vt filiæ in dotem cedant, filiæ ſuæ dare, dici; vt Rodericus, & ex eo Mariana, Garibaius, Rades ſupra laudati, & è contrario Legionenſem Alfonſum eadem Caſtra, vtpote ad Regnum ſuum pertinentia, & tunc reddita, pro dote Berengariç, ſiue filiæ Regis Caſtellæ, in dotem tradidiſſe proponi, vt apud Lucam, & Innocentium eſt *in d. cap. 5.*

Quò circa, & ex his iam exponendum eſt id, in quo claſsici, vt vocant, Canoniſtæ laborant, cur ſcilicet Rex Legionis maritus dicatur, dare in dotem vxori filię Regis Caſtellæ, contra iuris, & proprietatis loquendi normam, ſecundùm quam vxoris potiùs eſt, dotem dare, & mariti accipere. *l.* 1. *& paſsim, D. de iure dot.* Vlpianus *tit.* 6. *de dotibus, cap. Nuper* 6. *in fine, de donat. inter.* notant quidem, Innocentio explicando, Vincentius, Ioann. Andr. & Panormitan. illic, loqui eum, iuxta conſuetudinem Hiſpanorum, vxores dotantium, idque inde aſſumptum transferunt Noſtrates ad arrhas, quas in Hiſpania ad inſtar donationum propter nuptias mariti vxoribus largiri, ſolent. *l.* 1. vbi Gregorius Lupus *gloſſa en Eſpaña, tit.* 11. *part.* 4. *l.* 87. *tit.* 18. *part.* 3. *l.* 50. *Tauri, cum ſeqq. l.* 1. *tit.* 2. *de las arras, lib.* 3. *fori,* vbi Roder. Suar. *num.* 4. D. Præſ. Couarruu. *in* 4. *part.* 2. *cap.* 3. §. 7. *num.* 11. egregiè Valaſc. *conſult.* 2. *ex num.* 3. 12

Nec diſsimiliter nimis *gloſſa.* verbo, *In dotem.* Hoſtienſ. Ancharran. Butr. *in dict. cap.* 5. exaudientes dotem apud Innocentium, id eſt, donationem propter nuptias. Nam cũ, vt memorauimus, ea Caſtra Alfonſus Caſtellæ reſtituerit, vt filiæ in dotem cederent, & Alfonſus Legionenſis eadem Berengariæ, tanquam 13

vxo-

vxori, & matrimonij contemplatione tradiderit, non immeritò diuerſis reſpectibus cenſentur iure, & nomine dotis, & donationis propter nuptias, ſiue arrharum Hiſpani ærum; ſiue, vt eſt apud Innocentium in pleniore contextu *eiuſdem Decretalis dict. epiſtol.* 71. & in antiqua collectione 3. *lib.* 4. *tit.* 15. donatio propter dotem.

14 Nec ſine exemplo vel extra Hiſpaniam, imò ab antiquo æuo eſt, dotem vocari dona, ſeu munera, quæ pro dote maritus confert vxori, ſiue maritum ipſum dare dotem vxori. *Geneſis cap.* 34. *Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem.* Vbi Abulenſis *q.* 1. Bened. Pererius *ad cap.* 29. *Geneſ. diſp.* 2. Alia, ex alijs electa, Hieronymus Vignonius *ad Marculf. formulas pag.* 561. Lindembrug. *ad Cod. leg. Antiq. pag.* 1391. *in Gloſſario*, verbo, *Dos*; & de Francorum more, & Gothorum, vxores dotantium, Hadrianus Valeſius *lib.* 11. *rerum Francicar.* Sed frequentior omnino ea vſurpatio dotalis nominis, aut tituli ſequiore lingua, & ſeculo, pro donatione propter nuptias, à viro in vxorem collata, dotemque æquante, penſante, aut augente, vnde & ἀντίφερνα, ſeu *dos contraria*, & *dotarium*, ſeu *dotalitium* dicitur. *cap. Si autem* 10. 36. *q.* 2. *cap. Ex parte* 15. *de foro compet. cap. Plerumque* 4. *de donat. inter.* Græcis nouioribus *Hypobolum*, de quo Theodor. Balſamon *ad Photij nomocanonem, tit.* 13. Harmenop. *in promptuario lib.* 4. *tit.* 10. *Nouella* Leonis 20. & 22. Germanis *Morganatica*, ſeu *Morganheba*, vt in legibus Alemannicis, & Longobardicis, & in feudis *lib.* 2. *tit.* 29. *de filijs natis ex matrim. ad Morganaticam.* Gregor. Turonenſ. *libr.* 9. *cap.* 20. Denique & abſolutè, ac ſimpliciter, *dos. dict. cap. Etſi neceſſe* 5. *cap. Nuper* 6. *de donat. inter. cap.* 1. *de ſponſalib.* & in Viſigothorum legibus *lib.* 3. *tit.* 1. *leg.* 5. & *lib.* 4. *tit.* 5. *leg.* 2. & Hiſpana lingua, & moribus *arrhæ. d. l.* 1. *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 50. & 51. *Tauri. l.* 2. *cum ſeqq. tit.* 2. *lib.* 5. *compilat.* quas nempe arrhas, ſucceſsiuè in locum donationis propter nuptias, & idem fere eſſe, ac dotē, à marito vxori collatam, argumento eſt, quòd quæ taxatio ex legibus noſtris viget, ne ſcilicet arrharum quantitas excedat partem decimam bonorum mariti. *d. l.* 50. & 51. *Tauri. l.* 1. & 2. *tit.* 2. *lib.* 3. *forileg.* & *l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 4. *foriud.* eadē taxatio iam olim exprimitur ſub nomine *dotis*, quam maritus vxori confert, in Codice legum Viſigothorum *lib.* 3. *tit.* 1. *leg.* 5. ex qua fluxiſſe decimæ in arrhis circumſcriptionem, nondum pragmatici noſtri obſervarunt: at prænotauit, poſt ſcripta hęc viſus, noſter Reteſius *de donationib. cap.* 22. *n.* 11.

Viam hęc quadantenus faciunt, 15 nondum tamen aditum, reſerādo præcipuo illi, & difficili apud Innocentiū quæſito, cur ſcilicet in nuptijs apertē illicitis dos, ſeu donatio propter nuptias, à marito data (multòque minùs arrhæ Hiſpanicæ, quę vxoris, & eiuſdem hęredum lucro noſtris moribus cedunt, vt *in l.* 51. *Tauri. l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori.*) non ſolùm caduca non fiat, ſed reſtituatur marito, idq; aliena illa, nec ſatis aptè coagmentata ratione, quia data non ob turpem cauſam, ſed nullam, matrimonij, quod tamen facto ipſo, & inceſtæ copulæ diuturnitate attentatum, conſummatumve, in *dict. cap. Etſi neceſſe* 5. non autem concupitum dumtaxat, ſi liceret, vt in *dict. l. vltim. D. de condict. ſine cauſa.* Nec repugnamus, quamvis non acquieſcimus gloſſæ notato in *dict. cap.* 5. verb. *Reſtitui*, cui, poſt Hoſtienſem, aliosque

inibi ſubſcribit Barboſa, *in l. Si ante 6. num. 28. D. ſolut. matrim.* dum monet, idcirco illic dotem, ſeu donationem caducam non fieri, quia Legionenſis Rex, tamquam ſupremus Princeps, alij non ſubditus, legibuſque caducarijs ſolutus, non eſt obnoxius caducitatis pœnæ, aut confiſcationi, argumento *ex l. Princeps 31. D. de legib.* quin potiùs ipſe, veluti Fiſci ſui iure, repetit, occupatque. *l. Quod Principi 56. D. de legat. 2.* Non, vt diximus, acquieſcimus, quia tametſi illud primum de Principe, non obnoxio caducitati, aut confiſcationi agnoſcamus, ſecundum tamen de repetente ex iure ſui Fiſci, & cum priore parùm convenit, & diſconuenit ęqualitati Principis, & Auguſtæ, quoad immunitatem à pœnis orbitatis. *dict. l. Princeps 31. D. de legib. l. Fiſcus 6. §. vltim. D. de iure Fiſci*, de queis tamen ſuo loco ex profeſſo; & alienum à contextu, & mente Innocentij, qui ſine vllo pœnę, & caducitatis reſpectu, reſtitui Regi Legionenſi Caſtra, vult, alia, & propria illa ratione, quia data non ob turpem cauſam, ſed nullam. Ac denique non ſufficit rei expediendæ, quia vt cumque ſupremitas Regia ſatis eſſet Legionenſi eximendo à confiſcatione, non tamen ne Regina, ſuprema itidem, non potior ſit, in pari turpitudinis cauſa, vt retineat potiùs, quàm reſtituat marito, qui turpiter dedit.

16 Profectò nec meliora, nec quæ aſſenſum magis mereantur, decem circiter alia Canoniſtarum laborantium effugia, *ad dict. cap. 5.* quorum meminit Iaſon *in l. vltim. D. de condict. ſine cauſa.* ex queis tamen aut verius, aut veroſimile magis illud videtur, in quo cum Tancredo, apud gloſſam *in dict. cap. 5.* verbo, *Reſtitui*, reſidet ibi Panormitan. *num. 7. & 9.* nempe bono pacis, inter Caſtellæ, & Legionis Reges ſanciendæ, ſimulque & præcipuè pro ſpirituali bono ſeparationis illiciti coniugij, cùm vtrique iſti bono moram facerent, ſiue, vt Pontifex loquitur, impedimentum præſtarent Caſtra in dotem data, aut donata (quia ne illis caderet Legionenſis, vtpote Regni ſui partibus, aut à coniugio non diſceſſurus, aut diſſoluta copula, bellum pro illis recuperandis moturus, credebatur, & è contra Caſtellæ Rex promptum ſe, & obſequentem Pontificijs iuſsis ſpondebat, vt ille idem ſcribit *dict. lib. 2. epiſt. 72.*) Innocentium ex paſtorali officio altioribus his finibus intentum, Caſtra Legionenſi reſtitui, decreuiſſe; cedente ſtricti iuris ratione, ſummæ illi rationi, quæ pro religione, & pro pace; argumento *ex l. Sunt perſonæ 43. D. de religioſ. l. Conuentionum 5. D. de pactis.* Planè vt hæc ipſa reſtitutio, inoffenſis iuris regulis, pręcipi, videretur, vtitur Innocentius colorata illa ratione, & prætextu, quod Caſtra, data non tam ob turpem cauſam, quàm nullam, quæ ratio, tametſi ex Papiniano ſumpta, *in dict. l. vltim. D. de condict. ſine cauſa*, accepta tamen aliter ab Innocentio, & accipienda ex eius mente, quippe apud Papinianum, dicitur datum non tam ob turpem cauſam, quàm nullam, quia datum propter nuptias, turpes quidem, ſed non ſequutas, & proinde nullas. At apud Innocentium, quamvis datum ob nuptias, re ipſa turpes, & ſequutas, conſummataſque, dicitur tamen, datum non tam ob turpem, quàm ob nullam cauſam, attento affectu coniugum, qui coniugium illicitum inierunt, & maximè Berengaria, quæ

que, patribus ſuis ſpondentibus, & ſuffragantibus Toletano, Burgenſi, Palentino, & Zamorenſi Epiſcopis, cenſeri, debet, bonâ fide coniugium iniiſſe, & credidiſſe, ei ineundo ſufficere ſpem; vt ſuadebatur, probabilem, diſpenſationis Pontificis, quam tametſi ex poſt facto, & in caſſum; procurarunt tamen Toletanus, Palentinus, & Zamorenſis Prǽſules, Romam pro vtroque Rege Legati, vt Innocentius idem, damnata licet Legationis cauſa, commemorat, *dict. lib.* 2. *epiſt.* 71. & ex libro *Geſtorum Innocentij*, & alijs Spondanus, & Rainaldus, iam laudati. Nouiſsimè P. Caſtejonius *in hiſtor. Tolet. Prim.* 3. *part. cap.* 5. quem, & alios laudauimus, properata quamvis nomenclatura, & editione, in Reſponſo noſtro *pro Hiſpania ad tractatum Galliæ de iuribus Reginæ Chriſtianiſsimæ* §. 13. *& ſeqq.* Fuerunt itaque Caſtra data non tam turpiter, quàm temerè; ob improbabilem ſpem diſpenſandi coniugij, quæ tamen ſpes, vt diximus, poſt negatam diſpenſationem nulla, & inanis iam, ſatisfuit Innocentio, vt diceret, cauſam dandi fuiſſe potiùs nullam, quàm turpem, & proinde non obſtare, quominùs Caſtra data reſtituerentur, adumbrato honeſto hoc colore pro bono pacis, & ſeparationis, quam Caſtra non reſtituta morabantur.

17 Acceſsit indulgendæ faciliùs veniæ amiſsionis Caſtrorum, frequens eo ſeculo, & æuo, antea iam inde à Roberto, & Philippis Francorum Regibus, inter eos, alioſque Principes, illicitorum coniugiorum vſurpatio, & abuſus, Pontificibus fruſtra laborantibus, pro cohibendis nuptijs intra nexum, graduſque ab Eccleſia præſcriptos; cæterùm fruſtrà adeo, & in caſſum, vt idem Innocentius III. neceſſe habuerit, prohibitionem coniugalis copulæ, quæ, in id tempus, ſeptimum vſque conſanguinitatis gradum pertingebat, ad quartum coarctare, *quoniam in vlterioribus gradibus iam non poterat, abſque graui diſpendio, huiuſmodi prohibitio generaliter obſeruari.* Vt ex *Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. Can.* 50. ſcriptum eſt, *in cap. Non debet* 8. *de conſanguinitat. & affin.* Neque nouum, inobſervatumve eſt, quædam, alioquin iuſta, aut publicè vtilia, quibus tamen artis ſubtilitas obſtare, videbatur; quæſitò, vt apud Rhetores, legitimo colore defendi. Exempla in querela inofficioſi, *l.* 2. *&* 5. *D. de inoffic. teſt.* & in Publiciana, & Commento Corneliæ legis, de captiuis, & id genus alijs.

18 Præterea & quod nondum Hiſtoricis Hiſpanis notatum, Innocentius ſub idem tempus, pro pacis bono, & attenta bona fide Berengariæ Reginæ in coniugio cum Alfonſo, auctor fuit eidem Alfonſo, vt Fernandum, poſtea Sanctum nominatum, ex eo coniugio ſuſceptum, pro filio legitimo, & Regni ſucceſſore ſolemniter reciperet, contra quàm ante comminatus fuerat, in integro contextu *dict. cap. Etſi neceſſe* 5. apud Anton. Auguſtinum *in* 3. *collectione Decretal. lib.* 4. *tit.* 15. Id quodipſum, ſucceſsionis caſu exiſtente, memorauit, firmauitque Honorius Tertius Pontifex, cuius Reſcriptum ea de, ad verbum exhibet Odoricus Rainaldus *tom.* 13. *poſt Baronium ad annum* 1218. *num.* 66. & 67. &, poſt Bzouium, agnouit Spondanus *tom.* 1. *poſt Baron. ad annum* 1217. *num.* 14. Hæc ante aliquot luſtra, cum inter Schedas noſtras laterent, deſcripta ex eis, & perlata Salmanticam à Franciſco Antonio filio, tunc Academico profeſſore, & in maiori Archie-

chiepiſcopi Toletani Collegio Collega, anſam, an cauſam præbuere, edito poſt inde *Syntagmati ad dict. cap. Etſi neceſſe* 5. quod & Ioanni Franciſco primogenito noſtro dicauit D. Emanuel Villaſuſo, eiuſdem Collegij Collega, & magnæ ſpei candidatus.

CAPVT XX.

DE DOTIBVS, ARRHIS, ET SPONSALITIIS, ALIISQVE ANNEXIS iuxta Hiſpanas leges, & mores, notata practica, theoricis obſeruationibus reſperſa.

ARGVMENTVM.

DE dote in illicitis nuptijs non confiſcanda, ſed à marito retinenda, in ſpecie *l. 50. tit. 14. part.* 5. ſingulare ius; & quàm diſcrepans à ratione, & regulis Romani iuris? Suis tamen ſtans rationibus. De arrhis Hiſpanicis, & antefato, ac dotario Siculis: item de arrhis, fidei inter ſponſos pignoribus, ac de ſponſalitijs muneribus par cenſura. Exorbitans ab ea Valeriani *lex* 18. *Cod. ad leg. Iul. de adulter. &* 5. *Cod. de donationib. ante nupt.* quæ &, vt exorbitantes interpolatæ in *Baſilicis*. Diſtinguitur inter ſponſalitia data, aut tantùm promiſſa. De priuilegio, ne damnetur in ſolidum pro dote, in marito illicito, & innoxio. Expenduntur *l.* 23. *D. ſolut. matrim. l.* 18. *D. de reb. auct. iud. l.* 17. *D. de act. rer. amot. quæ & exponuntur.* De impenſis vtilibus in dote caduca, ad Papinianum in *l.* 61. *D. de iure dot.* Actio de dote apud Conſultos, plerumque pro actione rei vxoriæ; Id quod variè illuſtratum, & aſſertum. Interdum & pro actione *ex ſtipulatu* pro dote. Compoſitum diſſidium inter *l.* 41. *§. A me, D. de leg.* 2. *& l.* 5. *de dote præleg.* Tandem de fructibus quaſi dotis in marito bonæ fidei, ad *l.* 42. *§.* 1. *D. ſolut. matrim.*

1 NEc dum manum de tabula, donationum, relictorum teſtamento, & dotium inter iniuſtos coniuges; quin potiùs cum in ſingulis eiuſce diſputationis partibus pleraque expoſuerimus, indicta hactenus, ad quæ, & ad rectam ſimul iuris rationem redigere, & cenſere, liceat, multa in hac eadem re, à multis neque explicitè, neque aptè ſcripta, mittimus, ne moremur, lectorem, examinandi, & recenſendi auidum, ad ſcrinia Bartoli, aliorumque in *l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* & in *l. vltim. D. de cond. cauſ. data.* Queis reſpondent gloſſæ, & Pontificij *ad tit. de donat. inter.* D. Præſ. Couarr. *de ſponſal.* 2. *part. cap.* 6. §. 8. *ex num.* 21. *& cap.* 7. §. 1. *num.* 7. *&* 8. Roder. Suar. *ad l.* 1. *tit. de coniugalibus lucris lib.* 3. *fori, ex num.* 1. Coſta *in cap. Si pater, verbo, Vxorem, ex num.* 5. *de teſtam. in* 6. P. Barboſa *in l. Si cum dotem* 22. §. *vltim. num.* 19. *& ſeqq. ſolut. matrim.* P. Sanchez *de matrim. lib.* 6. *diſp.* 2. *&* 20. Fontanell. *de pact. nupt. clauſ.* 4. *gloſſ.* 1. *ex num.* 65. Ar. de Meſa 2. *var. cap.* 40. *ex num.* 6. *& lib.* 3. *cap.* 22. P. Molin. *de iuſt. tractat.* 2. *diſp.* 200. Marta *ad rubric. ſol. matr. quæſt.* 11. *n.* 3. *& ſeqq.* Thom. Anell. Salernit. *deciſ.* 2. atque illic Thoro *in addit.* Tancred. Siculus 6. *de matr. diſp.* 2. *&* 20. Aug. Barboſ. *in collect. ad dict. l. Qui contra, ex num.* 3. Cuiac. *in recitat. ad l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ vt indign. & ad Papin.* 1. *definit. in l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* atque alibi ſæpe. Briſſon. *de iure connubior. p.* 48.

48. Scip. Gentil. *de donat. inter lib.* 4. *cap.* 2. *& ſeqq.* Alberic. Gentil. *de nupt. lib.* 2. *cap.* 25. *& lib.* 3. *cap.* 12. Hotman. *conſil.* 80. *num.* 3. *& conſ.* 116. *num.* 7. Bened. Pinell. *lib.* 1. *ſelect. cap.* 6. *num.* 1. *&* 53. *cum ſeqq.* Ant. Fab. *de error. deciſ.* 79. *err.* 4. & obiter minùs ex profeſſo alij non pauci, ac prę alijs diſcretè, ſuo more, & conſpicuè D. Ioſephus Fern. Retes *de donat. inter. cap.* 2. *n.* 2. *& ſeqq.* cum quo tamen ęternùm noſtro, vt non in omnibus, in hac re idem ſentio, ita eum ſibi res ſuas habere, bona, vt dicitur, gratia, iubeo.

b Excerpimus porrò inter alia ad vſum noſtri iuris, & fori, illud in primis nõ ſubticẽdũ, quod proditum eſt in *l.* 50. *tit.* 14. *p.* 5. mulierem conſciam impedimenti conſanguinitatis cũ Titio, eiq; ignoranti nubẽtem, & dotem dantem, non poſſe eam repetere, nec maritũ bonę fidei reddere, cogi, quinimò retinere, & lucrari, Fiſco excluſo, quamvis ſi vterque conſcius impedimenti fuiſſet, dos Fiſco cedere, vt ex collatione *d. l.* 50. *&* 51. quæ ſequitur, docent, deducuntq; apud nos, approbatam Regijs his legibus Azonis traditionem, in *rubric. Cod. de condict. ob cauſ. dat. n.* 5. & Accurſij *in d. l. Qui contra, verbo, Fiſco in princip. Cod. de inceſt. nupt.* affirmantes. Gregor. Lupus *in dict. l.* 50. *gloſſ.* 2. Suarez *in dict. l.* 1. *de coniug. lucr. num.* 30. Coſta *in dict. cap. Si pater, verb. Vxorem, num.* 5. P. Barboſa *in dict. l. Si cum dotem* 22. *§. vltim. num.* 30. Sanctius *d. lib.* 6. *diſp.* 2. *num.* 5. Matienço *in l.* 2. *gloſſ.* 1. *num.* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *compil.* Molina *d. diſp.* 200. *verſ. Vtrum autem*, & diſcrepare inde ius ſeptempartitum à Cæſareo in hac re, agnoſcens D. Pręſes Couarr. *de ſponſal.* 2. *p. cap.* 7. §. 1. *num.* 8.

c Ego autem diſcrepantiam hanc Regiæ legis à Romano Cæſareo iure, eiuſdemque ratione, & regulis diffiteri, non poſſum, non modò ob generales deciſiones, dotem in illicitis nuptijs indiſtinctè Fiſco addicentes, *l. Inceſtæ* 52. *l. Dote* 61. *D. de ritu nupt. l. Qui contra* 4. *l. Si quis inceſti* 6. *verſ. Dos. Cod. de inceſt. nupt.* nec retinendæ dotis ius, vbi nuptiæ non fuerunt, marito etiam ignoranti, & decepto indulgentes, niſi pro ſuo vſucepit, vt in ſpecie Proculi non indigna, quæ ad rem expendatur, *l. Proculus* 67. *D. de iure dot.* ad quam multa Cyrillus, & alij Græci *lib.* 28. *Baſilic. tit.* 15. nec minùs exerto ad rem *textu in Nouell.* 22. *de de nupt. cap.* 10. *Si verò ab initio. verſ. Inde neque lucrum*: ſed vel præcipuè ex iuris ratione, qua attenta dos in nuptijs ſiue iuſtis, ſiue iniuſtis, non datur, vt, eis diſſolutis, mariti lucro cedat, ſed vt reſtituatur. *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator. l.* 1. *&* 2. *D. ſolut. matr.* idcircoque quamvis mulieri ignaræ, innoxiæve illiciti coniugij, non eripi, vt indignæ dotem, ſed tamquam proprium patrimonium ſaluum ſtare, aut reſtitui meritò obtinuerit. *l. Præfectus* 63. §. 1. *in fine, D. de ritu nupt. l. Si tutor* 7. *Cod. de interd. matrim. l. Eum, qui* 18. *verſic. Cæterùm, Cod. ad leg. Iul. de adulter. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator.* tamen in viro abſurdum videtur, eum, vt cumque inſcium, innoxiumque retinere, & lucrifacere dotem ex delicto, doloque vxoris, quæ impedimenti conſcia nupſit, contra regulam *l. Alterius* 49. *D. de regul. iur.* iuncta *l. Si filia* 5. *D. de diuortijs. l.* 4. §. *Illa* 23. *D. de doli except.* & melioris conditionis eſſe quoad dotem in nuptijs iniuſtis, quàm foret, ſi iuſtæ fuiſſent, contra rationem *l.* 3. §. 1. *verſic. Ne melior, D. de donat. inter*, quemadmodùm eadem abſurdi ratione pupillæ, quæ tutori contra ius nupſit, quantumvis in-

dict. l. 2. §. 1. *in princip.* & probabile, tametſi paradoxum eſt, repetituros ab eo indigno hæredes innoxij coniugis, relinquentis potiùs, quam Fiſcum erepturum. *l. Vxori* 27. *D. de vſufruct. legat.* Neque in hoc genere teſtamento relictorum, quidquam eſt ſpecialiter, apertève nouis conſtitutionibus immutatum, niſi, quod magis eſt, ex earum mente, & indulgentia nouiorum Cæſarum, Fiſco in caducis, & ereptitijs parùm fauentium, illicitum, noxiumque coniugem haberi non tam pro indigno, quàm pro experte, ſiue impote capiendi, ideoque ei relicta, quo caſu ex iure antiquo futura Fiſci erant, retineri hodie, aut retrahi à legitimis filijs innoxijs, aut genere proximis, potiùs, quàm à Fiſco eripi. *dict. l. Si quis* 6. *verſ. Nihil*, iuncta *Authent. ſeq. Cod. de incept. nupt. l.* 1. *verſ. Omnium, Cod. de ſecund. nupt.* quarum immemor, reſpondit pro Fiſco, non ſatis rectè in re, Valaſcus *conſultat.* 15.

4 Poſtremò in dote, vt finiamus, duplex ex diſciplina priſci iuris regula eſt. Prima, & generalior, dotem in illicitis, iniuſtiſve nuptijs, nullam eſſe. §. *Si aduersùs* 12. *Inſtit. de nupt. l. Inceſtæ* 52. l. *A Diuo* 58. *D. de ritu nupt. l.* 3. *l. Si Serua* 39. §. *vlt. l. dotis* 68. *D. de iure dot. l.* 1. §. *penult. D. pro dote. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* Secunda, eam ipſam dotem caducam fieri, & in Fiſcum cadere, in nuptijs inceſtis. *dict. l. Inceſtæ* 52. *l. dote* 61. *D. de ritu nupt. l. Si quis* 6. *verſ. Dos, Cod. de inceſt. nupt.* & in Præfecti cum prouinciali fœmina. *l. Si quis officium* 38. §. 1. *D. de ritu nupt.* iuncta Gordiani conſtitutione apud Cuiacium fortaſſe, & in tutoris cum pupilla. *l. vltim. Cod. de interd. matrim.* Denique in nuptijs contra leges Iuliam, & Papiam, ex Vlpiano *tit.* 16. §. *vltim. in fine.* iuncta *dict. l. A Diuo* 58. *D. de ritu nupt.* niſi ſcilicet ante attentatas illicitas nuptias dos data, & illæ poſtea non attentatæ, non ſecutæ. *l. vlt. in princ.* & §. *vltim. D. de condict. ſine cauſa.* vel niſi eripienda dos ſit coniugi ignaro, innoxioque illiciti matrimonij, cui non eripitur. *dict. l. A Diuo* 58. *l. Præfectus* 63. §. 1. *in fine. D. de ritu nupt. l. Si tutor* 7. *Cod. de interd. matrim. l. Eum, qui* 18. *verſic. Cæterùm, Cod. ad leg. Iul. de adulter.* Ac præterea non committitur caducæ dotis pœna cũ effectu, ante illicitas nuptias diſſolutas, imò pendet pendente habitu, & ſpe earum confirmandarum. Vlpianus *dict. tit.* 16. §. *vltim. in fine. l. Præfectus* 63. *in fine, D. de ritu nupt.* iuncta *l. Hæc conditio* 10. *verſic. Sed enim, D. de condit. & demonſtr. l. Si ego* 9. *verſ. Quare. l. Si debitor* 80. & 83. *D. de iure dot. l. Quod Seruius* 8. *D. de condict. cauſa data.* Denique neque quoad hanc partem diſcrepat ius nouum à vetere, niſi in eo, quod in nuptijs inceſtis dos, & alia bona confiſcanda deferuntur in primis liberis legitimis, eiſque non extantibus, Fiſco, ex *Nouella* 12. *de inceſtis nupt. cap.* 1. & 2. *Authent. inceſtas, C. de inceſt. nuptijs.*

His iam nouæ ciuilis iuriſprudentiæ Analectis adijcimus lubenter, 5 ex canonico ſacro receſſu, *Decretalem* Innocentij Tertij *epiſtolam*, cura, & illuſtratione aliqua non vulgari egentem, in *cap. Etſi neceſſe* 5. *de donat. inter.* Vbi proponitur, Regem Legionis, filiæ Regis Caſtellæ in dotem Caſtra aliqua dediſſe, eo pacto, vt ſi eam, ſcilicet quam vxorem tunc ducebat, poſtea aliqua occaſione dimitteret, Caſtra in ius memoratæ vxoris cederent; quocirca cum deinde ob impedimentum, quod illicitam inter eos copulam,

con-

coniugiumque reddebat, ad illius diſſolutionem vrgerentur, eique moram facerent data Caſtra illa, quibus relicta vxore, ſe ex pacto cariturum, ſiue ea ſibi non reſtituenda, Legionenſis Rex verebatur, reſcribit Innocentius Pontifex, Caſtra non tam ob turpem, quàm ob nullam cauſam data, cenſenda eſſe, vtpote cum matrimonium non ſubſiſteret, & proinde nec dos, nec donatio propter nuptias; idcircoque ne cedant commodo eiuſce vxoris, quæ ob illicitum matrimonium pœnam potiùs pati debuerat, iubet, reſtitui Caſtra Regi Legionenſi, &, ad ea reſtituenda, puellam Caſtellæ Regis filiam, præuia excōmunicatione, coarctari.

6 Hæc ſententia Innocentij: in qua, vt leuiora taceam, illud planè difficile, quod cum Caſtra in dotem data proponantur, & matrimonium tamquam illicitum ſeparetur, & pro explorato ſit, vtrumque coniugem conſcium, noxiumque fuiſſe illiciti coniugij, intra ſecundum conſanguinitatis gradum cōtracti (vt, poſt gloſſam illic, verbo, *Reſtitui*, iuncto *cap. Porrò 3. in fine de diuort.* & poſt Panormitanum, Ancharranum, Butriū, & alios, obſervat ex antiqua eiuſdem Decretalis collectione, Hoſtienſis inibi) Videbantur dotalia hæc Caſtra Fiſco, tamquam caduca, addicēda, aut ſaltem retinenda potiùs à puella, quæ accepit tamquam dotem, propriumque patrimonium; digniorque quæ retineat, in pari ſcientia, & turpitudinis cauſa, quàm vt reſtituat marito, qui turpiter dedit: argumento *ex cap. 1. cap. de prudentia 3. de donat. inter. cap. 2. de coniugio ſeruor.* iuncta regula *l. vltim. verſ. Dixi. D. de cond. ſine cauſa. l. 3. l. penult. D. de cond. ob turp. cauſ. l. 2. Cod. eod. tit. l. Si procurator 9. D. de doli exceptione*; multòque magis ſi eam puellam, iuſta puellaris ætatis præſumptione innoxiam ſupponamus, vt *in l. Præfectus 63. in fine. D. de iure dot. l. Si tutor 7. Cod. de interd. matrim. l. Eum, qui 18. verſic. Cæterùm, Cod. ad leg. Iul. de adulter. l. 1. Cod. de condict. ob cauſ. dat. l. Qui contra 4. Cod. de inceſt. nupt.* Conducit difficilis alioquin *epiſtola* Papæ Deuſdedit *ad Gordianum Epiſcopum Hiſpalenſem, tom. 2. Concilior. part. 2.* cuius extrema illa ſectio de muliere ſeparata, poſt annum nuptura, & dote ei reſtituenda, fortaſſe tamquam regulis, & rationi incongruens, omiſſa à Gratiano *in cap. Peruenit 30. quæſt. 1.* De quo alij, queis otij magis, cenſeto.

Nec ſuffragatur, ſufficitve rei explicandæ, ratio illa Innocentij, ex Papiniano veluti ſumpta, *in dict. l. vltim. D. de condict. ſine cauſa*, nempe quod cum matrimonium non conſiſtat, Caſtra non tam ob turpem, quàm ob nullam cauſam data cenſenda ſint; quippe ea ratio recta, aptave apud Papinianum, qui repetionem largitur pecuniæ in dotem datę ante nuptias inceſtas, quæ neque ſecutæ, neque facto ipſo attentatæ, atque ita, non tam ob turpem cauſam, quàm ob nullam. *d. l. vltim. in princip. &* §. *vlt.* non item apud Innocentium, qui reſcribit, de reſtituendo dato ob nuptias, non modò attētatas, ſed cōſummatas, vt in antiquo, & integro contextu eſt, *d. cap. Etſi neceſſe.* & conſequenter nō ob nullam, ſed ob turpem cauſam, re ipſa ſecuta. Vt proinde neque immeritò, aut ſaltem non omnino temerè, poſt Azonem, & alios, Ioannes Andreas, & Hoſtienſis indidem, conſcij non dextrè aptatæ Papiniani rationis, & deciſionis vix ratione ſubnixæ, vſurpent decantatum illud: *Sit pro ratione voluntas.*

8 Deſiderat Innocentij interpretatio, facti hiſtorici, cui *Decretalis ea epiſtola* reſpondet, propriam, germanamque enarrationem, in qua magnus ille, etiam in Pontificio iure, Cuiacius, & poſt eum Ant. Dadinus Abeſerra *ad Decretales Innocentij III. in dict. cap. Etſi neceſſe*, vterque Hiſpanicæ hiſtoricę, vt alienæ, minùs peritus, ſimulque malè creduli Hiſpano Hiſtorico Roderico Sanctio de Areualo Epiſcopo Palentino 3. *part. cap.* 38. largiter cum eo labuntur, dum, vt ille loquitur, famoſam eam Decretalem emanaſſe, cenſet, dirimendis inceſtis nuptijs, initis inter Henricum I. Caſtellæ Regem, & Mafaldam filiam Sanctij I. Portugalliæ, parario, & adſtipulatore Comite Aluaro, tunc ob pueritiam Regis omnium potito, & dominante, adeo impotenter, vt vix vrgente auctoritate Innocentij III. Pontificis, ſeparatum coniugium fuerit, vt memorant Hiſpani Scriptores, Rodericus Archiepiſcopus *lib.* 9. *cap.* 2. Alfonſus Cartagena in *Anaceph. l. c.* 82 Auctor *Chronici Generalis Hiſpaniæ*, Alfonſi Sapientis iuſſu compoſiti, 4. *part. cap.* 10. & ex nouioribus Mariana *lib.* 12. *cap.* 5. Garibaius *lib.* 12. *cap.* 40. Alfonſus Sanctius *in Hiſtor. Hiſp. ad annum* 1216. Noſter Manriquius *in Annal. Ciſtercienſibus ann.* 1211. Et Mafaldæ ſeparatæ memoriam, ſanctitate, & miraculis etiam nunc illuſtrem, teſtantes Luſitani Vaſconcelos, Faria, & alij *in Sanctio I.* Franc. Anton. de Yepes *in hiſtoria Benedictini Ordinis centur.* 1. *anno* 67. Sanè huic rei geſtæ vt aptet Cuiacius contextum *dict. cap. Etſi neceſſe* 5. (qui eſt de Rege Legionis, non Caſtellę, & de filiæ Regis Caſtellę non Portugalliæ) ſupponit, fuiſſe Henricum Legionis, & Caſtellæ Regem, vnito iam vtroque Regno, & pro verbis, filia Regis *Caſtellæ*, reponit *Portugalliæ*.

9 In quibus ſingulis mirùm quàm peccat. Namque Legionis, & Caſtellæ Regna ſub Henrico I. non fuiſſe vnita, imò diuiſa, Caſtellæ Henrico, & Legioni Alfonſo Nono imperante; ac demum, & perpetuò vnita, poſt Henrici, & Alfonſi interitum, in Ferdinando Sancto ex Berengaria, primogenita Alfonſi, vt numeramus, Octaui Caſtellæ Regis, & Alfonſi Noni Legionenſis ex eodem Berengaria filio, res eſt adeo teſtata, vt neque extra Hiſpaniam teſtibus egeat. Henricus Spondanus *in Annalibus poſt Baronium anno* 1230. *num.* 5. Iacobus Gordonius *in Chronologio eodem anno.* Paulus Bombinus *in Breuiario rerum Hiſpanicarum Enneade* 1. *lib.* 6. *ad finem.* & Chronologi alij, atque Hiſtorici. Sed & nihil pertinere ad hypotheſin *d. cap. Etſi neceſſe*, Mafaldam Portugalliæ Regis filiam, perperamque illam, & Henricum Caſtellæ in hanc ſcœnam induci, argumenta euidentia ſunt, tum quod nulla de Caſtris Mafaldæ in dotem datis, & impedimentum diuortio facientibus, vt proponitur in *dict. cap.* 5. in Annalibus noſtris mentio: tum etiam, quia ſi Mafaldæ ab Henrico data, eaque reſtituere, cogenda eſſet, iniungeretur id ab Innocentio Epiſcopis Caſtellæ, aut Portugalliæ, non autem Archiepiſcopo Compoſtellano, & alijs Legionenſibus, ad quos directa *Decretalis epiſtola dict. cap.* 5. tum denique quia, vt quod res eſt, dicamamus, conſtat, curam ſeparationis inter Henricum, & Mafaldam iniunxiſſe Innocentium (quamquam de eo dubitet Franc. Boſquettus in *notis ad Innocentij Regeſta lib.* 1. *epiſt.* 74.) non Compoſtellano, aut Legionenſibus, ſed Tellio Palentino, &

Mauritio Burgenſi, Caſtellani Regni Epiſcopis, vt ex *Generali Chronico Alfonſi dict. cap.* 10. & Roderico Toletano *lib. 9. cap. 2.* memorant Mariana, & Garibaius, iam laudati. Adijcimus rei lucidæ lucem, obſeruantes, Innocentium de eo coniugio reſcribere, in quo & conſummata copula, & ex ea fortaſſe *proles ſuſcepta eſt*, vt liquet ex integriore contextu eius *Decretalis*, *in antiqua collectione* 3. *lib.* 4. *tit.* 15. *cap.* 1. Hæc autem ſuppoſitio, ſiue aſſumptio aliena à contubernio Henrici, & Mafaldæ, quod quamvis fere conſummatum, & mulierem factam Mafaldam, creditum fuiſſe; ſcribat in Latina Hiſtoria, Mariana *dict. lib.* 12. *cap.* 3. & Garibaius, ex *Generali Chronico*, *d. cap.* 10. vix tamen id credibile; virginemque illam, Portugalliæ redditam, idem ille Mariana in patrij idiomatis hiſtoria, & Luſitani Hiſtorici affirmant, ſaltemque nullam inde prolem ſuſceptam, aut ſperatam, & pueritia Regis poſt diuortium, nec dum puberis, mortui, & properatæ intra annum nuptiæ, & diuortium ſatis ſuadent.

10 Neq; plura in Cuiacium iam. Pergimus potius, monemuſque, pertinere Innocentij *Decretalem* ad coniugium inter Alfonſum, vt vocant, Fernandium IX. Legionis, & Berengariam primogenitam filiam Alfonſi VIII. Nobilis, ſiue Boni, Caſtellæ Regis (& quidem bona fide, ſaltem ex parte Berengariæ, vt poſtea dicemus) quod inter eos initum anno circiter 1201. & poſt diuturnam cohabitationem, binamque ſobolem vtriuſque ſexus ſuſceptam, tamen quia Berengaria, neptis mariti Alfonſi, ex eiuſdem conſobrino Alfonſo erat, adigente Innocentio III. Pontifice, diſſolutum fuit, vt liquet ex *compilatione Anonymi geſtorum Innocentij III.* edita à Boſquetto *tom. 2. ad Innoc. III. pag. 36. & ſeq.* & teſtantur Rodericus Archiepiſcopus *lib. 7. cap. 24. & 31. Chronicon Generale 4. part. cap. 9.* Mariana *lib. 11. cap. 21. & 23.* Garibai *lib. 12. cap. 31. & 37.* Paul. Bombin. *in Breuiar. rer. Hiſpanar. lib.* 6. *p.* 117. Henr. Spondan. 1. *tom. Annal. poſt Baron.* tametſi in temporum ratione, fortaſſe *Data epiſtolarum Innocentij*, quæ extant, deceptus, eſt à noſtratibus diſcrepans, an aberrans, referenſque hæc ad annum Pontificatus Innocentij primum, & Chriſti 1198. *num.* 10. & exactiore Chronologię ratione Odoricus Rainaldus, poſt Baronium *tom.* 13. *ad annũ* 1198. *num.* 33. *& ſeqq. & ad ann.* 1204. *num.* 70. & ſignanter hanc hiſtoricam facem Innocentio *in dict. cap. Etſi neceſſe ſit* præferentes Rades de Andrade in *Chronica Militar. Ord. D. Iacobi cap.* 12. *part.* 21. Valdeſius *in addit. ad Rod. Suar. ad l.* 1. *tit. de arrhis*, §. *Nota primò, num.* 4. Auguſt. Barboſ. *in collect. ad cap.* 5. *num.* 2. Didacus Colmenarius *hiſt. Segou. cap.* 19. §. 3. Noſter Manrique *tom.* 4. *Annal. Ciſterc. ad annum* 1216. *cap.* 2. *num.* 2. Ac ne in re indubia agamus coniecturis, extat ea ipſa Decretalis eodem illo initio, *Etſi neceſſe*, ſententia, & verbis, tametſi prolixiore contextu, memoratam facti ſeriem complectens, inter *Innocentij III. epiſtolas* editionis Colonienſis *anni* 1575. *lib.* 2. *epiſt.* 71. *ad Fratrem Rainerium*. Et in alia *ad Archiepiſcopum Compoſtellanum* editionis Rom. 1543.

11 Illud applicationem Innocentij textus huic rei geſtæ firmat omnino, illuſtratque ſimul, quòd quę Caſtra Legionis Regem filiæ Regis Caſtellæ, in dotem tradidiſſe, & pacto, vt ſi illam relinqueret, in ius eius cederent, eaque Caſtra, ſiue eorum retinendorum cauſam impedimentum præ-

præ-

præſtare diſſolvendo coniugio, proponitur *in dict. cap. 5.* conſtat ex hiſtorica ſerie eius æui, tradidiſſe Alfonſum IX. Legionis, vxori Berengariæ, Caſtellæ Regis filiæ, idque cæteris luculentiùs, & ad Innocentij textum appoſitè, prodidit illius ſeculi hiſtoricus, Lucas Tudenſis *in mundi Chronico ad Eram* 1226. his verbis: *Cum venirent ad pacem, dedit Adefonſus Rex Legionenſis vxori ſuæ Reginæ, Dominæ Berengariæ, quæ tunc degebat cum patre ſuo in Caſtella, Villarpandum, Ardon, Rodam, Arbolium, Gordonem, & Lunam.* Et inferiùs: *Duxit Berengariam, prudentiſsimam filiam Adeſonſi Regis Caſtellæ, vxorem, & tam nobiliter eam deſponſauit ſibi, quòd dedit ei pro dote Turres Legionis, Aſtoricam, Valentiam, & alia triginta Caſtella; poſuit etiam in fidelitate, alia decem Caſtella in manu Baronum Regis Caſtellæ, ne recederet à pactione.* Ac demum contentionem de his Caſtris reddendis Regi Legionis, quædamque ab eo inter moras ſacri Toloſani prælij recepta, alia ſponte à Victore Alfonſo reſtituta, idem deinceps ſcriptor teſtatur, atque, eum ſequutus, Garibaius *lib.* 12. *cap.* 31. Neque abludit Roderici Archiepiſcopi teſtimonium *lib.* 7. *cap.* 31. dum quæ Lucas, dediſſe Alfonſum Legionenſem in dotem Berengariæ, memorat, Rodericus è contra ſcribit, *Nobilem Adelfonſum Caſtellæ, omnia quæ abſtulit, nunc genero, olim hoſti,* ſcilicet Alfonſo Legionenſi, *dediſſe filiæ ſuæ nuptæ Berengariæ.* Nam vt de eiſdem Caſtris Legionenſis Regni, Alfonſo illius Regi ab Alfonſo Caſtellæ bello primùm ablatis, & coniugij pacti cum Berengaria contemplatione redditis, Rodericum, & Lucam loqui, agnoſcamus, nihil inconuenit, Alfonſum Caſtellæ, eo intuitu reſtituentem, vt filiæ in dotem cedant, filiæ ſuæ dare, dici; vt Rodericus, & ex eo Mariana, Garibaius, Rades ſupra laudati, & è contrario Legionenſem Alfonſum eadem Caſtra, vtpote ad Regnum ſuum pertinentia, & tunc reddita, pro dote Berengariæ, ſiue filiæ Regis Caſtellæ, in dotem tradidiſſe proponi, vt apud Lucam, & Innocentium eſt *in d. cap. 5.*

Quò circa, & ex his iam exponendum eſt id, in quo claſsici, vt vocant, Canoniſtæ laborant, cur ſcilicet Rex Legionis maritus dicatur, dare in dotem vxori filiæ Regis Caſtellæ, contra iuris, & proprietatis loquendi normam, ſecundùm quam vxoris potiùs eſt, dotem dare, & mariti accipere. *l.* 1. *& paſsim, D. de iure dot.* Vlpianus *tit.* 6. *de dotibus, cap. Nuper* 6. *in fine, de donat. inter.* notant quidem, Innocentio explicando, Vincentius, Ioann. Andr. & Panormitan. illic, loqui eum, iuxta conſuetudinem Hiſpanorum, vxores dotantium, idque inde aſſumptum transferunt Noſtrates ad arrhas, quas in Hiſpania ad inſtar donationum propter nuptias mariti vxoribus largiri, ſolent. *l.* 1. vbi Gregorius Lupus *gloſſa en España, tit.* 11. *part.* 4. *l.* 87. *tit.* 18. *part.* 3. *l.* 50. *Tauri, cum ſeqq. l.* 1. *tit.* 2. *de las arras, lib.* 3. *fori,* vbi Roder. Suar. *num.* 4. D. Præſ. Couarruu. *in* 4. *part.* 2. *cap.* 3. *§.* 7. *num.* 11. egregiè Valaſc. *conſult.* 2. *ex num.* 3. 12

Nec diſsimiliter nimis *gloſſa.* verbo, *In dotem.* Hoſtienſ. Ancharran. Butr. *in dict. cap.* 5. exaudientes dotem apud Innocentium, id eſt, donationem propter nuptias. Nam cũ, vt memorauimus, ea Caſtra Alfonſus Caſtellæ reſtituerit, vt filiæ in dotem cederent, & Alfonſus Legionenſis eadem Berengariæ, tanquam 13

vxo-

vxori, & matrimonij contemplatione tradiderit, non immeritò diuerſis reſpectibus cenſentur iure, & nomine dotis, & donationis propter nuptias, ſiue arrharum Hiſpanicarum; ſiue, vt eſt apud Innocentium in pleniore contextu *eiuſdem Decretalis dict. epiſtol.* 71. & in antiqua collectione 3. *lib.* 4. *tit.* 15. donatio propter dotem.

14 Nec ſine exemplo vel extra Hiſpaniam, imò ab antiquo æuo eſt, dotem vocari dona, ſeu munera, quæ pro dote maritus confert vxori, ſiue maritum ipſum dare dotem vxori. *Geneſis cap.* 34. *Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem.* Vbi Abulenſis *q.* 1. Bened. Pererius *ad cap.* 29. *Geneſ. diſp.* 2. Alia, ex alijs electa, Hieronymus Vignonius *ad Marculf. formulas pag.* 561. Lindembrug. *ad Cod. leg. Antiq. pag.* 1391. *in Gloſſario*, verbo, *Dos*; & de Francorum more, & Gothorum, vxores dotantium, Hadrianus Valeſius *lib.* 11. *rerum Francicar.* Sed frequentior omnino ea vſurpatio dotalis nominis, aut tituli ſequiore lingua, & ſeculo, pro donatione propter nuptias, à viro in vxorem collata, dotemque æquante, penſante, aut augente, vnde & ἀντίφερνα, ſeu *dos contraria*, & *dotarium*, ſeu *dotalitium* dicitur. *cap. Si autem* 10. 36. *q.* 2. *cap. Ex parte* 15. *de foro compet. cap. Plerumque* 4. *de donat. inter.* Græcis nouioribus *Hypobolum*, de quo Theodor. Balſamon *ad Photij nomocanonem, tit.* 13. Harmenop. *in promptuario lib.* 4. *tit.* 10. *Nouella* Leonis 20. *&* 22. Germanis *Morganatica*, ſeu *Morganheba*, vt in legibus Alemannicis, & Longobardicis, & in feudis *lib.* 2. *tit.* 29. *de filijs natis ex matrim. ad Morganaticam.* Gregor. Turonenſ. *libr.* 9. *cap.* 20. Denique & abſolutè, ac ſimpliciter, *dos. dict. cap. Etſi neceſſe* 5. *cap. Nuper* 6. *de donat. inter. cap.* 1. *de ſponſalib.* & in Viſigothorum legibus *lib.* 3. *tit.* 1. *leg.* 5. *& lib.* 4. *tit.* 5. *leg.* 2. & Hiſpana lingua, & moribus *arrhæ. d. l.* 1. *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 50. *&* 51. *Tauri. l.* 2. *cum ſeqq. tit.* 2. *lib.* 5. *compilat.* quas nempe arrhas, ſucceſsiuè in locum donationis propter nuptias, & idem fere eſſe, ac dotè, à marito vxori collatam, argumento eſt, quòd quæ taxatio ex legibus noſtris viget, ne ſcilicet arrharum quantitas excedat partem decimam bonorum mariti. *d. l.* 50. *&* 51. *Tauri. l.* 1. *&* 2. *tit.* 2. *lib.* 3. *forileg. & l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 4. *foriiud.* eadē taxatio iam olim exprimitur ſub nomine *dotis*, quam maritus vxori confert, in Codice legum Vviſigothorum *lib.* 3. *tit.* 1. *leg.* 5. ex qua fluxiſſe decimæ in arrhis circumſcriptionem, nondum pragmatici noſtri obſervarunt: at prænotauit, poſt ſcripta hęc viſus, noſter Reteſius *de donationib. cap.* 22. *n.* 11.

Viam hęc quadantenus faciunt, nondum tamen aditum, referādo præcipuo illi, & difficili apud Innocentiū quæſito, cur ſcilicet in nuptijs apertè illicitis dos, ſeu donatio propter nuptias, à marito data (multòque minùs arrhæ Hiſpanicæ, quę vxoris, & eiuſdem hęredum lucro noſtris moribus cedunt, vt *in l.* 51. *Tauri. l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori.*) non ſolùm caduca non fiat, ſed reſtituatur marito, idq; aliena illa, nec ſatis aptè coagmentata ratione, quia data non ob turpem cauſam, ſed nullam, matrimonij, quod tamen facto ipſo, & inceſtæ copulæ diuturnitate attentatum, conſummatumve, in *dict. cap. Etſi neceſſe* 5. non autem concupitum dumtaxat, ſi liceret, vt in *dict. l. vltim. D. de condict. ſine cauſa.* Nec repugnamus, quamvis non acquieſcimus gloſſæ notato in *dict. cap.* 5. verb. *Reſtitui*, cui, poſt Hoſtienſem, alioſque 15

inibi ſubſcribit Barboſa, *in l. Si ante 6. num.* 28. *D. ſolut. matrim.* dum monet, idcirco illic dotem, ſeu donationem caducam non fieri, quia Legionenſis Rex, tamquam ſupremus Princeps, alij non ſubditus, legibuſque caducarijs ſolutus, non eſt obnoxius caducitatis pœnæ, aut confiſcationi, argumento *ex l. Princeps* 31. *D. de legib.* quin potiùs ipſe, veluti Fiſci ſui iure, repetit, occupatque. *l. Quod Principi* 56. *D. de legat.* 2. Non, vt diximus, acquieſcimus, quia tametſi illud primum de Principe, non obnoxio caducitati, aut confiſcationi agnoſcamus, ſecundùm tamen de repetente ex iure ſui Fiſci, & cum priore parùm convenit, & diſconuenit ęqualitati Principis, & Auguſtæ, quoad immunitatem à pœnis orbitatis. *dict. l. Princeps* 31. *D. de legib. l. Fiſcus* 6. §. *vltim. D. de iure Fiſci*, de queis tamen ſuo loco ex profeſſo; & alienum à contextu, & mente Innocentij, qui ſine vllo pœnę, & caducitatis reſpectu, reſtitui Regi Legionenſi Caſtra, vult, alia, & propria illa ratione, quia data non ob turpem cauſam, ſed nullam. Ac denique non ſufficit rei expediendæ, quia vt cumque ſupremitas Regia ſatis eſſet Legionenſi eximendo à confiſcatione, non tamen ne Regina, ſuprema itidem, non potior ſit, in pari turpitudinis cauſa, vt retineat potiùs, quàm reſtituat marito, qui turpiter dedit.

16 Profectò nec meliora, nec quæ aſſenſum magis mereantur, decem circiter alia Canoniſtarum laborantium effugia, *ad dict. cap.* 5. quorum meminit Iaſon *in l. vltim. D. de condict. ſine cauſa.* ex queis tamen aut verius, aut veroſimile magis illud videtur, in quo cum Tancredo, apud gloſſam *in dict. cap.* 5. verbo, *Reſtitui*, reſidet ibi Panormitan. *num.* 7. *&* 9. nempe bono pacis, inter Caſtellæ, & Legionis Reges ſanciendæ, ſimulque & præcipuè pro ſpirituali bono ſeparationis illiciti coniugij, cum vtrique iſti bono moram facerent, ſiue, vt Pontifex loquitur, impedimentum præſtarent Caſtra in dotem data, aut donata (quia ne illis caderet Legionenſis, vtpote Regni ſui partibus, aut à coniugio non diſceſſurus, aut diſſoluta copula, bellum pro illis recuperandis moturus, credebatur, & è contra Caſtellæ Rex promptum ſe, & obſequentem Pontificijs iuſsis ſpondebat, vt ille idem ſcribit *dict. lib.* 2. *epiſt.* 72.) Innocentium ex paſtorali officio altioribus his finibus intentum, Caſtra Legionenſi reſtitui, decreuiſſe; cedente ſtricti iuris ratione, ſummæ illi rationi, quæ pro religione, & pro pace; argumento *ex l. Sunt perſonæ* 43. *D. de religioſ. l. Conuentionum* 5. *D. de pactis.* Planè vt hæc ipſa reſtitutio, inoffenſis iuris regulis, pręcipi, videretur, vtitur Innocentius colorata illa ratione, & prætextu, quod Caſtra, data non tam ob turpem cauſam, quàm nullam, quæ ratio, tametſi ex Papiniano ſumpta, *in dict. l. vltim. D. de condict. ſine cauſa*, accepta tamen aliter ab Innocentio, & accipienda ex eius mente, quippe apud Papinianum, dicitur datum non tam ob turpem cauſam, quàm nullam, quia datum propter nuptias, turpes quidem, ſed non ſequutas, & proinde nullas. At apud Innocentium, quamvis datum ob nuptias, re ipſa turpes, & ſequutas, conſummataſque, dicitur tamen, datum non tam ob turpem, quàm ob nullam cauſam, attento affectu coniugum, qui coniugium illicitum inierunt, & maximè Berengaria, quæ

quę, patribus ſuis ſpondentibus, & ſuffragantibus Toletano, Burgenſi, Palentino, & Zamorenſi Epiſcopis, cenſeri, debet, bona fide coniugium inijſſe, & crediſſe, ei ineundo ſufficere ſpem, vt ſuadebatur, probabilem, diſpenſationis Pontificis, quam tametſi ex poſt facto, & in caſſum, procurarunt tamen Toletanus, Palentinus, & Zamorenſis Pręſules, Romam pro vtroque Rege Legati, vt Innocentius idem, damnata licet Legationis cauſa, commemorat, *dict. lib. 2. epiſt. 71.* & ex libro *Geſtorum Innocentij*, & alijs Spondanus, & Rainaldus, iam laudati. Nouiſsime P. Caſtejonius *in hiſtor. Tolet. Prim. 3. part. cap. 5.* quem, & alios laudauimus, properata quamvis nomenclatura, & editione, in Reſponſo noſtro *pro Hiſpania ad tractatum Galliæ de iuribus Reginæ Chriſtianiſsimæ* §. 13. *& ſeqq.* Fuerunt itaque Caſtra data non tam turpiter, quam temere, ob improbabilem ſpem diſpenſandi coniugij, quæ tamen ſpes, vt diximus, poſt negatam diſpenſationem nulla, & inanis iam, ſatisfuit Innocentio, vt diceret, cauſam dandi fuiſſe potius nullam, quam turpem, & proinde non obſtare, quominus Caſtra data reſtituerentur, adumbrato honeſto hoc colore pro bono pacis, & ſeparationis, quam Caſtra non reſtituta morabantur.

17 Acceſsit indulgendæ facilius veniæ amiſsionis Caſtrorum, frequens eo ſeculo, & æuo, antea iam inde à Roberto, & Philippis Francorum Regibus, inter eos, alioſque Principes, illicitorum coniugiorum vſurpatio, & abuſus, Pontificibus fruſtra laborantibus, pro cohibendis nuptijs intra nexum, graduſque ab Eccleſia præſcriptos; cæterum fruſtra adeo, & in caſſum, vt idem Innocentius III. neceſſe habuerit, prohibitionem coniugalis copulæ, quæ, in id tempus, ſeptimum vſque conſanguinitatis gradum pertingebat, ad quartum coarctare, *quoniam in vlterioribus gradibus iam non poterat, abſque graui diſpendio, huiuſmodi prohibitio generaliter obſeruari.* Vt ex *Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. Can. 50.* ſcriptum eſt, *in cap. Non debet 8. de conſanguinitat. & affin.* Neque nouum, inobſervatumve eſt, quædam, alioquin iuſta, aut publice vtilia, quibus tamen artis ſubtilitas obſtare, videbatur, quæſito, vt apud Rhetores, legitimo colore defendi. Exempla in querela inofficioſi, *l. 2. & 5. D. de inoffic. teſt.* & in Publiciana, & Commento Corneliæ legis, de captiuis, & id genus alijs.

18 Præterea & quod nondum Hiſtoricis Hiſpanis notatum, Innocentius ſub idem tempus, pro pacis bono, & attenta bona fide Berengariæ Reginæ in coniugio cum Alfonſo, auctor fuit eidem Alfonſo, vt Fernandum, poſtea Sanctum nominatum, ex eo coniugio ſuſceptum, pro filio legitimo, & Regni ſucceſſore ſolemniter reciperet, contra quam ante comminatus fuerat, in integro contextu *dict. cap. Etſi neceſſe 5.* apud Anton. Auguſtinum *in 3. collectione Decretal. lib. 4. tit. 15.* Id quodipſum, ſucceſsionis caſu exiſtente, memorauit, firmauitque Honorius Tertius Pontifex, cuius Reſcriptum ea de, ad verbum exhibet Odoricus Rainaldus *tom. 13. poſt Baronium ad annum 1218. num. 66. & 67.* &, poſt Bzouium, agnouit Spondanus *tom. 1. poſt Baron. ad annum 1217. num. 14.* Hæc ante aliquot luſtra, cum inter Schedas noſtras laterent, deſcripta ex eis, & perlata Salmanticam à Franciſco Antonio filio, tunc Academico profeſſore, & in maiori Archie-

48. Scip. Gentil. *de donat. inter. lib.* 4. *cap.* 2. *& ſeqq.* Alberic. Gentil. *de nupt. lib.* 2. *cap.* 25. *& lib.* 3. *cap.* 12. Hotman. *conſil.* 80. *num.* 3. *& conſ.* 116. *num.* 7. Bened. Pinell. *lib.* 1. *ſelect. cap.* 6. *num.* 1. *&* 53. *cum ſeqq.* Ant. Fab. *de error. deciſ.* 79. *err.* 4. & obiter minùs ex profeſſo alij non pauci, ac pr ę alijs diſcretè, ſuo more, & conſpicuè D. Ioſephus Fern. Retes *de donat. inter. cap.* 2. *n.* 2. *& ſeqq.* cum quo tamen ęternùm noſtro, vt non in omnibus, in hac re idem ſentio, ita eum ſibi res ſuas habere, bona, vt dicitur, gratia, iubeo.

2 Excerpimus porrò inter alia ad vſum noſtri iuris, & fori, illud in primis nō ſubticēdū, quod proditum eſt in *l.* 50. *tit.* 14. *p.* 5. mulierem conſciam impedimenti conſanguinitatis cū Titio, eiq; ignoranti nubētem, & dotem dantem, non poſſe eam repetere, nec maritū bonę fidei reddere, cogi, quinimò retinere, & lucrari, Fiſco excluſo, quamvis ſi vterque conſcius impedimenti fuiſſet, dos Fiſco cedere, vt ex collatione *d. l.* 50. *&* 51. quæ ſequitur, docent, deducuntq; apud nos, approbatam Regijs his legibus Azonis traditionem, in *rubric. Cod. de condict. ob cauſ. dat. n.* 5. & Accurſij *in d. l. Qui contra, verbo, Fiſco in princip. Cod. de inceſt. nupt.* affirmantes. Gregor. Lupus *in dict. l.* 50. *gloſſ.* 2. Suarez *in dict. l.* 1. *de coniug. lucr. num.* 30. Coſta *in dict. cap. Si pater, verb. Vxorem, num.* 5. P. Barboſa *in dict. l. Si cum dotem* 22. §. *vltim. num.* 30. Sanctius *d. lib.* 6. *diſp.* 2. *num.* 5. Matienço *in l.* 2. *gloſſ.* 1. *num.* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *compil.* Molina *d. diſp.* 200. *verſ. Vtrum autem*, & diſcrepare inde ius ſeptempartitum à Cæſareo in hac re, agnoſcens D. Pręſes Couarr. *de ſponſal.* 2. *p. cap.* 7. §. 1. *num.* 8.

3 Ego autem diſcrepantiam hanc Regiæ legis à Romano Cæſareo iure, eiuſdemque ratione, & regulis diffiteri, non poſſum, non modò ob generales deciſiones, dotem in illicitis nuptijs indiſtinctè Fiſco addicentes, *l. Inceſtæ* 52. *l. Dote* 61. *D. de ritu nupt. l. Qui contra* 4. *l. Si quis inceſti* 6. *verſ. Dos. Cod. de inceſt. nupt.* nec retinendæ dotis ius, vbi nuptiæ non fuerunt, marito etiam ignoranti, & decepto indulgentes, niſi pro ſuo vſu cepit, vt in ſpecie Proculi non indigna, quæ ad rem expendatur, *l. Proculus* 67. *D. de iure dot.* ad quam multa Cyrillus, & alij Græci *lib.* 28. *Baſilic. tit.* 15. nec minùs exerto ad rem *textu in Nouell.* 22. *de de nupt. cap.* 10. *Si verò ab initio. verſ. Inde neque lucrum*: ſed vel præcipuè ex iuris ratione, qua attenta dos in nuptijs ſiue iuſtis, ſiue iniuſtis, non datur, vt, eis diſſolutis, mariti lucro cedat, ſed vt reſtituatur. *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator. l.* 1. *&* 2. *D. ſolut. matr.* idcircoque quamvis mulieri ignaræ, innoxiæve illiciti coniugij, non eripi, vt indignæ dotem, ſed tamquam proprium patrimonium ſaluum ſtare, aut reſtitui meritò obtinuerit. *l. Præfectus* 63. §. 1. *in fine, D. de ritu nupt. l. Si tutor* 7. *Cod. de interd. matrim. l. Eum, qui* 18. *verſic. Cæterùm, Cod. ad leg. Iul. de adulter. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator.* tamen in viro abſurdum videtur, eum, vt cumque inſcium, innoxiumque retinere, & lucrifacere dotem ex delicto, doloque vxoris, quæ impedimenti conſcia nupſit, contra regulam *l. Alterius* 49. *D. de regul. iur.* iuncta *l. Si filia* 5. *D. de diuortijs. l.* 4. §. *Illa* 23. *D. de doli except.* & melioris conditionis eſſe quoad dotem in nuptijs iniuſtis, quàm foret, ſi iuſtæ fuiſſent, contra rationem *l.* 3. §. 1. *verſic. Ne melior, D. de donat. inter*, quemadmodùm eadem abſurdi ratione pupillæ, quæ tutori contra ius nupſit, quantumvis in-

innoxiæ, & deceptæ non licet, retinere donatum, ne melioris conditionis ſit, quàm ſi iuſtè nupſiſſet, ſed quaſi indignę Fiſcus eripit. *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vltim. D. de donat. inter*, iunctis ad eam traditis ſupra, in quo tametſi aliud placuerit nouo iure, quo indulgetur donati retentio pupillæ, poſt legitimos annos illicitis nuptijs abſtinenti. *dict. l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis, Cod. de inceſt. nupt.* Id tamen nouum, correctoriumque ius ſtatutum in donatis, collatiſque eo animo, vt apud donatarium coniugem maneant, non eſt facilè, aut temerè producendum ad dotem, cuius pręter naturam, atque intentionem dantis eſt; ſic conferri, vt maritus non reddat, ſed retineat. *l.* 1. *D. de donat. l.* 1. *&* 2. *D. ſolut. matrim. l. Cum quærebatur* 240. *D. de verbor. ſignif.*

4 Argumenta rei ſunt; idque ipſum, quod pertendimus de marito, vtcumque innoxio, dotem ex artis regulis non lucrante, ſeu retenturo, propriè firmantia. Primum: quòd hæc retentio, aut dotis lucri perſecutio tribuitur dumtaxat marito decepto contra mulierem decipientem, quoties, ſi nuptiæ conſtitiſſent, lucraturus ille dotem fuerat, vel ex pacto, aut ſtatuto dotis, aut partis eius lucrandæ, vel ex antiquo iure, quia dos adventitia erat. *l. A Diuo Pio* 58. *D. de ritu nupt.* de qua ex profeſſo ſupra, idque extra ordinem, dataque vtili actione, ęquitatis intuitu, aut retentione *in caſibus, in quibus dotem vel in totum, vel in partem, ſi conſtabat matrimonium, fuerat lucraturus.* Vt, taxatiuè veluti, ſcriptum eſt *in l. penult.* §. *vlt. D. quod falſo tutore* (cuius mirabilem ſpeciem, παράδοξον θέμα, vocat innominat' Scholiaſtes *in Baſilicis lib.* 28. *tit.* 4. *ad l. Inceſtæ* 52. *D. de ritu nupt.* & exponit propriè Cyrillus *ad lib.* 38. *tit.* 6. *in dict. l. penult.* §. *vltim.*) & proinde non extra eos caſus, ſiue non vbi nulla pacti, aut ſtatuti dotis lucrandę ratio, neque alia, præter ignorantiam mariti. Secundum, quòd de fructibus dotis, quos in quocumque matrimonio iuſto mariti lucro cedere conſtat. *l. Dotis* 7. *D. de iure dot. l. Pro oneribus* 20. *Cod. eod. tit.* in matrimonio tamen non iuſto, virum, vtcumque innoxium, & bonæ fidei, non adquirere eos pleno iure mariti, ſed minore, & ad inſtar, modumque bonæ fidei poſſeſſoris, reſpondit Papinianus in *l. In Inſulam* 42. §. *Fructus, D. ſolut. matrim.* non valde aliter reſponſurus (niſi ſiniſtrè omnino ratiocinamur) quoad dotem ipſam, quę mariti lucrum eſſe, non ſolet, multòque minùs daturus ei, qui maritus non eſt, quantumcumque innoxius ſit; non modò plenius ius, quàm bonæ fidei poſſeſſoris, ſed & quàm, ſi maritus iuſtus eſſet.

Hæc cum ita ex cenſura iuriſprudentiæ Romanæ fuerint, agnoſcimus tamen Septempartiti Regij iuris concinnatores, ſiue acepta latiùs ſententia *dict. l. A Diuo* 58. *dict. l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis*, ſiue exemplo patriarum fori *legum* 4. *tit.* 6. *lib.* 3. *& l.* 1. *tit.* 8. *lib.* 4. *fori*, ſiue denique benignè in dote mulieri noxiæ non reſtituenda, & marito pro oneribus matrimonij data, ideoque quoad maritum, etiam quando ea lucratur, non lucratiua, argumento *ex l.* 1. §. *Si verò, Cod. de impon. lucr. deſcript.* iuncta *l. Ex promiſsione* 19. *D. de obligat. & act.* ei innoxio potiùs, quàm Fiſco fauentes, ſupra ſcriptum ius induxiſſe, cui & ſtandum apud nos eſt, quamuis vtpote abnorme, & correctorium priſci moris, & iuris, non porrigendum 5

dum

dum temerè ad conſequentias. *l. Quod verò* 14. *D. de legib. l. Præcipimus* 32. *in fine, Cod. de appellat.* niſi fortaſſe ad ſpeciem, quam ſubiungimus, per comprehenſionem magis, quàm extenſionem.

6 Planè ex propoſitis commodiſſima tranſitio, vt Cicero loquitur, & illatio eſt ad *arrhas Hiſpanicas*, quæ, vt ſuperiori capite expreſsimus, in locum donationum propter nuptias noſtris moribus ſucceſſerunt, itēque ad *antefata Neapolitana*, ſeu *dotaria Sicula*; ſuccedanea ſimiliter priſcis donationibus propter nuptias; & *antephata* fortaſſe dicta; leui vocis deprauatione, quaſi *antipherna*, ſeu *contradotes*; quo nomine donationes propter nuptias vocantur, in *l. vltim. verſ. Quare, Cod. de donat. ante nupt.* iunctis ad rem de vtroque traditis, poſt innumeros, laborioſè à Cutellio *de donat.* 1. *tom. tract.* 1. *diſc.* 1. *ex num.* 7. *&* *diſc.* 3. *part.* 3. *ex num.* 5. *&* 22. Io. Domin. Taſſon. *in Pragmat. de antef. verſ.* 4. *obſeru.* 4. *ex num.* 3. Fr. Maria Prato 2. *tom. diſcept. for. cap.* 36. *num.* 3. *&* 9. In hiſce itaque Arrhis, Antefatis, Dotarijs, & ſimilibus variè, pro aliarum gentium moribus, nuncupatis, receptiſque, & à maritis in vxores matrimonij contemplatione collatis, indubitati iuris eſt, eas inter illicitos coniuges, ſcientes, prudenteſque contra nuptiarum prohibitionem peccantes, cadere in Fiſcum, ſeu confiſcari ad inſtar dotium caducarum, & donationum propter nuptias, ex *dict. l. Qui contra* 4. *l. Si quis inceſti* 6. *Cod. de inceſt. nupt. l. Inceſtæ* 52. *l. Dote* 61. *D. de ritu nupt.* Idque apud nos in arrhis expreſſum eſt, in *l.* 51. *tit.* 14. *part.* 5. & è contrario ſi ignorantes, innoxijque fuerint impedimenti inter eos nuptiarum, immunes eſſe à pœna confiſcationis. *dict. l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis.* Cęterùm arrhas, antefata, dotaria, quia ſine matrimonio non conſiſtunt, virum, qui donauit, condicere, ſicut eodem caſu mulier dotem repetit, ex ſententia *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator. Nouell.* 22. *de nuptijs cap.* 10. *Si verò ab initio, verſ. Vnde neque lucrum. l. Si voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* iunctis *l. Si cum dotem* 22. §. *vltim. D. ſolut. matrim. l.* 3. *Cod. eodem tit. l. Lucius* 27. *D. depoſiti, cap.* 2. *de coniugio ſeru.* vtrumque ita, poſt *gloſſam* de donatione propter nuptias, *in cap. Etſi neceſſe* 5. *verbo, Reſtitui, de donat. inter*; quoad arrhas Petr. Barboſ. *in l.* 2. *in princip. part.* 1. *num.* 158. *D. ſolut. matrim.* P. Sanctius *de matrim. lib.* 6. *diſp.* 20. *num.* 3. *verſ. Arras.* & quoad antefatum Andr. Molfeſ. *ad conſuet. Neap.* 1. *tom. part.* 7. *quæſt.* 7. *num.* 16. Taſſon. *de antef. verſ.* 4. *obſeruat.* 4. *num.* 67. & in eadem facti ſpecie deciſum referentes, Thom. Anell. *deciſ.* 2. *num.* 3. 14. *&* 25. Vincent. de Franchis *deciſ.* 52. *num.* 9. *&* 10. Ioann. Ant. Lanar. *conſ.* 86. *num.* 3. Denique in Siculo dotario, Giurba *ab conſuet. Meſſan. cap.* 16. *gloſſ.* 2. *num.* 14. Secundùm quæ iam, etſi vir ſolus impedimento nuptiarum ſciens, nocenſque mulieri ignaræ, & innoxiæ arrhas, ſiue antefata contulerit, cedere eas mulieris lucro, neque à Fiſco eripiendas, neque reſtituendas viro, rectè apud nos defenditur; & quidem argumento à maiore ad minus, nempe à dote, quæ, quamvis ſui natura non datur, vt maritus eam lucretur, relinquitur tamen ei decepto, & innoxio; *in dict. l.* 50. *tit.* 14. *part.* 5. & proinde multò magis arrhæ mulieri, quarum datio eo iure fit, vt vxor, eiuſque hæredes lucrifaciant. *l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori. l.* 51. *Tauri*, ac prætereà arrhæ ita ad inſtar veteris donationis prop-

propter nuptias, doti reſpondent. *l.* 1. *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 51. *tit.* 14. *p.* 5. vt ſtatutum, quamvis enorme in dote, *dict. l.* 50. non tam extendi ad arrhas, quàm eaſdem cõplecti, intelligatur. Sanè in ſpecie ita docet, quamvis arrhas cum ſponſalitia largitate miſcens, & perplexè, vt ſolet, Barboſa *in dict. l. Si cum dotem* 22. §. *vlt. num.* 16. neque explicitè magis, Ar. de Meſa *lib.* 3. *var. cap.* 22. *num.* 10. & in antefato diſtinctiùs Thom. Anell. *d. deciſ.* 2. *num.* 11. expenſis rectè ad rem, *l. A Diuo* 58. *D. de ritu nupt. l. penult.* §. *vlt. D. quod falſo tutor.*

7 Iam & vt ab Hiſpanicis arrhis ad ſponſalitias arrhas Romani iuris tranſeamus, quas dari, & eſſe fidei, inter ſponſos oppignoratę, veluti ſymbola, & argumenta. *l. vnic. Cod. ſi nuptiæ ex reſcr. pet. l. Patri* 6. *Cod. Theodoſ. de ſponſal.* & à noſtratibus arrhis differre, liquet vel ex *dict. l.* 1. *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 84. *verſic. E porque, tit.* 18. *part.* 3. ſi inter ſponſos, quorum non modò nuptiæ, ſed etiam ſponſalia prohibita, iuxta *l. Si quis tutor* 60. §. *Quamuis, D. de ritu nupt.* arrhæ intercesserint, & quidem à ſciente prohibitionem ſcienti datæ, ac deinde nuptiæ illicitæ ſecutæ ſint, non dubitauerim, confiſcari eas debere, ex generali regula *l. Qui contra* 4. illic: *Siue ante nuptias donatum, ſiue deinceps quoquo modo. l. Si quis* 6. *Cod. de inceſt. nupt. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vltim. D. de donat. l.* 51. *tit.* 14. *part.* 5. Dignuſque in eo cenſoria nota, poſt Panormitanum, Antonius de Butrio *in cap. Etſi neceſſe* 5. *num.* 10. & 11. *de donat. inter*, ſentiens, ſponſalitias arrhas in illicitis nuptijs repetere, poſſe, eum, qui dedit, etiam ſi vterque coniux conſcius illiciti coniugij fuerit, quales in eo textu fuiſſe, idem Butrius agnoſcit, & oſtendimus ſupra; è contrario, ſi ignari, innoxijque prohibitionis nuptiarum ſponſi fuerint; aut ſi nuptiæ dumtaxat, & ad tempus, non etiam ſponſalia prohibita, vt in *l. Si quis officium* 38. *D. de ritu nupt. l. Solet* 10. §. 1. *D. de his, qui not. infam.* arrhæ non confiſcantur. *dict. l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis.* Sed redduntur ei, qui dedit, tamquam ſine cauſa datæ, ſiue quia cauſa, ob quam datæ ſunt, non ſecuta. *dict. l. Si quis officium* 38. *in fin. principij.* iuncta regula *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat. l. Si voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* Idemque eſt, etſi perpetua tam nuptiarum, quàm ſponſalium prohibitio fuerit, & arrhę etiam à prohibitionis conſcijs datæ ſint; namque & tunc redduntur, non confiſcantur, ſi modò prohibitæ nuptiæ facto ipſo non attentatæ, non ſequutæ; eaque ſententia eſt *l. Mulier* 5. *verſ. Quæ ita*, vbi Albericus, alijque contra Accurſium, *Cod. de ſponſalib.* exponenda, illuſtrandaque ex Papiniano *in l. vltim. in princip.* & §. 1. *D. de condict. ſine cauſa*; ſed etſi poſt ſponſalitia licita, illicitæ nuptiæ ſecutę, ſciente dante, & ignara tamen, aut innoxia ſponſa, quæ arrhas accepit, licere ei, renuntiare ſponſalibus, & retinere arrharum pignora lucratiua, expreſſum, creditur, in *l. vnic. verſic. Sed extrinſecus, Cod. ſi Rector Prou.* iuxta eius interpretationem, cuius meminimus ſupra. Et ſuffragantur tradita nuper de antefato, ex *l. A Diuo* 58. *D. de ritu nupt. l. pen.* §. *vlt. D. quod falſo tut. d. l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis.*

Proximæ arrhis cum ſint ſponſalitiæ largitates, ſeu dona, quæ inter ſponſos, mutuæ beneuolentię, & affectus teſtationes veluti, & pignora ſunt, & Romanis, noſtriſque legibus lucrifieri pro dimidia à ſponſa, 9

oſcu-

oſculo interueniente, & in ſolidum, poſt coniugalem copulam ſolent. *l. Si à ſponſo* 16. *Cod. de donat. ante nupt. l.* 3. *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 5. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori. l.* 52. *Tauri*, hodie *l.* 4. *tit.* 2. *lib.* 5. *compil.* proximum etiam eſt, ſponſalitia ea munera, inter ſponſos, illiciti coniugij ſcientes, nocenteſque, Fiſco vindicanda, & è converſo inter ignorantes, vel ſi ſponſa, quæ accepit, conſcia illiciti coniugij ſit, repetiti ab eo, qui dedit, poſſe, niſi tamen ſponſa acceperit ignara, innoxiave prohibitionis cõiugij, eiuſq; pudicitia oſculo delibata, ſeu reſignatus pudor ſpiritu, vt Tertullianus alibi loquitur *de veland. virgin.* multòque magis, ſi non oſculo tantùm, ſed etiam coniugali concubitu vxor fuerit; his enim caſibus humanum eſſe, lucrari eam pro dimidia, aut in ſolidum lucrari ſponſalitia dona, quaſi, quæ pudicitiæ præmio ceſſerint; argumento ex *l. Res vxoris* 24. *Cod. de donat. inter.* docet, poſt Ioannem Lupum, Barboſa in *dict. l. Si cum dotem* 22. §. *vltim. num.* 16. & 17. *ſolut. matrim.* &, poſt noſtrates alios diſtinctè ſingula, quæ expreſsimus firmans, P. Sanctius *de matrim. lib.* 6. *diſputat.* 20. videndus eſt Borgninus Caualcan. *deciſ.* 18. *n.* 10. & 23. *p.* 2.

2 Subſiſtendum tamen paruumper; obſtat enim, ad hanc ſpeciem propriè pertinens, Valeriani, & Gallieni Cęſarum conſtitutis in *l. Eum, qui duas* 18. *in fine, Cod. ad leg. Iul. de adulter.* cuius pars eſt *l. Ea, quæ* 5. *Cod. de donat. ante nupt.* quas illaudatas, an & inviſas, permitti Barboſæ, Sanctio, & alijs, ſanè quàm mirum; & queis expreſſum eſt, mulierem non modò ignaram, innoxiamque, ſed etiam deceptam ficto cœlibatu ab eo, qui aliam vxorem domi reliquerat, & nuptiarum prætextu ſtuprum paſſam; non poſſe cum effectu petere ſponſalitia munera, promiſſa eidem à deceptore ſponſo, tamquam ſponſæ, & proindè non cedere eius lucro, vtcumque innocens, & decepta fuerit, & quamvis pudicitiæ diſpendio ceſſerint. Quod ſanè, vt, quod res eſt, fateamur, non dumtaxat obſcurum, ſed & ſubdurũ, aut abſurdum eſt, diſplicuitque adeo Græcanici nouioris iuris concinnatoribus, vt *in Baſilicis lib.* 28. *tit.* 3. & apertiùs in *Sypnoſi*, ſiue *Ecloga lib.* 28. *tit.* 4. quoad ſententiam *d. l. Ea, quæ* 5. ſic eam interpolent, & exprimant, vti in ſpecie, & verbis, *ea quæ tibi vt ſponſæ daturum ſe promittit*, adijciant, ſuppleantque, *& dederit*, καὶ δῶσει, & in ſententia, ſeu deciſione, invertatur ea omnino, muteturque relata ad eum, qui tamquam ſponſus, & deceptor dedit, & reſpondeatur, eum repetere non poſſe, οὐ δύναται ταῦτα ἐπαναλαβεῖν, verba Baſilici contextus ſunt: *Si quis vxorem habens, aliam ſollicitauerit ad nuptias, quaſi ſcilicet vxorem non haberet, eamque ſibi deſponderit, & quædam ſponſalitiorum nomine daturum, promiſſerit, & dederit, ſi nuptiæ ſequutæ non ſint, ea repetere non poteſt.* Agnoſcit autem latini è Iuſtinianeo Codice textus, interpolationem hanc Græcus Scholiaſtes, *dict. lib.* 28. *Baſilic. tit.* 3. *in dict. l.* 5. dum ſcribit, antiquum textum aliter habuiſſe, quo dicebatur, *mulierem, quæ tamquam à ſponſo ſtipulata fuerat, non potuiſſe petere, ſiue exigere,* ἀπαιτεῖν, *quod ſponſalia non conſtitiſſent.* Agnoſcunt & Baſilica ipſa, quæ *lib.* 60. *tit.* 37. dum integram ſententiam *d. l. Eum, qui duas* 18. *Cod. ad leg. Iul. de adult.* ſummatim exhibent, affirmant, deceptorem ſponſum redditurum quidquid à ſponſa innoxia, quaſi maritus acceperit, non

tamen ea, quæ illi ipſe tamquam ſponſus promiſit; atque ita de promiſsis dumtaxat eſt, & ea ſponſam petere cum effectu non poſſe, ſtatuunt appoſitè ad latinum textum, *dict. l. Eum, qui duas* 18. *in fine*, *dict. l. Ea, quæ* 5. nec, vt opinor, harum commutationum, & diſcrepantię inter Baſilica ipſa, & Iuſtiniani auctographos textus, alia cauſa, aut occaſio, niſi, vt iam inſinuaui, durities illa, primo adſpectu non leuis, quam continet excluſio mulieris innoxiæ deceptæ, & ſtuprum paſſæ à lucro ſponſalitij muneris, quod tam pretioſo pudicitiæ, & ſanguinis damno ei ſtetit, & apud deceptorem, tamquam doli præmium relinquitur, ex *dict. l.* 5. *&* *dict. l.* 18.

10 At, vt memoratarum *legum* 5. *&* 18. potiùs pro captu interpretes, quàm cenſores ſimus, apparet, iunctis iam, & collatis Iuſtiniani, & Baſilicorum Archetypis, cum quæritur de lucro ſponſalitiorum munerum inter ſponſos illicitos, ſed quoad ſponſam ignaram, innoxiamque, diſtingui, oportere; quippe ſi munera non tantùm promiſſa, ſed etiam data ſint, lucratur ea ſponſa, dum retinet, nec dumtaxat pro dimidia poſt oſculum, aut in ſolidum poſt concubitum, ſed etiam ſine his, & in ſolidum, ſi modò ſponſus ſciens illiciti coniugij dederit, quia iſte repetere nõ poteſt; idque eleganti illa ratione, quam Synopſis exprimit, *quoniam ſi ſponſalia conſtitiſſent* (inconſpectè Latin' Interpres *d. lib.* 28. *Baſil. tit.* 3. pro illis verbis: εἰμεν γαρ νυμφεια συνεστη, vertit, *nã ſi nuptiæ conſtitiſſent*) *& nuptiæ ſecutæ non fuiſſent, repetitio locum haberet. Nunc autem rei turpitudo, & ſponſalia conſtare, non patitur, & turpem facit cauſam eius, qui dedit; nam dedit ob illicitas nuptias, in illicitis autem nuptijs repetitio locum non habet.* iunge *l. vltim. in princip. &* §. *vltim. D. de condict. ſine cauſ.* ſin autem ſola promiſsio munerum ſponſalitiorum, non, datio interceſſerit, ſponſam, vt cumque innoxiam deceptam, & ſtupro læſam lucrari ea munera, & petere cum effectu, iuris ratio non patitur, & quidem recta, tametſi ſtricta, ſummaque, ſiue quia cum promiſſa ſint, tamquam ſponſæ ei, quæ ſponſa eſſe, non potuit, ſiue ſponſalium nomine, quæ illicita, & turpia fuerunt, petenti actione ex ſtipulatu ex ea promiſsione, obſtabit exceptio doli, ſiue in factum, quoniam ob turpem cauſam promiſſum petitur, vt *in l. penult. in princip. D. de condict. ob turp. cauſ. l. Mercalem* 5. *Cod. eodem tit.* ſiue potiùs quia promiſſa, tamquam ſponſalitia, & quaſi ſponſæ, habent tacitam veluti conditionem ſponſalium. *l.* 1. §. *vltim. D. de donat. l. Si filiæ* 10. *l. Cum veterum* 15. *Cod. de donat. ante nupt.* ſicut dos nuptiarum. *l. Plerumque* 10. §. *Si ante. l. Stipulationem* 21. *D. de iure dot.* ideoque eis non ſecutis malè petuntur ab ea, quæ ſponſa non fuit, ſeu cum effectu non petuntur. *dict. l. Ea quæ* 5. *dict. l. Eum qui* 18. *in fine*, iuncta *l.* 4. §. *Huius*, *D. de pact. l. Promittendo* 41. §. 1. *D. de iure dot. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *Si quis ſponſam*, *D. de donat. inter.* neque ei etiam deceptæ ſuccurritur, vt ſponſalitia hæc lucra exigat, quamvis viro decepto ſubveniatur, quoad lucrum dotis. *l. A Diuo Pio* 58. *D. de ritu nupt. l. penult.* §. *vltim. D. quod falſo tut.* quia id lucrum in marito, etiam non iuſto, & tamen innoxio, oneroſam cauſam habet. *l. vnic.* §. *Si verò*, *Cod. de impon. lucr. deſcript.* iuncta *l. Proculus* 67. vbi *gloſſ. vlt. D. de iure dot.*

quæ

quæ vtique ratio non viget in ſponſalitia promiſsione; iungenda his tradita ſupra. Planè iuxta hanc diſtinctionem accipienda, & taxanda ſunt, quæ de lucrandis ſponſalitijs in matrimonio illicito, à ſponſa inſcia, & decepta tradidere indiſtinctè Barboſa, Sanctius, & ſi qui alij iam laudati, nempe vt lucretur data, & retineat, non item vt dumtaxat promiſſa petere, poſsit: cenſuitque rectè ita Accurſius noſter *in dict. l. Ea, quæ 5. verbo, Non potes, & in dict. l. Eum, qui 18. verbo, Sponſa.*

11 Sed & vt à pręludijs hiſce nuptiarum, arrhis, & ſponſalitijs, ad dotes, eiſque adiacentia, aut conſectanea tranſeamus; occurrit primùm in hoc genere quod traditum eſt in illicito coniugio, quaſi maritum nec fruiturum priuilegio, ne iudicio de dote condemnetur, vltra quàm facere poteſt. *cap.* 1. illic, *totam dotem*; vbi poſt Panormitan. & alios, Henricus Caniſius *num.* 2. & *cap.* 3. *de donat. inter.* iuncto electo, & fortaſſe proprio ad rem textu in *d. l. Eum, qui* 18. ibi: *Reſtitui tibi omni exactionis inſtantia, Cod. ad leg. Iul. de adult.* imò nec diſsimiliter expendenda *l. Intereſt* 18. illic: *Solidum conſequi.* iuncta *l. præcedente* 17. §. *vltim. D. de reb. auctor. Iud. poſsid.* nec retentione quaſi dotis ob impenſas vtiles. *l. Dote* 61. *D. de ritu nupt.* docent, hæc, & ſimilia pleraque pleniùs firmantes, Tiraquell. poſt *leg. Connub. gloſſa* 8. *num.* 237. & *ſeq.* Roder. Suar. *ad l.* 1. *tit. de coniugal. lucr. num.* 9. & *ſeqq.* & laudati à Valdeſio illic, *in additionibus.* D. Præſ. Couarruu. 2. *part. de ſponſalib. cap.* 6. §. 8. *num.* 24. & *ſeqq.* Barboſa *in l. Maritum* 13. *num.* 43. & in *dict. l. Si cum dotem* 22. §. *vltim. num.* 18. & 19. *D. ſolut. matr.* Giurba *ad conſuetud. Meſſan.* 1. *p. cap.* 16. *gloß.* 2. *num.* 10. 18. & 22. *cum ſeq.* Ar. de Meſa 3. *var. cap.* 22. *num.* 13. & *ſeq.* Fachin. *lib.* 10. *controu. cap.* 30.

Verùm quoad duo hęc ſaltem, quæ expreſsimus, & expediendis, componendiſq; in contrarium nitetibus apud Tiraquellum, & alios non paucis, obſeruandum eſt; obtinere ea, quę diximus in marito, illiciti coniugij conſcio, & nocente; hic enim propriè indignus priuilegio, non exſoluendi ſolidi. *dict. l. Eum, qui* 18. Optimus in propoſito *textus in l. Si rerum* 52. *D. de re iudic. l. Si mulier* 21. §. *vltim. D. rer. amotar.* quia reuerentiæ maritalis ratio, qua priuilegium nititur, *l. Alia* 14. §. 1. *D. ſolut. matrim.* ceſſat in marito noxio, & contra ius marito. *l. Si vxor* 13. §. *Sed etſi ea,* & §. *Si quis* 6. *D. ad leg. Iul. de adulter. l. Si concubina* 17. iuncta *l.* 2. *D. rer. amotar. l. Senatoris* 47. *cum l. ſeq.* §. 1. *D. de ritu nupt. l. vnic. D. vnde vir, & vxor.* Idque ipſum eſt in retentione, ob impenſas vtiles. *dict. l. Dote* 61. de qua poſtea. Cęterùm ſi maritus inſcius, inſonſque ſit illiciti, vt cumque coniugij, poſſe eum vti retentione quaſi dotis ob impenſas vtiles; atque ita eas ſibi per exceptionem doli ſeruare; expreſſum eſt in *l. Etſi quid* 23. (vbi agnoſcunt Accurſius, Bartolus, Cuiacius, & alij, refragante in caſſum Barboſa, & ad neceſſarias expenſas coanguſtante illic *num.* 10.) & expreſſum magis Barboſę refellendo in *l. In Inſulam* 42. §. 1. *verſ. Sumptus, verb. Neceſſarios, & vtiles, D. ſolut. matrimonio.* Et ſimiliter ſi maritus, connubij illiciti innocens, ad reddendam quaſi dotem Fiſco, aut vxori, etiam perinde ignaræ, & innoxiæ vrgeatur, benigniùs, veriuſque cenſuerim, non negandum marito beneficium, ne condemnetur vltra quàm facere poſsit, tum 12

exem-

exemplo lucri dotis in marito decepto. *dict. l. A Diuo* 58. *D. de ritu nupt. l. penult.* §. *vltim. D. quod falſo tutor.* tum quia etiam in non decepto, ſed tantùm innoxio, & ignaro, priuilegium ſolidi non extorquendi, habet reſpectum quemdam æquitatis, æqualitatiſque inter coniuges. *l. Non tantùm* 20. *D. de re iudic. l. Ex diuerſo* 17. §. 1. *D. ſolut. matrim.* Vt proinde quemadmodum innoxiæ, quaſi vxori, priuilegia exactionis in dote, etiamſi neque dos propriè ſit, nec de dote actione petatur, indulgentur. *l. Si cum dotem* 22. §. *vltim. D. ſolut. matrim. l. Si ſponſa* 74. *D. de iure dot. dict. l. Quæſitum* 17. §. *vltim. D. de reb. auct. Iudic. poſſid.* ita & indulgendum innoxio quaſi marito ſit priuilegium, ne condemnetur vltra quàm poſſit facere, ex ratione *dict. l. Non tantùm* 20. *in fine*, etiamſi alia, quàm dotis actione dos petatur. *l. Sic pro rata* 27. §. *vltim. D. de religioſ. & ſumpt. fun. l. Eum, qui* 30. §. *Si mulier*, *D. de iure iur.* iuncta *l. Si filio* 53. *D. ſolut. matrim. l. Qui id, quod* 33. *D. de donat.* atque etiamſi à Fiſco. *l. Si maritus* 36. *D. ſolut. matrim.* quibus in terminis, ſcilicet de mariti innoxij priuilegio, ſentiunt non malè, atque ita exaudiendi, id ei tribuentes, gloſſa, & Prępoſitus *in dict. cap.* 1. *de donationib. inter*, & laudati à Tiraquello, & Suario ſupra.

13 Nec mouemur expenſis in contrarium nuper verbis, *ſolidum conſequi*, *dict. l. Intereſt* 18. *D. de reb. auctor. iud.* quibus innuitur, ſponſam, etiam nondum vxorem, adeo priuilegiariam eſſe in dote, contra quaſi maritum, ſiue ſponſum non illiciti matrimonij reum, vt debeat ſolidum conſequi, & conſequenter integram dotem ſine metu exceptionis ſolidi, à marito non extorquendi: quippe quamvis Cuiacius apud Gothofredum *in dict. l.* 18. inopinata, & extra rem, vt videtur, ſolidi mentione perculſus, legat, reponatque, *ſuam dotem*, nato, vt putat, ex notis, ſiue ſinglis S. D. M. errore, certius tamen omnino eſt, retenta recepta lectione, quam contra Cuiacium firmant *Baſilica lib.* 9. *tit.* 7. *in d. l.* 18. inibi: ὁλόκληρον ἀπαιτεῖ, mentionem conſequendi ſolidi, non eò referendam eſſe, aut reſpicere, vt à marito ſolidum, ſiue vltra, quàm facere poſſit, exigatur, ſed eò potiùs, vt reſpectu aliorum creditorũ quaſi mariti, qui ſolvendo non eſt, ſponſa ſolidum conſequatur, dum eis priuilegio dotis præfertur, quibus ſi non præferretur tamquam priuilegiaria, non ſolidum conſequeretur, ſed pro rata, ſiue in tributum cum illis tamquam chirographaria veniret. *L. Pro debito* 6. *Cod. de bonis auctor. iud. poſſid. l. Si hominẽ* 7. §. *vlt. D. depoſiti.*

Quin nec magis mouemur, aut turbamur, argumento ex *l. Si concubina* 17. *D. de act. rer. amot.* dum docetur inde, aut deducitur, rerum amotarum actionem, quæ in locum furti actionis ceſſantis, ob honorem matrimonij inter coniuges inſtituta eſt, *l.* 1. *&* 2. *D. & l.* 2. *Cod. rer. amotar. l. vltim.* §. *vltim. Cod. de furt.* ceſſare, vbicumque matrimonium ceſſat, ſiue illicitum eſt, veluti cum pupilla tutori ſuo nupſit, *quia competit furti* (ſic enim illic corrigit ex ingenio, Faber *de error. deciſ.* 79. *err.* 3. ſuppleta voce, *furti*, in fine principij *dict. l. Si concubina* 17. & tranſlatis verbis, *Diuortij cauſa*, ad initium §. 1. qui ſequitur; & ſanè dextro Apolline, ſuffragantibus, quæ non vidit, *Baſilicis*, in quibus *libr.* 28. *tit.* 11. in textu, & apud Scholiaſtem perinde legitur, ἐπειδὴ φούρτι ἁρμόζει, *quia furti competit*, & pleræque 14

ver-

verba, *Diuortij cauſa ad* §. 1. transferuntur) & conſequenter etiam pupillæ illiciti coniugij innoxię. *l. Qui contra 4. verſ. Exceptis, Cod. de inceſt. nupt.* coniugalis reuerentiæ prærogatiua, quæ rerum amotarum actionem inducit, & furti denegat, non indulgetur, ac proinde nec marito priuilegiũ ſolidi non exſolvendi. Non inquam turbamur; diſpar enim vtriuſq; priuilegij ratio eſt, quoniam in illo, ſolidi non exſolvendi, cum ſermo ſit de quaſi marito, qui neque in illicito coniugio, neque in eo, quod ſolvendo non eſt, deliquit. *l. Etiam 18. §. 1. D. ſolut. matrim.* æqualitatis inter coniuges, & miſerationis ratio, fauorabilem priuilegij extenſionem facit ad qualemcumque inſontem cõiugem. *d. l. Non tantùm* 10. *D. de re iudic.* E contrario pręrogatiua non exercendæ actionis furti inter coniuges, cum ſolo matrimonij honore nitatur, qui in ea ceſſat, quæ vxor non eſt, & quamvis fuerit innocens illiciti coniugij, tamen amouendo deliquerit, & furtum fecerit, non eſt perinde fauorabilis, aut amplianda ad hanc non coniugem, quoniam, vt alibi Tryphoninus, ex malè contractu, & delicto agitur. *l. Si rerum 52. D. de re iudic.*

15 Enim verò quod ſupra expreſſimus, forenſem illam aſſertionem negatæ retentionis ob impenſas vtiles quaſi marito, obtinere in marito, illiciti coniugij conſcio, & firmari *in l. Dote 61. D. de ritu nupt.* poſtulat eius loci, perplexi alioquin, & ſubluſtris, non vulgarem illuſtrationem. Cui præmuniendæ animaduerto, non eſſe in expedito, an in ea ſpecie, maritus ex caduca dote retinere ſibi impenſas vtiles poſſit, quia quamvis Papinianus, dum neceſſarias impenſas ſolas excipit, exprimitque, quia dotem ipſo iure minuunt, excludere ſatis videatur, retentionem, deductionemvé vtilium, & firmare in his regulam in contrarium, argumento ex *l. Ex eo 18. D. de teſtib. l. Qui teſtamento 20. §. Mulier 6. D. qui teſt. fac. poſſ.* tamen vt Papinianus ſenſerit, vtiles etiam deducendas, ſuadent verba illa deciſionis, *quod iudicio de dote redditurus eſſet maritus, ſoluere, debet.* Quippe obſervandum eſt apud Papinianum, & alios Iuriſconſultos ante Iuſtinianum, quamuis duæ potiſsimæ, & inſignibus inter ſe differentijs diſtantes, pro dote, ſoluto matrimonio repetenda, actiones eſſent rei vxoriæ, & ex ſtipulatu pro dote, *l. vnic. Cod de rei vxor. act. §. Fuerat 29. Inſtit. de act.* tamen ſimplici, & abſoluta iudicij, ſiue actionis de dote appellatione, deſignari, & intelligi ex mente veterum Iuriſconſultorum, actionem rei uxoriæ, ſiue quoniam ea propriè, & per excellentiam de dote actio erat, vtpote quæ ipſo iure, ſine ſtipulatione, aut pacto pro re vxoria, ſeu dote competeret, & inducta fuit, teſte Boetio *in Ciceronis Topica.* Agellio *lib. 4. noct. Atticar. cap. 3. l. Si diuortio 21. D. de verbor. obligat. l. Auia 6. Cod. de iure dot.* ſiue quia ſublata, & transfuſa in actionem ex ſtipulatu à Iuſtiniano, actione rei vxoriæ *in dict. l. vnic.* ſublata quoque eſt, aut omiſſa eiuſdem mentio, vbi apud Conſultos extabat, & ſubrogata communis nota actionis de dote à Triboniano, & adiuvis, ex præſcripto *l. 1. §. Sed & hoc. l. 2. §. Tanta 10. Cod. de veter. iur. enucl.*

16 Exempla, & documenta eiuſce obſervationis ſint; primum ex *l. Eas 8. D. de capite minut.* iuncta *l. Sed etſi 21. in fine, D. ſolut. matrim. l. In bonæ fidei 36. D. de pecul.* vbi de dote actio, quæ inter conceptas in bonum, & æquum recenſetur, & bonæ fidei

iudicium dicitur, eſt actio rei vxoriæ, quę non modò fuit bonæ fidei, ſicut ex ſtipulatu actio ſtricti iuris. *d. l. vnic.* §. *Sed etſi non ignoramus, Cod. de rei vxor. act. dict.* §. *Fuerat* 29. *Inſtit. de act.* ſed & concepta in id, *quod æquius melius*, ex priſca illius formula. *l. Si cum Cornelius* 82. *in fine, D. de ſolut. l. pen.* §. *vlt. D. ſol. matr.* Cicero 3. *officio.*

17 Secundum, ex *l.* 2. §. 1. *D. ſolut. matr. l. Titia* 34. §. *Qui inuita, D. de legat.* 2. in queis qualitas illa, quæ de dote actioni tribuitur, ſcilicet, vt communis ſit patris, & filiæ, pertinet ad actionem rei vxoriæ, cuius proprium hoc ius fuit diuerſum ab actione ex ſtipulatu. *dict. l. vnic.* §. *Et hoc* 14. Vlpianus *tit.* 6. *de dotibus*, §. *Diuortio* 6. iuncta Cuiacij *illic correctione.*

18 Tertium, ex *dict. l. Titia* 34. §. *Qui inuita. l. In Inſulam* 42. *l. Si ſocer* 44. §. *vltim. D. ſolut. matrim.* iuncta *l. Pater* 14. *D. ad leg. Falcid. l. Si pater* 4. *D. de collat. dot. l. Filiusfam.* 8. *verſ. Sed & filia fam. D. de procur.* in queis quod ſupponitur, patre mortuo, vel deportato, actionem dotis ad filiam, etiam exhæredatam, iure proprio, aut præcipuo pertinere, obtinuit, referendumque eſt ad actionem rei vxoriæ, non autem ex ſtipulatu pro dote. *dict. l. vnic.* §. *Videamus* 10. & §. *Et hoc* 14.

19 Quartum, ex *l. Ex diuerſo* 17. §. *vltim. l. Etiam* 18. §. 1. *D. ſolut. matrim. l. Diuortio* 35. *verſ. Sed & poſtea, D. de negot. geſt. l. vxor* 55. *verſ. Et erit deterior*, ſi Cuiacium illic ſequare 6. *quæſtionum Pauli, D. de donat. inter.* in quibus deſignatio iudicij, ſiue actionis de dote, in quæſtione de priuilegio mariti, ne damnetur vltra quàm facere poteſt. Et præterea mentio dotis reſtituendæ annua die in actione de dote, & prælegati dotis eam ipſam actionem cum repræſentationis commodo continentis, in *l.* 1. *in principio, &* §. *Et verum* 2. & §. *Adeo* 5. *D. de dote præleg. l. Si vnus* 27. §. *Pactus, verſ. Quod & in ſpecie, D. de pact.* ſunt ex veterum prudentum ſenſu exponenda de iudicio, ſiue actione rei vxoriæ, in qua vtrumque id ius viguit, ſolidi à marito non exigendi, neque extorquendi illico, ſed annua bima, trima die, ſi dos, pondere, numero, menſura contineretur (eique dilationi commodum repræſentationis in prælegata dote occurrebat) non autem in actione ex ſtipulatu. *d. l. vnic.* §. *Cum autem* 7.

20 Quintum ex *l. Cum ab vno* 52. *D. de leg.* 2. in qua actionem de dote eſſe actionem rei vxoriæ, conſtat, inter eruditiores, Cuiac. *illic*. Fabrum *lib.* 1. *coniect. cap.* 3. Schifordeg. *lib.* 2. *tract.* 13. *quæſt.* 4. & verba illa *pro dote compenſandi animo*, quæ quoniam rei vxoriæ actioni non congruebant, Triboniano Faber tribuit, exprimi, & reſpexiſſe effectum petendę ab vno hærede dotis, et iam vltra portionem hæreditariam, obſeruauimus pridem, & primi forſitan, quadraginta circiter ante annos Salmanticæ, in ipſis profeſſorij muneris tyrocinijs, & *Commentarijs ad l. vnic.* §. *Primum itaque, num.* 14. *Cod. de rei vxor. act.* poſteaque recenſuimus in *Academica recitatione de indiuiduis*, ex qua noſtram in hac re notam, repertam forſitan *in aduerſarijs noſtris D. Guterrij Arguellij*, Romanæ Rotæ Auditoris, & deſignati Granatenſis Pręſidis, laudat integriore fide, quàm ſenſu doctus Pragmaticus Mercurialis Merlinus, poſt *tractatum de pignoribus, deciſ. Rotæ* 127. *num.* 12. integriore, inquam fide, quàm noſter olim in Academica anteceſſura conſecraneus, ſibique commilitij quodam iure, hæc

&

& alia ex ſcriptis noſtris adſcribens Ferd. Ar. de Meſa *lib. 2. var. cap.* 10. *num.* 15.

21 Sextum denique, & ad deductionem ex dote, ſeu retentionem ob impenſas vtiles in actione de dote propriè pertinens eſt, ex *l. Omnino* 12. *D. de impenſ. in res dot. l. Sed etſi* 21. *D. ſolut. matrim.* Sicut ad retentionem ob mores pertinet quod extat, in *l. Lucius* 38. iuncta *l. Cum mulier* 47. *D. ſolut. matrim.* & ad retentionem ob res donatas, quod traditur *in l. Si cum mulier* 50. *D. de donat. inter. l. Sin autem* 27. §. *vltim. verſ. Quod & in area, D. de rei vindic.* quibus tamen ſingulis locis intelligendam eſſe actionem rei vxorię, vel ex eo liquet, quia in ea dumtaxat locus erat retentionibus memoratis, non in actione ex ſtipulatu pro dote, *d. l. vn.* §. *Taceat.*

22 Ergo vt & rem, & ratiocinationem ſupra cœptam pertexamus, cum in quæſtione de caduca dote reddenda Papinianus iudicij de dote meminit, in *dict. l. Dote* 61. intellexit omnino actionem rei vxoriæ, & proinde, dum ſcripſit, maritum ſolvere, debere quod iudicio de dote redditurus eſſet, ſenſit, non ſoluturum Fiſco dotem integram, ſed deductis vltra neceſſarias impenſas, etiam vtilibus, quoniam & iſtas deduceret in iudicio rei vxorię, & propter eas dotem retinet, ſiue non redderet. *dict. l. vnic.* §. *Taceat. dict. l. Omnino* 12. *D. de impenſ. in res dot.* Sic enim & dum Paulus ſcripſit, mulieri iuranti, decem dotis ſibi deberi, totam eam ſummam præſtandam eſſe; at ſi iurauerit, decem dotis ſe dediſſe, tunc datione ſola ſuppoſita, præſtandum ei eſſe, *quod ex eo reddi, oportet. l. Eum, qui* 30. §. *Si mulier, D. de iureiur.* ex verbis illis, *quod ex eo reddi oportet*, collegit rectè Accurſius & intulit Pauli in ſecunda parte eam ſententiam eſſe, vt non reddatur integra dos, ſed quatenus oportet reddi in iudicio de dote, ſeu rei vxorię, habita ratione priuilegij mariti, ne egeat, imò & admiſſa retentione, ſeu deductione ob impenſas vtiles, vt prę cæteris, & ante Cuiacium, Fabrumque in *dict. l. Eum, qui* 30. §. *Si mulier*, adnotauit *illic* Fulgoſius.

Eſt tamen, ne iam vltra exſpatiemur, verius omnino, magiſque ex Papiniani mente in *dict. l. Dote* 61. marito in ea ſpecie, non permitti retentionem, deductionemve impenſarum vtilium, idque euincit apertè tum exceptio illa impenſarum neceſſariarum, inibi, *exceptis impenſis neceſſarijs, quæ dotem ipſo iure minuere ſolent*, firmans regulam in contrarium quoad vtiles, vt ſupra inſinuauimus; tum quod ſermonem eſſe de marito conſcio, noxioque illiciti matrimonij, coarguit ſatis quod ſupponitur, dotem ſic fieri caducam, vt à marito reddenda ſit, quæ vtique non ei eriperetur, ſi deceptus, & inſons fuiſſet. *l. à Diuo Pio* 58. *D. de ritu nupt.* Planè marito conſcio, noxioque abſurdè tribueretur in *d. l.* 61. deductio impenſarum vtilium, quas vbi dos, & nuptiæ non fuerunt, ſolus coniux innoxius deducit, ſeu ſervat, iure, & ſuffragio veluti bonæ fidei. *l. In Inſulam* 42. §. *fructus*, ibi, *bona fide*, & *ſumptus* illic, *& vtiles in prædia, quæ dotalia videbantur. D ſol. matr.* quamquam neceſſarias deducat etiã, ſi malæ fidei ſit. *d. l.* 61. iuncta regula *l. domum* 5. *Cod. de rei vind. l. Planè* 38. *D. de hæred. pet.* Nec in contrarium cogit, aut, vrget mẽtio illa iudicij de dote, & dotis eo iudicio reddendæ, quàm reſpicere actionem rei vxorię, & retentionem ob impenſas vtiles, illius actionis propriam, nuper expendimus; 23

quip-

quippe vtcumque ea explanatio ſæpe, & fere regulariter, apud Iuriſconſultos noſtros certa ſit, non eſt tamen vel apud illos, ſine exemplo, aut ratione per actionem, ſeu iudicium de dote, intelligi ex ſubiecta materia actionem exſtipulato pro dote, vt expreſſum eſt *in l. Qui dotem* 46. *D. ſolut. matrimonio.*

24 Idque, vt exemplo vnico, ſed appoſitiſsimo ad rem vtamur, cernere, & obſervare licet in obſcuro alioquin Iauoleni loco in *l. Mæuio* 41. §. *A me hærede. D. de legat.* 2. dum diſtinguit inter extraneum legātem dotem vxori hæredis ſui, ſiue quod ad eumdem hæredem dotis nomine peruenerit, & inter virum relegantem vxori ſuæ dotem; namque extraneo legante, non dubitat, quin hæredis vxoris dos integra ex legato debeatur, ſine deductione impenſarum, etiam neceſſariarum, quaſi quoad extraneum legantem habeantur, taxationis vice, ea verba, *Quicquid ad te peruenit dotis nomine*, cum verum ſit, integram dotem ab initio ad hæredem perueniſſe: at in marito, vxori ſuæ legante non idem ius ſeruatur; illic enim ait Iauolenus, *vbi vir vxori relegat, id videtur legare quod iudicio dotis mulier conſecutura fuerit.* Quibus verbis omnino ſentit, deducendas neceſſarias impenſas, aliter atque in priore ſpecie, & è contrario vtiles non retinendas, quomodo vtrumque in dote relegata à marito vxori traditum, eſt *in l. Dote* 5. iuncta *l.* 1. §. *Impenſæ* 4. *l.* 2. *verſic. Quòd ſi neceſſariæ, D. de dote præleg.* & agnoſcunt, Iauoleno explicando, poſt Cumanum, Cuiacius Goueanum acriter pungens, in *recitationibus poſthumis ad tit. D. de legat.* 2. *in dict. l.* 41. §. *vltim.* & ex noſtratibus Peralta, & Sarmiento illic, & apud Barboſam *in rubric.* 3. *part. num.* 30. *D. ſolut. matrimon.* fluctuet quamuis, varietque, pene indignè idem Cuiac. *in dict. l. Dote* 5. *D. de dote præleg.* & *lib.* 23. *obſeruat. cap.* 13. Gouean. 1. *variar. cap.* 13. Faber 1. *coniect. cap.* 3. & ſi qui alij nuper. Ergo vt ſtringamus, quemadmodùm his verbis, *id videtur, legare quod in iudicio dotis mulier conſecutura fuerit*, ſignificatur apud Iauolenum, deducendas ex legata dote impenſas neceſſarias, non autem vtiles; ac proinde relatio illa ad iudicium dotis, explananda non de actione rei vxoriæ, ſed ex ſtipulatu pro dote, in qua mulier dotem conſequeretur, minutam neceſſarijs impenſis, non autem vtilibus. *dict. l. vnic.* §. *Taceat, Cod. de rei vxor. act.* Sic ſimiliter apud Papinianum *in dict. l. Dote* 61. mentio iudicij dotis, referenda ad ex ſtipulatu pro dote, & accepta ita adiectio illa, *quod iudicio de dote redditurus eſſet maritus*, non probat in marito noxio deductionem impenſarum vtilium, quam dum neceſſarias ſolas excipit, Papinianus ſatis excluſerat, & actionem ex ſtipulatu pro dote non admittit.

Poſtremum eſt, ſupra traditis proximum, pauciſque adnotandum magis, ne de eo deinceps dubitetur, quàm quia dubitationis iuſtæ ſit, in illicitis, inceſtiſve nuptijs, quaſi maritum non lucrifacere fructus dotis, quin potiùs, ſicut dos in illis non eſt, & caduca fit, ita fructuum ex dote nomine, percepta auferenda, ita Paulus *in l. Inceſtæ* 52. *D. de ritu nupt.* conducit Scæuolę ſententia, de qua iam multa *ſupra in l. vxori* 27. *D. de vſufruct. legat.* Sed hęc ita, ſi ſciens maritus inceſti, ſiue illiciti coniugij fuerit, vt rectè *in dict. l. Inceſtæ* 52. poſt alios ſupplet, ſuppo- 25

ponit-

ponitvr noſter Merlinus, noſter inquam in Supremo Italiæ Senatu pridem Collega, *libr.* 2. *controuerſ. cap.* 94. *num.* 29. ſed ſi ignorans, innocenſque, acerrimo, neque affectato errore, vt ſcriptum eſt *in l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* non eripiuntur ei fructus percepti, imò eos adquirit non quidem iure mariti, qualis ſi eſſet, integros lucraretur, neccompenſaret cum impenſis vtilibus, aut neceſſarijs. *l. Fructus.* 7. §. *Impendi in fine. Digeſt. ſolut. matrimon. l. Pro oneribus* 20. *Cod. de iure dot. dict. l. Vir.* §. *Taceat, Cod. de rei vxor. act.* Sed iure bonę fidei poſſeſſionis, ſic vt eos compenſet cum ſumptibus vtilibus, neceſſarijſque factis in prædia, quaſi dotalia, nec reſtituat conſumptos in onera quaſi matrimonij, at ſuperfluos, extanteſve reddat, ſicut quilibet bonę fidei poſſeſſor, ex Papiniani reſponſo nobili in *l. In Inſulam* 42. §. *Fructus, Digeſt. ſolut. matrimon.* iuncta *l. Certum* 22. *Cod. de rei vindic. l. Sumptus* 48. *l. Emptor* 65. *Digeſt. eodem titul.* docentque ita, & diſtingunt ex Papiniani ſenſu, poſt Accurſium, *in dict.* §. *Fructus, verbo, Compenſatis, & Baſilicorum* Scholiaſtes *lib.* 28. *tit.* 4. idem ex Latinis, claſsiciſque, apud Tiraquell. poſt *leg. connub. gloſſ.* 8. *n.* 235. Dom. Præſes Couarruu. 2. *part. de ſponſalibus, cap.* 6. §. 8. *num.* 25. Roder. Suarez *ad l.* 1. *titul. de la ganancias, num.* 14. Borgnin. Caualcan. *deciſ.* 18 *num.* 25. *part.* 2. Petr. Barboſa *in l. Si ante, num.* 25. & 35. & *in l. Si cum dotem* 22. §. *vltim. Digeſt. ſolut. matrimon.* Horat. Barbato *de diuiſ. fruct.* 2. *part. cap.* 3. *numer.* 118. Giurba *ad conſuetud. Meſſin.* 1. *part. gloſſ.* 2. *cap.* 16. *num.* 13. & 16. Arias de Meſa 3. *variar. cap.* 22. *num.* 12. quibus abſtinerem laudandis, Papiniano auctore contentus, niſi in re aperta ambigere, aut aberrare, & marito, vt loquuntur, putatiuo, ſeu bonæ fidei, idem ius ac iuſto marito in fructibus indiſtinctè largiri, cernerem, cenſoria nota dignos non paucos, apud Tiraquellum *dict. gloſſ.* 8. *num.* 261. Guterrium *de tutelis* 3. *part. cap.* 8. *num.* 20. & *ſeq.* & laborioſè lapſum Cyriacum 1. *tom. controuerſ.* 32. *ex n.* 7. & 13.

Nec plura iam ex fori paratu- 26
tà, in hoc tractatu illicitorum coniugum ſuperiora excerpſiſſe, pretium operæ rati, quia in ſingulis, aut ſupra, aut præter vulgi practici captum, aſſerta veritas, & ſimilia, quæ adtexi poſſent, de coniugali quæſtu inter non iuſtos coniuges, aliaque notæ eiuſdem, alibi, neque intempeſtiuè tetigiſſe, memores *hoc eodem libro in Appendice ad l. à Diuo* 58. *D. de ritu nupt.*

CAPVT XXI.

DE LIBERTINARVM NVPTIIS CVM SENATORIIS. AD Vlpianum lib. 1. ad Iuliam, & Papiam in l. Ingenuum 25. D. de ſtatu hom. Commentarius. Ad l. 14. D. de iure Patronat. l. 60. D. de condit. indebit.

Parerga.

ARGVMENTVM.

AD verba Iuliæ legis, *Libertinam*. Propria rei teſtimonia iuris. & præ alijs, *l. 20. §. Matrimonij, D. de manum. vind.* *Libertini*, qui dicti, ante leges Iulias, & in eiſdem. Lux Modeſtino *in l. 1. §. 4. D. de excuſ. tutor.* Iam ex profeſſo ad *leg. 25. D. de ſtatu hom.* Decidendi quæ in ea ratio, deducta à Baldo ex qualitate cauſæ ſtatus. Sed præfertur probata Bartolo, petitaque ex qualitate cauſæ, actæ cum iuſto, & principali contradictore. De regula *l. 207. D. de reg. iur.* *Verum*, pro, *iuſto*, ſæpe apud auctores iuris, & alios. Rei iudicatæ cauſa, & auctoritas, præponderat, vt publica, priuato iuri, nec reuidenda, niſi perrarò ex Supremæ Regaliæ iure. Expenditur contra eam regulam exemplum iuriſiurandi, ex *l. 14. D. de iure Patron. l. in eo 45. §. 1. D. de ritu nupt.* Quibus & contra ſtant alij iuris loci. Eis componendis, Bartolo, & alijs valere iuſsis, agnita differentia inter *iudicatum*, & *iusiurandum*. Differentiæ ratio ignota vulgò, & inuenta. Iuramenti delatio eſt voluntatis; iudicati cauſa neceſſaria, & publica. Ex eiſdem elementis, tametſi aliter applicitis, ducta explanatio alterius differentiæ inter iudicatum, & iuramentum, elicitæ ex *l. 60. D. de condit. indeb.* cum *l. vlt. & alijs, D. de iureiur.* Debitor iudicato abſolutus adhuc natura debitor manet: non item ſi iurauerit, ſe non debere, & quæ vtriuſque aſſertionis ratio. Intellectus *l. Si deferente 13. D. quib. mod. pign.* Duo tandem perquiſita: cur contra iudicati auctoritatem, debitori abſoluto, tamquam indebitum, quod ſolvit, repetenti, liceat, vti exceptione naturalis debiti? Et cur exceptio rei iudicatæ, tamquam perpetua, & fauorabilis, non ei proficiat ad repetitionem, ſicut exceptio Velleiani? Satisfit vtrique quæſito, iuxta artis delicias, ſiue rationem. Velleiani exceptio nititur naturali æquitate, quæ quamvis non diſſolvat, laxat vinculum æquitatis, naturalis debiti.

1 SVccedunt verbis illis capitis Iuliæ legis, *ſponſam, vxoremve ſciens dolo malo habeto* (ad quæ hucvſque planè adeo, an & prolixè, de effectu eiuſce prohibitionis nuptiarum diſſervimus) hæc continenter, *libertinam, aut eam, quæ ipſa, cuiuſve pater, materve artem ludicram fecerit*. Deſignantur his verbis fœminæ, quarum nuptiæ Senatori, eiuſve filio, nepoti, pronepoti lege Iulia, Papiaque inhibitæ, nempe libertinæ, & ſcenicæ. *l. Lege 44. l. Lege 23. D. de ritu nupt. l. Si quis libertam 28. Cod. de nupt.* Vlpianus *tit. 16. §. Aliquando.* Dio Caſsius *lib. 54. & 55.* Zonaras *2. Annal.* Prohibitionis originem, rationemque, præſertim quoad libertinas, illuſtrauimus affatim ſupra *hoc libro cap. 1. & lib. 3. cap. 1. & ſeqq.* eſt autem prohibitionis ſignata mentio *in l. Si quis 27. l. Si Senatori 31. l. Sciendum 32. l. à Diuo 58. D. de ritu nupt. l. Cum hic ſtatus 32. §. vltim. D. de donat. inter. l. Humilem 7. Cod. de inceſt. nupt. l. 1. Cod. de natur. lib. Nouella* Martiani 4. *de matrimon. Senat.* Referenda ad hanc partem, prænotata alibi, & alijs iam ſententia, *l. Vxorem 15. Cod. de nupt.* illic: *Vxorem libertam ſuam manumiſſori, ſi non ſit ex his perſonis, quæ ſpecialiter prohi-*

hibentur (ſcilicet Senatoris) *ducere, non eſt interdictum.*

2 Referenda & *lex Si rogatus* 20. §. *Matrimonij, D. de manumiſſ. vind.* vbi quod ſcriptum eſt, concedi matrimonij cauſa manumittere, ſi quis velit, & is ſit, *qui non huiuſmodi conditionis vxorem ducturus ſit*, referendum eſt non ad ignominioſam fœminam, vt ibi Albericus, ſed ad libertinam, ſeu libertam, vtpote ex ſeruitute matrimonij cauſa manumiſſam, quam propter conditionem, ſiue ſtatum libertinitatis, non niſi indignè vxorem duceret vir Senatorius, ideoque ei non concedendum, matrimonij cauſa manumittere: idque ſat exprimunt *Baſilica*, & Scholiaſtę *lib. 48. tit. 2. in d. l. 20. §. 1.* niſi quòd pro verbis illis, εἰ μὴ ὑβριζόμενον ἐκ τοῦ, parum aptè, aut apertè vertit Latinus Interpres: *Si non ad exiſtimationem eius hoc pertineat*; cùm germana verſio ſit, *niſi probroſum ei futurum ſit*, ſcilicet matrimonium cum liberta, vt habet Scholiaſtes inibi.

3 Sed age: libertinę appellatio, aut libertini in hoc capite Iulię legis, an accipienda priſco illo ſenſu, & vſu, ab Appij cœci æuo, quo libertini vocabantur libertorum filij, qui noui, & noſtri iuris cenſura ingenui, Suetonio auctore *in Claudio cap. 24.* M. Varrone *lib. 7. de lingua latina in fine* (quò reſpicere viſum Hotmano *ad tit. Inſtitut. de libertinis*, & alijs, diſtinctionem illam inter ἀπελευθερικοὺς, ſeu *libertinos*, & ἀπελευθέρους, ſeu *libertos*, apud Modeſtinum *in l. 1. §. 4. D. de excuſ. tutor.* ſed inſcitè, cum exaudienda potiùs ſit de libertis ſine patrono, qui relata appellatione ad ſtatum, libertini dicuntur, & quibus, quia patronus legitimus tutor deeſt, dandus eſt à Præſidibus, vnde & diſtinguntur à libertis, patronos tutores habituris, vt in perſimili *l. Pupillo 27. §. 1. D. de tutor. dat. ab his. l. 3. Cod. de excuſat. tut.* Pithæus *ad collat. leg. Moſaic. tit. 16.*) ſicut eodem æuo ingenui dicti qui auum, patremque ingenuum haberent, vt in *Oratione Canulei* apud Liuium *lib. 10.* an potiùs noua, & nota Iuriſconſultis noſtris acceptione pro his, qui ex ſeruitute iuſta manumiſſi ſunt; *princip. Inſtit. de libertin. l. 7. D. de ſtatu hom. l. 4. D. de iuſt. & iure*, hoc eſt, nihil ampliùs quàm libertis; *l. 2. D. de operis libert.* quamquàm liberti nomen propriè, & potiùs reſpectum patroni, & è contrario libertini appellatio relationem habeat ſtatus ingenuitati oppoſiti. *l. vltim. D. ſi ingenuus eſſe dicetur. l. Cum hi 8. §. Nihil autem 7. D. de tranſact. l. Non diſtinguemus 32. §. de liberali 7. D. de recept. & qui arbitr.* de quibus ſingulis plura ad crepundia Inſtitutionum, & titulum de libertinis poſt Theophilum, ac nouiores, olimque Vlpianum apud Athenæum *lib. 3. de ipnoſophiſt. cap. 13.* reſpondiſſe quęſito, ſuffecerit in hoc tractatu, & capite legum noſtrarum libertinos intelligi, non priſca illa notione, ſed ciuili, & recepta iam ab Auguſti æuo, eos, qui ex ſeruitute in libertatem venerunt, neque ingenui nati ſunt, vt ex Marcello, Vlpiano, Pauloque ad leges Iuliam, & Papiam, & earum hoc ipſum caput, licet colligere. *l. Sciendum 32. D. de ritu nup.. l. vltim. D. de adopt. l. 4. & 5. & 6. D. de iure aur. annul. l. 4. D. de colluſ. deteg.* iunctis ex Papiniano *l. Filium 9. D. de Senator.* in qua, qui *libertus*, Papiniano, eidem eſt *libertinus. l. Generali 34. §. vltim. D. de ritu nupt.* ſicut in eiſdem legibus ingenuus dicitur, qui natus, aut alioquin iure habitus pro ingenuo, etiamſi

ex

ex ſeruitute manumiſſus, nec requiritur, vt auum, patremve ingenuum habuerit. *l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. dict. l.* 5. *&* 6. *D. de iure aur. annul.* de quibus poſtea. Illud iam nunc, receptam eſſe eamdem vſurpationem libertini pro liberto, ex ſeruitute manumiſſo, in alio capite Iuliæ legis, quod extat in *l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. lib. l. Nec patronis* 6. *Cod. eod. tit.* ſicut in Iulia de adulterijs *l. Marito* 24. *l. Si is, qui* 42. *D. ad leg. Iul. de adult.* Paulus apud Licin. Ruffin. *in collat. leg. titul.* 4. §. 2.

4 De re potiùs videamus, in qua quod attinet ad connubium Senatorium cum libertinis, tam ad hæc verba capitis Iuliæ legis, quæ ſunt de libertinæ nuptijs cum Senatorio, quàm ad poſteriora alia, quæ ſunt de libertino, ducente filiam, neptem, proneptemve Senatoris, tres præcipuę quęſtiones, à Iuriſconſultis ad vtramque hanc partem tractatæ, ideoque vna opera explanandæ occurrunt. Prima eſt, an libertinus, cum patrono de ingenuitate litigans, de quo ſententia lata eſt, ingenuum eſſe, quamvis re vera libertinus fuerit, debeat tamen accipi, ſiue haberi pro ingenuo, vt citra prohibitionem Iuliæ legis, filiam Senatoris ducere vxorem, poſsit. Pertinet huc omnino Vlpiani locus *in l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. ex lib.* 1. *ad leges noſtras*, in quo, & *ſecundo, tertioque* libris expoſuiſſe eum hanc partem *legum, & capita de maritandis ordinibus*, liquet *ex l.* 5. *&* 7. *D. de Senator. l. Oratio* 16. *D. de ſponſalib. l. Si quis* 27. *l. Quod & Atteius* 29. *l. Palàm* 43. *D. de ritu nupt. l.* 4. *& vlt. D. de iure aur. annul. l.* 4. *D. de colluſ. deteg.* Dubitandi in quæſtione ratio ex vulgari regula, quæ docet, res inter alios actas, vel iudicatas, alijs neque nocere, neque prodeſſe, vt *in rubrica Cod. inter alios acta. l.* 2. *& paſsim. Cod. quibus res iudic. non noc. l. Claudius* 16. *in fine, D. qui potior. l. Sæpe* 63. *D. de re iudic.* Proinde neque proderit libertino, quod adversùs patronum ingenuus pronunciatus ſit, vt habeatur pro ingenuo quoad nuptias filiæ Senatoris, contra quem non eſt pronunciatus ingenuus, quemadmodùm, vt non alieno exemplo vtamur, libertino, quòd ab ingenuo adrogatus ſit, & in adrogatoris familia, ingenui iura conſecutus (quamvis adrogatio liberti, non niſi cauſa cognita, & Principis auctoritate, maiore vtique, quàm magiſtratus pronunciantis, fiat. *l.* 3. *Cod. de adopt. l. Si pater familias* 15. *in fine.* iuncta *l.* 2. *D. de adopt.*) non prodeſt, ne arceatur à nuptijs Senatorijs, vt *libro* 1. *ad leges noſtras* Marcellus ſcribit, *in l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* Decidit tamen in contrarium, docetque Vlpianus *in dict. l. Ingenuum* 25. libertinum, de quo in cauſa ingenuitatis cum patrono, ingenuum eſſe, pronunciatum eſt, habendum pro ingenuo, ſcilicet, quoad effectum nuptiarum ex noſtris legibus, & quidem ea ratione expreſſa, *quia res iudicata pro veritate accipitur.*

Quę ratio, aſſertioque, quamvis aperta ſatis ſit, & oſtendat, rem iudicatam pro ingenuitate, etiam ſi per errorem, aut iniuriam, haberi pro veritate inter patronum, & libertum, inter quos iudicata eſt, tamen vt probet, porrigi etiam ad eum, qui non litigauit, nempe Senatoriam perſonam, cuius nuptias libertus, tamquam iam ingenuus, permiſſas ſibi contendit, eget alia ratione, & explanatione, quæ oſtendat, cur hæc ſpecies rei iudicatæ eximatur à regula, de qua in dubitando ſupra, res in- 5

inter alios iudicatas alijs non noceret Sanè Baldus in *dict. l. Ingenuum num.* 1. *&* 2. *&* 17. & poſt eum Faber *lib.* 19. *coniect. cap.* 4. & in iuriſprud. *tit.* 4. *princ.* 2. *ill.* 1. D. Valent. *illuſtr. lib.* 2. *tractat.* 2. *cap.* 10. *num.* 15. *&* 16. Ioſ. Seſſe *deciſ. Arag.* 10. *num.* 1. *part.* 1. alijque rationem petunt ex indiuiduitate materiæ, de qua ſententia fertur, ſcilicet ſtatus ingenuitatis, libertatiſve, cui repugnat, vt quoad aliquem, ac veluti pro parte quis liber, aut ingenuus ſit, non autem quoad alios, imò cuius natura flagitat, vt ſtata, & invariabilis quoad omnes ſit, ſemel per ſententiam declarata, perſonę conditio, ſeu ſtatus, argumento *ex l. Ex ea* 9. *Digeſt. de poſtul. l. Si pariter* 9. *in fine. l. Duobus* 30. *Digeſt. de liber. cauſa. l. Si dolo* 24. *D. de dolo.* iuncta, & trahenda huc forſitan phraſi illa *l. Siue* 3. *Digeſt. de agnoſc. lib. eius rei iudicem ius facere*, quaſi rei, ſeu materiæ ratio faciat, vt ſententia ius fundet, quoad omnes. Vnde & hanc *ſententiam fundamenti* Baldus vocat. Cæterùm propria magis, potiorque ratio eſt, ſignata poſt Bartolum in *dict. l. Ingenuum* 25. Panormit. *in cap. penult. num.* 19. *de ſentent. & re iud.* D. Couarruu. *in practicis cap.* 13. *num.* 5. Donell. *in* §. *Præiudiciales, Inſtit. de act. num.* 6. *& ſeq. & lib.* 27. *com. in l. Sæpe, D. de re iud.* D. Larreatigui *lib.* 6. *ſelect. cap.* 2. *num.* 6. nimirum rem iudicatam pro ingenuitate, haberi pro veritate quoad omnes, quia iudicatam ponimus cum patrono libertini, aut domino ſerui, qui ingenuus iudicatus eſt, & proinde cum contradictore non tantùm iuſto, ſed & principali, cuius ex iure circa ſervitutem, aut libertinitatem, reliqua circa illam aliorum iura, aut tamquam conſequentia pendent, aut tamquam inferiora, & acceſſoria cenſenda ſunt; quod cum contingit, etiam extra cauſam ſtatus, res inter alios iudicata alijs pręiudicat. *l.* 3. *verſ. At quin, D. de pignorib. l. Papinianus* 8. §. *penult. l. Qui repudiantis* 17. §. *vltim. l. Cum mater* 28. *cum l. ſeq.* D. *de inoffic. teſtam. l. Si Seruus* 50. §. 1. *D. de leg.* 1. *l.* 5. §. 1. *l. Si perluſorio* 14. *D. de appellat. l. Si patronus* 12. §. *Si filius* 4. *cum* §. *præcedenti, D. de bonis libert.* Quo & ipſo ſubmouemus, ſeparamuſque exemplum, ſupra pro argumento allatum, libertini ab ingenuo adrogati, qui quoad nuptias Senatorias pro ingenuo non eſt, neque immeritò, vtpote cum arrogatio ſine vllo contradicto iudicio, aut contradictore, expediatur beneficio Principis. *d. l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* de qua poſtea.

6 Extat porrò illa ratio, regulaque, *res iudicata pro veritate accipitur*, repetita ex eodem ad leges noſtras Vlpiani *libro* 1. *in l. Res iudicata* 207. *D. de reg. iur.* vbi tamquam generalis, nec reſtricta ad ſententiam de ſtatu, ſiue ingenuitate, regula proponatur, quamvis iuxta inſcriptionem iungenda, aptandaque *dict. l. Ingenuum* 25. tamen & generaliter, ſiue in commune illuſtranda eſt; ergo cum dicimus, rem iudicatam pro veritate haberi, illud ſignificamus, vt etiam contra veritatem iuris, aut facti iudicatum; cum ſemel tranſijt in iudicati auctoritatem, habendum ſit pro *vero*, ſiue *iuſto*, quomodò his vocibus vtuntur non ſemel iuris auctores, & *verum* vſurpant pro *iuſto*. *l.* 3. *D. de in integr. reſt. l. Sed ſi vir* 31. §. *Si vir vxori* 4. *Digeſt. de donat. inter. l. Si cui* 49. §. *Meminiſſe* 8. *D. de legat.* 1. *l. vlt.* D. *de iure deliber.* & ex non noſtris magnus Poeta 12. *Æneid.* illic: *Me verius vnũ pro vobis*

fœdus fuere; vbi, poſt Seruium, noui Scholiaſtæ, & poſt Budæum *in annot. prior. ad l. 3. D. pro ſocio.* ad rem Iac. Guther. *de iure manium lib. 3. cap. 27.* Deſider. Herald. *rer. iudicat. lib. 1. cap. 1.* Rad. Forner. *lib. 1. rer. quotid. cap. 3.* Sicut è contrario iniuſtum, falſumque pro eodem, ἀδικον, καὶ ψεῦδος, apud Ariſtotel. 3. *Politic. cap. 1.* Et in Heſychij *gloſsis* ἀλήθεια, δικαία, ſiue *veritas*, pro *iuſtitia*. Et in ſacris libris non ſemel, vt Prouerb. *cap. 20. Miſericordia, & veritas,* ἐλεημοσύνη καὶ ἀλήθεια *cuſtodiunt Regē.* iunctis notatis à Daniele Heinſio *in exercit. ad nou. Teſtam. lib. 3. cap. 14. & lib. 4. cap. 2.* & 3. Denique apud Vlpianum electo loco, *l. Pomponius 13. §. Sed & legatario in fine, D. de adquir. poſſeſſ. Legatum vere* dicitur, id eſt valide, iuſtèque, nempe per damnationem, vt exponit Cuiac. 25. *obſeru. cap. 33. Et verè voluntates* teſtantium, pro validis, & iuſtis in *Nouella* Martiani *de teſtamentis Clericor.*

7 Planè regulæ ratio ea eſt, quia quamvis contra iudicatum ſtet rei, ſiue iuris veritas, tamen haberi iudicatum pro vero, & iuſto, intereſt publicè. *l. Seruo 65. §. Cum Prætor, D. ad S. C. Trebell.* ſiue, vt Ariſtoteles loquitur, receptum eſt ciuiliter, ſeu propter vtilitatem communem, πρὸς τὴν χρῆσιν, καὶ πολιτικῶς, tum vt ſua iudicijs, iudicatis, & iudicibus conſtet auctoritas, quæ publici iuris eſt. *l. 2. §. Poſt originem 13. D. de orig. iur. l. Si Prætor 75. D. de Iudic. l. vltim. D. ne quid in loco pub. l. Nullus 14. Cod. de Iudæis*, iuncta *l. 1. §. Huius ſtudij, D. de iuſt. & iur.* tum vt lites finiantur, quæ probabilis, & publica etiam ratio eſt. *l. Singulis 6. D. de except rei iudic. l. Terminato 3. Cod. de fructib. & lit. expenſ.* iuncto D. Gregor. *lib. 9. Regiſt. epiſtol. 46. ad Donum Epiſcopum Meſſanenſem*; & è conuerſo reſciſsio rerum iudicatarum argumentum eſt *ruentis Reipublicæ*, ſiue *extremi exitij exitus*; vt Cicero expendit *Verrina 7.* & in *Agraria contra Rullum.* Queis conſequenter cum vtilitas publica anteponenda priuatæ ſit. *l. 2. Cod. de primipilo, lib. 12.* quamuis iniquè, & cum iniuria vnius ex litigatoribus ſit iudicatum, prævalet tamen iudicati auctoritas publica, cui ſtandum eſt. *dict. l. Seruo 65. §. Cum Prætor. l. Si fideiuſsor 29. §. In omnibus D. mandati. l. Si Patronus 12. §. Si quis cum eſſet 3. D. de bonis lib. l. 3. §. Idemque 3. D. de rebus eorum. l. Cum prolatis 32. l. Poſt rem 56. D. de re iudic.* Præualetque adeo, & pro vero eſt, vt tranſactio facta poſt rem indubitatè iudicatam, nulla ſit. *l. Elegante*r *23. §. Si poſt rem, D. de cond. indeb. l. Si cauſa 32. Cod. de tranſact. l. Et poſt rem 7. & 11. D. eodem tit. l. 4. Cod. Gregoriano de pactis*, ſicut & ſententia contra rem iudicatam lata. *l. 1. Cod. ſentent. reſcindi non poſſe. l. Poſt ſententiam 9. Cod. de ſentent. & interl. l. 1. Cod. quando prouoc. non eſt neceſſ.* Denique vt nec Reſcripto Principis ſuſcitari lis, ſemel iudicato finita, debeat. *l. vltim. Cod. ſentent. reſc. non poſſ. l. 3. Cod. de errore aduoc. l. vltim. Cod. Quomodò, & quando iud. l. 1. 2. & 3. Cod. Vt lite pendente.* Atque hoc poſtremum ex vi, & iure ordinariæ, & legitimæ in Principe poteſtatis. 8

Cæteroquin poſtremum ex Supremi Imperij prærogatiua, magnaque ex cauſa ius, faſque eſt Principi, ſuſcitare finitā iudicato litem, eiuſque cōcedere remiſsionem, quam, *gratiæ*, nuncupant Pragmatici, vtentes in eam rem *textu in l. Diui 17. in fin. princ. D. de pœnis. cap. Tum ex litteris 4. verſic. Et ſecundùm iura ciuilia, de in integr. reſtit.* iuncto tranſcripto fere illic,

illic, &, vulgari nondum, loco Vlpiani *in l. Minor* 18. §. *Sed & Percennio* 2. *D. de minor.* Et apud nos expreſſum magis *Regia l.* 4. *tit.* 24. *part.* 3. illic: *Fueras ende ſi el Rey le quiſieſſe facer merced, como Señor.* De quo tamen, & exercenda non niſi perrarò, & parciſsimè, vt *in dict. l. Minor* 18. §. 1. contra res iudicatas hac Summi Imperij prærogatiua, maximè poſt nouiores Regias Conſtitutiones, quibus reuiſio hæc, quæ *gratiæ* exteris eſt, facta veluti eſt *iuſtitiæ* apud Nos, certiſque conditionibus conceſſa, & redacta ad formam ordinarij moris, & iuris ſub nomine *ſecundæ ſupplicationis. l.* 1. *&* 7. *& paſsim tit.* 20. *& l.* 4. *&* 11. *titul.* 17. *lib.* 4. *compil.* Fus è poſt Menochium, Valaſcum, Caualcan. Maſtrill. & alios Caſtillo *lib.* 7. *controu. cap.* 41. *ex num.* 126. *& ſeqq.* cui addendi Auendanius *de ſecunda ſupplicatione num.* 3. Baptiſta Coſta *de remed. ſubſid. remed.* 23. Vincent. Carroc. *de remed. contr. præiudic. except.* 107. *ex num.* 11. Antonin. Amato *lib.* 1. *reſol.* 6. *ex num.* 5. Gutierr. 3. *practic. quæſt.* 38. *num.* 25. Fr. Carraſco *tract.* 1. *de caſibus Curiæ num.* 187. Fontanella *deciſ.* 286. *& num.* 10. & ex politicis Chriſtoph. Beſold. 1. *tom. politic. diſſert. de iurib. Maieſt. cap.* 4. *num.* 8.

9 Sed redimus ad iudicatum de ingenuitate, neque in commune plura nunc de auctoritate, effectuve rei iudicatæ, qualia non pauca *noſtræ Academicæ ad eum tractatum recitationes* ſuggerebant. Illud certè huius loci, & legum noſtrarum, quod cum conſequenter iam traditis *in dict. l. Ingenuum* 25. & generali iuris regulæ, quę iuriiurando litis deciſſorio parem, maioremve auctoritatem tribuit, quàm rei iudicatæ. *l.* 1. *&* 2. *D. de iureiurand. l. Poſt rem* 56. *D. de re iudic. l.* 1. *D. Quarum rerum actio non detur*, & iuſiurandum inter patronum, & libertum de ingenuitate, vel libertinitate delatum, exęquetur rei iudicatæ, ita vt ei ſtandum ſit, ſiue ille ſe patronum, ſiue iſte ſe ingenuum, aut non libertum, iurauerit, vt Vlpianus idem ſcribit *in l. Adoptionum* 8. §. *Patronum* 1. *D. de in ius vocando. l.* 3. §. *Sed etſi de condit.* 2. *D. de iureiurand.* Et quidem eò vſque vt liberto iurante, ſe libertum non eſſe, non ſit poſtea patrono operarum petitio, aut contra tabulas bonorum poſſeſsio. *l. Eum, qui* 30. §. *Si libertus.* iuncta *l. Si duo* 13. *D. de iureiurand.* tamen in contrarium ad leges noſtras Iuliam, & Papiam Vlpianus *lib.* 5. definit, non eſſe habendum pro patrono, quoad ſuceſsionem liberti, patronum, iurantem ſe patronum, quia iuſiurandum patronum non facit; aliter atque ſi patronum eſſe, iudicatum ſit, quia tunc ſententiæ ſtandum eſſe, affirmat *in l. Iurauero* 14. *D. de iure patron.* Nec diſsimiliter Vlpianus idem non habet pro patrono patronum iurantem, quoad caput illud Iuliæ legis: ne liberta patrono nupta, invito eo, alij nubat. *lib.* 3. *ad leges noſtras in l. In eo* 45. §. 1. *D. de ritu nupt.* Quæ poſtrema non modò pugnant cum exæquatione iudicati, & iuriſiurandi etiam quoad patronatum, ſiue ingenuitatem. *d. l. Adoptiuum* 8. §. 1. Sed & magis ſpecialiter cum regula, & ratione correlatorum; nam cum libertus iurans, ſe libertum non eſſe, ſic pro ingenuo habeatur, vt excludatur patronus ab operis, & ſucceſsione. *dict. l. Eum, qui* 30. §. *Si libertus*, relationis ratio exigebat, vt & patronus iurans, ſe patronum, eſſet pro patrono, etiam quoad ſucceſsionem liberti, & retentionem libertę in connubio, contra *dict. l.*

Si

Si iurauero 14. *dict. l. In eo* 45. §. 1.

10 Sed omiſſa ſententia Bartoli, Fulgoſijque, & ex noſtratibus Gregorij Lupi *ad l.* 15. *gloſſ.* 7. *tit.* 11. *part.* 3. affirmantis, iurantem non haberi pro patrono, quoad ſucceſſionem, ne libertus iuramenti delatione, ſibi teſtamenti factionem abſtuliſſe, videretur, quod tamen rectè Iaſon refellit in *dict. l.* 30. §. *Si libertus, ex l.* 3. §. *Sed etſi, de conditione, D. de iureiurand.* Omiſſa, & alia eiuſdem Iaſonis, & non diſsimilis argutiæ Fabri, ratiocinantium inter iurandi formulam, ſe libertum non eſſe quæ, ſiue, quia negatiua, ſiue quia facti, omnia iura patronatus excludat, & illam, ſe patronum eſſe, quæ tamquam iuris, & affirmatiua non infert neceſſariò, habendum in omnibus pro patrono, & proinde nõ quoad ſucceſsionem, quas tamen diſtinctiones acuminatas magis, quàm certas convincit ſatis eadem *lex Si iurauero* 14. quæ in illa ipſa formula, patronum eſſe, ſi talem eſſe iudicatum ſit, oſtendit, pro patrono habendum, etiam quoad ſucceſsionem, aliter atque ſi iuratum eſſet, cum tamen iudicatum non magis, quàm iuramentum operetur, niſi in his, quæ neceſſariò ex iudicato inferuntur. *l. Si inter* 15. *D. de except. rei iudic. l. Diui* 27. §. 1. *verſic. Rectè, D. de liber. cauſa.*

11 Diſtinguimus potiùs, & agnoſcimus differentiam, vt Albericus *in dict. l. Si iurauero* 15. vocat notabilem in hac re, inter iudicatum, & iuſiurandum, pro patronatu contra ingenuitatem. Quippe quamvis ſi, patrono litigante, aut iuſiurandum deferente, iudicetur, aut iuretur pro ingenuitate, nempe ingenuum eſſe, ſiue abſolutè quod idem eſt, libertum non eſſe, par ſit auctoritas iudicati, & iuramenti, pro ingenuo habeatur, excluſo in omnibus patrono, etiam quoad operas, & ſucceſsionem. *dict. l. Ingenuum* 25. *dict. l. Eum, qui* 30. §. *Si libertus*, iuncta electa conſtitutione *l. Cum proponas* 6. *Cod. de rebus cred.* Cuius ſpeciem, alioquin obſcuram, exhibent clariorem Baſilica *lib.* 22. *tit.* 5. tamen ſi contra ingenuitatem iudicetur, iureturve, nempe patronum eſſe, maior eſt iudicati auctoritas, quàm iuramenti, quia iudicatum omnimodò patronum facit, etiam quoad ſucceſsionem, & reliqua patronatus iuri annexa. *dict. l. Si iurauero* 14. *l. Sæpe* 63. *verſ. Nam etſi libertus, D. de re iudic.* Iuramentum autem non facit, vt pro patrono habeatur, niſi quoad perſonam, & rem, de qua cum controuerſia eſſet, iuratũ eſt, vt putà quoad libertum ipſum de operis, vel de obſequio. *l. Iuſiurandum* 34. *verſ. Etiam, D. de iureiurand. dict. l. Adoptiuum* 8. §. 1. non autem quoad ſucceſsionem liberti; de qua viuo liberto nec controuerti, nec iurari potuit, multòque minùs quoad liberti ſucceſsionem ex lege Papia cũ liberti filijs. §. *Poſtea verò Inſtit. de ſucceſſ. lib.* (ad quam ſucceſsionis ſpeciem, Vlpianum referri, ſuadet inſcriptio *dict. l. Si iurauero* 14.) ſicut nec quoad ademptionem connubij libertæ ex lege Iulia. *dict. l. In eo* 45. §. 1. Concinit Iuſtinianica de iure patronatus conſtitutio, quæ iurantem patronum, non niſi quoad obſequium liberti pro patrono habet, in *l.* 4. *Cod. de bonis lib.* reſtituta ex Baſilicis *lib.* 49. *tit.* 1. à Cuiac. 20. *obſeru. cap.* 34. concinit & inſignis lex noſtra, differentiam hanc inter iudicatum, aut iuratum, eſſe libertum, propriè ſtabiliens. *l.* 15. *verſ. E aun dezimos, tit.* 11. *part.* 3.

Dif-

12 Differentiæ ratio nondum fortaſſe ſatis explicita, petenda non tam ex ingenuitatis fauore; certè non eſt ex eo ſolo, quod Cuiacij ſuffugium fuit, *in dict. l. 14. & lib. 18.* Pauli *ad edictum in dict. l. Eum, qui 30. §. penult.* ſed ex reali, vt ſic loquamur, diſcrimine inter iudicatum, & iusiurandum. Quippe in iſto ſiue libertus iusiurandum patrono ſponte detulit, ſiue ab eodem ſibi delatum, referre eidem, maluit, voluntaria liberti delatio, ſeu relatio fuit, qui potuit, vel patrono non deferre, vel ipſe iurare potiùs, quàm referre, nec adverſarium ſui ſtatus, & cauſæ iudicem facere, ſua veluti, & voluntaria conventione, quæ delationi iurisiurandi ineſt. *l. 1. D. quarum rerum actio non detur. l. 2. l. Qui iuraſſe 26. §. vltim. D. de iureiur. l. 5. §. vlt.* iuncta *l. 6. §. 1. D. quib. mod. pign. ſolu.* Quocirca cum libertos, ingenuoſve, ſtatui ſuo præiudicare, proprio pacto, confeſsione, aut profeſſione, ius non patiatur. *l. Conuentio 37. D. de liber. cauſa. l. Tranſactione 26.* iuncta *l. vltim. Cod. de tranſact. l. Nec ſi volens 6. l. Liberos 10. l. Nec omiſſa 15. l. Parentes 22. l. Nec interrogatam 24. l. Liberos 39. Cod. eodem tit.* quamuis ab eo iure, & regula recedatur, patrono ex delatione liberti iurante ſe patronum, vel illum libertum ſuum eſſe (inter quæ non diſtinguo) quia ea delatione, & iuramento præiudicatur ſaltem liberto, & cauſæ, de qua iuratum eſt, præualente hactenus iurisiurandi, religionis auctoritate ingenuitatis fauore. *dict. l. Adoptiuum 8. §. 1.* illic: *Patroni hic accipiendi ſunt.* Et poſtea, *aut ſi iuraui, eum libertum meum eſſe. dict. l. Iusiurandum 34. verſic. Etiam.* Tamen extra eam cauſam, & quoad alios, nec iuramentum patrono prodeſt, neque his pręiudicat, ideoque nec filio liberti, vt cum eo, tamquam filio liberti centenarij, & quaſi patronus, qui iurauit, concurrat in ſucceſsione ex lege Papia. *dict. l. Si iurauerò 14.* neque extraneo obſtat, quominùs libertam, contra quam patronus iurauit, ducat vxorem, tamquam non libertam, ſiue impedimento prohibitionis patroni, ex lege Iulia. *dict. l. In eo 45. §. 1.* nimirum, quoniam vt ſcriptum eſt in *dict. l. 14. Iusiurandum patronum non facit*, ſaltem abſolutè, & quoad alios, vtpotè pendens ex voluntaria delatione liberti, adverſarium ſui ſtatus iudicem facientis, quod non magis nocere alijs, debet, quàm ſi ingenuus colludens, ſe libertum pronunciari, pateretur, argumento *ex l. Si libertinus 4. D. de colluſ. deteg.* iuncta *l. Eum, qui 30. §. In popularibus, D. de iureiur.* vel ſi iuſtus alioquin, & principalis contradictor luſoriè, aut parùm rectè defendens vincatur, ei enim victoria nocet, non alijs. *l. Diui 27. §. 1. in princip. & verſic. Rectè, D. de liber. cauſa. l. Qui repudiantis 17. §. vltim. l. Si ſuſpecta 29. D. de inoffic. l. 5. §. 1. & ſeqq. l. Si perluſorio 14. D. de appellat. l. Si ſeruus 50. §. 1. & 2. Digeſt. de legatis 1.* ſiue non magis denique, quàm ſi compromiſiſſet, aut tranſegiſſet, vt in eleganti ad rem textu *in l. Si dictum 56. §. 1. D. de euict. l. 5. §. Sed etſi in fraudem, D. de appellat.* præſertim cum ſucceſſio patroni, & concurſus cum filio liberti ex lege Papia, ſit fere odioſa, & correctoria antiqui iuris Prætorij, & duodecim tabularum, quo attento filius liberti excludebat patronum, *princip. Inſtit. & §. 1. de ſucceſſ. lib.* ſicut & odioſa cenſenda coarctatio connubij libertę invito patrono, argumento ex *l. Hoc modo 64. D. de condit. & demonſtr.*

13 Diuerſum porrò eſt in iudicato, ſcilicet, ſi patronum eſſe, iudicatum ſit, quod nullam voluntariam cauſam habet, quin potiùs neceſſariam iudicij accepti, ſeu conteſtati, quod ex neceſsitate etiam ab auctore liberto ſuſcipitur. *l. vltim. D. de ſeparat. l. Defenſor* 22. *D. de tutel. & ration. diſtr. h.* & in inuitum redditur. *l. Inter* 83. §. 1. *D. de verb. oblig.* vnde & conventio, ſeu contractus iudicij accepti, & nouatio, inde iudicato perfecta, tamquam neceſſaria à voluntaria diſtinguitur. *l. Aliam* 29. *D. de nouat.* iuncta *l.* 3. § *Idem ſcribit, D. de pecul. o. l. Poſt mortem* 5. *D. quando ex facto tutor.* nec libertus de ſtatu litigans iudicem ſponte fecit eum, qui pro patrono pronunciauit, imò nec potuit, ſed neceſſaria, & publica iudicantis, & iudicati auctoritas fuit. *l. Non diſtinguemus* 32. §. *de liberali, D. de recept. & qui arbitr. l. vltim. Cod. vbi cauſa ſtatus.* iuncta *l.* 3. *Cod. de iuriſdict. omn. Iud.* Proinde nec mirum, vt iudicato, ſiue ſententiæ pro patrono contra libertum, iuſtum, & principalem contradictorem, nec voluntariè litigantem, nec colludentem, ſtetur etiam quoad ſucceſsionem, & reliqua, ex patronatu pendentia. *dict. l. Si iurauero* 14. *in fine.*

14 Subnectimus nobilem aliam iuriſiurandi, & iudicati differentiam, & quidem primo aſpectu remotiorem, & oppoſitam, ſed effectu eiuſdem cum propoſita rationis, & fili, ideoque ei firmandę appoſitiſſimam, ex *tractatu de conditione indebiti.* Quippe in eo tractatu ius certum, & apertum eſt, verum debitorem, iudicato abſolutum, ſi poſtea ſolvat, repetere non poſſe. *l. Iulianus* 60. *l. Iudex* 28. *D. de condict. indeb. l. Si Procurator* 8. §. 1. *in fin. D. ratam rem hab.* Et è contrario perinde certum, tametſi ignotius eſt, verum debitorem, deferente adverſario, iurantem, ſe dare non oportere, ſi deinde id ipſum ſolvat, repetere poſſe, vt indebitum. *l. Si quis iuraſſet* 43. *D. de condict. indeb. l. Si quis cum debitore* 39. *cum l. ſeq. l. vltim. D. de iuretur.* ac proinde quoad effectum repetitionis indebiti, maiorem eſſe auctoritatem iuriſiurandi, quàm iudicati, contra quàm *in dict. l. Si iurauero* 14. *D. de iure patron.* Differentiæ ratio immediata, vt ita loquamur, & proxima, exprimitur eiſdem locis, nempe quia verus debitor abſolutus, adhuc natura debitor permanet, quoniam ſententia, ſeu res iudicata, qua abſolvitur, non tollit naturale debitum, quod & ſatis eſt, ne repetat tamquam indebitum. *dict. l. Iulianus* 60. *verſ. Licet.* iuncta *l. Naturaliter* 13. *l. Si pœna* 19. *l. Si quod dominus* 64. *D. de condict. indeb.* Vero autem debitore iurante, ſe non debere, etiam naturalis obligatio tollitur. *dict. l. vltim. D. de iureiurand.* illic: *Naturalis obligatio hac pactione tolletur. l. Stichum* 95. §. *Naturalis* 4. *D. de ſolut.*

At rurſus ſi quæſieris, cur non perinde poſt iuſiurandum, ac poſt abſolutionem veri debitoris, naturale debitum maneat, vel extinguatur, rationis ratio hæc ſubeſt, expreſſa itidem Iuriſconſultis, & ſupra ſtabilita, quia iuriſiurandi delatio, aut relatio, voluntaria omnino, & libera, per quam quis aduerſarium, cui iuſiurandum defert, aut refert, iudicem cauſæ ſponte facit. *l.* 1. *D. quar. rer. act. non detur;* operatur, vt creditor, iuſiurandum debitori deferens, cenſeatur, conuenire, vt diſcedatur ab omni controuerſia, ſi iuratum ſit, & proinde etiam à naturali obligatione, ideoque 15

que & ea ipſo iure perimitur, vi conventionis iuſtæ, quæ ineſt iuriiurando. *dict. l. Si quis cum* 39. *cum l. ſeq. dict. l. vltim.* illic: *Id actum inter eos, vt ſi iuraſſet, ſe dare, non oportere, ab omni conditione diſcederetur. D. de iureiurand.* ſiue, *ab omni contentione diſcederetur*, vt tametſi ringentes corrigunt, rectè Hotman. *lib.* 4. *obſeru. cap.* 15. P. Faber 2. *ſemeſtr.* 6. *& lib.* 3. *cap.* 24. Hillig. *ad Donell. lib.* 24. *cap.* 15. *litt. C.* ſuffragantibus *Baſilicis lib.* 22. *tit.* 5. *in d. l. vltim. dict. l. Si quis iuraſſet* 43. *D. de cond. indeb. dict. l. Stichum* 95. *§. Naturalis* 4. vel vi, & iure ſatisfactionis, pro qua iuſiurandum cedit, & quæ vtcumque, & qualiſcumque, ſit, imputet ſibi creditor, qui iuſiurandum vltro deferens, talem admiſit. *l.* 5. *§. vlt.* iuncta *l.* 6. *§.* 1. *D. quib. mod. pign. ſolu. l. Si rem* 9. *§. Omnis, D. de pignor. act.*

16 E converſo, in debitore per ſententiam, ſeu rem iudicatam abſoluto, nulla voluntaria conventio, aut vltronea remiſsio obligationis naturalis eſt, quæ creditori imputari poſſit, quia conventio illa tacita iudicij accepti, ſeu conteſtati, quamvis ſit ſtandi iudicato, & diſcedendi à controuerſia, *l.* 3. *§. Idem ſcribit, D. de pecul.* iuncta *l. Stipulatio* 21. *§.* 1. *D. de oper. nou. nunciat.* Eſt tamen involuntaria, & neceſſaria, etiam ex parte actoris, non ſponte, ſed ex neceſsitate iudicium dictantis. *l. vltim. D. de ſeparat. l. defenſor* 22. *D. de tutelæ, & ration. diſtrah.* nec pro ſatisfactione etiam pro creditore iudicatum cedit. *l. Grege* 13. *§. Etiam in fin. D. de pignorib.* Ideoque ſicut creditor non cēſetur iura, acceſsioneſque actionis in iudicium deductæ remittere, & in caſum, ſiue aleam iudicati transferre, ſed potiùs retinere, quatenus iudicij accepti neceſsitas patitur. *dict. l. vlt im, & dict. l. Defenſor* 22. *dict. l. Grege* 13. *§. Etiam. l. Aliam* 29. *D. de nouat. l. Non ſolet* 86. *cum l. ſeq. D. de reg. iur. l. vnic. Cod. etiam ob Chirographar. pecun.* ita & multò minùs remittere naturalem obligationem, quę, vtpote non neceſſaria, imò neque vtilis iudicio dictando, quia actionem non parit. *l. Naturales* 10. *D. de obligat. & act. l. Fideiuſſor* 16. *§. Naturales* 4. *D. de fideiuſſ.* in litem, ſeu iudicium, & iudicati caſum translata, non creditur. Vt eleganter in re ſimili Papinianus. *l. Eo tempore* 50. *§. Etiam*, illic: *Quia naturalis obligatio, quam etiam ſeruus ſuſcipere, videtur, in litem translata non eſt, D. de peculio.* iunctis *l. Cum quis* 38. *§. de peculio. l. Egiſti* 84. *D. de ſolutionib. l. Græcè* 8. *§. Et poſt litem, D. de fideiuſſor. l. Si cum argumentum* 21. *§. vltim. D. de except. rei iudic.*

Conſtat itaque, potiorem eſſe, quoad effectum naturalis obligationis, & repetitionis, auctoritatem iuſiurandi, quàm iudicati; & è contrario maiorem huius, quàm illius, quoad iura ingenuitatis, & patronatus, de queis in *dict. l. Si iurauero* 14. ſed vtrumque eadem in contrarium ratione, vt Papinianus alibi loquitur, in *l. Mortis* 53. *verſic. Diuortij, D. de donat. inter*; nimirum quia in diſſolvenda naturali obligatione, quæ conſenſus, & ęquitatis vinculum eſt, plus merito operatur voluntaria iuſiurandum deferentis conuentio, quàm ciuilis, & neceſſaria iudicij, & iudicati, argumento ex *dict. l. Stichum* 95. *§. Naturalis* 4. *l. Eas* 8. *D. de capite minut.* At in iuribus patronatus, & libertinitatis, quæ ex conſenſu, diſſenſuve liberti non pendent, præſertimque quoad alios, quibus præiudicare, ille non poteſt, plus merito tribuitur ciuili, 17

&

& publicæ auctoritati iudicati, quàm priuatæ, & voluntariæ delationi iuriſiurandi. *l. Non diſtinguemus* 32. §. *De liberali* 7. *D. de receptis, & qui arbitr. l. Conuentio* 37. *D. de liber. cauſa.*

18 Conſtat itidem ex propoſitis, abnormem eſſe, nec vel in hoc tranſcurſu diſsimulandam, exæquationem illam debitoris iurantis, & abſoluti, & rationem decidendi, ſeu confirmationem petitam à iudicato ad iuſiurandum, apud Triphoninum, *in l. Si deferente* 13. *D. quib. mod. pignus ſolu.* niſi ſanè, & ſobriè explicetur, referaturque ad effectum liberationis pignoris, per exceptionem iuriſiurandi, aut iudicati, ita vt Deciſio ſit; Debitore iurante, ſe non debere, quamvis adhuc ciuiliter ipſo iure obligatus maneat. §. *Æquè* 4. *Inſtit. de except.* & naturalis ſola tollatur. *dict. l. vltim. D. de iureiur. dict. l. Stichum* 95. §. *Naturalis* 4. tamen ſicut ciuilis obligatio in perſona ipſius per exceptionem, ita & pignus per eamdem tollitur, ſeu liberatur. *dict. l. Æquè* 4. *dict. l. Si deferente* 13. *l. Iuſiurandum* 40. *D. de iureiur.* Confirmatio autem eſt à fortiore, & difficiliore, ſiue à maiore ad minus, quia vero debitore abſoluto, quamvis non tantùm ciuilis, ſed etiam naturalis obligatio permaneat, *dict. l. Iulianus* 60. §. *Item ſi in iudicio* 5. *Inſtit. de except.* tamen ſicut ciuilis, ita & pignoris obligatio eliditur per exceptionem iudicati. *dict. l. Si deferente* 13. quod certè difficilius, & ſingulare fuit; quoniam manente naturali obligatione, etiam poſt ſublatam ciuilem, ſubſtineri pignus ſolet. *l. Debitor* 59. *D. ad S. C. Trebell. l.* 2. *Cod. de luitione pignor. l. Quæſitum* 14. §. 1. *D. de pignorib.*

19 Sed & omiſſa non diſsimili differentia inter iuſiurandum, & iudicatum, quæ elicitur ex *l. Si ſeruus* 20. §. *vltim. cum l. ſeq. D. de dolo,* duo ſaltem Parerga, ſuperioribus proxima, nec omittenda ſine noxa, adiungimus: primum, cur, cum res iudicata, vt ad leges noſtras Vlpianus definit, habeatur pro veritate, contra quam nec quæſtioni, nec replicationi locus ſit. *l. Seruo* 65. §. *Cum Prætor, D. ad S. C. Trebell. l. Poſt rem* 56. *D. de re iudic.* adeo vt & ſi iniuſtè iudicatus, & condemnatus ſit, qui non debebat, non poſſit ſolutum repetere, quaſi indebitum. *l. Si fideiuſſor* 29. §. *In omnibus, D. mandati. l.* 1. *Cod. de condict. indeb. l.* 2. *Cod. de compenſat. l. Cum putarem* 36. *D. famil. herciſc. l. de qua re* 74. §. *vltim. D. de iudic.* Liceat tamen contra verum debitorem, per rem iudicatam abſolutum, & tamquam indebitum, quod ſolvit, repetentem, refricare, & obijcere exceptionem naturalis debiti, ſiue doli, vt *in l. Si Procurator* 8. §. 1. *in fine, D. ratam rem hab.* atque ita impugnare, & infringere vim, veritatem, auctoritatemque iudicati, contra *d. l. Seruo* 65. §. *Cum Prætor.* Secundum eſt, cur exceptio rei iudicatæ cum & perpetua ſit, & renitantur licet Accurſiani, etiam fauorabilis, §. *Item ſi in iudicio* 5. *Inſtit. de except.* iuncto *dict.* §. *Cum Prætor, l. Singulis* 6. *D. de except. rei iudic.* non proficiat debitori abſoluto ad repetitionem, tamquam indebiti, ex regula *l. Si non ſortem* 26. §. *Indebitum. l. Qui exceptionem* 40. *D. de cond. indeb.* & quidem etiamſi naturaliter debitor permanſerit, ſicut proficit Velleiani exceptio mulieri ad repetionem *dict. l. Qui exceptionem* 40. *l. Quamuis* 8. §. *Interdum. l. Paulus* 31. *D. ad S. C. Velleian. l. Quamuis* 10. *Cod. eodem. l. Stichum,* §. *Aditio in fine, D. de ſolut.* quantumuis na-

naturaliter obligata ſit, & maneat, vt rectè, ſuccenſente vt cumque Cuiacio *lib.* 30. *Pauli ad edictum in l.* 7. *D. de S. C. Maced.* docuit Accurſius *in l. Quia* 10. *D. de S. C. Macedon.* &, poſt Accurſium, Anton. Hering. *de fideiuſſor. cap.* 7. *num.* 526. Anton. Faber *in ration. dict. l. Quia* 10. *& dict. l. Qui exceptionem* 40. Hillig. *ad Donell. lib.* 12. *cap.* 2. *litter. P.*

20 Cæterùm priori quæſito ſit ſatis, reſpondeturque, nouè forſitan, ex nuper traditis, nempe quòd cum naturalis obligatio, tamquam inefficax actioni, & iudicio dictando, non cenſeatur deducta in litem, ſeu iudicatum. *dict. l. Eo tempore* 50. *§. Etiam, D. de pecul.* neque cenſetur iudicatum de naturali debito, ſeu non deberi naturaliter, quoties debitor abſolutus eſt, vtpote cum ex eo debito, etiamſi deberi, conſtet, nec conveniri, nec damnari iudicio poſſet. *l. Naturales* 10. *D. de obligat. & act.* iuncta *l. Si pupilli* 6. *§. vltim. verſic. Certè, D. de negot. geſtis*; quocirca neque impugnat iudicatum, qui debitori abſoluto, tamquam indebitum repetenti, objicit exceptionem naturalis debiti, de qua iudicatum non fuit: quomodò fere ſcripſit, aut ſenſit, Iacobus Butrigarius, & ex eo Bartolus eius auditor *in dict. l. Iulianus* 60. *num.* 5. Angelus *in l. Si Iudex* 11. *in princip. Digeſt. de his, qui ſui, vel al. iur.* Ad rem, nec tamen ſupra fori captum, ad altiorem iuris rationem ſe attollens, D. Salgado *in labyrintho* 3. *part. cap.* 1. *ex num.* 127. *&* 143. *& ſeqq.* quin potiùs ſalva, & ſuppoſita veritate, & auctoritate iudicati, ius ſuum alia, & diuerſa, non contraria via, tuetur contra dolum veri debitoris, ſicut è converſo non debitor, iniuſtè damnatus, quamvis tamquam indebitum non repetat, poteſt tamen alijs actionibus, aut replicationibus, ſententiæ iniquitatem non impugnantibus, vti, contra adverſarij dolum. *dict. l. Si fideiuſſor* 29. *§. In omnibus. l.* 2. *D. de condict. ſine cauſa. l. Rem* 21. *D. commod. l. Si ſponſus* 5. *§. Si vxor* 7. *D. de donat. inter. l. Lucius* 46. *§. Tutelæ* 5. *D. de admin. tutor. l. Seruus* 20. *§. vltim. l. Cum à te* 25. *l. Et eleganter* 7. *§. Si dolo* 9. *l. Quid enim* 14. *D. de dolo. l. Si ſine* 22. *§. Quòd ſi Procurator per Iudicem* 2. *Digeſt. ratam rem hab. l. Si fundus* 16. *§. Si pluris, D. de pignoribus.*

Secundo autem quæſito reſpondet propriè Faber *in ration. l. Si Iudex* 28. *& dict. l. Qui exceptionem* 40. *D. de condict. indebit.* exceptionem, auctoritatemque iudicati, quāuis perpetua ſit, & in fauorem abſoluti debitoris, non ſubniti naturali æquitate aliqua, quæ præponderet ęquitati naturalis debiti permanentis, ſed dumtaxat ciuili publicę vtilitatis ratione. *dict. l. Seruo* 65. *§. Cum Prætor*; & ideo non ſufficere ad repetitionem, contra naturale debitum. *dict. l. Iulianus* 60. iuncta *l. Eas* 8. *D. de capite min. l.* 3. *§. vltim. D. quod quiſque iuris.* Diuerſum in Velleiani exceptione, quæ, tametſi non perimat naturalem obligationem, nititur tamen naturali æquitate, fœminis ob imbecillitatem iudicij, & ſexus ſubveniente, eaque naturalis debiti vinculo oppoſita, vtcumque illud non ſolvat, aut ſcindat, remittit ſaltem & laxat, contraria veluti ęquitate, & locum facit repetitioni, argumento ex *dict. l. Stichum* 95. *§. Naturalis* 4. & firmare non diſsimili exemplo, licet, ex *l. Interdum* 29. *Digeſt. de condiction. indebit.* iuncta 21

l. Cum illud 25. §. *Hæres*, *D. quando dies leg. ced. l. vltim. D. de manum. vind.* Sed abſtinemus, ſatiſque fuerit, expoſuiſſe vel obiter *in tractatu dict. l. Iulianus* 60. & quidem, niſi fallimur, ex artis principijs non pauca, de quibus aliter veteres, & noſtrates nouiores; Claſsici *in dict. l. Iulianus* 60. *&* *in l.* 1. vbi Bart. *num.* 17. Alexand. 9. *&* 10. Iaſon 21. *D. de condict. indebit.* idem Iaſon *num.* 15. Fulgoſ. 13. Bald. 12. *&* 27. *in l. Cum quis* 10. *Cod. de iur. & facti ignor.* Duaren. *ad tit. de condict. indeb. cap.* 5. *&* 6. Hotman. *in epitom. ibidem n.* 6. Cuiac. 3. *quæſt. Pauli in dict. l. Iulianus* 60. *&* 8. *quæſt. Papin. in l. Hæc condictio* 66. *D. de condict. indebit.* Hillig. poſt alios *ad Donell. lib.* 14. *cap.* 12. Garſia *de nobilit. gloſſ.* 8. §. 1. *num.* 7. Petr. Barboſ. *in l. Diuortio* 8. §. *vltim. part.* 2. *num.* 60. *D. ſolut. matrim.* Pichard. *in princip. Inſtit. num.* 51. *de obligationib.* D. Gregorius Lop. Madera *animaduerſ. cap.* 14. D. Valentia *illuſtr. lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 8. *n.* 19. *&* *ſeqq.* Nouiſsimè, &, vel cum diſſentimus, noſter, ex animo, Don Ioſephus Retes *in opuſculis lib.* 8. *cap.* 18.

CAPVT XXII.

DE IVDICATO IN CAVSA STATVS PER Colluſionem.

AD VLPIANVM 1. *AD IVLIAM, ET PAPIAM. in l.* 4. *D. de colluſ. deteg.*

ARGVMENTVM.

IVdicato pro ingenuitate ſtandum, ſi iudicatum ſit cum contradictore, & cõtradictione iuſta. Interpretatio *l. Si ſeruus* 42. *D. de liber. cauſ.* Item *l. Sæpe* 63. *Verſ. Nam & ſi libertus, D. de re iudic.* Iudicatum de ſtatu matris, quatenus noceat, prosit ve fil.js. De contradictore abſente, *ad l. Diui* 27. §. 1. *D. de liber. cauſ.* expolitus electus locus *in l. Si dolo* 24. *D. de dolo.* Fit ex his gradus *ad l.* 4. *D. de colluſ. detegend.* Cuius ratio illuſtrata in commune, & ſpeciale ius iudicari perluſorij de ſtatu. De obſcura illa aſſertione, *eſſe quaſi libertinum in quibuſdam cauſis*, ſingulares cogitationes.

1 ENim verò definitio illa, ſeu regula de re iudicata, de ſtatu habenda, etiam quoad alios pro veritate, ex dicta *l. Ingenuum* 25. *de ſtatu homin.* eget vno, perpetuoque temperamento, ex ratione regulæ eiuſdem deducto, & à quo & alia profluunt; nempe ſi iudicata ſit contradicto iudicio cum legitimo, ſiue iuſto contradictore, cuius ex iure tamquam principali, aliorum circa ſtatum iura veluti conſequentia, aut acceſſoria pendent, vt diximus *ſuperiore Capite.* Ergo & hinc in primis deducitur, iudicatum pro ingenuitate cum alio, quàm vero patrono, contradictore, inefficax eſſe quoad alios, perinde ac ſi iudicatũ non eſſet, *l.* 3. *D. de colluſ. detegen. l.* 1. *C. de ingen. manum.* iuncta *l. Duob'* 30. *D. de liber. cauſa. l.* 1. §. *denunciaui* 14. *D. de inſpic. ventre. l. Si ſui* 7. §. *Iiſdem*, *D. de accuſat.* nec obſtare patrono vero, quominùs ſine præſcriptione quinquennij, quæ iudicatum pro ingenuitate retractantibus oppo-

opponi ſolet. *l.* 2. *D. de colluſ. deteg. l.* 2. *D. de iure aur. annul. l. Qui de libertate* 29. §. *vltim. D. de liber. cauſa*, retractare ſententiam poſsit. *l.* 1. *l. Patronum* 5. *D. ſi ingenuus eſſe, dicetur.*

2 Vnde enucleanda eſt, obſcura alioquin, quęſtio, & ſententia Labeonis, & Iauoleni *in l. Si ſeruus* 42. 42. *D. de liberali cauſa.* Vbi proponitur: ſi ſervus emptus, contradicente emptore, liber iudicatus ſit, & poſtea eiuſdem ſervi dominus emptorem hæredem reliquerit, poſſe eum ab emptore denuo peti, ſeu reuocari in ſeruitutem, nec obſtituram rei pro libertate iudicatæ exceptionem. Ratio autem ſuboſcuræ aſſertionis non ea eſt, quam Accurſius illic obtrudit, & eum ſecutus Baldus *num.* 8. *in dict. l. Ingenuum* 25. ſcilicet, quòd *in dict. l. Si ſeruus* 42. non iudicatum, ſeu pronunciatum ſit, liberum eſſe, ſed ſervum illius, qui emerat, non videri, iuxta terminos *l. Diui* 27. §. 1. *verſ. Recte, D. de liber. cauſa* (id enim ſi ita eſſet, non diceretur perperam iudicatum pro ſeruo, vt ſcriptum eſt in *dict. l.* 42. quin potius rectè iudicatum, quia verè emptoris ſeruus non erat; ac præterea cum iudicium fuerit proclamationis in libertatem, & emptor, qui pro domino tunc erat, non proponatur, defuiſſe cognitioni, *in dict. l.* 42. ſuadet iuris ratio, pronunciatum fuiſſe, liberum eſſe, & exprimunt apertè *Baſilica in Scholijs* κατὰ πόδας, *lib.* 48. *tit.* 8. *in dict. l.* 42. ita: *Et Iudex perperam pronunciauit, liberum eſſe*) ſed ea potius ratio eſt, Alberico non ignorata, in *l.* 1. *D. ſi ingenuus eſſe, dic*; quia emptor, contra quem pro ſervo iudicatum eſt, liberum eſſe, non fuit iuſtus contradictor, vtpote qui à non domino emerat, vt & *Baſilica* exprimunt: & ideo ſicut ea res iudicata verò domino non obeſſet, *dict. l.* 1. & *l.* 5. *D. ſi ingen. l.* 3. *D. de colluſ. deteg.* ita neque ipſi emptori ex nouo hæreditario iure, aut alio ſimili, rem retractanti: argumento *ex l. Si mater* 11. §. *Eandem* 4. *l. Si is, qui* 25. *D. de except. rei iudic.*

3 Proxima, & conſentanea propoſitis, magis, quàm contraria eſt deciſio illa Pauli *in l. Sæpe* 63. *verſ. Nam etſi libertus, D. de re iudic.* quæ docet, præiudicare mihi patrono rem iudicatam, *ſi libertus meus, me interueniente, ſeruus, vel libertus alterius iudicetur.* Et quidem interveniente, non modò defendendo, ſed etiam dumtaxat ſciente, & patiente, vt priora exempla *dict. l. Sæpe* 63. ſuadent, & in eadem quæſtione optimus *textus in l.* 4. §. *Idque, verſ. Quæ conſtitutio, D. de appellat.* & confirmant *Baſilica*, quæ quamvis ex Latino textu *dict. verſ. Nam etſi libertus*, alioquin nonnihil diſcrepantia, tamen pro verbis illis, *me interueniente*, in *dict. l.* 63. *lib.* 9. *tit.* 3. reddunt, *me ſciente.* Denique & *Regia noſtra lex* 20. illic: *E lo ſupieſſe, tit.* 22. *part.* 3. quo ſuppoſito apparet, ideo ſcienti patrono præiudicare ſententiam de ſtatu contra illius libertum, quia quamvis patronatus iuris defenſio principaliter patrono incumbat, in quo ille primus, iuſtuſque contradictor eſt. *l.* 1. *Cod. de ingen. manum. l.* 1. *D. ſi ingen. eſſe dic.* cum tamen id ius pendeat ex perſona, & ſtatu liberti, quem de ſtatu cum alio litigare, patronus ſcit, & patitur, nec aſsiſtit liti ſaltem, vt poſſet. *l. Principaliter* 19. *Cod. de liber. cauſa. l.* 3. §. *vltim. cum l. ſeq. D. eodem tit. cap. cum ſuper* 17. *de ſent. & re iudic.* cenſentur, ſuum ius remittere, aut ſubmittere iudicato contra libertum. *d. l. Sæpe* 63. *verſ.*

Cur

Cur autem. cap. penult. de ſentent. & re iudic. Planè à contrario ſenſu ſignificatur *in dict. l. 63. verſic. Nam etſi libertus*, non præiudicaturam patrono ignoranti ſententiam de ſtatu liberti, id, quod conſequens eſt ſuperioribus, vtpote cum lata ſit ſine iuſto contradictore. *l. Patronum* 5. illic: *Quo ignorante res iudicata eſt. D. ſi ingen. eſſe dic. l. 4. D. de liber. cauſa. dict. cap. Cum ſuper* 17. *de ſent. & re iudic.* Atque hęc vera, & ſincera explanatio eſt, communiori Doctorum ſenſui, & Regio iuri ſeptempartito congruens. *d. verſ. Nam etſi libertus*, tametſi de eo aliter, operoſèque poſt alios, & præcipuè Alexandrum, *in d. l. Sæpe 63. num.* 100. & Pontificios *in d. cap. Cum ſuper* 17. noſter Prçſes Couarruuias *in practicis cap. 13. num.* 9.

4 Deinde & illud traditis apprimè convenit, iudicatum de ſtatu matris, & contra illius libertatem, nocere filijs poſt litem, ſiue in lite natis, quorum fortuna, & ſtatus à matre, tamquam principali, pendet, non autem natis ante litem, quoniam hi de ſuo ſtatu principales contradictores ſunt, & ſuo nomine in litem vocandi. *l. vltim. cum l. Principaliter* 19. *Cod. de liber. cauſa. l. Si vſumfructum* 23. *§. vltim. D. eod. titul. l. 2. Cod. de libertis, & eor. liber.* iuncta in ſimili *l. Si quis cum totum* 7. *§. Si ancillam. & §. de fructibus* 3. *D. de except. rei iudic.* ad quas alia nouiores: & tamen è contrario iudicatum pro ingenuitate matris, proficit etiam liberis, ante litem de ſtatu editis. *l. Si auiam* 3. *Cod. de ingen. manum.* nimirum quoniam, fauorabilius, & proinde facilius eſt, vt ex alieno fato, vel facto melior conditio noſtra fiat, quàm vt deterior, ex ratione *l. Soluendo* 39. *in fine, D. de negot. geſtis*, iuncto ad rem proprio exemplo *l. Denunciaſſe* 17. *§. vltim. verſ. Expectabit, D. ad leg. Iul. de adulter.*

Altera eiuſdem temperamenti velutio acceſsio eſt, ſi iudicatum de ſtatu ſit non modò cum contradictore, ſed etiam cum contradictione iuſta. Cæteroquin ſi quamvis contradictor iuſtus fuerit, contradictionem tamen iuſtam non fecerit, ſiue quia defuit cognitioni, & controuerſiæ de ſtatu, ſiue quia quamvis præſens colluſit, aut luſoriè cauſam egit, non facit ius quoad alios res, ſic iudicata. *l. Si te* 7. *Cod. de ingen. manum. l. Arrianus* 27. *C. de liber. cauſa.* iuncta in ſimilibus ſpeciebus regula *l. Qui repudiantis* 17. *§. vlt. cum l. ſeq. D. de inoffic. l. Si ſeruus* 50. *§. 1. & 2. D. de legat. 1. l. 5. §. 1. & l. Si perluſorio* 14. *in princip. & §. 1. D. de appellat. l. Si ideo* 55. *D. de euict. l. Præſes* 5. *Cod. de pignorib. l. Eum, qui* 30. *§. In popularibus, D. de iureiurand.* Pertinet ad priorem partem contradictoris abſentis notus locus Vlpiani *in l. Diui* 27. *§. 1. D. de liber. cauſa*, de quo multa accuratè, poſt magnum Prçſidem, ex eodem Collegio, & Senatu, noſterque olim Salmanticę, virtutis ergo, & ſine affectus, & æſtimationis damno, agoniſta, D. Martinus Larriategui *lib. 6. ſelectar. cap. 2. ex num.* 7. Illud indictum adhuc addimus, nempe exceptionem illam propoſitam *in d. l. Diui* 27. *§. 1. verſ. Quod ſi ex ſeruitute*, vt etiam abſente contradictore aſſerentis ſe ex ſeruitute in ingenuitatem, poſsit ex magna cauſa, & euidentibus probationibus cognoſci, & pronunciari ingenuum, videri, pertinere etiam ad caſum, quo quis ex libertate in ſeruitutem petitur. *l. 4. Cod. de liber. cauſa.* iuncta in ſimili ſpecie, & *ex eodem libro* Vlpiani *ſecundo de officio Conſulis*,

ex quo *dict. l. 27. l. Circa 14. in fine, D. de probation.* ac præterea rem ita, abſente iuſto contradictore, iudicatam pro ingenuitate, ius ſic omnino facere, vt neque ab ipſo, neque ab alio retractari poſsit, Couarruuiæ noſtro ad notatum *in pract. cap. 13. n. 5. verſ. Quartò*, ex ſententia *d. l. 27 §. 1.* firmamus nos electo, & inuulgato ad rem teſtimonio eiuſdem Vlpiani *in l. Si dolo 24. D. de dolo*; vbi *ſi dolo eius, qui verba faciebat pro eo, qui de libertate contendebat* (hoc eſt, vt rectè Faber *in rationali* poſt Cuiacium illic, ſecũdùm vetus ius exaudiuit, dolo aſſertoris, qui litiganti de libertate aderat, aſſerens eum, & defendens, litemque agens ſuo periculo. *l. 1. & 2. 4. & 5. C. Theodoſ. de liber. cauſ.* Paulus *lib. 5. ſent. tit. 1. §. vlt. l. 1. & 2. C. de aſſert. tol.* poſt quas omiſſa à Triboniano mentio aſſertoris, ſicubi in priſcis legibus extabat. Vt *in l. 1. Cod. de offic. Prætor.* iuncta *l. Prætori 16. Cod. Theodoſ. de Prætoribus*) ſi dolo, inquam, aſſertoris acciderit, *quominùs præſente aduerſario ſecundùm libertatem pronuntietur*, id eſt, vt eo non præſente, ſed vt cumque euocato, & abſente, pronunciatum ſit pro libertate, tenetur ipſe aſſertor, ſiue aſſerti defenſor de dolo actione ei, quo per illius dolum abſente pronunciatum eſt pro libertate, vt exprimunt clariùs *Baſilica lib. 10. tit. 3. in dict. l. Si dolo 24.* & quidem *ſtatim, quia ſemel pro libertate dictam ſententiam retractari, non oportet*, ſiue quia quamvis ſi in lite de alia re dolus ſimilis interceſsiſſet, potiùs lis reſtituenda in aduerſarium, quàm de dolo actio danda foret. *l. 3. §. 1. D. de eo, per quem factum erit*; tamen lis iudicata pro libertate nec reſtituitur, nec retractatur. *l. vltim. Cod. ſi aduerſ. libert. l. Illud 9. D. de appellat.* & ideo ſtatim, ſiue protinus, non expectata litis reſtitutione, quæ impoſsibilis eſt, tenetur aſſertor de dolo in id, quod intereſt. Vt *in l. Arbitrio 18. §. 1. De dolo.* Conſtat itaque etiam abſente iuſto contradictore, ſi tamen illi initio adfuit, & contradixit, & poſtea defuit euocatus cognitioni, poſſe pro libertate pronunciari, & rem ſemel ſic iudicatam nec retractari ab eo, neque ab alio. *dict. l. Diui 27. §. 1. dict. l. Si dolo 24. dict. l. 4. l. Iuſt. 40. Cod. de liber. cauſ.* ceſſatque hoc ſaltem caſu regula *l. Qui non repudiantis 17. §. vltim. & l. ſeq. D. de inoffic. l. Si perluſorio 14. §. 1. D. de appellat.* cum ſimilibus, ſupra laudatis.

Sed & poſterior pars aſſertionis nuper expreſſæ, de contradictore præſente, & colludente, aſſertorem habet Vlpianum *lib. 1. ad legem Iuliam, & Papiam in l. Si libertinus 4. D. de colluſ. deteg.* quo loci hanc veluti exceptionem adiecit regulæ, *eodem lib. 1. ad leges noſtras* traditæ *in dict. l. Ingenuum 25. D. de ſtatu hom. l. Res iudicata 207. D. de regul. iur.* ſcilicet, vt res iudicata de ſtatu pro veritate habeatur, niſi colluſum ſit. Concinunt pro hac exceptione iuris auctores *in l. 1.* & integris titulis *D. & Cod. de colluſ. deteg. l. Si te 7. Cod. de ingenuis manum. l. Patronum 8. §. 1. D. de in ius voc. l. 1. & 2. D. de iure aur. annul. l. Qui de libertate 29. §. vltim. D. de liber. cauſ.* iunctis *l. 3. §. Planè 10. D. de hom. lib. exhib. l. Si hæredes 12. Cod. de teſtam. manum. l. Arrianus 27. Cod. de liber. cauſa.* Conducit & generalis ratio iuris, & regula, quæ perluſorijs iudicijs, ſeu colludentibus litigatoribus iudicata non habet pro iudicatis, etiã extra cauſas ſtatus. *l. 5. §. 1. l. ſi perluſorio 14. D. de appel. l. ſi ſeruus 50. §. 1. & 2. D. de legat. 1. l. Si ſuſpecta 29. D. de inoffic. l. Præſes 5. Cod. de pignor. l. Eum, qui* 6

30. §. *In popularibus, D. de iureiur. c. ap. Audiuimus* 3. *cum ſeq. de colluſ. deteg.* & quidem meritò, quia colluſio excludit iuſtam contradictionem, & cognitionem, magnumque illum conflictum, quo iudicati auctoritas nititur. *l.* 1. §. *Præuaricatorem* 6. *D. ad S. C. Turpil.* iuncta *l. vlt. C. comminationes, vel epiſt.*

7 Illud proprium iudicati per colluſionem pro libertate, aut ingenuitate, vt quamvis in alijs cauſis iudicata per colluſionem retractentur, iure ordinario, reſtituta lite, per actionem de dolo, aut exceptionem. *l. Et eleganter* 7. §. *Si dolo* 9. *l. quid enim* 14. *D. de dolo. l. Si de cõmuni* 19. *D. ſi ſeru. vind. l. Si Procurator* 8. §. 1. *D. mãdati. l. Ita demum* 31. *D. de recept. & qui arbitr. l. Si Procurator* 9. *D. de doli except.* & extra ordinem, ac criminaliter, accuſatione ſtellionatus. *l.* 3. §. 1. *in princip. & verſ. Item ſi quis, D. de ſtellion.* iuncta *l. Si fideiuſſor* 29. §. *In omnibus, D. mandati,* aut præuaricationis. *l.* 1. *Cod. de aduocat. diuerſ. iudic. l.* 3. §. 1. *D. de præuaricat. l. Si quis homicidijs* 11. *Cod. de accuſat. l. Eius* 29. *verſ. Planè, D. de iure Fiſci. l. Intra* 10. *D. de diuerſ. & temp. præſcript. l.* 1. *Cod. de ſentent aduerſ. Fiſcum lib.* 10. iuncta *l.* 1. §. *Præuaricatorem* 6. *D. ad S. C. Turpil.* & iure Attico, actione, ſiue δίκη κακοτεχνιῶν, de qua tam acriter digladiantur nouiores iuris Attici enarratores, Samuel Petitus *ad leges Atticas tit.* 7. *de teſtib. pag.* 358. Deſider. Herald. *lib.* 1. *de auctor. rer. iud. cap.* 3. & 9. Claud. Salmaſ. *in obſeruat. ad ius Attic. cap.* 10. & 30. tamen lis iudicata etiam per colluſionem, aut dolum pro ingenuitate, aut libertate, non retractatur, aut reſcinditur actione de dolo, aut iudicio alio reſtitutorio. *dict. l. Si dolo* 24. *l. Et eleganter* 7. *D. de dolo. l. vltim. Cod. ſi aduerſ. lib. l. Illud* 9. *D. de appellat. l. Si ex cauſa* 9. §. *vltim. D. de minor.* ſed extra ordinem, proprio, & ſpeciali iure ex Senatuſconſultis, & conſtitutionibus, quibus retractare ſententiam de ingenuitate ex cauſa colluſionis permittitur intra quinquennium ſemel, etiam extraneis, viuo eo, qui ingenuus pronunciatus eſt, eaque ſingula propria huius iuris, nec alijs colluſionum retractationibus communia exprimuntur *in l.* 1. 2. *& vlt. D. de colluſ. deteg. l.* 1. *&* 2. *C. eod. tit. l.* 1. §. *Sed interdum, D. ne de ſtatu defunct.*

Iam verò hiſce ſuppoſitis, Vlpiani *lib.* 1. *ad leges noſtras in d. l. Si libertinus* 4. *D. de colluſ. deteg.* duę ſunt poſitiones. Prima; libertinum per colluſionem pronunciatum ingenuum, poſtea colluſione detecta, *incipere, eſſe quaſi libertinum in quibuſdam cauſis.* Et ſanè, vt, colluſione detecta, ſit libertinus, non autem ſervus, nihil moror, aut miror, quia quamvis ſi ex ſeruitute ingenuus per colluſionem pronunciatus fuiſſet, fieret, colluſione detecta, ſervus detegentis. *l.* 1. *in fine D. de colluſ. deteg. l. Qui de libertate* 29. §. *vlt. D. de liberali cauſa.* Si tamen libertinus cum eſſet, vt Vlpianus expreſsit *in d. l.* 4. fuit per colluſionem iudicatus ingenuus, non fit, colluſione detecta, ſeruus, ſed libertus illius, qui detexit. *l. Patronum* 8. §. 1. *D. de in ius voc. l.* 1. *&* 2. *D. de iure aur. annul. l.* 2. *C. de colluſ. deteg.* cuius latina illa periphraſis, *contra colluſionem pœna ſtatuta, præmioque detegenti promiſſo*, explanatur in Baſilico textu, his verbis *lib.* 48. *tit.* 23. *Eum autem, qui hoc fecerit, mulctari iure patronatus, & eius, qui detexerit, pro præmio libertum effici.* 8

At quod ſimul exprimitur *in d. l.* 4. colluſione detecta, incipere, eſſe libertinum, *in quibuſdam cauſis*, quem non morabitur? Cur enim non in omnibus ſit libertinus, colluſione detecta? 9

Aut

Aut cur, aut quo colore, maneat in alijs cauſis, etiam detecta colluſione, ingenuus, & colluſionis præmium veluti ferat, retineatque, contra *l. Si ſeruus 50. §. Si quis ante in fine, D. de legat. 1. l. Qui autem 6. §. Si patronus 8. D. ſi quis omiſſa cauſa teſt.* Pupugit certè meritò adiectio illa, *in quibuſdam cauſis*, poſt Accurſium, Fabrum, Saniorianum *ad l. Res iudicata 207. D. de regul. iur.* qui tamen vix diſcurſo, aut excuſſo aculeo pertranſit. Pupugit & fortaſſe concinnatores Baſilicorum, quorum tam textus, quàm Scholia κατὰ πόδας, verbum verbo reddentia, ſilent, omittuntque verba illa, *in quibuſdam cauſis. lib. 48. titul. 12. in d. l. 4.* Nobis non diſpliceret, ſi exponi, vt libertinus colluſione detecta, cenſeatur quaſi libertinus in quibuſdam cauſis, quoniam in alijs quibuſdam non habetur pro libertino, veluti, ne retineat ius aureorum annulorum, quod quaſi libertinus impetrauerat, aut alimenta, ſibi inter cæteros libertos relicta. *l. 1. & 2. D. iure aur. annul.* imò pro quaſi ingenuo eſt, reſpectu patroni, qui colluſit, & patronatus iure mulctatur. *l. 2. Cod. de colluſ. deteg.* iuncta *l. Sciendum 32. D. de ritu nupt. l. vlt. D. de adopt.* & è contrario nō eſt pro libertino in omnibus, etiam reſpectu colluſionem detegentis, cuius quamquam libertus fiat, quoad obſequium, non tamen quoad operas, & ſucceſsionem, vt obſeruat Innominatus, quem vocat, Scholiaſtes *Baſilicon lib. 28. tit. 4. ad l. In eo 45. §. 1. D. de ritu nupt.* & expreſſum eſt nobili de patronatus iure conſtitutione Iuſtiniani, quam Latinam, & ex Baſilicis dedit Cuiac. *20. obſeru. cap. 34.* extatque *in l. 4. C. de bonis lib. & Baſilic. lib. 49. tit. 1.* Denique & quod fortaſſe propriè magis Vlpiano aptauerim, ſi libertinus iſte, pronunciatus ingenuus, ante detectam colluſionem duxerit Senatoriam vxorem, erit etiam, colluſione detecta, nō quaſi libertinus, ſed quaſi ingenuus, ne nuptiæ bene concordantes, & honeſtè primùm cōtractæ, ex poſt ſubſecuto turbentur, & diſſoluantur, argumento belliſsimi ad rem *textus, & in colluſionum tractatu paradoxi, in l. Adulter 19. §. vlt. verſ. Proinde.* iuncta *l. Miles 11. §. licet 11. l. Conſtante 26. D. ad leg. Iul. de adult. l. Lege 44. §. Si poſtea, cū §. ſeq. D. de ritu nupt. l. ſi libertā 28. C. de nupt.* de queis ſuo loco plenius, à queis diuerſæ magis ſunt, quàm diſſonæ theſes, & ratio, *l. à Diuo 58. D. de ritu nupt. cap. 2. & 4. de coniug. ſeru. cap. Si quis ingenuus 29. q. 2.*

10 Secunda Vlpiani *in d. l. 4.* propoſitio eſt: medio tempore, ante colluſionem detectam, & poſt ſententiam de ingenuitate, libertinum habendum eſſe pro ingenuo, ſcilicet, tam quoad nuptias cum Senatorijs, *cap. Cuius 6. 29. quæſt. 2.* quàm quoad reliqua ingenui iura; idque expeditiſsimum eſt, quoniam res iudicata pro veritate habetur interim, eaque vt reſcindatur, præcedere debet iudicium declaratorium colluſionis. *l. Et elegāter 7. §. Si dolo. D. de dolo. l. 3. ſi tamen 13. D. de homin. liber. exhib. l. Intra 10. D. de diuerſ. & temp. præſcript. l. 3. §. 1. Digeſt. de præuaricat. l. 1. Cod. de aduoc. diu. iudicior. l. Si quis homicidij 11. Cod. de accuſat. cap. 3. & 4. de colluſ. deteg.* Exemplum rei in nobili illo mimo, & liberto Paride, qui ingenuus pronunciatus per colluſionem, & ereptus Domitiæ patronæ, *quaſi iure ciuili non ſine infamia Principis, cuius iuſſu perpetratum ingenuitatis iudicium erat*, vt Tacitus ſcribit *13. Annal.* quoniam tamen pro ingenuo interim, repetit per Iudicem

cem ſtatim decem, quæ pro manumiſsione dederat. *l.* 3. §. *Si liber* 5. *verſic. Neratius*, *D. de cond. cauſ. data*, in qua Vlpiani memoriæ labem, ſiue μνημονικὸν ἁμάρτημα, nuncupantis Domitiam, Neronis filiam, quæ amita fuit; agnoſcit Cuiac. 18. *obſeruat. cap.* 23. *&* *ad titulum Cod. de liberali cauſa.* & excuſat quadamtenus Lud. Dorleanus *ad Tacitum laudato loco.*

CAPVT XXIII.

DE LIBERTO CVM IVRE AVREORVM ANNVLORVM, aut adrogato à Patrono, quoad connubium Senatorium.

AD LEG. 4. ET VLT. D. DE IVRE AVR. ANNVL. L. SCIENDVM 32. D. de ritu nupt. l. vltim. D. de adoptionibus. Quæ ſunt ex libris Iuriſconſultorum ad leges Iuliam, & Papiam.

ARGVMENTVM.

DE priſco iure aureorum annulorum, collectanea. Eius effectus fuit, vt libertus eſſet pro ingenuo, pręterquàm quoad patronum. Subodoratum gloſſema *in l. Falſa* 33. *§. Sed ſi cui, D. de condit. & demonſtr.* Dubitandi, & decidendi ratio *in l. vltim. D. de iure aur. annul.* & diſcriminatio eius, & *l.* 32. *D. de ritu nupt.* De fœmina impetrante ius aureorum annulorum ſingularis nota, in *l.* 4. *D. de iure aur. ann.* Plurium annulorum abvſus, luxuſque in fœminis. Et de aureorum in eiſdem vſu; diſtinctę matronæ, & ingenuæ à libertinis. Obſervati, & expenſi Iuſtiniani, & aliorum loci, & prę alijs Hieronymi *epiſt. ad Oceanum.* Reſtitutionis natalium plenius ius, quàm annulorum. De liberto adrogato ab ingenuo, & cur non ſit pro ingenuo, quoad connubium Senatorium. Enodata, & cum alijs collata *l.* 32. *D. de ritu nupt.* de filio libertino, adrogato à patre, qui pro ingenuo in familia adrogatoris, non extra eam. Ad *l. vltim. D. de adopt.* Non idem eſt in eo, quem patronus teſtamento filium nominauit. Explanata *l. Caius* 12. *D. de iure patronatus.*

1 PErtinent ad eamdem fere cauſam, rationemque temperamẽti propoſiti de ingenuitate, adepta ſine contradicto iudicio, vel contradictione iuſta, nobiles duæ inſpectiones, primęque illi de ingenuo iudicato iam ſuccedentes, nempe de libertino, impetrante ius aureorum annulorum, aut adrogato ab ingenuo. De priore Vlpianus noſter *lib.* 2. *&* 3. *ad leges Iuliam*, *& Papiam in l.* 4. *& vltim. D. de iure aureor. annul.* ad quas liceret multa de aureorum annulorum iure, & vſu ex vetere memoria repetere, qualia potiora, ſatiſque ſi his iungatur, futura ſubnotauimus *lib.* 3. *cap.* 1. haurietque ex alijs plura cui vacat. Videſis, præter Cuiacium, Briſſonium, Pet. & Anton. Fabrum, alioſque apud Hilliger. *ad Donell.* 2. *cap.* 10. *litt. I.* Alex. ab Alex. *lib.* 1. *dier. gen. cap.* 20. & 29. Cœlium Rhodigin. *lect. antiqu. cap.* 11. *&* 12. Vvolfang. Lazium *lib.* 9. *com. Reip. Roman. cap.* 10. Fr. Connan. 2. *comment. cap.* 12. Iacob. Menoch. *de arbitr. caſu* 402. Ludou. Viues, & Leon. Coquæum *in D. Auguſt.*

de

de Ciuitat. Dei, lib.3.cap. 19. Carol. Sigon. *de ant. iure ciuil. lib.* 2. *cap.* 3. Iuſt. Lypſ. 2. *elector. cap.* 8. Ian. Bernart. *ad lib.* 3. *ſylu. Statij in lachrymis Hetruſci pag. com.* 103. Cæſar. Bulenger. 7. *de Imper. Roman. cap.* 14. Henr. Salmuth. *in notis ad memorabilia Panzirolæ*, 1. *part. tit.* 58. Læl. Viſciola *lib.* 19. *horar. ſubſic. cap.* 22. Panzirol. *lib.* 1. *Theſaur. var. lect. cap.* 14. Laurent. Pignor. *lib.* 1. *ſymbolic. epiſt.* 1. Georg. Longum *de annul. ſignatorio, cap.* 5. & poſt Abrah. Gorlæum *in Dactyliotheca*, pluribus Theodor. Hopping. *de iure inſign. cap.* 2. *num.* 485. *& cap.* 22. *num.* 265. *& ſeqq. & de iure ſigillor. cap.* 2. *num.* 146. Amaia *ad l.* 1. *num.* 46. *& ſeqq. Cod. ſi ſeruus, aut libert. ad Decur. lib.* 10. Eliam Schedium *de Dijs Germanis, ſyntagm.* 2. *cap.* 7. pleniſsimè, vt ſolet, Lorinum *ad caput* 2. *epiſt. D. Iacobi, verſu* 2.

2 Nunc pro re, duo dumtaxat præmittimus. Primum ſit, libertinum, impetrato aureorum annulorum iure, conſequi, quoad viuit, & quoad alios quàm patronum, honores, iura, & munia ingenuitatis, cuius nota, & inſigne fuit aureus annulus. *l. penult. & vltim. D. de iure aur. annul. l.* 2. *Cod. eodem tit. l. vnic. Cod. ad leg. Viſſel. Nouella* Iuſtiniani 74. *Quibus modis natur. effic. legit. cap.* 1. Idcircoque ad honores ingenuorum, dignitateſque veluti Curię, & Decurionatus, admittitur, quibus alioquin arcetur. *dict. l. vnic. l.* 1. *Cod. ſi ſeruus, aut libert. ad Decurion. lib.* 10. *l. vnic. Cod. quando ciuilis act. crim. præiud.* & tāquam ingenuus excuſatur à tutela pupilli libertini, ex oratione Marci, & Senatuſconſulti, niſi & ipſe pupillus ius aureorum annulorum impetrauerit. *l. Cum ex oratione* 44. *in princip. &* §. 1. *&* 2. iuncta *l.* 1. §. 4. *D. de excuſat. tutor.* & è contrario, quamvis patroni Senatoris negotia gerat, non eſt immunis à tutelis, tamquam libertus, ſed obnoxius illis, tamquam qui in ordinem ingenuorum tranſijt. *d. l. Cum ex oratione* 44. §. *vlt.* iuncta *l. Libertus* 17. §. 1. *D. ad municip.*

Secundum eſt, reſpectu patroni libertinum impetrantem ius aureorum annulorum haberi adhuc pro liberto. *d. l. penult. & vlt. D. de iure aur. ann. l.* 2. *C. eod. tit. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi ius* 3. *D. de in ius voc. Nouella* 78. *vt liberti de cætero aureo non indigeant annulo. cap.* 1. *&* 2. Quocirca nec recipitur excuſatio eius à tutela, & cura liberorum patroni, vtpote quoad patronum adhuc liberti, ſiue qui *adhuc cuſtodit libertorum ordinem*, ἐν τούτῳ, ſiue *in hac re*, vt Græcus Modeſtini textus habet *in l.* 14. §. 2. *Digeſt. de excuſat. tutor.* (ſcilicet quoad patronum, nam quoad alios tranſit in ordinem ingenuorum. *d. l. Cum ex oratione* 44. §. *vltim.*) & tamquam libertus patroni, à familia, occiſi ſubijcitur quęſtioni, & equuleo. *l. Itemque* 10. *D. de S. C. Syllan.* & tamquam libertus punitur, aut impunè occiditur, deprehenſus in adulterio patroni vxoris, aut patronalium fœminarum. *l. Si is, qui* 42. *D. ad leg. Iul. de adulter.* quæ ex *eodem libro* Tryphonini *ſecundo* diſputationum eſt, & iungenda cum *dict. l. Idemque* 10. & inter libertos alimenta à patrono libertis relicta capit, & retinet. *l.* 1. *D. de iure aur. annul. l. Falſa* 33. §. *Sed ſi cui, D. de condit. & demonſtrat.* (in qua fere eſt, vt ſuſpicer, irrepſiſſe in textum gloſſema aliquod ſcio-læ manus, ſatagentis, exponere illud, *ſed ſi cui quaſi liberto*, adiectione illa, *id eſt inter libertos*, quam Baſilica quidem non agnoſcunt, atque ita ſimpliciter exprimunt, Εἰ δέ καὶ ἀπελευθέροις λεγατευθῇ. *Quod ſi libertis legatū*

Tttt fue-

fuerit) & denique patronatus iure tenetur,tam quoad reuerentiam,*dict. l. Sed ſi hac* 10.§. *Sed ſi ius* 3. *D. de in ius voc.* quàm quoad ſucceſsionem patronalem. *l.* 3. *D. de bonis lib. l. penult. D. de iure aur. annul.* quæ ex Paulo ad leges noſtras eſt *lib.* 9. quo, & præcedente de iure patronatus egiſſe, creditur. *l. Qui contra* 15. *Digeſt. de iure patronat.* Ex vtroque autem præmiſſo apparet, quatenus, & quàm recte affirmetur; libertinum poſt ius aureorum annulorum viuere, vt ingenuum (quoad alios ſcilicet præter patronum) & mori, quaſi libertum. *dict. l.* 3. *D. de bon. lib.* ſiue tribui eo iure, *libertinis, quoad viuunt, imaginem, non ſtatum ingenuitatis. l. vnic. Cod. ad leg. Viſel. dict. l.* 2. *Cod. de iure aur. ann.* in qua ita probabiliter, *libertini*, pro *libertinitatis*, corrigunt. Cuiac. *ad l.* 1. *Cod. ſi ſeruus, aut libert. ad Decur. lib.* 10. Pacius *cent.* 6. *quæſt.* 86. Laur. Pignor. *Symbolic. epiſt.* 1. Amaia *ad dict. l.* 1. *Cod. ſi ſeruus, aut lib. ad Decur. lib.* 10. *num.* 46. ſiue, quod idem eſt, honorem augeri, non conditionem mutari. *d. l. Falſa* 33. §. *Sed ſi cui, D. de condit. & demonſtr.*

4 Porrò his præmiſsis, vt ea iam commentationi noſtræ, & Vlpiano *in dict. l.* 4. *& vltim. D. de iure aur. annul.* propiùs ſubſeruiant, in primis quod attinet ad *dict. l. vltim.* quæ ex *libro* 1. Vlpiani eſt *ad legem Iuliam, & Papiam*, ſcriptum inibi eſt, libertinum, ſi ius annulorum impetrauit, quamvis iura ingenuitatis, ſalvo iure patroni, natus ſit, tamen ingenuum intelligi, atque ita Divum Hadrianum reſcripſiſſe; eſt autem ea ſententia, vt ex inſcriptione apparet, iunctis ex *eodem libro* 1. Vlpiani *l. Palàm* 43. *D. de ritu nupt. l.* 5. *&* 7. *D. de Senatoribus. dict. l.* 4. *D. de colluſ. deteg. dict. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom.* referenda ad tractatum legum noſtrarum, eamque illarum partem, ſeu *caput, de prohibito connubio Senatorijs cum libertinis.* Ac proinde ſententia eſt, vt quamvis libertinus impetratis annulis, non ſit ingenuus ſtatu, ſed imagine, ac velut vmbra. *dict. l.* 2, *Cod. de iure aur. annul.* neque abſcisè, abſolutève nanciſcatur iura ingenuitatis, ſed ſalvo iure patroni. *dict. l. vltim. & l. penult. &* 3. *D. de iure aur. annul. l.* 3. *D. de bon. lib. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi ius* 3. *D. de in ius voc. l. Si is, qui* 42. *D. ad leg. Iul. de adult. l.* 14. §. 2. *D. de excuſ. tut.* Eaque iura ingenuitatis conſequatur beneficio Principis ſine contradicto iudicio, aut contradictore iuſto. *d. l.* 3. *D. de iure aur. annul. l.* 2. *Cod. eodem tit.* Ideoque non videtur, habendus pro ingenuo, quoad connubium cum Senatoria fœmina, qui in omnibus ingenuus non eſt, exemplo eius, quod ſcriptum eſt de libertino, adrogato ab ingenuo, Principis beneficio. *l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* iuncta *l. vltim. D. de adopt.* Quę dubitandi ratio eſſe, potuit, apud Vlpianum *in d. l. vltim.* tamen rectiùs deciditur, intelligendum eſſe ingenuum, quoad nuptias Senatorias ex lege Iulia, quia annulorum impetratio tribuit ei honores, iura, & munia omnia ingenuitatis quoad alios, quàm patronum. *l. vnic. Cod. ad l. Viſſell. l.* 11. *Cod. ſi ſeruus, aut lib. ad Decur. lib.* 20. *dict. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi in ius, l. Cum ex oratione* 44. *D. de excuſat. tutor.* Cuiuſmodi honor eſt, & ingenuitatis prærogatiua, ius, ſeu capacitas connubij cum Senatoria fœmina. *l. Senatoris* 47. *in fine. D. de ritu nupt.* egregiè, & ad rem noſter Accurſius *in dict. l. vlt. & in l.* 2. *verb. Tributus, Cod. de iure aur. annul.* & quamvis ſine contradicto iudicio, aut contradictore ea

iura nactus ſit; tamen in his, per quæ patrono non præiudicatur, & quoad alios, ſatis eſt, nactum fuiſſe beneficio Principis, cuius eſt, dare aditum famæ, honoribus, ingenuitati, etiam quoad ius connubij. *l. Imperialis* 23. *Cod. de nupt.* in eoque diuerſa ſpecies eſt libertini, adrogati ab ingenuo, quia non nanciſcitur ingenui iura, niſi in ea familia, ac proinde non extra eam, & quoad nuptias Senatorias, *dict. l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* Idque ex eo rurſus, quia aureorum annulorum ius impetratur, & principaliter reſpicit honores publicos ingenuitatis. *dict. l. vnic. Cod. ad leg. Viſell.* Adoptio autem principaliter priuata iura filij, & familiæ adoptantis. *l.* 1. *&* 2. *l. Qui in adoptionem* 23. *D. de adopt. l. Amiſſione* 5. §. *vlt. cum l. ſeq. D. de capite min.*

5 Singulare magis eſt, &, vt Connanus *lib.* 2. *com. cap.* 12. *num.* 2. Rhodig. 6. *lect. antiq. cap.* 12. Hopping. *de iure inſign. cap.* 22. *num.* 275. aliique notant, mirandum, quod ex Vlpiani eiuſdem *lib.* 3. *ad leges noſtras* proſcribitur *in dict. l. Etiam* 4. *D. de iure aureor. annul. Etiam fœminæ ius annulorum aureorum impetrare, poſſunt, & iura ingenuitatis impetrare, & natalibus reſtitui, poterunt.* Quippe primum illud de fœminis, ius annulorum impetrantibus, nuſquam lectum noſtratibus, imò & abſurdum fere videtur, cum fuerint annuli præmia, & inſignia equeſtris militiæ, à fœminis perquàm alienæ, ideoque eò fere defugiunt, vt ius annulorum impetrare in fœminis, exaudiant pro eo, quod ſtatim ſequitur, *& iura ingenuitatis*, non autem propriè annulorum equeſtrium, quorum fœminæ expertes, & impotes.

6 Nos in primis agnoſcimus frequentem annulorum vſum in muliebri mundo, & ornamentis. *l. Argumento* 25. §. *Ornamenta* 10. *l. Pediculis* 32. §. *Titia, D. de auro, & argent. l. vn. verſ. Nulli, Cod. Nulli licere in frænis lib.* 11. iuncta *Nouella* Leonis 81. Imò luxum, licentiamque, cum, vt noſter Iſidorus *lib.* 19. *etymolog. cap.* 32. cum apud veteres vltra vnum annulum vti, infame viro videretur, fœminę tamen binos, ac poſtea plures ſingulis digitorum articulis ferre ſolitæ; neque immeritò Tertullianus *in Apolog. cap.* 6. cum primùm ſcripſiſſe, Matronas olim auro non vſas, præter vno digito, quem ſponſus oppignoraſſet pronubo annulo, ſubiungat, *nunc præ auro nullum in fœminis leue membrum eſſe*, exponente de annulis Iſidoro iam laudato; & apertiùs Tertullianus idem ſcripſerit, *de habitu muliebr. cap. vlt. Vno lino decies ſeſtertium inſeritur; ſaltus, & Inſulas tenera ceruix circumfert; graciles aurium cutes calendarium expendunt; & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit.* Seneca *de viris muliebriter cultis* 7. *natur. quæſt. cap.* 31. *Exornamus annulis digitos: in omni articulo gemma diſponitur. Quotidie comminiſcimur, per quæ virilitati fiat iniuria.* Clemens Alexandr. 3. *pædag. cap.* 2. Plinius 33. *natur. hiſt. cap.* 3. *Habeant fœminæ* (aurum) *in armillis, digitiſque totis.* Et de viris, luxu diffluentibus idem *dict. lib.* 33. *cap.* 1. *Gemmas addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque opimo digitos onerando.* Ouidius *epiſt.* 20. *Cydippes. Ipſa dedit gemmas digitis, & crinibus aurum.* Et *epiſtol.* 21. *Nec premit articulos lucida gemma meos.*

7 Deinde & obſeruamus, aureorum annulorum ius, & vſum fuiſſe etiam in Matronis, ingenuitatis inſigne, & equeſtris nobilitatis, eoque à libertinis, & è plebe fœminis di-

di-

diſtingui ſolitas patricias, & nobiliores, quibus ſolis auri vſus, Romanis moribus, permiſſus, vt & dicemus infra *lib.* 3. ſiue quas, vt Apuleius 2. *de aſino, aurum in gemmis, & in tunicis matronas profectò confiteatur.* Matronas, inquam, hoc eſt, vt Paulus apud Feſtum exponit, *quibus ſtolas habendi, ius erat*; ac proinde patricias, & nobiles: ſed de annulis aureis matronalibus propriè Leo Cæſar *in d. l. vnic. verſ. Nulli, C. nulli licere in frænis lib.* 11. & de iure aureorum annulorum, libertinæ fœminæ impetrato, tamquam ingenuitatis nota, & preludio, exertè Iuſtinianus, optimus Vlpiani noſtri Interpres, *in Nouella* 18. *de triente, & ſemiſſe, cap. vltim.* vbi de ancilla concubina, ita: *Poſtea verò libertate honorauerit & ancillam, & natos, & ius eis* (tam matri, quàm liberis, ait Cuiacius *ad Nouell.* 12. *in fine*) *aureorum petierit annulorum, & regenerationis, & inter ingenuos ſecundùm iuſtos reduxerit modos, & nuptias confirmauerit.* Referenda huc fortaſſe *vetus Lugdunenſis Inſcriptio* apud Gruterum, *pag.* 567. *num.* 8. quæ ſic habet: ET. QVIETI. ÆTERNÆ. VERINIÆ. INGENVÆ. LIBERTÆ. QVONDAM. ET CONIVGI. Et poſt alia, C. VERECVNDINIVS. VERINVS. CONIVXS. ET PATRONVS. Et apparet, poſita eſt libertæ coniugi, poſtea ingenuæ factæ, non reſtitutione natalium, ſed iure ingenuitatis per annulos, vnde & adhuc patronus coniux vocatur. Iungendum illud Plauti *in Caſina actu* 3. *ſcena* 5. vbi ancillam herus demulcet, pollicitatione aurei annuli, quem geſtet in digito, alioquin non permiſſum, notante inibi Taubmano: *Si effixis hoc, ſoleas tibi dabo, & annulum in digito aureum.* Accedit obſervatis, quod in compedibus, ſeu pedum vinculis, aut calceorum anſis, quas ſcitè, & ſalsè, *annulos*, vocat Martialis *lib.* 3. *epigr.* 29. *& lib.* 11. *epigr.* 38. disertè omnino Plinius *lib.* 33. *natur. hiſtor. cap.* 3. ſcribit, aurum in matronalibus compedibus, *hunc medium inter ſtolam, plebemque fœminarum equeſtrem ordinem facere.* Et è contra idem *eodem libro cap.* 12. *Argentum ſuccedere aliquando & auro, luxu fœminarum plebis, compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas, mos triſtior vetat.* Petronius de matrona illa *Circe* ex Orcheſtra quatuordecim tranſiliente *Satyric. cap.* 36. *Iam pedum candor intra auri gracile vinculum poſitus*: ad quem multa noui Scholiaſtæ, & nos ſupra. Ergo nec mirum iam, aureorum annulorum ius impetrari à fœminis libertinis, tamquam inſigne non militię, ſed ingenuitatis, & nobilitatis equeſtris, vtpote quas alioquin, ab aureis annulis etiam in pedibus, triſtior, vt Plinius loquitur, ſiue ſeuerior mos arcebat, & ſeparabat ab equeſtri ordine, imò nec ſine effectu id ius in fœminis, & valiturum ſaltem ad nuptias cum Senatorio viro, vt vel Accurſius noſter admonuit *in dict. l. Etiam* 4. & enotabimus ad Iuſtinianum, Vlpiano, vt & vicisſim illuſtrentur, conferendum, *in l. Imperialis* 23. *§. Similes* 4. *C. de nupt.* infra.

Præmittendus tamen iam nunc, & conferendus cum Vlpiano, & Iuſtiniano mutuam ad lucem locus Hieronymi *epiſt. ad Ocean.* 83. Vbi de pauperibus nuptiarum ſarcinam declinantibus, & ancillas ſuas, atque ex eis liberos in contubernio habentibus ſubiungit, ita: *Qui ſi fortè ditati, ab Imperatore ſtolam illius meruerint, confeſtim Apoſtolo colla ſubmitterent, & inuiti inter vxores, eas recipere cogentur; ſin autem principa-*

le reſcriptum eadem tenuitas impetrare nequiuerit, cum Romanis legibus ſcita Eccleſiæ mutabuntur. Si tamen leui emendatione, pro verbis *ſtolam illius*, legas, *ſtolam illis meruerint* (quomodò hæc poſt dictata, comperi, prænotaſſe Cuiacium *ad Nouell.* 51.) nempe ancillis in contubernio habitis, & exponas de impetrata ab Imperatore ſtola (ſic enim, *meruit ſtolam, & annulum*, eloquitur de prodigo Ambroſius 2. *de pœnit. cap.* 3. & mereri dignitatem, ſeu reſcriptum, vt nubant. *in l. Imperialis* 23. §. *Similes* 4. *cum ſeqq.* ac tota ea *l. Cod. de nuptijs*) ſtola, inquam, pro inſigni, non tantùm matronali, cuiuſmodi eam fuiſſe conſtat, & oſtendimus *lib.* 3. ſed & ingenuitatis, vt ad rem probant de ſtola in fœminis, Tertullianus *de Idolol. cap.* 18. illic: *Poterit & pueris prætexta concedi, & puellis ſtola, natiuitatis inſignia, non poteſtatis; generis, non honoris; ordinis, non ſuperſtitionis.* Et de ſtola, atque annulo Cyprianus *libro de Vnctione Chryſmatis*: *Ampliorem, & digniorem recuperant libertatem, reddita ſtola, & annulo.* Vt proinde Hieronymi ſententia, Victorino, & alijs parùm percepta ſit; impetrata ab Imperatore ſtola illis, ancillis quondam contubernalibus, ac proinde iam matronis, ingenuiſque, vel invitos eas vxores habituros, qui ante recuſaſſent, & meritò vel invitos, quia iam ingenuas, matronalque retinere in contubernio, non licet. *l.* 3. *D. de concubin.*

9 Rurſus quod ſequitur *in d. l.* 4. *Et iura ingenuitatis impetrare, & natalibus reſtitui, fœminas poſſe*, coniungenda prioribus, ſimulque expoſita oſtendunt, poſt impetratum ius annulorum, quo, vt præmiſimus, imago potiùs, quàm ſtatus, & ingenuitatis iura non integra tribuuntur. *d. l.* 2. *Cod. de iure aur. annul.* poſſe libertam pleniora ea iura impetrare, & quod præcipuum, ac poſtremum eſt, natalibus reſtitui beneficio Principis, hoc eſt, reſtitui illis natalibus primæui iuris, quibus nulla ſervitutis, aut libertinitatis nota, aut notitia, ſed omnes homines perinde ingenui, & liberi naſcebantur. *l.* 2. *D. de natal. reſtit. l. Imperialis* 23. *Cod. de nuptijs.* iuncta *l.* 4. *D. de iuſt. & iure*, quod cum ſit, ingenuitatis ſtatus, & iura integra tribuuntur, & patronatus iura omnia, ac libertinitatis memoria abolentur, ideoq; nonniſi conſentiente patrono, natalibus Princeps reſtituit. *d. l.* 2. *& tot. tit. D. de natal. reſt. l.* 1. *&* 2. *C. de iure aur. ann. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi ius, D. de in ius vocand. l.* 3. §. 1. *D. de bon. lib. l.* 3. *verſ. Sed quemadmodùm, Cod. eodem tit. l.* 1. *Cod. ſi ſeruus, aut libert. ad Decur. lib.* 10. *l.* 6. *Cod. de ſuis & legit.* Vnde & gradatim, vt Vlpianus proponit in *dict. l. Etiam* 4. primum ius annulorum libertis, deinde eiſdem, eo iure veluti præmundatis, indulgeri ingenuitatis iura, & nataliũ reſtitutio ſolebat, vt ex Iuſtiniano addiſcere eſt *Nouell.* 74. *quibus mod. natural. effic. legit. cap.* 1. *dict. Nouell.* 18. *de triente, & ſemiſſe, cap. vltim.* quibus ita per gradus veluti diſtinguntur hæc iura, primùmque δίκαιον χρυσῶν δακτυλίων, ſeu *ius aureorum annulorum*; ſecundum autem, παλιγγενεσίας, ſeu *regenerationis* vocatur, donec tandem Iuſtinianus vtrumque ius confundens, & miſcens, conceſſit ſimul, ſemelque in poſterum, omnibus libertis ius annulorum, & natalium reſtitutionem, ſalvo tamen etiam poſt hanc, & præter veteris iuris rationem, iure patronatus. *Nouell.* 78. *Vt liberti de cætero aureo non indigeant annulo*, & vt priſtinis reſtituantur natalibus, *cap.* 1. *& ſeqq.* poſt quam conſtitutionẽ, quia exoleuerunt ſenſim iura annulorum

& reſtitutiones natalium, omiſſa eorum mentio eſt in Baſilicis, nec relati in Græcanici iuris *libros tituli de iure aureorum annulorum*, & de natalibus reſtituendis, & ſicubi non omnino omiſſa, fuit ſaltem veluti diſſimulata, impetratio iuris annulorum, ſub periphraſi, *compotes facti ſint dignitatis cuiuſdam.* ἀξιωματος, vt ſcriptum eſt *lib.* 44. *Baſil. tit.* 19. *in dict. l. Falſa* 33. §. 1. *D. de cond. & demonſtr.* pro eo, quod in Latino textu erat, *annulos ab Imperatore acceperit.*

10 Secunda eodem pertinens inſpectio eſt, de libertino adrogato ab ingenuo, tractata in libris ad leges noſtras à Marcello *in l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* & Vlpiano *in l. vltim. D. de adoption.* Quibus breuiter expediendis, meminiſſe, ſuffecerit, libertinos adrogari ab ingenuis, quamuis iure fieri, poſsit, non tamen facilè permitti, niſi cauſa cognita, ne temerè liberti per adoptionem in iura ingenuorum invadant. Vt ex Maſſurio Sabino prodidit Agellius 5. *noct. Atticar. cap.* 19. iuncta *l. Paterfamilias* 15. §. *vltim. D. de adopt. l.* 3. *Cod. eodem tit.* Cęterùm, cauſa cognita, permittitur patrono adrogatio proprij liberti, & multò magis filij ſuſcepti in ſeruitute *l. vltim. D. de ſtatu homin. dict. l. vltim. D. de adopt.* iuncta *l. In adoptionem* 8. *Cod. eodem titul.* & liberti alieni, etiam extraneo, ſi patronus conſentiat. *l.* 1. §. *Nepos*, *D. ſi à parente quis fuer. manum. l. Sed ſi hac* 10. §. *Patronum*, *D. de in ius voc. l. Liberto* 49. *D. de bonis lib.* ad quas inculcant eadem fere, nec diſtinctè ſatis Doctores, Raph. Fulgoſ. *in l. vltim. D. de adoption.* vbi & Eguin. Baro, & nouiores. Connan. 2. *comm. cap.* 12. *num.* 5. Mercer. 1. *opinion. cap.* 8. Cuiac. *conſult.* 56. Briſſon. *de iure connub. p.* 15. Pacius *cent.* 1. *quæſt.* 27. Fab. *in iuriſpr. tit.* 4. *princ.* 2. *illat.* 2. Fr. Balduin. *in notis ad l. vltim. D. de ſtatu hom.* Anonymus Scholiaſtes *Baſilicon*, negans abciſè alieni liberti adrogationem, *lib.* 46. *tit.* 1. *ad l. vlt. D. de ſtatu hom.*

Ex his deſcendit quæſtio apud Marcellum *lib.* 1. *ad leges Iuliam, & Papiam in dict. l. Sciendum* 32. an libertinus, adrogatus ab ingenuo (ſcilicet permiſſa adrogatione, ſicut permitti cauſa cognita, poſſe, monuimus) ſit adhuc repellendus à Senatorijs nuptijs; & ſanè non repelli, imò admitti eum, debere, etiamſi non vtamur argumento libertini, donati annulis, de quo iam ſupra, euincere, videtur, ea iuris ratio, regulaque, quòd per adoptionem augetur dignitas adoptati. *l. Per adoptionem* 35. *D. de adopt.* & quidem adeo, vt non ſolùm in familia adoptantis, ſed etiam extra eam, & quoad publica iura dignitatis, & Ciuitatis fruatur illis adoptiuus filius, ex perſona adoptantis. *l. Liberos* 10. *D. de Senator. l.* 4. *Cod. de Decurion. & l. Ciues* 7. *Cod. de incolis, lib.* 10. *l.* 1. *l. Ordine* 15. §. *vltim. l. Libertus* 17. §. *In adoptiua*, *D. ad municip. l. In adoptionem* 7. *Cod. de adoption.* & quod pręcipuum eſt, & ad rem propriè expenditur, etiam quoad ius connubij ex legibus noſtris, vt ad eaſdem Paulus, Vlpianuſque de filio adoptiuo Senatoris ſcribunt, *in l. Senatoris* 5. *cum l. ſeq. D. de Senator.* diximus fusè ſupra *hoc libro cap.* 2. & de adoptiuo filio patris ludionis, ſiue ſcenici, idem Paulus *in l. Lege* 44. §. *Item* 4. *cum ſeq.* iuncta *l. Si quis tutor* 60. §. *Quid ergo* 6. *D. de ritu nupt.* Quorſum itaque, aut qua ratione plebeius, adoptatus à Senatore, erit pro filio Senatoris, quoad nuptias *in dict. l. Senatoris* 5. *cum l. ſeq.* & ingenuus, adoptatus à ſcenico, pro filio ſcenici *in dict. l.* 44. 11

§.

§. *Item* 4. ac non itidem libertinus, ab ingenuo adrogatus, ſit pro ingenuo, cum per adoptionem ingenui iura conſequatur in adrogatoris familia, vt exprimitur *in dict. l. Sciendum* 32. iuncta *l. pen. §. Teſtamento, D. de bon. poſſ. ſec. tab.*

12 Verùm, in contrarium Marcellus definit, adrogatum hunc libertinum repelli à nuptijs Senatorijs, idque *vt libertinum*, ſic enim loquitur, ſcribitque *in dict. l.* 32. ſiue quia, quamvis, permiſſa adrogatione, conſecutus ſit iura ingenui in familia adrogantis, libertinum tamen manere, non dubitatur, vt Vlpianus *ad leges noſtras* notat *in dict. l. vltim. D. de adopt.* nec adoptione fit ingenuus. *l. vltim. D. de ſtatu hom.* (in qua textus Baſilicus adijcit, pertinere eam ad ius antiquum; nunc autem omnes libertos eſſe ingenuos, nempe *ex Nouella* 78. extat ea adiectio *lib.* 46. *tit.* 1. *in extremo*) ſed ingenui iura conſequitur potiùs, quàm ſtatum, argumento ex *dict. l. 2. Cod. de iure aur. annul.* atque illa non omnino, vel omnia, ſed dumtaxat in familia adrogatoris, vt propriè ſcriptum eſt *in dict. l. Sciendum* 32. ideoque extra familiam ad nuptias Senatorias illis non fruitur. *dict. l.* 1. §. *Nepos, D. Si à parente quis fuer. manum. l. Liberto* 49. *D. de bonis lib.* Planè adoptio liberti, ſiue adrogatio, vt cumque permittatur, nec facit eum ingenuum, nec pro ingenuo extra familiam adoptantis, propria, & ſpeciali ratione; quoniam, vt diximus, fuit veteris iuris, & moris, ne libertini per adopnem iura ingenuorum invaderent, teſte, ex Sabino, Agellio *dict. lib.* 5. *cap.* 19. iuncta *l. Super* 9. *Cod. de quæſt. l.* 1. *D. de colluſ. deteg.* idque ex diſciplina priſcarum legum, *propugnatricum acerrimarum nobilitatis*, vt in propoſito ſcribit Syneſius, Cyrenenſis Epiſcopus, *epiſtola ad Nicandrum.* In quo alia ratio ingenui, tametſi ex plebeia familia, à Senatore adoptati, in *dict. l. Senatore* 5. *&* 6. ſiue quia non perinde publicè exoſa, aut vetita ingenuæ plebis cum patritijs, aut Senatorijs per adoptionem, ſeu connubia, coniunctio imò permiſſa, & ante leges noſtras, Canuleio ſcito, de quo Liuius *lib.* 4. L. Florus 1. *cap.* 25. iuncta *l.* 6. §. 1. *D. de Senatorib. l. Per adoptionem* 35. *D. de adoption.* vtpote cum inter plebeias familias eſſent etiam pleræque nobiles, iure imaginum, & honorum. *l. vnic.* §. *Hodieque* 3. *D. de offic. Quæſtor.* & ex Liuio, & Aſconio prænotauimus ſupra *cap.* 1. ſiue etiam quia Iulia noſtra lex connubialis loquuta propriè de filio Senatoris, & filio ſcenici, & vtrumque ex perſona ſua apprehendit, tamquam filium ob claritudinem, notamve patris. *dict. l. Lege* 44. cuiuſmodi filios eſſe adoptatos à Senatore, aut ſcenico, nequit negari. *d. l. Senatoris* 5. *&* 6. *dict. l.* 44. §. *Item* 4. iunctis in ſimili *l. Liberos* 10. *D. de Senator. l.* 4. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l. Diuo* 11. *Cod. de quæſt.* & è contra lex Iulia, Papiaque loquutæ non de filio ingenui, *aut libertini*, ſed de ingenuo ipſo, aut libertino. *l. Lege* 23. *dict. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt. l. Si libertam* 28. *Cod. de nupt.* Vlpianus *tit.* 13. *&* 16. §. *Aliquando.* Proinde non comprehenditur connubij Senatorij iure ex lege Iulia libertinus, adoptatus ab ingenuo, quia quamuis filius ingenui ſit, & pro ingenuo in illa familia, non eſt tamen ingenuus, ſed libertinus. *dict. l. Sciendum* 32.

Iungenda nuper traditis eſt Vlpiani ſententia *lib.* 4. *ad legem Iuliã, & Papiam in l. vltim. D. de adoption.* 13

&

& referenda vel ad hanc partem legum noſtrarum, ad quam de iure filij quoad connubium egit fortaſſe Vlpianus *eo libro. l. Si Iudex* 11. *D. de his, qui ſui, vel alieni iur. l. Apud hoſtes* 9. *D. de captiuis*, niſi ſi quis malit, referre (quod non probo) ad ius capiendi ex teſtamento propter filios, de quo *ex eodem lib.*4 Vlpiani ſunt, *lex Quæret* 135. *D. de verb. ſignif. l. Cum in annos* 23. *D. quando dies legat. ced.* Id verò vtcumque fuerit, Vlpiani ſententia eſt, filium ſuſceptum in ſervitute patris, ſiue dum pater ſervus eſſet, ex contubernio cum ancilla (alioquin ſi mater libera, & ingenuus filius foret. *l.* 3. *Cod. ſolut. matrim.*) ſi poſtea pater manumiſſus, & natalibus etiam reſtitutus ſit, vt in ſpecie *l. Ex libera* 6. *Cod. de ſuis, & legit.* ac demum ipſe filius manumittatur, fiatque libertinus, *vt in l. Libertinum* 4. *Cod. de interd. matrim. int. tut. l. Cum pater* 77. §. *Volo* 13. *l. Lucius* 88. §. *Damæ* 12. *D. de legat.* 2. *l. Ex facto* 17. §. *Si quis rogatus* 4. *D. ad S. C. Trebell. l. vltim. D. de iure delib.* cum tamen adhuc ſit extra poteſtatem patris, vtpote non ſuſceptus ex iuſtis nuptijs. *Princip. Inſtit. de patr. poteſt.* poſſe in paternam poteſtatem redigi beneficio Principis, id eſt non, vt Accurſius, Faberque volunt (Accurſius *in dict. l. vltim. verb. Beneficio.* A. Faber *inibi. & in Iuriſprud. tit.* 10. *princip.* 1. *illat.* 30. *& titul.* 8. *princ.* 5. *illat.* 3. Donell. *lib.* 2. *comment. cap.* 23.) extraordinario priuilegio, aut Reſcripto, ſed vt, poſt Irnerium, Fulgoſius, & Eguinarius Baro exponunt ibidem (qua occaſione inferciunt plura, aliena ad eum locum, de legitimatione, vulgares Doctores, & poſt eos Beſoldus *in delibatis iuris ad lib.* 1. *Pandectarum in dict. l. vlt.*) ſed per adrogationem, quæ quoniam Vlpiani æuo iam Principis auctoritate, & reſcripto fiebat. *l.* 2. *D. & l.* 2. *in fine. l. Adrogationes* 6. *l. In adoptionem* 8. *Cod. de adopt.* Principis beneficium vocatur, ſicut natalium reſtitutio, aut ius annulorum. *l.* 2. *Cod. de iure aur. annul. l.* 3. *D. de natal. reſtit.* & quamquam libertinus iſte, & alienus libertus ſit, cuius non facilè permittenda adrogatio. *l. Pater familias* 15. §. *vltim. D. & l.* 3. *Cod. de adopt.* Iuſtior tamen, & ſingularis cauſa eſt, ob quam permitti poſsit patri adrogatio filij libertini, ſuſcepti in ſervitute ipſius patris, potiùs, quàm alterius naturalis filij, de quo *in l. Iubemus* 6. §. *vltim. Cod. de natural. lib.* vtpote ſuſcepti ſine vlla in leges noxa ex contubernio, quod inter ſeruos vice nuptiarum eſt, quia nuptias illis leges non indulgent. *l. Adoptiuus* 14. §. *Seruiles, cum* §. *ſequ. D. de ritu nupt. l.* 3. *Cod. de inceſt. nupt.* Saluo tamen & poſt adrogationem iure patroni, & libertinitatis ſtatu, extra familiam adrogatoris, vnde & libertinum manere, affirmatur *in dict. l. vltim.* iunctis traditis nuper ad *dict. l. Sciendum* 32. & præcedente, vt adrogetur, ipſius filij conſenſu, iuxta *l. vltim. D. de his, qui ſui, vel al. iur.* vnde & quamvis adrogatio filiorum naturalium ex concubina (ſcilicet libera) permiſſa ab Anaſtaſio in *dict. l. Iubemus* 6. §. *vlt.* & prohibita in poſterum, ſublataque à Iuſtino, & Iuſtiniano *in l. Legem* 7. *Cod. de natural. lib. Nouell.* 74. *quib. mod. natur. effic. legit. cap.* 3. *& Nouell.* 89. *quib. mod. natur. effic. ſui. cap.* 11. §. *adoptionis* (an & reducta tandem à Iuſtiniano *Nouell.* 117. *vt liceat matri, & auiæ cap.* 2. de quo certant Cuiacius, Faber, & alij.) tamen quoad naturales filios, in ſeruitute ex contubernio quæſitos, crediderim, vt cumque dubitet Egui-

na-

narius *in dict. l. vltim.* ſaluam ſemper manſiſſe, neque abrogatam permiſſionem adrogationis, *ex d. l. vlt.* vtpote in quibus ſine flagitio, & petulantia ſuſceptis ex naturali coniunctione honeſta, quia nuptiarum ex legibus compotes parentes non fuerunt, ceſſet ratio illa alliciendi ad nuptias, & deterrendi à concubinatu, vetita naturalium adrogatione, de qua *in dict. l. Legem 7. Cod. de natural. lib.* ad quam tamen ſimul cum *l. 1. Cod. de natur. lib.* alia, hiſce conferenda, ſcripſimus infra.

14 Enim verò quod dicitur, in poteſtatem patris redigi libertinum, ſeu naturalem filium, qui in ea nunquam fuit. *d. l. vlt.* non impropriè dictum, aut ſcriptum, ſed eadem phraſi, & forma, qua Modeſtinus in naturali filio vtitur *in l. vlt. D. de his, qui ſui, vel al.* ad quam, emẽdante Connano, reprehenſo, tamquam magis inconditæ, quàm recõditæ eruditionis ſcriptore, obſervat, redigi in poteſtatem, dici, eum etiam, qui in ea numquam fuit, ex Plinio Cuiacius 10. *obſeru. cap.* 23. poſt Connan. 2. *com. cap.* 14. *n.* 3. alij apud Hillig. *ad Donell.* 2. *comm. cap. vlt. litt. A.* D. Larrea *Granat. deciſ.* 32. *num.* 28. extantque exempla eiuſce locutionis *in l. Si pater* 15. *l. Nec ei* 17. §. *Et primum* 2. *verſ. Deinde. l. Etſi pubes* 33. *D. de adopt. l.* 5. §. 1. *D. de ſtatu hom.* Nec diſsimilia apud Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr. pag.* 3. Illud denique dignum notatu, filium in ſervitute quæſitum, & à patre poſtea adrogatum, redigi eo beneficio in poteſtatem patris, & in ius filij, ac ſui hæredis. *d. l. Iubemus 6. in princ.* & §. *vltim. Cod. de natur. lib.* & ius ingenui conſequi in familia adrogatoris. *d. l. Sciendum* 32. quamvis extra eam libertinus maneat, *d. l. vlt.* & *l. vlt. D. de ſtatu hom.* Vtrumque autem diverſum eſſe in liberto non filio, quem patronus teſtamento inter filios, & quaſi filium hęredem ſcripſit, nuncupauitque, vt *in l. Caius* 12. *D. de iure patron.* hic enim neque filius eo modo fit, quia filij nuncupatio, aut profeſsio à patre facta, quamuis vt probet, eũ, qui alioquin filius dicitur, filium eſſe, grandis momenti ſit. *l.* 1. §. *Iulianus* 12. *D. de agnoſc. lib. l.* 1. §. *Ad quæſtionem* 3. *D. de quæſtionib. cap. Per tuas* 10. *de probat.* non tamen facit filium eum, qui cum talis non ſit, filius nominatur. *l. Non epiſtolis* 13. *cum l. ſequ. Cod. de probat. l. Neque* 5. *Cod. de teſtament.* quippe neque adoptio eſt *dict. l.* 13. & 14. & vtcumque pro adoptione teſtamento facta haberetur, non ſubſiſteret, niſi confirmata à Principe. *l. Adoptio* 38. iuncta *l.* 2. *D. de adoptionib.* vt ad rem Cuiacius præmonuit *lib.* 7. *obſeru. cap.* 7. & *lib.* 1. *reſponſ. Modeſtini in dict. l. Caius* 12. *D. de iure patronat.* ac deinde neque ingenui ius habet, etiam in familia patroni; quoniam, vt diximus, nominatio adoptio non fuit, & alioquin ingenuitas natalibus, aut publica rei iudicatę, aut Principis auctoritate quæritur, non priuata nuncupatione. *l.* 1. *Cod. de iure aur. annul. l.* 2. *Cod. de colluſ. detegend. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu homin.* Proinde & rectè Modeſtinus reſpondet, eiuſmodi ſcripturâ teſtamentariæ filij nuncupationis, ſtatum liberti non mutari, ſcilicet, neque vt filius fiat, neque vt ingenuus, etiam quoad patroni familiam. *dict. l. Caius* 12. *D. de iure patronat.* cuius hæc paraphraſis eſt, Alberico, Cuiacio, & alijs viſa, magis quàm trita (Cuiacio ſupra, & *in recitat. ad tit. D. de iure patronat. in l.* 9. Alberico *in dict. l. Caius* 12.) Planè iure nouiſsimo filij ſpurij nominatio apud acta, vel teſtamento, aut inſtrumento, tamquam filij, ſimpli-

pliciter, facit eum filium legitimum. *Nouell.* 117. *vt liceat matri, & auiæ, cap.* 2. vbi Accurſius, verbo, *Vocante*, & nominatio ſervi tamquam filij, apud acta, facit cum ſaltem liberum, ſed non filium, ſicut & adoptio olim, ex Catonis ſententia. §. *vltim. Inſtitut. de adopt. l. vnic.* §. *Similique* 10. *Cod. de Latina lib. tollenda.*

CAPVT XXIV.

DE IVDICATO IN CAVSIS NOBILITATIS QVANDO & quatenus alijs noceat, aut proſit. Practicæ Illationes.

AD LEGEM 7. 8. ET 9. TIT. 11. LIB. 2. COMPILATIONIS.

ARGVMENTVM.

IVdicatum pro nobilitate, aut contra eam, cum iuſta contradictione, & contradictore, eſt pro veritate, quoad alios, cum ſuis tamen temperamentis. Iudicato contra patrem in nobilitate priuilegiaria, ſi filij proprio iure, neque tranſmiſſo à patre nitantur, non excluduntur, aliter atque ſi tranſmiſſo. In nobilitate poſſeſſoria, ſi pater ſuccubuit, quia non probauit, ſe poſſediſſe, eo ipſo ab ea nobilitate excluſus eſt filius; non item ſi ſuccubuit, quia non probauit poſſeſsionem aui, quo caſu filius probata aui ſui, & patris, ac ſuá ſimul viceunali poſſeſsione victor futurus. In nobilitate ſoli, ſeu ſanguinis, iudicatum contra patrem non nocet filijs, nec modò conceptis ante iudicatum, quod expeditius, ſed etiam poſtea ex ratione, & regulis iuris, quæ appenduntur. Res iudicata contra fratrem in nobilitate proprietaria ſoli, aut ſanguinis, vel etiam poſſeſſoria, aut priuilegiaria, non obſtat in vim iudicati, alij fratri, ſicut nec iudicatum contra vnum ex conſortibus litis, obſtat alijs, etiam in connexis, aut indiuiduis, vtique apud Nos *ex Regia l.* 21, *tit.* 22. *part.* 3. quæ collata cum Romanis legibus. E contrario iudicatum pro nobilitate vnius fratris prodeſt alij frati; idque, quia diſpar ratio odij, & fauoris. Iudicatum cum matre pro libertate, aut contra eã, quæ vis, quoad filios.

1 SEd ê Scholico pulvere tantiſper iam ad forenſem, producturi ad eius trituram, moreſque noſtros, aſſertiones illas iuris prudentum de ingenuo, & libertino, quoad leges Iuliam, & Papiam, de quibus hactenus ex *d. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. l. Res iudicata* 207. *D. de reg. iur. l.* 4. *D. de colluſ. detegr. l.* 4. *& l. vlt. D. de iure aur. annul. l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt. l. vlt. D. de adopt.* In primis vtique ex ſententia *dict. l. Ingenuum* 25. deducimus, iudicatum pro nobilitate, vel contra eam, quoties ſcilicet contradicto iudicio, cum contradictore iuſto, nobilem quem eſſe, aut non eſſe, iudicatum eſt, haberi pro veritate, & ius facere quoad alios omnes, id quod ex regula *dict. l.* 25. iuncta *l.* 1. §. *vltim.* cum *l.* 2. *&* 3. *D. de agnoſc. lib.* & quia nobilitas ius perſonæ eſt, & ſtatus veluti ingenuitatis, ſiue dignitatis, de quo lata ſententia ſtare, quoad omnes, debet, aut cadere. *l. Si dolo* 24. *D. de dolo. l. Ex ea* 9. *D. de poſtul. l. de ætate* 43. *D. de minor.* iuncta *l.* 5. §. 1. *&* 2. *D. de extraord. cognit.* docuit Ioannes Faber *in* §. *Præiudiciales, num.* 41. *Inſtit. de action.* Tiraquell. *de nobilit. cap.* 37. *num.* 2. poſt alios Petr. Surdus *deciſ.* 289. *num.* 17. Fab. de Anna *conſil.* 17. *num.* 20. nouiſsimè Hector Capic. Latro *deciſ.*

183.

183. *num.* 28. *& conſult.* 129. *num.* 2. *& ſeqq.* Regens olim, & noſter in Italico Senatu Collega, Don Franciſcus Merlinus *centur.* 2. *controu.* 32. *ex num.* 1. Scipio Rouitus *conſil.* 80. *num.* 5. *lib.* 1. Aug. Barboſa *de Canonicis, cap.* 13. *num.* 38. Alf. Eſcobar multis, & poſt multa, alienaque mouens, & miſcens *de purit. & nobil.* 1. *part. quaeſt.* 13. §. 1. *num.* 11. *& ſeqq. & quaeſt.* 17. §. 1. *ex num.* 5. & appoſitè ad normam Hiſpanæ nobilitatis, Otalora *de nobilit.* 2. *part.* 3. *princip. cap.* 8. *num.* 7. Garſia *eodem tractat. gloſſ.* 46. *num.* 3. *& gloſſ.* 6. *num.* 48. D. Molina 4. *de primog. cap.* 8. *num.* 3. *in fine.* Ioſ. Seſsè 1. *part. deciſ.* 4. *Arag. num.* 15. *& deciſ.* 10. *num.* 1. *&* 3. Fontanell. *deciſ. Catal.* 143. *num.* 10. Paz *de tenuta q.* 32. *n.* 73.

2 Cui traditioni conſentaneum cenſetur, iudicato patre nobili, aut ignobili, prodeſſe id iudicatum, & nocere eius filijs, quorum originis, & familiæ ius, ſeu nobilitas ex paterno iure pendet. *l. Liberos* 10. *in fin. D. de Senator. l.* 1. §. *vltim. D. ad municip.* §. *Sunt autem, Inſtitut. de legit. agnat. tut. l. Exemplo* 36. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l.* 1. *C. de dignitat. lib.* 12. *cap. vltim. de conuerſ. infid. l.* 2. *tit.* 21. *part.* 4. *l.* 3. *tit.* 21. *part.* 2. Quoniam in genere monſtrando princeps eſt partis paternæ prærogatiuæ, vt ſcitè Apollinaris Sidon. *lib.* 5. *epiſt.* 21. idque ita ex *dict. l.* 1. §. *vltim. cum l.* 2. *&* 3. *D. de agnoſc. lib.* notat in ſpecie Mieres *de maiorat.* 2. *par. quaeſt.* 4. *illat.* 2. *num.* 28. & poſt Otalorã, Garſiam, & alios laudatos, Eſcobar *d.* 1. *p. q.* 17. §. 1. *n.* 26. *&* 27.

3 Verùm conſequentia hęc, ſiue illatio de iudicato contra patris nobilitatem, nociturо filijs, eget temperamentis, & explicatu, ſine queis, & ſimpliciter falſa foret. Et in primis ſi quæratur de nobilitate priuilegiaria, & quidem ex priuilegio, non quaſi antiquę nobilitatis declaratorio, ſed eiuſdem nouæ inductiuo, quo cum pater niteretur, iudicatum contra eum eſt, talem priuilegiarium nobilem non eſſe, diſtinguenda, vt ſciatur, an filijs noceat & forma priuilegij; quippe ſi id non patri ſoli, ſed etiam eius filijs, ſiue liberis, poſteriſve, verbis ad eos relatis conceſſum fuerit, iudicatum contra priuilegiariam nobilitatem patris, non habebitur pro iudicato quoad filios, quia non iure traſmiſſo à patre, aut pendente, acceſſoriove illius iuri, ſed diuerſa, propria, ac ſpeciali conceſsione nituntur. Argumento ex *l. Emancipatum* 7. §. *vlt. D. de Senator.* iuncta *l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* Sin autem priuilegium fuerit conceſſum patri, & de liberis nihil loquutum, tametſi ad eos tranſmiſsibile, & pertinens ex clauſula indultæ in perpetuum nobilitatis, aut exæquationis cum nobilibus originarijs, obſtabit iudicatum contra patrem filio. Argumento *ex dict. l. Emancipatum* 7. *verſ. Sed cum. l. Moris* 9. §. *Planè* 15. *D. de pœnis. l.* 2. §. *Sed ſi pater* 3. *D. de Decurion.* ſi tamen ſit conceptus poſt iudicatum contra patrem, *dict. l.* 7. §. 1. *verſic. Si quis conceptus. dict. l.* 3. §. *Sed ſi pater* 3. *cum* §. *ſequ.* iuncto proprio ad rem *textu in l. vltim. Cod. de liberali cauſa. l. Si quis cum* 7. §. *Si ancillam, D. de except. rei iudic.* quoniam ſcilicet non ſuo iure nititur filius, ſed veluti tranſmiſſo, & pendente à patre, qui amiſit, iudicatus ignobilis, antequàm tranſmitteret. *l. Diuo* 11. *C. de quaeſt.* Quomodò & iam docuimus, diſtinximusque in quęſtione ſimili, de amiſsione nobilitatis priuilegiariæ in liberis, per inuſum tricenij in patre, ſupra hoc libro. Et fere diſtinguit nouiſsimè Theodor. Hop-

Hopping. *de iure inſign. c.* 16. *exn.* 101.

Deinde ſi de nobilitate, vt loquimur, ſanguinis, ſeu non priuilegiaria, quæramus, de qua litigans pater victus fuit, & ignobilis iudicatus, ſeparanda eſt quoad filios ex cenſura Hiſpanarum legum, cauſa nobilitatis poſſeſsionis, & proprietatis. Namque quoad poſſeſsionem, ſi pater iudicatus ignobilis, quia ſe fuiſſe in quaſi poſſeſsione nobilitatis non probauit, obſtabit vtique id iudicatum filio litiganti de poſſeſsione nobilitatis, quia in ea, vt obtineat, preter poſſeſsionẽ in ſua perſona, probare debet continuatã poſſeſsionẽ vicennij patris, & aui, ex præſcripto noſtrarum legum 7. 8. *&* 9. *tit.* 11. *lib.* 2. *compil.* nec poteſt in propoſita ſpecie probare poſſeſsionem patris, contra quem iudicatum eſt, non poſſediſſe, & in quo ille principalis contradictor fuit. *dict. l. Ingenuum* 25. iuncta *l.* 3. *D. de colluſ. deteg.* filijque ius, ex illius iure in ea poſſeſſione pendens; & acceſſorium, ac proinde ſine illo non ſubſiſtens, vt *in l. Pomponius* 13. §. *Quæſitum, D. de acquir. poſſeſſ.* Notat ad rem Otalora *de nobilitat.* 3. *part. cap.* 6. *num.* 9. *verſic. Vel aliter, & ſecundò.* Seſsè *deciſ. Arag.* 6. *num.* 36. Mieres *de maiorat. dict.* 2. *part. quæſt.* 4. *illat.* 2. *n.* 29. Ceuall. *commun. contra commun. q.* 636. *num.* 11. Et è contrario ſi pater iudicatus ignobilis, quia quamvis ſuam, & patris, non tamen aui poſſeſsionem nobilitatis probauit, poterit obtinere filius in poſſeſſorio nobilitatis, probata poſſeſsione vicennaria ſua, & patris, atque aui, quamuis non probet proaui, cuius ex defectu pater ſuccubit; euenietque ille caſus, Pragmaticis noſtris mirabilis, quo plebeius pater, & nobilis filius pronuncietur, vt expendunt Otalora 2. *part.* 3. *principal. cap.* 8. *n.* 2. *verſic. Sed in ea.* Garſia *de nobilit. gloſſ.* 12. *num.* 48. Seſsè *deciſ.* 3. *Arag. num.* 25. *&* 30. *& deciſ.* 4. *num.* 6. *& ſeqq.* Fab. de Anna *conſil.* 80. *num.* 12. dummodò, quod hi non expendunt, ante iudicatum contra patrem, fuerit in eo, & ipſius patre continuata, & completa vicennij poſſeſsio, iuxta præſcriptum *dict. l.* 8. illic: *Por veinte años continuos, y cumplidos. tit.* 11. *lib.* 2. *comp.* quia id completum ius non perimitur, quoad nepotem interruptione poſt iudicati contra patrem, ex ſententia *l.* 1. §. *vltim. cum l.* 2. *D. de itinere, actuq. priu. l.* 1. §. *Idem ait* 20. *D. de aqua quot. & æſt.* iunctis traditis à Garſia *gloſſa* 6. *num.* 1. *&* 62. Cęteroquin ſi expleta non dum foret vicennaria poſſeſsio, & præſcriptio, non dubitarem, eam interrumpi iudicato contra patrem, ex regula *l. Si poſt acceptum* 18. *D. de iudic. l. Nemo* 10. *Cod. de adquir. poſſeſs. l.* 1. *&* 2. *l. Nec mora* 10. *Cod. de præſcript. longi tempor.* neque illius acceſsione poſſe vti filium ad complendum vicennium, in patre interruptum. *dict. l. Pomponius* 13. §. *Quæſitum* 4. *D. de adquir. poſſeſs. l. Poſſeſsio* 20. *D. de vſucap. l.* 6. §. *vltim. D. pro emptore. l. penult.* §. 2. *D. de diuerſ. & temp. præſcript.* & conſequenter non continuum, quale exigitur *in dict. l.* 8. *tit.* 11. *lib.* 2.

Iam verò ſi de proprietate nobilitatis ſanguinis lis, & res iudicata contra patrem fuerit, ſiue fuerit ea nobilitas ſoli, vt aiunt, notorij, ſiue proprietaria ſimpliciter ſanguinis, & originis, inter quæ adhuc effectum non diſtinguimus, vt expoſita *Henricia lege* 9. *tit.* 11. *lib.* 2. *compilat.* obſervauimus ſupra; res iudicata contra patrem, qua non eſſe nobilem ſoli, vel ſanguinis, ſed ignobilem potiùs, pronunciatum eſt, non oberit filio, quominùs poſtea litigans oſten-

oſtendat proprietariam ſoli, vel ſanguinis nobilitatem, ſecluſa etiam patris perſona, à maioribus deductam, iuxta normam Regiarum legum, idque aperta illa, & eleganti ratione; quia in nobilitate ſoli, vel ſanguinis, pater, contra quem iudicatum eſt, non fuit principalis contradictor, reſpectu filij, cuius originaria nobilitas non à patre, ſed à genere, & maioribus pendet. *l.* 3. *D. geſt. de interd. & releg. l. Iura* 8. *D. de regul. iur. l.* 2. *in fine*, illic: *Que lo han por linage antiguamente.* Et poſtea: *Mas de lueñe vienen de buen linage. tit.* 21. *part.* 2. Quocirca nec iudicatum contra patrem nocere debet filio, qui, quoad ſtatum ſuæ nobilitatis, iuſtus, & principalis contradictor eſt. *l. Principaliter* 19. *Cod. de liber. cauſ.* iuncta *l.* 1. *Cod. de ingen. manum. l.* 3. *D. de colluſ. deteg.*

6 Id porrò in filijs natis, conceptiſve, antequàm contra patrem iudicaretur, expeditius eſt, quia eis, etiam quoad nobilitatem priuilegiariam, quamvis tantò, quam ſanguinis, debiliorem retinendam ex perſona, & dignitate ſolius patris, non officit, quòd pater eam per ſententiam, aut alio caſu amiſerit, ſufficitque, fuiſſe illos natos, ſeu conceptos, antequàm amitteret. *l. Emancipatum* 7. §. 1. *verſic. Si quis conceptus, D. de Senator. l.* 2. §. *Sed ſi pater* 3. *cum ſeqq. D. de Decurion. l. Moris* 9. §. *Planè* 15. *D. de pœnis*; & ſimiliter quoad ſtatum libertatis, quamvis ea in filijs pendeat non à parentibus, ſeu maioribus, ſed à matre ſola, cuius ſtatum filij ſequuntur. *l. Partum* 7. *Cod. de rei vindic. l.* 3. *Cod. ſolut. matrimon. l. Aui* 27. *Cod. de liber. cauſ.* non officit lis iudicata contra libertatem matris, filijs ante litem natis, quia ſuo nomine, tamquam principales de ſtatu ſuo contradictores in litem vocari, debuerunt. *l. vltim. Cod. de liber. cauſa. l. Si vſumfructum* 23. §. *vltim. D. eodem tit.* iuncta *l. Si quis cum totum* 7. §. *Si ancillam, cum* §. *de fructibus* 3. *D. de except. rei iudic.* de queis ſupra non ſemel (quibus fatendum eſt, non concinere, nec tamen contrarium eſſe, ſed ſua, & propria ratione niti, quod elicitur ex *l.* 1. §. *vlt. D. de Carbon. ed. l.* 1. *Cod. ad leg. Corn. de falſiſ.* de qua *ad eum titul.* Cuiacius, & *lib.* 20. *obſeru. cap.* 24. Carrança *de partu, cap.* 5. *ſect.* 3. D: Larreatigui *in var.*

Sed & in filijs, ſuſceptis poſt iudicatum contra nobilitatem patris, poſſe eos ex perſona aui, & maiorum, proprietariam nobilitatem ſibi aſſerere, non obſtante patris caſu, liquet ſatis, ſuperque ex regula, & ratione *d. l.* 3. *D. de interd. & releg.* iuncta *l.* 1. §. 1. *cum legib. ſeqq. D. de liber. cauſa.* & in propoſito firmant, poſt Petrum de Ancharr. *in cap.* 1. *de natis ex libero ventre.* Tiraquell. *de nobil. cap.* 35. *num.* 3. & 4. Otalor. *dict.* 2. *part.* 3. *princip. cap.* 8. *num.* 2. & 4. Garſia *dict. gloſſ.* 6. *num.* 43. & 48. Mieres *de maiorat.* 2. *part. quæſt.* 4. *illat.* 2. *num.* 35. operosè, imò, vt in propria cauſa, enixè Fab. de Anna *conſ.* 17. *per tot.* & *conſil.* 18. *num.* 11. & *ſeqq.* & *conſil.* 80. *ex num.* 8. & *conſil.* 19. & contra ſuum Sabaudum Aimonem *conſil.* 165. *num.* 4. & 5. A. Fab. *in ſuo Cod. lib.* 9. *tit.* 29. *defin.* 1. & 15. & 25. Seſsè *deciſ.* 3. *Arag. num.* 27. & *deciſ.* 6. *num.* 32. *tom.* 1. Eſcobar *de purit.* 1. *part. quæſt.* 13. §. 1. *num.* 19. (quãuis contrarium idem, & inconditè, vt ſolet, ſcribat *quæſt.* 17. §. 1. *num.* 26. & 27.) Hect. Cap. Latro *conſult.* 129. *ex num.* 16. Gutierr. 3. *practic. q.* 14. *num.* 140. & *ſeqq.* Theodor. Hopping. *de iur. inſign. cap.* 16. *num.* 7

102. Riccius *collect. deciſ.* 733. *part.* 4. Rouitus *conſ.* 80. *num.* 3 *lib.* 1. qui tamen, &, præ cæteris, Fabius de Anna, & A. Faber vtuntur parum aptè in hanc rem argumento *l. Emancipatum* 7. §. *vltim. D. de Senator.* cum ſimilibus, quæ ſunt de nobilitate veluti priuilegiaria, & dignitatis beneficio retinenda à nepote ex perſona aui Senatoris, quamvis pater amiſerit. Et quidem ideo, quia non tranſmiſſa à patre, ſeu tamquam eius filius, ſed ſuo, proprioque iure, tamquam Senatoris nepos, Iulia lege comprehenditur. *dict. l.* 7. §. *vltimo. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* atque ita non ſat dextrè applicantur ſanguinis nobilitati, quæ quamvis à maioribus, & auis in nepotem tranſeat, tranſit tamen media patris perſona, per quam nepos illis coniungitur, & nobilitas in eum transfunditur *ipſo ordine ſanguinis*, vt ſcriptum eſt *in l.* 1. *Cod. de priuil. eorum, qui in Sacro Pal. milit. lib.* 12. *l. Si ex patronis* 10. §. 1. illic: *Quia per patrem auitos libertos conſequitur. D. de bon. liber. l. Dotem* 6. *verſ. Quippe officium, D. de collat. bon.* & tamen adhuc ea nobilitas non perit nepoti, caſu patris, quia vtcumque per hunc tranſmittitur; verum nihilominùs eſt, non patrem, ſed maiores eam dediſſe. *d. l.* 3. *in fine*, illic: *Non enim hæc patrem, ſed maiores eis dediſſe. D. de interd. & releg.* & ab illis deriuatam cum ſanguine in nepotem, ſtatim atque conceptus eſt. Vt videre fere eſt in patronatu libertorum auitorum, pertinente ſanguinis iure ad nepotem, etiam patre exhæredato, aut notato. *l. Diui* 17. *in fine*; *D. de iure patron. l. Quæritur* 38. iuncta *l. Paulus* 47. §. *penult. & vltim. l. Si libertus* 23 §. 1. *D. de bon. l b.* In eoque vt debilius, ita deterius, & diuerſum ius eſt nobilitatis priuilegiariæ aui, in nepotem tranſmiſſo per patrem iure perventuræ, quæ vtique nepoti intercedit, ſi pater, per quem debuit tranſmitti, notatus ſit. *l. Diuo* 11. *Cod. de quæſtion.* de qua, & alijs ex profeſſo, ſupra.

Conſequenter propoſitis ſtatuimus, ſententiam, ſiue iudicatum contra fratrem, de poſſeſſoria nobilitate eiuſdem, aut etiam proprietaria ſoli, ſanguinis, vel priuilegij, qua, non potiri, ſiue ignobilem eſſe, pronunciatum eſt, non nocere, in vim exceptionis iudicati, fratri ex eodem patre, aut alij conſanguineo, quominùs ſuæ nobilitatis poſſeſsionem, aut proprietatem alio iudicio probet, & obtineat. Quæ aſſertio in primis nititur maſcula illa, & fundata iuris ratione; quia nec pater quoad filium, & multò minùs frater reſpectu fratris, ſed vnus quiſque in cauſa ſtatus, ſiue nobilitatis ſuæ eſt principalis, iuſtuſque contradictor, cui alterius factum, iudicatumue obeſſe, non debet. *l.* 3. *D. de interd. & releg. l. Principaliter* 19. *Cod. de liber. cauſa*, iuncta *l.* 3. *D. de colluſ. deteg.* Fulcitur etiam argumento, veluti à maiore, ex eo quòd iudicatum contra ſtatum matris, non præiudicat filijs, ſuſceptis ante litem. *l. vltim. Cod. de liber. cauſa. l. Si vſumfructum* 23. §. *vltim. D. eodem tit.* & proinde multò minùs nocere debet iudicatum contra fratrem, à cuius ſtatu non neceſſariò infertur ad ſtatum alterius. *l. Ad probationem* 22. iuncta *l. Matrem* 17. *Cod. de probat. l. Multis* 17. *Cod. de liber. cauſ. l.* 2. §. 1. *D. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit.* 8

Accedit generalis regula, quæ obtinuit, etiam inter vnius iuris, ſeu cauſæ, & litis conſortes, ſententiam contra vnum non nocere alij conſorti, qui non litigauit. *l. Titio* 71. §. *vl-* 9

vltim. in fine, *D. de condit. & demonſtr. l. Etſi crimine* 12. *Cod. ad leg. Iul. de adulter. l. Denunciaſſe* 17. §. *vltim. verſ. Si condemnatus*, *D. eod. tit.* Idque non modò in iure, & cauſa diuidua, vt in iudicato contra cohæredem, aut collegatarium pro portione ſua, quod cohæredi, aut collegatario non præiudicat. *l. Sæpe* 63. *in princip. D. de re iudic. l.* 2. *Cod. quibus res iudicata non noc. l.* 1. *l. Iudicatæ* 29. *D. de except. rei iudicatæ. l. A ſententia* 5. *D. de appellat. l. Cum duobus* 13. *Cod. de inoffic. teſt.* ſed etiam in cauſa connexa, veluti adulterij, in quo damnatio adulteri non nocet adulteræ. *dict. l. Etſi crimine* 12. *Cod. ad leg. Iul. de adulter. dict. l. Denunciaſſe* 17. §. *vltim. cap. dilecto* 25. *in fin. de præbend. l.* 9. *tit.* 17. *part.* 7. & in iure indiuiduo, veluti ſeruitutis, de qua res contra vnum, qui de communi ſeruitute egerat, iudicata, non eſt damno cæteris, ſeruitutem vindicaturis. *l. Si de communi* 19. *D. ſi ſeruit. vindic.* iuncta *l. Cum filius* 76. *verſ. Planè*, *D. de legat.* 2. in quo poſtremo, quamvis poſt gloſſam, & Bartolum *in dict. l. Si de communi* 19. contra ſtatuat Cuiacius inibi, &, poſt plures Alexander *in dict. l. Sæpe* 63. *num.* 48. *D. de re iudic.* Nouiſsimè poſt alios Salgado *in labyrintho* 3. *part. cap.* 1. *num.* 179. *& de Reg. protect.* 4. *part. cap.* 8. *num.* 350. & fortaſſe potioribus iuris, & rationum momentis, *ex l. Liberto* 31. §. *vltim.* vbi gloſſ. *D. de negot. geſt. l. Si rem* 62. §. 1. *D. de euiction. l. Loci* 4. §. *Si fundus*, *cum* §. *ſeq. D. ſi ſeruit. vindic. l.* 2. §. 1. *D. de Prætor. ſtip. l. ſupra* 11. §. 1. *cum* §§. *ſeqq. D. de aqua, & aquæ pluui. l. In duobus* 28. *in princip. &* §. *Ex duobus* 3. *D. de iurei. l. Ex duobus* 16. *D. de duob. reis. l.* 4. *D. ſi ex noxali cauſa agat. l. Si ſeruus* 8. *D. de noxal. act.* Tamen quoad fori noſtri, cui hæc ſcribimus, paraturam, ſatis eſt, aſſertionem hanc, quæ plurium etiam ex Accurſianis eſt, de iudicato contra vnum de ſeruitute, non præiudicaturo cęteris, firmari, & exprimi *Regia noſtrate l.* 21. *verſ. E ſi por auentura*, vbi Gregor. *gloſſ.* 3. *tit.* 22. *part.* 3. ex qua ita nuper, poſt Hilligerum, & alios, notauit noſter ad Scholas, forique vſum Alfonſ. Olea elucubrato *tractatu de ceſsione iur. tit.* 4. *q.* 6. *n.* 33.

E contrario autem ex eiſdem regulis deducitur, & affirmatur, iudicatum pro nobilitate vnius fratris, proprietaria ſcilicet ſoli, ſanguinis, aut priuilegij, qua ex perſona parentum, ſiue tamquam ab eis deriuata, nobilem eum eſſe, iudicatum eſt (non item ſi priuilegiaria in vno fratre incipiens, aut poſſeſſoria vnius fratris nobilitas eſſet, de quo alibi) prodeſſe alteri fratri ex eiſdem parentibus, argumento *ex Authent. Si quis liberos*, *Cod. de natural. lib. Nouell.* 117. *Vt liceat matri, & Auiæ. cap. Ad hoc* 2. *l.* 7. *tit.* 15. *part.* 4. in eoque potentius, & melius ius eſſe iudicati pro nobilitate, quàm contra eam, quod in primis, quoad ſententias de ſtatu, pervincitur exemplo rei iudicatæ contra libertatem matris, quæ, quamvis non noceat filijs, ante litem editis. *l. vltim. Cod. de liber. cauſ. l. Si vſumfructum* 23. §. *vltim. D. eod. tit.* proficit tamen eiſdem filijs, ſi ſecundùm ingenuitatem matris iudicetur. *l. Si auiam* 3. *Cod. de ingen. manum.* Conducit circa eaſdem de ſtatu ſententias, quod videmus, fauorabilem ſemper eſſe cauſam, & ampliationem earum, quæ pro libertate. *l. Duobus* 30. *in fine.* iuncta *l. Si pariter* 9. *in fine*, *D. de liber. cauſa. l. Lege Iunia* 24. *D. de manumiſsion. l. Inter* 38. *D. de rei iudic. l. Iudicatæ* 29. *D. de except. re iudic. l. Cum filius* 76. *D. de leg.* 2. *l. Cum duobus* 10

*bus.*13.*Cod.de inoffic.teſtam.*Adſtipulatur & quod dicitur,quamvis in cauſis diuiduis, iudicatum pro eo, qui pro parte ſua litigauit, non magis alij proſit, quàm noceat. *l. Si cum vno* 22. *D. de except. rei iudic.l.* 2. *Cod. quib. res iudic. non noc.* tamen in connexis, aut indiuiduis, ſententiam, ſeu victoriam vnius,qui in ſolidum egit, prodeſſe conſorti. *l. denunciaſſe* 17. §. *vlt. verſ. Si abſolutus.* iuncta *l. Adulter* 19. §. *Si eo.* & §. *vlt. D. ad leg. Iul. de adult.l.*4.§.*Si fundus* 3. *D. ſi ſeru. vind.l.*4.*D.expilatæ hær.l.Si hæres* 7. *D.famil.herc.l.Poſthum*' 6.§.*Si quis ex his, D.de inoffic.teſt.l.*1.*Cod. de diuerſ. reſcript.l.Si qui ſeparatim* 10. §. *vlt. D.de appellat.l.*1.& 2.*Cod.Si vnus ex pluribus appell.cap.penult.de appell.* Idque expeditius eſſe, quàm vt contra vnum iudicatum alij noceat, ex ratione *l.Soluẽdo* 39.*in fin.D.de negot.geſt.* & aperta apud nos *deciſione d.l.*21.*tit.* 22.*p.*3.

11 Porrò vtrumq; propoſitum, nẽpe & iudicatum,contra nobilitatem fratris,non nocere fratri,& pro ea iudicatum prodeſſe, ne auctoramentis Doctorum egeas,probant, poſt Angelum *in Authent.Vt liceat matri, & auiæ,*§.*Ad hoc in fine.*Alex.*in l. Sæpe, num.*51.*D.de re iudic.*Matth. Afflict. *in Conſtit.Neap.*proſequentes *quæſt.*5. *num.*15.& *quæſt.*7.& *in Conſtit.Intentionis noſtræ,num.*30.*verſ. Sed quæro de quæſtione.*Ioann.Faber *in* §. *Præiudiciale* 5.*num.*41.*Inſtit. de act.* Tiraq. *de nobilit.cap.*17.*num.* 2. & *cap.* 37. *num.* 14. Ioann. Vincent. de Anna *ſingulari* 468. copioſè Fab. de Anna *conſ.*80.*num.*16.& *conſ.*89.*num.*4. & 5.& *conſ.*99.*n.*7.& 8. Phil. Paſchal. *de virib.patr.poteſt.*4.*par.cap.*2.*num.* 69.& 70.Vinc.de Franchis *deciſ.*523. *num.* 19.vbi Amendol.*in addit. num.* 5. & ex noſtris,poſt Caſtel. *in l.* 79. *Tauri,*affirmantem,quæſtionem hanc à Procuratoribus Regni motam, nec deciſam in Comitijs Matritẽſibus *anni* 1534.*petit.* 48. D. Præſ. Couarr. *in practicis,cap.*13.*num.* 5. *in princip. verſ. Quòd ſi lis.*Greg. Lop. *in l.* 7. *verb.Los otros hermanos,tit.* 15. *part.* 4.Mieres *de maiorat.*2. *part. quæſt.*4. *illat.*2.*num.*30.Otalora *de nobilit.*2.*p.* 3.*princip.cap.*8.*n.*6. Garſia *eod. tract. gloſ.*6.*num.*48.Seſsè *deciſ.* 4. *Arag. p.* 1.*num.*28.& *deciſ.*6. *num.* 33. Franc. Hieron. Leon *deciſ.Valentin.lib.*3.*n.* 12.& *ſeqq.*Moreno de Vargas *de nobilit.diſc.*1.*n.*8.Fontanell. *deciſ.* 228. *ex num.*10.& *deciſ.*229.Lara *de Anniuerſ.lib.*2. *cap.* 4. *n.* 17. & *ſeqq.* & *de vita hom.cap.*7.*n.*52.Salgado *de Reg. protect.*4.*p.cap.*8.*n.*28.D. Valençuela *conſ.*90.*ex n.*145.& *conſ.*92.*n.* 63. & *conſ.*152.*ex n.*6.Riccius *collectan. deciſ.*733.& 835. Auguſt. Caputo *de regim.Reip.cap.*1.§.2.*n.* 30. Franc. de Petris *conſ.* 2.*n.*16.& *conſ.*30.*n.* 2. & *conſ.*39.*n.*18.& *conſ.* 40. *n.* 2. & *ſeq.* Melchior Lotterius *de re benefic. lib.* 2.*q.*43.*n.*85.Capic.Latro *conſult.*12. *n.*32.& *conſult.*50.*n.*27.*lib.*1. & *conſult.*128.*ex n.*11.& *conſult.*129.*ex n.* 4.& 14.*cum ſeqq.tom.*2.Coccinus *deciſ.Rotæ* 68.*n.*14.& *deciſ.*105. *num.*1. Scip.Rouit.*conſ.*80.*n.*6. & *ſeqq. lib.* 1.Theod.Hopping.*de iure inſign.cap.* 7.*n.*308.& 316.*cum ſeqq.* Eſcob. *de purit.*1.*p.q.*13.§.1.*n.*19.& §.2. *n.* 10. quamvis aliter idem *quæſt.*17. §. 1. *n.* 30. notatus à Capicio Latrone *dict. conſult.* 129. *ex num.* 14.

CAPVT XXV.

DE IVDICIIS PRO NOBILITATE, AVT PVRITATE SANGVINIS, quoad equeſtres habitus, aut actus S. Inquiſitionis, & Collegiorum, Eccleſiarumque, & ſimilium.

ARGVMENTVM.

IVdicia, quę prænominauimus, vtpote extraordinaria, ſummaria, & ſine iuſta contradictione, aut contradictore, non faciunt iudicatum. Comparabilia quadamtenus cum impetrato honore aureorum annulorum. Deductio inde ad maioratus clauſulam, de proprietaria nobilitate in ſucceſſore, cui non fieri ſatis, illis honoribus, Senatus cenſuit. Decreta in eis extraordinarijs iudicijs neque obſunt, neque proſunt, in alijs, nec quoad alios, niſi in vim præſumptionis. Pragmatica de tribus actibus poſitiuis, diſcrepans ab his regulis, ſubnixa tamen alijs, iuſtè politicis: quibus tamdem non acquieuere militares Ordines, & qua auctoritate, & iure.

1 LIneas addimus eiuſdem penicilli, & circa rem iudicatam de ſtatu, quę theoricè ſupra explicuimus, & ſuperiore Capite ad res iudicatas de nobilitate patris, aut fratris, & an filijs, fratrive noceant, proſintve, aptauimus, producimus adhuc ad praxim, patrioſque mores. Ergo cum ſtet in primis, ſtatumque ſit, regulam illam de re iudicata de nobilitate, ſeu ſtatu, habenda pro veritate quoad omnes, ſtare, obtinereque, ſi modò res iudicata ſit. *ditt. l. Ingenuum 25. D. de ſtatu hom. l. 1. §. vltim. cum l. 2. & 3. D. de agnoſc. lib. l. 3. D. de colluſ. detegend.* Elicitur hinc rectè, & intelligitur in eo iudiciorum genere, in quo quamvis de ſtatu ſanguinis, ſiue nobilitate agatur, & iudicetur, iudicata tamen, ſeu decreta in rem iudicatam non tranſeunt, ſiue rei iudicatæ auctoritate non nituntur, neque nocere, aut præiudicare alijs, quibus alioquin nocerent, imò neque omnino, & perpetuò illis ipſis, quorum de ſtatu actum, decretumque eſt.

2 Eiuſmodi noſtris moribus ſunt extraordinaria illa iudicia, in queis de puritate ſanguinis pro admiſſione ad Eccleſias, Collegia, & Sanctæ Inquiſitionis munera, ſimilem qualitatem ex ſtatuto requirentia, aut de nobilitate ſimul, & puritate, quoad equeſtria militarium Ordinum inſignia, probationes fieri, & decreta interponi, ſolent; in his enim iudicijs omnia abnormia, & informia (tametſi graues olim ob cauſas apud nos recepta, nec ſine graui motu, & rationum momentis, mutanda, de queis, ac de toto illo procedendi ordine contra Carleualium, Seguram, & alios, accuratè Gabr. Pareja *de edit. inſtrum. tom. 2. titul. 10. reſolut. 4. ex num. 18. & 24. cum ſequentibus*) & quæ nec conſentanea iudiciorum regulis, nec iudicati auctoritati ſufficientia. Quippe conſtat, eſſe hæc iudicia, ſiue inquiſitiones potiùs vocaueris, extraordinaria, ſummariaque, non tantùm quoad ordinem, ſolemniaque iudiciorum, quod ſatis eſſent, ne tranſirent in iudicatum. *l. à Diuo Pio 15. §. Si rerum, verſic.*

ſic. Sed ſciendum, *Digeſt. de re iudic. cap. Veniens* 38. *de teſtib.* Vtpote in queis proceditur ex officio arcano iudicis, ſine litis conteſtatione, & editione actorum, ac publicatione teſtium, & concluſione cauſæ, quod vel plus eſt, quàm ſimpliciter, vt dicitur, & de plano, ſine ſtrepitu, ac figura iudicij. *Clementina Sæpe de verbor. ſignif. Clementin. Diſpendioſam de iudic.* Sed extraordinaria etiam, ſummariaque, quoad ſubſtantiam cognitionis, & probationum, quia tam cognitio, & inquiſitio, quàm receptio inſtrumentorum, & teſtium fit ſine vlla citatione partis, vel eius admiſsione ad repulſas, & proinde imperfecta ſingula, & contra regulas iudiciorum, & iudicati. *cap.* 2. *cap. Significauit* 41 *de teſtib. l. Si quando* 19. *verſ. Sed cum, & Authent. ſeq. Cod. de teſtib.* iuncta *l. de vnoquoque* 47. *D. de re iudic. l. Admonendi* 31. *D. de iureiurand.* Denique, quod vel ſolum excludendę iudicati auctoritati ſufficeret, deficit in hiſce iudicijs *plena* illa *inquiſitio*, & diſcuſsio inter vtramque partem, cuius mentio *in l. Iudices* 9. *Cod. de iudic.* ſeu iuſtæ altercationis *magnus conflictus*, quem ſententiæ, & rei iudicatæ veluti neceſſarium nominat *lex vltim. Cod. Comminationes, vel epiſtolas*, quia cognitio, & iudicium fit, non modò ſine citatione, vt diximus, candidati eiuſmodi honorum, ſed etiam ſine alio contradictore iuſto, & veluti accuſatore, ſine quo ab honoribus nemo regulariter prohibetur. *l. Reſcripto* 6. §. *Si quis accuſatorem, D. de muner. & hon.* ſiue ſine qua iuſta contradictione, & contradictore, decreta in cauſa ſtatus non ſunt pro iudicatis. *l.* 3. *D. de colluſ. deteg. l.* 1. *l. Patronum* 5. *D. ſi ingenuus eſſe, dicet. l. Diui* 27. §. 1. *in princip. & verſic. Rectè, D. de liber. cauſ. l.* 1. *Cod. de ingen. manumiſ.* iuncta, quoad alias cauſas, regula *l. Qui repudiantis* 17. §. *vlt. D. de inoffic.*

Cui poſtremæ rationi propriæ, & ſpeciali ad rem, prę alijs generalibus, quibus practici noſtri vtuntur, accedit proprium item, & appoſitum ex priſco iure exemplum, nempe inſigne illud aureorum annulorum, quod cum Romanis moribus eſſet nobilitatis equeſtris, & ingenuitatis inſigne, vt apud nos ſacratæ equeſtrium militiarum Cruces, idcircoque aureorum annulorum ius conſequuti pro ingenuis habebantur, quoad honores, & dignitates ingenuorum. *l. vnic. Cod. ad leg. Viſell. l.* 1 *Cod. ſi ſeruus, aut libert. ad Decurion. lib.* 10. *l. vnic. Cod. quando ciuil. actio crimin. præiudic. l. Cum ex oratione* 44. *D. de excuſat. tutor.* tamen quia id ius impetrabatur beneficio Principis, ſine contradicto iudicio, aut contradictore iuſto. *l.* 2. *Cod. de iure aureor. annul.* præſtabat impetranti potiùs honorem, & imaginem, quàm ſtatum ingenuitatis. *dict. l.* 2. *l. vnic. Cod. ad leg. Viſell. l. Falſa* 33. §. *Sed ſi cui, D. de condit. & demonſtrat.* neque præiudicabat patrono, ſicut præiudicaret, ſi iudicatum eſſet. *l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi ias.* iuncta *l. Adoptiuum* 8. §. *Patronum, D. de in ius voc. l. Si is, qui* 42. *D. ad l. Iul. de adulter.* Expendi ſimiliter poſſunt exempla liberti, adrogati ab ingenuo, ex beneficio Principis, aut patroni iurantis, ſe patronum eſſe, queis caſibus, nec adrogatio ſtatum ingenuitatis, nec iuramentum libertinitatem omnino inducit, quia ſine contradicto iudicio expediuntur, & proinde nec iudicata ſunt. *l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt. l. vltim. D. de adoption. l. Si iurauero* 14. *D. de iure patron.* de quibus multa ſupra. Rectè itaque ta-

tametſi vix perpenſis his veteris iuris rationibus, noſtrates Doctores ſtatuunt, non haberi pro re iudicata, vt tamquam iudicata noceant, aut proſint decreta admiſsionis, vel excluſionis in Collegijs, Eccleſijs, Ordinibus, puritatem, nobilitatemue ſanguinis ex ſtatuto requirentibus; ita, poſt alios, Lara *de Anniuerſ. lib. 2. cap. 4. num. 91.* Paz *de tenuta cap. 32. num. 53. & ſeqq.* D. Valenç. *conſ. 90. ex num. 115.* Noguerol. *allegat. 25. num. 301.* Lother. *de re benefic. 2. cap. 43. num. 82.* Carleual. *de iudic. tom. 2. tit. 2. diſput. 3. num. 32.* Et poſt Aug. Barboſ. Ricciullium, & alios, operosè magis, quàm doctè, repetens, Eſcobar *de purit. 1. part. q. 9. §. 4. num. 63. & quæſt. 13. §. 3. num. 49. & §. 4. num. 72. & quæſt. 17. §. 1. ex num. 53.* Pareja *de inſtrum. edit. tom. 2. tit. 10. reſol. 4. num. 34.* conducunt in ſimili tradita à Ioſepho Seſsè *deciſ. Arag. 5. num. 12. & ſeqq. tom. 1.* Capicio Latr. *conſult. 50. num. 58. & ſeqq. lib. 1.*

4 Secundùm quæ, cum in Supremo Regio Senatu peteretur tenuta inſignis maioratus, cuius inſtitutor ſtricta, & diſerta conditionis forma, nobilitatem proprietariam, & poſſeſſoriam ſanguinis, & puritatem eiuſdem, nullo adverſo rumore laceſsitam, in perſona ſucceſſoris, & vxoris, & vtriuſque patre, matreque requirebat, quamvis plerique ex tenutę petitoribus integra, ex omni parte puritatis, & nobilitatis fama, & repetitis in ſe, & maioribus equeſtrium militiarum inſignibus ſplenderent, nec deeſſent iudices, qui cenſerent (fortaſſe non minùs prudenter, quàm humanè) dandam tenutam ex petitoribus vni, & ei, qui potiore cęteris vocationis, & ſanguinis iure niteretur, tametſi non vſque quaque, & vndique nobilitatem contradicto iudicio, & iudicato aſſertam oſtenderet, ſcilicet quoniam conditioni, vtcumque abſciſè nobilitatem proprietariam vndique requirenti, credendum eſt, ſatisfieri probatione nobilitatis moraliter poſsibili, iuxta ſubiectam materiam, & præſumptam mentem inſtitutoris, ad rem poſt Felinum *in rubr. de probat. concl. 2.* cenſuit Rota apud Seraphin. *deciſ. 207. num. 1. & ſeqq. tom. 1.* Lara *de Anniuerſ. 2. cap. 4. num. 53.* in ſpecie Eſcobar *de purit. in addit. pag. 502. verſ. Ibidem, poſt num. 185.* iuncta notabili traditione Caietani, de requirenda in probationibus rerum humanarum, certitudine fidei, non euidentiæ, apud Petr. Barboſ. *in l. 2. part. 1. num. 92. D. ſolut. matrim.* ne alioquin contra votum inſtitutoris, quæ conditio decori ſucceſſorum proſpexit, in eorumdem dedecus cedat, ſitque huius maioratus tenuta Delphicus ille tripus, quem ab Apolline dicatum primo ſapienti, cum inter ſeptem illos Græci nemo eo dono dignus cenſeretur, Apollini remiſſum memorant, aut ſicut Alexandri Imperium, quod optimo, ſiue digniſsimo relictum, non tam relictum ſucceſsioni, quàm diuiſioni fuit; tamen, neglectis hiſce conſiderationibus, Senatus noſter cenſuit, non eſſe locum tenutæ, illa inter alias ſtricti iuris ratione, quia, vt ſupra diximus, fama, poſſeſsio, & inſignia equeſtrium militiarum non faciunt rem iudicatam pro nobilitate proprietaria, qualem inſtitutor requirebat, & vbi ab inſtitutore nobilitas, vel alia qualitas in vim conditionis requiritur, probanda eſt plenè, & integrè. Vt argumento ex *l. 40. Tauri in fine*, notarunt Palac. Rub. *in l. 45. Tauri, num. 2.* Zeuallos *comm. quæſt. 905. num. 188.* ſiue ſpecificè,

ſicè, vt ſcripſit D. Molina 2. *de primog. cap.* 13. *num.* 30. *in fine*; iungendus Seſsè *deciſ.* 13. *num.* 17. *&* 20. *cum ſequentib.*

5 Eſt item propoſitis conſequens, decretam, & repetitam excluſionem vnius ab Eccleſia, Collegio, aut militia, puritatem, nobilitatemve requirente (quamquam ea, quæ decreta dicimus, non redigantur in acta publica, neque edantur, & ſint ſola, & ſecreta ſuffragia, quibus non conſtare de qualitatibus requiſitis in prætenſore decernitur, & expeditio petiti honoris ſuſpenditur, reprobatis, vt loquimur, informationibus) non obſtare in vim iudicati, quominùs ille idem ad eumdem honorem, & ordinem nouo decreto admitti, poſsit. Et multò minùs obſtare ipſi, quominùs ad alium Cœtum, vel Ordinem, ſimili ſtatuto ſubnixum, admittatur, ex regula *tituli Cod. res inter alios actas. l.* 1. *D. de except. rei iudic. cap. Inter dilectos* 6. *verſ. Atteſtationes de fide inſtrument.* Et multò vtique minùs nocere alijs eiuſdem filijs, fratribus, conſanguineiſve, quominùs ad eos ipſos honores, à quibus ille decreto excluſus, admitti denuo poſsint, & debeant; & è conuerſo decreta admiſsionis illi ipſi, qui admiſſus, non prodeſſe in vim iudicati, vt admittatur ad alium Cœtum, ſimili ſtatuto ſuffultum, & multò minùs prodeſſe ad eum finem, tamquam iudicata, filijs eiuſdem, fratribuſque, quæ ſingula ſtant vna illa, & ſolida iuris ratione, quia in iudicijs his extraordinarijs, & informatiuis, decreta pro admiſsione, vel excluſione non ſunt res iudicatæ. *dict. l.* 3. *D. de colluſ. deteg. l. Diui* 27. §. 1. *D. de liber. cauſa*, illic: *Nec ea res ingenuum facit eum, qui non fuit. dict. l. Ingenuum* 25. *Digeſt. de ſtatu homin.* docent, deducuntque laudati ſuprà, Lara, Pazius, Valençuela, Carleualius, & alij.

Illud tamen meminerimus, decreta hæc admiſsionis, vel excluſionis, quamvis neque proſint, neque præiudicent in vim iudicati, imò neque in vim probationis, ex regula *tit. Cod. res inter alios actas. cap. Inter dilectos* 6. *verſic. Atteſtationes, de fide inſtrument.* adeo vt nec ſemiplenam probationem faciant; contra quam cenſuit Bartolus, communiter exploſus *in l. Admonendi* 31. *num.* 45. *D. de iureiurand.* prodeſſe tamen, & præiudicare, ſaltem in vim præſumptionis, quæ probationibus alijs iuncta, vel in earum paritate, & concurſu pro admiſsione, vel excluſione, moneat, producatque animum iudicis in eam partem, pro qua decretum, vel admiſsionis, vel excluſionis, etiamſi inter alios, vel quoad alium ordinem adfuerit; iuxta nobiles textus, & decretis hiſce extraordinarijs aptabiles, *in l. Si duo patroni* 13. *verſic. Multum tamen fidei*, vbi poſt Accurſium, & Claſsicos, A. Faber *D. de iureiurand. l.* 1. §. *Iulianus* 12. *verſic. Quandoque*, *D. de agnocend. liber.* iunctis *l.* 1. §. *Ibidem Iulianus* 8. *D. de Carbon. edict. l. Imperatores* 29. §. *vltim. D. de probat. l. A ſententia* 5. *D. de appellat.* doctè & pro multis vnus, Dom. Couarruu. *in practicis cap.* 13. *num.* 4. plenè, & inſpecie Eſcobarius *vbi ſupr. quæſt.* 13. §. 1. *ex num.* 2. recenſendus tamen, & redigendus ad limam, lineaſque has veræ iuriſprudentiæ in his, quæ contra illam, & pro decretis hiſce admiſsionis, & excluſionis, ut proſint, noceantque alijs, tamquam ſi eſſent iudicata de ſtatu, molitur laborioſè *d.* §. 1. *ex n.* 11. *&* §. 2. *per totum*, maximè *ex num.* 17. *cum ſeqq.* 6

Ad-

7 Adnotamus tandem, conſequenter iam traditis, Regiam Pragmaticam, editam primùm inter alia Capita generalis Reformationis *anni* 1623. ac deinde inſertam *nouæ Compilationi lib.* 1. *tit.* 7. *l.* 35. 36. *&* 37. quibus cauetur, tres actus poſitiuos pro nobilitate, aut puritate ſanguinis, ſiue tria decreta, & honores, eis decretis obtentos, in Eccleſijs, Militijs, Tribunalibus, Collegijs, eas qualitates ex ſtatuto requirentibus, & eadem Pragmatica expreſsis, haberi deinceps pro re iudicata, vt tamquam talis, & ea auctoritate, & vi proſint ad ſimiles honores alijs eiuſdem lineæ, probata ſola, vt ita dicam, lineæ contingentia, & ſine noua nobilitatis, aut puritatis probatione, adnotamus, vt præmiſimus, hanc eius Pragmaticæ partem fuiſſe inductiuam iuris noui, nec conſentaneam ſtricti iuris ratione, & regulis, ſecundùm quas, decreta pro nobilitate, aut puritate, in iudicijs illis ſummarijs, extraordinarijs, & irregularibus, & ſine contradictione, aut contradictore iuſto, qualia apud nos recepta ſunt, etiamſi plura ternis, aut trecentis decreta forent, nec ſunt, neque cenſeri poſſunt res iudicatæ de ſtatu, vt animadvertimus ſupra, & actus poſitiui, ſiue honores, eis decretis obtenti proficerent ad ſummum pro quaſi poſſeſsione, aut præſumptione eius qualitatis, quæ probationis onus transferret in adverſarium. *l. Liberis* 7. §. *vltim. l. Cui neceſsitas* 39. *D. de liber. cauſa. l. Vis eius* 15. *Cod. de probat. l.* 5. *tit.* 14. *part.* 3. ſed neutiquam, vt ſint quoad alios pro re iudicata de ſtatu, quantumuis ſingulare, & nouum hoc ius Regiæ Pragmaticæ adaptare, tamquã conforme communi iuri, & Regulis, tentet, ſatagatque Eſcobarius *part.* 2. *quæſt.* 4. *art.* 2. *ex num.* 1. *&* 13. & ſupponat obiter D. Petr. Salcedo *lib.* 1. *de Lege Polit. cap.* 5. *num.* 24. *in fin.* Nec tamen ideo diffitemur, ſanctionem illam, vtcumque nouam, correctoriamque, ſubnixam fuiſſe iuſtis humanitatis, & politicę convenientiæ rationibus, quæ exprimuntur *in dict. l.* 35.

8 Sanè poſt hæc, vt ſunt variæ, & inſtabiles temporum, hominumque cenſuræ, in Generalibus equeſtrium Militiarum Ordinum D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ Capitulis, ſiue Comitijs, habitis nuper *anno* 1653. re tractata, & redacta ad examen Ordinum ſanctione hac, de tribus actibus poſitiuis, diſplicuit eius obſervantia, & vſus, quoad honores eorum Ordinum, quorum Capitularibus ſtatutis, Regia auctoritate editis, reuocata ea Pragmatica eſt; id quod an in futurum expedierit, experientiæ, & aliorum iudicium ſit. Illud interim non ſilemus, cum Regia illa Pragmatica munita poſtea fuerit Apoſtolica confirmatione, & Vrbani VIII. *Bulla anni* 1624. quam recitat Salcedo *d. l b.* 1. *cap.* 5. *n.* 23. etiamſi nuper Regia, cuius meminimus, reuocatione, quoad tres equeſtres Ordines abrogata ſit, tamen ne adhuc, Apoſtolica ſaltem, qua nititur, auctoritate obliget, neceſſariam videri Pontificiam diſpenſationem, ſeu derogationem, niſi reuocatio à Capitulis facta ſubſtineatur poteſtate, quæ ſuppouitur eiſdem, & eorum Magiſtro Apoſtolicis Bullis conceſſa, mutandi, & innouandi qualiacumq; etiam à Pontificibus confirmata, eorumdem Ordinum ſtabilimẽta, quæ modò primitiuæ regulæ ſubſtantiam non tangant, de quo tamen alij cenſeant.

CAPVT XXVI.

DE DECRETIS REINTEGRATIONIS, VEL ALLECTIONIS IN Sedilibus Neapolitanis, an faciant iudicatum: & de Pragmatica arcente Clericos à Sedilibus.

ARGVMENTVM.

SEdilium Neapolitanorum inſtitutio, & inſtitutum. Admiſsio ad ea per reintegrationem tranſit in vim iudicati, prodeſtque alijs ex familia, etiam collateralibus, & quare? Aliud in admiſsione per allectionem, qua non inducitur iudicatum; & tamen prodeſt proprio iure filijs allecti, non item collateralibus. Allectio non permiſſa Sedilibus, ſine Regio permiſſu, id quod firmatur politiæ, & iuris momentis, interque alia ex *l. 1. & 2. Cod. de iure aur. anul.* Nobilitatem, & admiſsionem ad Reipublicę regimenta indulgere, eſt ſolius Supremi Principis. Per Pragmaticam arcentem Clericos à ſuffragio, & adminiſtratione in Sedilibus (ſervata eiſdem nobilitatis prerogatiua) an lædatur Eccleſiaſtica Immunitas, ſeu libertas? Affirmatur non lædi, quia conſonat Pragmatica Eccleſiaſticis legibus, quæ illuſtrantur ſimul cum Cęſareis, & Regijs. Conſentanea item eſt Eccleſiaſtici ſtatus diſciplinæ. Excipiuntur Clerici Conſiliarij Regum, & quidem ex ratione, aut mente D. Thomæ.

1 PRoducimus & extra Hiſpaniam, ſed intra Hiſpanæ Monarchiæ terminos, tradita hucuſque de iudicatis, ſiue decretis de nobilitate, & ſtatu, ad illuſtria quinque illa *Sedilia*, ſiue *Exedras*, &, vt Iſernia nominat, *τόπους*, nobiliũ Neapolitanæ Vrbis, & totidem veluti Curias nobilium in quinque illis Porticibus, Plateis, &, vt aiunt, Quarterijs diſtributas, corpus Neapolitanæ Ciuitatis ſimul cum Sedili populi repræſentantes, & inſtitutas ad politicum eiuſdem regimen (vt apud nos Conſiſtoria Decurionum) primùm à Carolo I. Andegauenſi, & expolitas deinde plenius, perfectiuſque à Roberto, & Ioanna Regibus Neapolitanis, quorum auctoritati, & priuilegijs originem, & formam debent, vt poſt M. Ant. Surgentum *in Neapoli illuſtr.* Summontium *in Hiſtor. Neapol. lib. 1. cap. 8.* notat iuris, & hiſtorię peritus Franciſc. de Petris *Hiſtor. Neapol. 1. cap. 7. pag. 76. & ſeqq. & conſ. 46. & 63.* Hieronymus Meſigerus *in Neapolitanis delicijs, cap. 5. pag. 42. & ſeqq.* Iulius Capaccius *nel foraſtiero giornata 8. pag. 692.* poſt alios, inter practicos, Marin. Freccia *de ſubfeud. lib. 3. n. 18. & 34. pag. 463. & 466.* Vincent. de Franchis *deciſ. 207. n. 8. & deciſ. 2. n. 10.* nouiſsimè Taſſonus *in Pragmat. de antefacto, verſ. 2. obſeru. 4. num. 17. & verſ. 3. obſeruat. 3. n. 8. & 330. & verſ. 4 obſeru. 5. n. 1. & ſeqq.* Hector Capic. Latro *conſ. 128. ex n. 1. lib. 2.*

2 In his itaque quinque Neapolitanæ nobilitatis Sedilibus, quorum nuncupationes notiſsimæ, ſunt Nidi, Capuanæ, Montaneæ, Portæ nouæ, & Portus; ſi quæramus, an decreta admiſsionis vnius ad ſedile proſint in vim iudicati alijs, etiam collateralibus eiuſdem familiæ, ad ius ſeſsionis, & ſuffragij in eodem Sedili, obſervanda diſtinctio eſt, inter admiſſionem per reintegrationem, vel per allectionem, & deducenda diſtinctionis ratio ex iam traditis. Admiſſionem per reintegrationem vocamus,

mus; quoties collateralis ex familia, cuius maiores iure, & prærogatiuis nobilitatis alicuius Sedilis potitos fuiſſe, conſtat, petit, ſe declárari nobilem illius Sedilis, & reintegrari ad eius priuilegia, & honores: in qua hypotheſi, ſi vel probetur, maiores illos collaterales petentis fuiſſe ex familia antiqua originaria Neapolitana, vel ſaltem ſi non probetur, fuiſſe exteros nobiles ex alijs Neapolitani Regni Vrbibus, præſumuntur potiti honoribus Sedilis, tamquam originarij nobiles Neapolis, argumento *ex Nouella* 15. *de defenſoribus Ciuit. cap.* 6. *in fine*, illic: *Conuenit enim, vnumquemque nobilium ſemper functionem agere Ciuitatum, quas inhabitat. cap. Fundamenta* 17. *in fine, verſ. Vt autem Ciues, de electiion. lib.* 6. *l. Filios, Cod. de municip. & orig. lib.* 10. prodeſtque ea collateralium quaſi poſſeſsio, & origo, aut originis præſumptio collaterali nunc petenti, ad obtinendam ſententiam reintegrationis, vt in ſpecie, quoad Neapolitana Sedilia, poſt Matthæum de Afflictis *ad Conſtit. Neapolit. Proſequentes quæſt.* 5. *num.* 15. *& quæſt.* 7. *num.* 16. *& ad Conſtit. Intentionis num.* 30. *verſ. Sed quæro de quæſtione*, docent fuſiùs, diſtinctéque Ioann. Franc. de Ponte *conſ.* 107. *lib.* 1. Fab. de Anna *conſ.* 80. *num.* 16. Scip. Rouit. *conſ.* 80. *num.* 8. *lib.* 1. Phil. Paſchal. *de virib. patr. pot.* 4. *part. cap.* 2. *num.* 70. Auguſt. Caputus *de regim. Reip. cap.* 1. §. 2. *num.* 32. Capic. Latro *conſult.* 128. *ex num.* 11. *& conſ.* 129. *num.* 21. *&* 28. & poſt Bombinum, Viualdumque, eruditus præ alijs in his Sedilium cauſis Franc. de Petris *conſ.* 2. *num.* 16. *& conſ.* 39. *num.* 5. *&* 16. *& conſ.* 40. *num.* 2. *&* 6. & ex eo tranſcribens Ioannes Baptiſta Thoro *in compend. deciſ. p.* 2. *verbo, Nobilitas alicui, pag.* 381.

Id autem, quod tradidimus, quaſi poſſeſsionem collateralis, tamquam originarij Neapolitani in Sedili, prodeſſe collaterali ad reintegrationem, procedit multò magis, expeditiùſque, ſi qui nunc petit, aut maiorum aliquis admiſſus ſit ad Sedile per ſententiam reintegrationis; ea enim ſententia ritè lata, & obtenta proderit alijs eiuſdem familiæ etiam collateralibus in vim iudicati, vt admittantur ad idem Sedile, vt poſt Afflictis *in dict. Conſtit. Intentionis num.* 30. notant Ioann. Vinc. de Anna *ſingul.* 468. & laudati nuper Rouitus, Paſchalius, Caputus, Latro *dict. conſ.* 129. *num.* 7. D. Valençuela *conſ.* 92. *n.* 68. ex alijs Thoro 1. *tom. comp. deciſ. verb. Sententia lata in fauorem vnius fratris in Sedilibus pag.* 501. Ratio autem poſtremæ huius aſſertionis eſt, omnino ſupra poſitis principijs congruens, connexaque. Quippe reintegrationis ad Sedile ſententia ritè lata, eſt res iudicata de ſtatu nobilitatis, & quidem expedita, & obtenta ordinario iudicio, & cum contradictione, & contradictore iuſto, & proinde ius faciens, proficienſque in vim iudicati alijs etiam collateralibus, ex regula *dict. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. l.* 1. *§. vlt.* cum *l. ſeq. D. de agnoſc. liber.* quemadmodum noſtris moribus res iudicata pro nobilitate vnius fratris proprietaria, ſiue originaria ſoli, ſeu ſanguinis prodeſt alteri fratri iure iudicati, vt probauimus plenè ſupra. Enim verò, vt quod diximus de reintegrationis ad Sedilia iudicio, & iudicati vi, ſit etiam exteris pro explorato, monuiſſe, liceat, cauſas haſce apud Neapolitanos ex Regijs ordinibus tractari, & terminari magno conflictu, coram quinque Hiſpanis Iudicibus, Regia auctoritate deſignatis, citato, & con-

contradicente Sedili, eiuſque Electo, ſeu Syndico, ſimulque interveniente Fiſci Advocato, vt memorant Franc. de Ponte *de poteſt. Proreg. tit. 12. num. 2. vbi Additiones*, Caputus *dict. cap. 1. §. 1. num. 48.* Rouit. *conſ. 31. lib. 1.* tandemque per nouiores Ordines, non niſi præcedente libello ſupplici in Supremo Italiæ Conſilio, ibique expedito Regio permiſſu pro admittenda petitione reintegrationis.

4 Per allectionem dicimus, admiſſionem fieri, quoties ſine vllo contradictorio iudicio, ſed vel ſolo decreto Sedilis, vel præcedente ad allectionem tractandam Regio permiſſu, & ſecuta deinde Regia approbatione (de quibus formis poſtea nonnulla) reperitur allectio, ſiue aggregatio facta alicuius nobilis ad Sedile, & per eam allectionem admiſſus, quęriturque, an id decretum aggregationis, & admiſsionis ſit res iudicata ius faciens, proficienſque alijs eiuſdem familiæ admittendis. Reſpondemus indubiè, promptèque, non eſſe rem iudicatam, & idcirco quamvis allectio vnius ad Sedile proſit filijs, & deſcendentibus eiuſdem, ad honores illius Sedilis, non tamquam res iudicata, ſed tamquam ius priuilegiarię nobilitatis, à patre adquirente ad eius poſteros tranſmiſſæ, argumento *ex l. Liberos 10. D. de Senator. l. Diuo 11. Cod. de quæſtion. l. 1. Cod. de priuileg. eorum, qui in Sacr. Palat. mil. lib. 12. l. 1. & l. Senator 11. Cod. de dignit. eod. libr.* & ſupponunt in ſpecie allectionis ad Sedilia poſt Afflictis *d. Conſtit. Intentionis num. 30. & ſeqq.* Vinc. de Franch. *deciſ. 357. num. 5. in fine.* Ponte *dict. conſ. 107 num. 2. in fine.* Rouit. *dict. conſil. 80. num. 1. & 7. cum ſeqq. lib. 1.* exertè Paſchal. *de vir. patr. poteſt. 4. par. cap. 2. num. 69. & 70.* Caput. *de regimin. Reip. cap. 1. §. 2. num. 29. & 31.* Capic. Latro *dict. conſult. 128. n. 8.* Thoro *in compend. deciſ. 1. part. verb. Nobilitas alicuius familiæ pag. 359.* non tamen prodeſt fratri, aut collateralibus, deſcendentibus ex fratre allecti, ſicut neque eiſdem proficeret priuilegiaria nobilitas, aut poſſeſſoria, quæſita ab vno fratre, vt iuxta regulam *l. Matrem 17. l. Ad probationem 22. Cod. de probat. l. Multis 17. Cod. de liber. cauſa. l. 2. §. 1. D. ſi quis aliq. teſt. prohib.* notant, quoad mores noſtros, Otalora *de nobil. 2. part. 3. partis princip. cap. 8. num. 5.* Garſia *eodem tract. gloſ. 6. num. 48.* Lara *de vita hom. cap. 7. num. 52.* Parlador. *differ. 145. §. 2. num. 6.* Eſcobar *de purit. 1. part. quæſt. 17. §. 1. num. 35.* Et quoad Neapolitana Sedilia Afflictis, Ponte, Paſchalius, Caputus, Latro, & Thoro, vbi proxime. Et in commune Hoppingius *de iure inſign. cap. 7. num. 326.* Non eſt autem, vt diximus, allectionis decretum, res iudicata, quia ſine vllo contradicto iudicio expeditur, ſed vel Sedilis ſuffragio, & actu, quia extraiudicialis cenſetur, vt notatur *in cap. Conſtitutis 45.* vbi Panormitan. & alij *de appellat.* Vel extraordinaria itidem Supremi Principis approbatione, aut creatione, quemadmodùm iure Romano olim, allectiones, ſiue nominationes Decurionum ad honores, & Ordines curiarum (quibus, vt præmonuimus, Sedilia Neapolitana; & Decurionibus, equites Sedilium reſpondent) fiebant per ſuffragia, & Decreta earumdem Curiarum, interveniente, aut ſubſecuta Pręſidum Prouinciarum auctoritate, aut confirmatione. *l. 1. §. Solent 3. cum ſeq. D. quando appell. ſit. l. 3. cum legibus ſeqq. D. quod cuiuſc. vniu. l. 2. l. Nominationum 45. l. Si quos 59. C. de Decurion. lib. 10. l. Nominationes 27. Cod. de appellat.*

Enim

5 Enim verò quod ſuppoſuimus de allectione ad Sedile, facta à decreto Sedilis, vel Regia auctoritate (omiſſis tamquam à propoſito alienis, allectionibus illis, per quas in municipijs olim in Ciues recipiebantur, de queis *in l. 1. D. ad municip. l. Ciues 7. Cod de incolis, lib. 10. l. In adoptionem 7. Cod. de adoptionib.*) ne vel obiter indiſcuſſum maneat, obſeruandum obiter eſt, ſi de facto quæratur, extare vtriuſque generis allectionis vetera monumenta, & exẽpla, ſiue factę per ſuffragia maioris partis Sedilis, vt apud Sigiſmundum Lofredum *conſ. 51.* Vincent. de Franchis *deciſ. 2. per tot. & num. 28.* Franciſc. Cenſalium *in addit. ad Peregrin. ad artic. 23. pag. 114.* Franc. de Petris *Hiſtor. Neapolit. lib. 1. cap. 8. in fine*; ſiue Regio aſſenſu, aut reſcripto, vt apud eumdem Franchis *deciſ. 207. num. 11. & 13. & deciſ. 357. numer. 5.* Ioann. Vincent. de Anna *alleg. 130. num. 16. & 19.* Marcell. de Mauro *allegat. 7. n. 11. & 13.* iunctis traditis à Franc. de Petris *conſ. 63. num. 15. & 22.*

6 Cæterùm ſi de iure, ſiue facultate aggregandi, & alliciendi ad Sedilia, quæſtio ſit, an ſcilicet ea Sedilibus competat priuatiuè, vel ſaltem independenter à Regia approbatione, & permiſſu, quamuis non deſint, qui, competere, affirment, ex vi immemorialis conſuetudinis, vt ſupponit Caputus *de regimin. Reipublic. cap. 1. §. 2. num. 1. & ſequentibus*, interque alios turbido ſpiritu potiùs, quàm ſpiranti, & viua ratione, Cenſalius vbi proximè; verius tamen omnino eſt, ex iuris, & politiæ cenſura, ius hoc aggregationis, ſiue allectionis ad Sedilia, eſſe propriè ſolius Principis, Regiæque, vt ſic loquamur, Supremitatis, ſiue quia ſi allectionem ſpectes, tamquam cooptationem ad equeſtrem Ordinem, & actum poſitiuum, ſeu poſſeſſorium nobilitatis, eiuſque honorum, & inſignium, conſtat, ea ſingula à Principe Supremo conferri, & pendere, eſſeque inter Suprema, vt aiunt, Regalia. *l. 1. Cod. de equeſtr. dignitat. lib. 12. l. Sed ſi hac 10. §. Sed ſi ius 3. Digeſt. de in ius voc. l. Imperialis 23. §. 1. Cod. de nupt. l. 3. Digeſt. de natal. reſtit. l. vnic. Cod. ad leg. Viſell. l. Nemo 5. Cod. de dignitat. & l. 3. Cod. de Conſulib. lib. 12. cap. 1. §. Cæteri.* Vbi Baldus & Claſſici, *quis dicatur Dux, Marchio, vel Comes, lib. 2. tit. 10. in feudis. §. Filiusfamilias 4. verſic. Sed ex Conſtitutione, Inſtit. quib. mod. ius patr. poteſt. Nouella 78. vt liberti de cætero cap. 1.*

7 Vnde vt ignoto in hac re Pragmaticis, & appoſito ad allectionem Sedilium, auctoramento iuris vtamur, reſcripſerunt alibi Cæſares, natales antiquos, & ius ingenuitatis non præſtari à Decurionibus, aliquem tamquam nobilem, vel ingenuum Ordini, & Curiæ ſuæ aggregantibus (proinde neque per allectionem factam à Sedilium Decurionibus, & Curijs, quæ Romanis illis ſucceſſere, & reſpondent) ſed ab Imperatoribus peti, debuiſſe. *l. 1. & 2. Cod. de iure aureor. annulor.* iuncta *dict. l. vnic. Cod. ad leg. Viſell. l. 1. & 2. Cod. ſi ſeruus, aut libert. ad Decurion. lib. 10. l. Ex libera 6. Cod. de ſuis, & legit.*

8 Siue etiam, quia ſi Sedilia intueare, tamquam Neapolitanæ Vrbis, & nobilitatis Col-

Collegia, & per allectionem ad Sedile conſideres, tribui allecto ius politici ſuffragij, & conſenſus, & publicum veluti munus Decurionis in vna ex quinque illis nobilium Curijs, quibus, ſimul cum populi Curia, Neapolitana Ciuitas repræſentatur, & regitur; eſt item exploratæ aſſertionis, Collegia qualiacumque, eorumque iura, non poſſe, ſine Principis permiſſu, & auctoritate, ſubſtineri. *l. 1. D. quod cuiuſcumq. Vniu. l. 1. cum ſeqq. D. de Colleg. & Corpor.* & ſimiliter pendere allectionem ad Curias, & politica allecti munia, non ex poteſtate, aut decreto Curiarum, aut Decurionum nominantium, ſed ex Supremitate Principis, allectionem permittentis, aut confirmantis, vel per ſe, vt in allectis ad Senatum Romanum ſub Cæſaribus, &, vt Cæſares iidem loquuntur, *Senatorium conſequutis Imperiali largitate faſtigium.* in *l. 2. tit. 2. lib. 6. Cod. Theodoſ.* iuncta *l. In his 74.* illic: *Senatorio adepto vel à Nobis, vel à Diuis Principibus honore, de Decurion. in eod. Cod.* Caſsiodoro *lib. 1. variar. epiſtol. 41. & lib. 3. epiſt. 33. & lib. 4. epiſt. 25. & lib. 6. formula 14. de referendis in Senatu.* Lampridio *in Alexãdro*, Dione Caſsio *lib. 52. hiſtor.* Vel per Magiſtratus, & Prouinciarum Rectores, vt in Decurionibus, ad Curias, ſeu minores Vrbium Senatus, allectis. *l. 1. §. Solent 3. cum ſeq. D. quando appell. ſit. l. 2. l. Si quos 59. Cod. de Decurion. lib. 10. l. Defenſores 8. Cod. de defenſorib. Ciuit. Nouell. 15 de defenſorib. cap. 1.* Plinius *lib. 10. epiſt. ad Traianum 113. & ſeqq.*

9 Siue denique ex vna illa legalis, & politicæ ſcientiæ ratione, quia in Monarchico ſtatu, translatis ad Principem, vt Arcadius aiebat, Reipublicæ regimentis, & populi poteſtate, atque imperio. *l. vnic. D. de offic. Præf. Prætor. l. 1. D. de Conſtitut. Princip.* ita de rebus publicis cenſendi, & decernendi, &, vt Ariſtoteles nominat 4. *polit. cap. 4.* βουλευτικὸν, ſeu conſultatrix facultas, eſt ſolius Supremi Principis, & exercetur in ſingulis Vrbibus à Decurionibus, & Curijs, non ſuo, ſed Vicario, & precario Principis nomine, & iure. *l. 2. §. Nouiſsimè 11. D. de orig. iur. l. vnic. D. ad leg. Iul. de amb.* iuncta *l. 1. verſ. Nec Ciuitates, Cod. de bon. vacant. lib. 10. cap. vnic. quæ ſint Regal. lib. 2. In feudis, tit. 56.* ex noſtratibus Roder. Suar. *allegat. 7. num. 7. & 9.* & ex politicis Arniſeus *de iure Maieſt. lib. 2. cap. 4. num. 13.* Proinde & concludimus, fuiſſe ſemper precarias, & ex Regio permiſſu, aut confirmatione pendentes, allectiones ad Sedilia (quemadmodùm & fuit ipſorum Sedilium inſtitutio, leges, & forma, de qua ſupra) docentque in ſpecie, ex Neapolitani fori ſenſu, & ſtylo Franc. de Amicis *ad tit. de his, qui in feudum dare poſſ. §. Explanatis num. 3. & ſeqq. pag. 219.* Paſchal. *de virib. patr. poteſt. 4. part. cap. 2. num. 71. & 76.* acriter, prout affectus, Ioann. Vinc. de Anna *allegat. 130.* & eodem motu tranſcribens Marcell. de Mauro *allegat. 72.* apud quem Abbas Hieron. de Mauro *in Additionibus*, & notatus ſupra Cenſalius, tandem agnoſcunt hodie, ex Regijs ordinibus, eo iure Neapolitana Sedilia vti, ne allectiones tractentur, niſi præuio Regio permiſſu, neve fiant, niſi ſequuto Regio aſſenſu, & approbatione.

10 Eſt & alia, recens mota, & diſcuſſa, & antequàm è Sedilibus ſurgamus, ex propoſitis decidenda quæſtio, an ſcilicet iuſta, neque Eccleſiaſticæ immunitatis, aut libertatis offenſiua ſit lex politica, ſeu Pragmatica, nuper edita *anno* 1652. prohibēs Cle-

Clericis munia adminiſtrationis, & ius ſuffragij in Sedilibus Neapolitanis, ad exemplum alterius Pragmaticæ, de eadem re latæ à Prorege Cardinali Granuella *anno* 1570. quæ extat inter Pragmaticas Neapolitanas apud Regentem Tapiam *lib.* 1. *ad ius Regni tit. de Epiſcop. & Cleric. pag.* 38. in qua quæſtione, & vt ſine ambiguitate expediatur, obſervandum in primis eſt, non eſſe controuerſiam cum Eccleſiaſticis de honoribus nobilitatis Sedilium, ſeparatis ab adminiſtratione publici muneris, neque per Pragmaticam prohiberi, quominùs his honoribus fruantur, vel reintegrentur contradicto iudicio ad eas ſanguinis prerogatiuas, & actum poſitiuum, ſeu poſſeſſorium nobilitatis, quomodò reintegratum nuper legimus Epiſcopum Andrienſem, pro quo conſuluit, obtinuitque Scipio Rouitus *conſ.* 83. *lib.* 1. contradicente, & victo, vt fatetur, Capicio Latrone *conſult.* 50. *in fin. lib.* 1. atteſtante etiam Ioann. Mar. Nouario *ad Pragm. Neapol. tit. de condemnatis pro del. Collect.* 3. *num.* 1. & reintegratum ſimiliter alium Epiſcopum, & Equitem Hieroſolymitanum apud Capic. Latron. *conſ.* 128. *lib.* 2.

11 Deinde quoad ſtatum quæſtionis Pragmaticæ, qui eſt de arcẽdis Eccleſiaſticis à iure ſuffragij, & adminiſtratione publicorum munerũ in Sedilibus, meminiſſe oportebit id, quod iam ſupra ſæpiùs poſuimus, nempe quinque illa Sedilia eſſe totidem veluti Curias, &, vt nos nuncupamus, Decurionum Conſiſtoria, ſimul cum populi Curia, politicis Neapolitanæ Vrbis munijs, & miniſterijs veluti annonæ, & ſimilium, per Electos, quos vocant, & alios exercendis, deſtinata, vt præter Neapolitanos Surgentum, Summontium, Franc. de Petris, Taſſonum, & alios ſupra initio *huius capitis* laudatos, notant, vel inter exteros, Iacob. Aug. Thuanus *lib.* 3. *hiſtor.* Sedilia, & eorum Electos deſcribens. *Publicum Ciuitatis Conſilium ex Seuiris conſtat, quorum quinque ex nobilitate, ſinguli ex ſingulis Curijs, in quas omnis diſtributa eſt nobilitas, leguntur; vnus è plebeijs ſimul ius eſt de rebus publicis conſulere, ac ſi qua maioris momenti deliberatio incidat, ſinguli ex nobilitate ad ſingulas Curias, plebeius item ad plebem referre ſolet.*

Ex ſuppoſitis propriè in primis deducitur, per Pragmaticam, arcẽtem Clericos ab adminiſtratione publicorum munerum, platearum, ſiue Sedilium, vſque adeo non offendi, aut lędi Eccleſiaſticam libertatem, atque immunitatem, vt cenſenda potiùs ſit conſentanea, & conſentiens Eccleſiaſticis legibus, quibus Clerici prohibentur ab officijs, & adminiſtrationibꝰ publicis ſęcularibus, vt *in cap.* 1. illiſque verbis, *In Plateis ſæcularibus diſputare*; & paſſim *tit. Ne Clerici, vel Monachi*; & *tota* 21. *quæſt.* 3. *in Apoſtolicis Canonibus* 6. *&* 82. quibus ſub pœna depoſitionis vetantur Clerici, *ſe deijcere* εἰς δημοσίας διοικήσεις ſiue *in publicas adminiſtrationes*. Vnde & ſumpta, repetitaque prohibitio in Concilijs Chalcedonẽſi, Chartaginienſi, Emeritenſi, Moguntino, & alijs, tandemque Tridentino *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 1. quorum meminere, poſt Zonaram, Balſamonem, Turrianum, & alios ad laudatos Canones Apoſtolorum, Anton. Auguſt. *in Epitome iur. Pontif. lib.* 8. *tit.* 39. D. Garſia Loaiſa *in notis ad Hiſpaniæ Concilia, in Emeritenſi Can.* 11. Laur. Landmeter *de Clerico Monacho lib.* 2. *cap.* 15. *&* 52. fusè Salerno *conſil.* 17. *lib.* 1. Exprimitur autem ea prohibitio, vt proprio, nec vul- 12

ga-

gari argumento vtamur, quoad munera ipſa Curiæ, & Decurionum *in Concilio Romano* 1. *ſub Sylueſtro Can.* 16. inibi: *Nemo enim Clericus, vel Diaconus, aut Presbyter, qualibet intret in Curia, quoniam omnis Curia à Cruore dicitur, & immolatio ſimulachrorum eſt.* Et Conſtitutione Catholicorum Cæſarum Honorij, & Theodoſij *in l. Placet* 17. *Cod. de Epiſc. & Cler.* illic: *Vt nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cuius corpori non ſunt annexi, habeant*: ſicut è contrario, qui annexi Curiæ, vel origine, vel alio iure ſunt (cuiuſmodi ſunt nobiles, iure nobilitatis gentilitiæ annexi Curijs Neapolitanorum Sedilium) vetantur, ad Clericatum promoueri, niſi certis ex cauſis, & tunc relicta patrimonij parte Curiæ, aut ſubſtituto Laico, Curialibus munijs addicto. *l. Si quis Curialis* 12. *l. Ad ſimilitudinem* 21. *l. Sancimus* 53. *in princip. &* §. 1. *& ſeqq. C. de Epiſc. & Cler. l. Solum* 49. *l. Iuſsio* 99. *l. Curiales* 104. *l. Clerici* 115. *l. Si qui* 163. & paſsim, *Cod. Theodoſ. de Decurion. l.* 3. *in eodem, Cod. de his, qui ad Eccleſ. confug. Nouella* 123. *de Sanctiſſ. Epiſc. cap.* 1. *&* 15. Atque eſt omnino prohibitio, & incompatibilitas hæc actionum Curię, & Clericatus ex priſca Eccleſię diſciplina, cuius teſtes Ambroſius *epiſt.* 26. Innocentius I. *in epiſtola ad Synodum Toletanam primam cap.* 4. illic: *Neque de Curialibus aliquem ad Eccleſiaſticum ordinem venire, poſſe*: cuius epiſtolæ pars alia, & alta ad rem decreta apud Gratianum *in cap.* 1. *& ſeqq. diſt.* 51.

13 Eſt denique Pragmaticę prohibitio, conſonans Eccleſiaſticæ prohibitionis rationi, quæ fuit, fluxitque ex illo Pauli 2. *ad Timotheum cap.* 2. *verſ.* 4. *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus* (cuius illuſtratio ad rem, petenda ex integra *diſtinct.* 88. *&* 21. *quæſt.* 3. *cap.* 1. *ne Clerici, vel Monachi. cap. Te quidem* 29. 11. *quæſt.* 1. *cap. Quoniam* 8. 10. *diſtinct.* & præ cæteris ex D. Cypriano *epiſt.* 66. *ad Clerum Turritanorum.* Syneſio Epiſcopo, qui de re egregiè, *epiſt.* 57. *aduersùs Andronicum.* D. Bernardo *lib.* 1. *de conſiderat. ad Eugen. cap.* 6. iuncta feudiſtica illa aſſertione *in lib.* 2. *tit. Clericatu feudum amitti* 109. *Miles Chriſti ſeruiat Chriſto, milites ſæculi ſeruiant ſæculo.* & *tit. de Vaſſallo milite* 21. *quòd deſijt eſſe miles ſæculi, qui factus eſt miles Chriſti.* Quę fere eadem ratio adumbrata extat, vel inter ethnicos, apud Plutarch. *problem.* Vlpianum *in l. Non diſtinguemus* 32. §. *Sacerdotio* 4. *D. de recept. & qui arbitr.* & inter Cæſares Chriſtianos, apud Iuſtinum *l. Repetita* 41. *verſic. Abſurdum, Cod. de Epiſcop. & Cleric. l. Conſulta* 21. *verſ. Opprobrium, Cod. de teſtament.* & quoad Curiales Clericos eleganter *in l. Curiales* 104. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* his verbis: *Curiales, qui Eccleſijs malunt, ſeruire, quàm Curijs, ſi volunt eſſe, quod ſimulant, contemnant illa, quæ ſubtrahunt. Quippe animos diuina obſeruatione deuinctos non decet, patrimoniorum deſiderijs occupari.* Et exponitur diſtinctè magis ab Angelico Thoma 2. 2. *quæſt.* 71. *artic.* 2. dum ſcribit, Eccleſiaſticos prohiberi ab officijs ſæcularibus (veluti advocatione, de qua in ſpecie quærit, reſpondetque) non tam ob impotentiam, quàm ob indecentiam, ſcilicet, quia ſunt maiores tali officio, & maioribus reb', nempe diuinis, obligati, à quibus auocari ad ſæculares neque oportet, nec decet. Vnde & infert, ſi neceſsitas, ſeu iuſta cauſa ſubſit, quæ indecentiæ præponderet, eamque tollat, ceſſare prohibitionem, vt in Clerico aduoca-

ca-

cato pro patria ſua, quod eſt exemplum Diui Thomæ.

14 Addo ego, & ex Angelica doctrina deduco, in Clericis Cōſiliarijs Regum, in queis publica Regnorum vtilitas, & neceſsitas præualet rationi indecentiæ, & diſtractionis, &, quod plus eſt, ſtrictiori obligationi voti, & reſidentiæ, & quidem ex cēſura etiam, & approbatione Canonum, & Eccleſiæ, ac Regnorum vſu. Vt *in cap. Non eſt 5. verſ. Sanè.* vbi Panormit. *de voto cap. in Archiepiſcopatu 4. verſ. Cum autem, de raptoribus.* Trident. *ſeſs.* 23. *de reform. cap.* 1. *verſ. Nam cum Chriſtiani;* iunctis *legibus noſtris* 48. *verſ. Aſsi como, tit.* 6. *p.* 1. *l.* 1. *circa fin. verſ. Y deſpues los Reyes, & l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 2. *& l.* 2. *verſ. Los dos con el Prelado, tit.* 19. *lib.* 4. *l.* 14. *verſ. Ca auiendo dos naturales, tit.* 3. *lib.* 1. *Compil. Auth. Habita,* vbi Bald. *C. ne filius pro patre*, de quo tamen videndi politicè, & variè cenſentes, præter innumeros laudatos, ex noſtratibus, à D. Solorç. *de Ind. Gub. lib.* 4. *cap.* 4. *ex n.* 42. *& lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 71. *& ſeqq. & in Polit. Ind. lib.* 5. *cap.* 4. *p.* 782. *& Emblem.* 55. *ad fin.* Vela 2. *tom. diſſert. Hiſpal.* 44. *n.* 4. *& ſeq.* Aug. Barb. *in cap. Clericis* 5. *n.* 6. *Ne Clerici, vel Monachi.* D. Larrea *alleg. Fiſc.* 87. *n.* 1. *& ſeqq.* Diſertè Renatus Coppin. Monaſticon *lib.* 2. *tit. vlt. n.* 10. *& de ſacra polit. lib.* 2. *tit.* 1. *ex n.* 20. Mich. Rouſel. *lib.* 4. *hiſtor. iuriſd. Pontif. cap.* 3. *n.* 42. *& c.* 5. *n.* 10. quoad Mediolanēſem Senatum Ægid. Boſsius *in praxi tit. de Principe, n.* 209. Craſsis *de effect. Cleric. eff.* 13. *n.* 7. Marquez *in Gubernatore lib.* 1. *cap.* 20. §. 2. Cabrera *in Philippo II. lib.* 9. *cap.* 27. *p.* 701.

15 Ergo, vt concludamus, in muneribus Curiarum, & Sedilium, in queis nulla Eccleſiæ approbatio, aut diſpenſatio, nulla Regnorum conſuetudo, vtilitas, aut neceſsitas pro Eccleſiaſticis admittendis vrget, ſtat, obſtatque Canonica prohibitio, & eius ratio, cui cum conformis ſit Pragmatica, interdicens hæc officia Eccleſiaſticis, & vt ſcriptum in propoſito eſt *in Nouella Leonis Philoſophi* 86. *non cōtraria (quod abſit) ſtatuere, ſed potiùs quòd ſacram ſanctionem ſequi velit* (præter quàm quòd & alijs iuſtis, & politicis cauſis ſubnititur, dequib' alibi) procedit procul dubio ſine offenſa Eccleſiaſticæ libertatis, atque immunitatis, vt quoad Neapolitanam Pragmaticam memoratam notant, poſt Vinc. de Franch. *deciſ.* 479. *n.* 3. Tapia *ad ius Regni lib.* 1. *tit. de Epiſc. & Cler. ad Conſtit. Frederici,* cuius initium, *Clerici quoque, ex n.* 3. *& deciſ.* 10. *Conſ. Ital. n.* 9. *& ſeq.* vbi de legationis ad Regem munere, excepto à prohibitione. Rouitus. & Nouar. *ad Pragm. Neap. de Eccleſiaſt. perſon.* Borrell. *de Magiſtr. edict. l.* 1. *c.* 10. *n.* 20. *& de præſtāt. Reg. Cath. c.* 73. *n.* 2. Taſſonus *ad Pragm. de anteſ. verſ.* 2. *obſer.* 2. *n.* 101. *& verſ.* 3. *obſ.* 4. *n.* 131. Petr. Caball. *crim. caſu* 64. *n.* 8. Fontanell. *deciſ.* 190. *n.* 18. & poſt Carabitam, Muſcatellum, Capiblancū, Riccium, & alios, Thoro *in comp. deciſ.* 1. *tom. verb. Clerici, & cæteri.* Maſtr. *de Magiſtr. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 37. vbi & de ſimili Siciliæ ſanctione ex *capitulo* Alfonſi 258. de quo idem *deciſ.* 159. *n.* 17. Salerno *d. conſ.* 17. §. 1. *n.* 27. *&* 30. Mar. Muta *tom.* 5. *ad Cap. Alf.* 258. *n.* 26. *& ad Cap.* 511. *n.* 52. *&* 57. Mar. Cutell. *de Eccl. immun. l.* 2. *q.* 19. *n.* 20. Denique quoad Hiſpanas leges noſtras, quibus Eccleſiaſtici excludūtur ab officijs Decurionū, & alijs publicis, vt in *l.* 3. *tit.* 4. *& l.* 10. *tit.* 3. *lib.* 1. *& l.* 14. *tit.* 5. *lib.* 3. *Cōpil.* ſentiunt, præter innumeros apud Velā, Larr. Solorç. & alios ſupra, grauiter D. Couarr. *in pract. c.* 3. *n.* 6. Vazq. Mench. *lib.* 3. *de ſucceſſ. creat.* §. 26. *n.* 75. *& ſeqq.* & nouiſsimè noſter, atque ex noſtra olim Salmanticæ diſciplina D. Laurent. Matheu & Sanz 1. *tom. de regim. Regn. Valent. c.* 4. §. 8. *n.* 2.

CAPVT XXVII.

AD VLPIANVM 4. AD IVLIAM, ET PAPIAM. IN L. SI IVDEX 11. *D. de his, qui ſui, vel alieni iur.*

DE IVDICATO PRO ALIMENTIS, NON PRÆIVDICANTE quoad ius filij.

ARGVMENTVM.

RElata ad partem hanc noſtrarum legum, Vlpiani gnome *indict. l.* 11. Dubitandi in ea ratio, & decidendi. Iudicatum de alimentis non eſt pro iudicato, quoad ius filij, ſicut nec de alia cauſa principali quoad quæſtionem incidentem. De alimentis cognitio, & iudicium ſummarium. Proinde in eo decreta non præiudicant in ordinario, & pleno. Id, quod præter vulgarem ſenſum firmatur, etiamſi in iudicio de alimentis ſit plenè cognitum de iure filij. Per minorem cauſam non fit præiudicium maiori, quamvis de ea in minori incidenter cognitum: obiter *de l.* 17. *D. de except.* Receptior aſſertio eſt, ſententiam ſummarij iudicij, quoties in eo plenè cognitum, præiudicare in ordinario. Aſt non certior. Expenduntur ſummarij, & ordinarij iudicij differentiæ, tam in procedendo, quàm in iudicando. Sententia de alimentis inducit ſaltem præſumptionem, quoad filiationem. Probationes, & acta non iuvant in plenario, niſi reproducantur, aut repetantur. Singulare ius actorum incidenter de nobilitate, *ex l.* 33. *§.* 11. *tit.* 11. *lib.* 2. *Compil.*

1 SVbnectimus, antequàm abeamus, & annectimus huic parti, & capiti Iuliæ, Papiæque legum, Vlpiani fragmentum *in l. Si Iudex* 11. *D. de his, qui ſui, vel alieni iur. ex lib.* 4. *ad leges noſtras*, in quo diſputatio de iure filij, ſiue quando, & quatenus quis pro filio habeatur, quamvis referri, poſſet, ad tractatum de præmijs patrum propter filios, & de pœnis orbitatis, ad quem ex *eodem libro* 4. Vlpiani pertinent, *l. Quæret* 135. *D. de verbor. ſignif. l. Cum in annos* 23. *D. quando dies legat. ced.* tamen opportuniùs, niſi decipimur, refertur ad hoc caput de filio libertini, aut Senatoris, quoad connubium, ſicut & *lex apud* 8. *D. de captiu. & poſtlim. reu. & l. vltim. D. de adoptionibus*, ex eodem Vlpiani *lib.* 4. in quo ex profeſſo ille, iamque inde à *libro* 1. totus fuit in hac parte legum noſtrarum *de maritandis ordinibus* elucidanda, vt apparet *ex l.* 5. *l. Emancipatum* 7. *D. de Senatorib. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtat. hom. l.* 4. *& l. vlt. D. de iure aur. annul. l.* 4. *D. de colluſ. deteg. l. Oratio* 16. *D. de ſponſalib. l. Si quis* 27. *D. de ritu nupt.*

Sit itaque, ſiue fingatur in *dict. l. Si Iudex* 11. relata ad leges noſtras quæſtio hæc: an filius, de quo Iudex decreuit, ſeu pronunciauit, nutriri, vel ali (inter quæ Vlpianus non diſtinguit, quamquam Hiſpaniſmus noſter diſtinguat, *l.* 2. *tit.* 20. *part.* 4. ſicut inter *alere*, & *educare* Nonius Marcellus *cap.* 5. in voce *alere*) oportere à patre Senatore, cum tamen iſte filium ſuum eſſe, negaret, habendus ſit pro filio Senatoris, ne libertinam vxorem ducat. In qua quæſtione, ſi dubitandi ratio mouenda eſt, quæ ſuadeat, habendum eſſe hunc pro filio Senatoris, quoad interdictionem connubij cum libertina, occurrit, & 2

ſuadet regula illa, ſupra iam ſtabilita, de re iudicata in cauſis ſtatus habenda pro veritate, etiam quoad hunc effectum connubij ex noſtris legibus. *dict. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu homin. l. Res iudicata* 207. *D. de regul. iur. l. Si libertinus* 4. *D. de colluſ. deteg.* & de re iudicata in hac ipſa cauſa filiationis, de qua Vlpianus ſcripſit, *eius rei iudicem ius facere*, nempe etiam quoad alios. *l.* 1. *D. de agnoſc. lib.* ſiue in omnibus cauſis, vt ex Iuliano diſcimus *in l.* 2. *D. eod. tit.* iuncta *l.* 1. §. *Pari* 4. *D. de liber. exhib. l.* 1. §. *vltim. D. de Carbon. edicto.* & quidem indubiè, quoties de iure filij actum, & pronunciatum eſt cum patre, vtpote principali, & iuſto contradictore. *l.* 1. §. *vltim. D. eod. tit. de agnoſcend. lib.* iuncta *l.* 3. *D. de colluſ. deteg. l.* 1. *Cod. de ingen. manum.* Sed in contrarium, nec dubitanter Vlpianus decidit, ſtatuitque *in dict. l. Si Iudex* 11. etiamſi pronunciauerit Iudex, ali oportere hunc filium à patre, quærendum eſſe de veritate, an filius fuerit, vel non; ac proinde ſentit, non haberi eam pronunciationem pro veritate, neque ius facere quoad aliam cauſam, quàm alimentorum, veluti quoad connubium tamquam filij Senatoris cum libertina. Decidendi ratio expreſſa ab Vlpiano eſt, *neque enim alimentorum cauſa veritati facit præiudicium.*

3 Cui explanandæ, & dubitandi, quam inſinuauimus, rationi expediendæ, obſeruandum eſt, regulam illam de re iudicata de ſtatu, habenda pro veritate, & iure, etiam quoad alios, obtinere, quoties principalis cauſa de ſtatu fuit, & acta, ac iudicata cum contradictore, & contradictione iuſta, ſeu plena. *dict. l. Ingenuum* 25. iunctis *l.* 3. & 4. *D. de colluſ. deteg. l.* 1. *l. Si te* 7. *Cod. de ingen. manum. l. Arrianus* 27. *Cod. de liber. cauſa*, non autem quoties principalis cauſa non de ſtatu, ſed de alia re fuit, in quam, ſiue eius occaſione, quæſtio ſtatus incurrerit, ſiue incidenter mota ſit, vt in ſpecie *d. l. Si Iudex* 11. in qua ſupponimus, principalem cauſam non de ſtatu, ſed de alimentis fuiſſe, filio petente, ſe à patre ali, patre autem contradicente, oppoſita exceptione, quia filius non eſt, atque ita excipiente incidenter de ſtatu, ſeu filiatione; ideoque rectè Vlpianus docet, cum pronunciatio, ſiue res iudicata ſit de alimentis, non de ſtatu, non poſſe eam præiudicium facere veritati ſtatus, & vt idem ſignantiùs ſcribit, *in l. Si quis à liberis* 5. §. *Si vel parens* 8. *cum* §. *ſeq. D. de agnoſcend. liber.* quamvis ad pronunciandum de alimẽtis oporteat ſummatim, & incidenter, & proinde ſine plena contradictione cognoſcere, an filius ſit, non tamen præiudicium fieri veritati; *nec enim hoc pronunciatur, filium eſſe, ſed ali debere.* Quæ ſimpliciſsima Vlpiani ratio, & expoſitio eſt. Iunge eiuſdem rationis, & ſententię textum *in d. l. Si quis* 5. §. *Solent* 18. *D. de agnoſcend. liber.*

Enimverò occaſione *dict. l. Si Iudex* 11. expendunt, in commune, multa de ſententia in quæſtione principali, & an, & quando in incidenti præiudicet, remque ad regulam, vt ſolent, Brochardicam, diſtinguendo, & ſubdiſtinguendo, producunt, poſt Accurſium, verb. *Alimentorum*, Bartolus, Baldus, Albericus, Fulgoſius, & alij *in dict. l.* 11. Nos in primis, & in ſpecie adnotamus, & veluti pro auctario pręſignatæ Vlpiani rationis ſubiungimus, ſententiam de alimentis eſſe ſummariæ cognitionis, & iudicij, etiam quoad alimenta ipſa, vt plures, paſſimque deducunt ex *l.* 1. §. *Iulianus* 12. 4

dict.

*dict.l.5.§.Si vel parens,de agnoſcend. liber.*iunctis *l. vltim.* **D.** *de appellat. recip.l.2.D.de re iudic. l. Si Inſtituta* 27.§. *de inofficioſo* 3. *D. de inoffic.* Et poſt Bartolum *in Extrauaganti ad reprimendum,verb.Summariè , num.* 11. *&* 19.Tiraquellus *de priuileg.piæ cauſæ,priuil.*137.vbi Riccius,& Thorus *in addit.*D.Molina *de primog.l.2.cap.* 15.*num.*75. vbi etiam addentes.Surd. *de aliment. tit.* 8. *priuil.* 2. & multò magis eſſe ſummariam,quoad cognitionem incidentis quæſtionis de filiatione,ad quam propriè pertinent verba *dict.l.5.§. Si vel parens , verbo Summatim,l. vltim.* illic: *Llanamente, è ſin alongamiento.tit.*19.*part.*4. Et auctoramenta Gloſſæ vltimæ *in l.vlt. Cod.de alendis lib.& in l.*3.*§.Sciendum, verb.Summatim,D.ad exhibend.* & *in* §. *Præiudiciales , Inſtit. de act.* & pro explananda *dict.l.Si Iudex* 11.D.Couarruu. *in practicis,cap.6.n.*8.Proinde ſuccedit regula in foro notiſsima, quę docet, decreta,in ſummario iudicio, ſiue magno illo conflictu, & plena inquiſitione, quam ordinaria iudicia, & iudicata deſiderant. *l.vltim. Cod. comminat.vel epiſt. l. Iudices* 9. *Cod. de iudic.* non præiudicare in vim iudicati, quominùs de quæſtione incidenti,ſummatim diſcuſſa,poſſit poſtea ordinario, & pleno iudicio iudicari. *l. à Diuo Pio* 15.§. *Si rerum , verſic. Sciendum, D. de re iudicat. cap.Veniens* 38.*verſ. Quo audito, de teſtibus.*

5 Secundò & adnotaſſe , oportebit , ex alimentorum exhibitione non ſequi neceſſariò, & pręcisè,filium eum eſſe,cui exhibita ſunt, cum potuerint etiam non filio exhiberi, pietatis intuitu. *cap. Tranſmiſſæ* 3.*qui filij ſint legitimi.* iuncta *l. Cum is , §. Mulier* **D.** *de condict. indeb.* & potuerint etiam, tamquam filio , alimenta decerni ei , de quo dubitatur, an filius ſit , vt inſpecie *l.* 1. §. *Iulianus* 12. *&* §. *Idem* 14.*Digeſt.de agnoſc.lib. l.Nec filium* 9.*Cod.de patr. poteſt.* Quo circa ſuccedunt itidem notiſsimæ rationes, & regulæ, quæ docent, iudicatum in principali cauſa non nocere in incidenti, quæ neceſſariò non pendebat à principali. *l. Si ſuperatus* 3. *verſ.At quin,D.de pignorib. l.Si quis libertatem* 7.§.*vltim.* **D.** *de hæredit.petit.*iuncta,*l.*2.de qua poſtea *Cod. de ordine cognit. l.Vindicantem* 17.*cum l.ſeq.* **D.** *de euiction.* iuxta intellectum Bartoli *in l. Qui Romæ* 122. §.*Duo fratres num.*7. vbi & Iaſon *num.*50.*D.de verbor.obligat.* Et iudicatum in vna cauſa non obſtare in cauſa diuerſa *l. Cum quæritur* 12. *cum ſeqq.D.de except. rei iudic.* Cuiuſmodi diuerſæ ſunt cauſæ alimentorum, & filirtionis, vt innuitur *in dict. l.5.§.Meminiſſe* 9.*verſic. Nec enim , D. de agnoſcend. liber.*

6 Ex propoſitis iuris rationibus circa ſententiam de alimentis , & pro elucidanda *d.l.Si Iudex* 11.*dict.l.* 5. §. *Si vel parens, cum* §.*ſeq.* doceo indubiè , & deduco , etiamſi in iudicio de alimentis, cum ſcilicet quis tamquam filius peteret alimenta à patre, atque iſte negaret, & exciperet , filium non eſſe,ſit plenè cognita , examinata , & diſcuſſa incidens quęſtio , ſiue exceptio filiationis , & pronuncietur , ali eum debere, non fieri tamen præiudicium veritatis filiationis , de qua ſi poſtea principali , & proprio iudicio diſquiratur, non obſtabit,tamquam rei iudicatæ exceptio pronuntiationis de alimentis. Quia quamvis admittamus, mox diſcuſſuri, quod dici ſolet , & circumferri pro deſultoria in foro regula , iudicatum in iudicio ſummario, ſi in eo plenè cognitum fuit , præiudicare in ordi-

dinario, ac proinde iudicatū de alimentis, ſi in eo iudicio plenè de filiatione cognitum, debere vtique præiudicare quoad ordinariam cauſam filiationis (quæ ſola appoſitè, aut præcipuè contra aſſertionem, quam deducimus, ratio vrget) tamen, vtcumque ea interim regula ſupponatur, atque vrgeat; nihil euincet contra aſſertionem noſtram de iudicato de alimentis, quoniam ea regula obtinebit vbi, vel principalis quæſtio ſummario iudicio plenè cognita, deciſaque refricatur in ordinario; vel incidens in ſummarium iudicium quęſtio, atque illic plenè cognita, pendet pręcisè adeo à principali, illic deciſa, vt & cum illa conſequenter deciſa intelligatur, iuxta tradita *l. 2. Cod. de ordine cognit.* At quæſtio veritatis, &, vt ſic dicamus, proprietatis filiationis, quamtumvis plenè diſcutiatur, cognoſcaturque in iudicio de alimentis, neque eſt principalis quęſtio deciſa, aut decidenda in illo iudicio, quia non de filiatione, ſed de alimentis pronunciatur. *dict. l. 5. §. Meminiſſe*, inibi: *Nec enim hoc pronunciatur filium eſſe, ſed ali debere*; neque eſt incidens quæſtio pręcisè pendens ex iudicato de alimentis, quia ad alimenta decernenda etiam ei, de quo interim non plenè liquet, an filius ſit, ſufficere potuerunt Iudici decernenti, vel omiſſę à patre cautiones Senatus Conſulti Plautiani. *l. 1. §. Iulianus 12. cum ſequentibus, Digeſt. de agnoſc. liber. l. Nec filium 9. Cod. de patr. poteſt.* vel filiationis quaſi poſſeſsio, ſi in ea ſit alimenta petens. *dict. l. 1. §. Iulianus 14. l. Si neget 7.* vbi Bartolus *num. 1. D. de agnoſcend. lib. l. vltim. verſic. Quod ſi ei, Cod. de ordine cognit.* vel denique ſemiplena probatio filiationis, argumento ex *l. 3. §. Cauſæ 4.* vbi Bartolus *D. de Carbon. edicto. l. 1. §. Si ea 14. D. de ventre in poſſeſs. mitt.* iuncta recepta Bartoli traditione in *Extrau. Ad reprimendum, verb. Summariè num. 11.* & famigerato *conſilio* Geminiani 27. & congeſtis nouiſsimè à Caſtillo *de alimentis, cap. 4. & 19.*

7 Adijcimus rationem aliam, ducimuſque ex illa regula, quæ habet, per minorem cauſam non fieri pręiudicium cauſæ maiori. *l. Per minorem 54. Digeſt. de iudicijs. l. Rei maioris 21. Digeſt. de except.* idque non tantùm ad eum finem; vt ſi in minori cauſa deducatur in iudicium eadem quæſtio, iudicanda in cauſa maiori, poſsit opponi præiudicialis exceptio cauſæ maioris, atque interim, & ea oppoſita, ſuſpendatur minor cognitio. *dict. l. Rei maioris 21. l. Fundum 16. l. Fundi 18. Digeſt. de exceptionibus. l. Non diſtinguemus 32. §. Si is faciat 10. Digeſt. de recept. & qui arbitr. l. Diuus 5. §. vltim. l. Siquis libertatem 7. in princip. D. de hæred. pet. l. vltim. in princip. Cod. eodem tit. l. 1. §. 1. D. famil. herciſc. cap. Tuam 3. de ordine cognit.* Sed etiam vt ſi priùs de minori cauſa (fortaſſe ob non oppoſitam præiudicialem exceptionem) iudicatum fuerit, non obſtet exceptio illius iudicati, quoad cauſam maiorem, in minore incidenter cognitam. *l. Sed ſi ante 17. Digeſt. de exception.* quàm de exceptione rei iudicatæ, ita rectè mihi accepit Cuiacius *libr. 70. Pauli ad edictum, & tractat. 9. ad Africanum, in dict. l. Fundum 16.* & ante eum Bartolus *in l. Qui Romæ 122. §. Duo fratres num. 7. D. de verb. oblig.* tametſi alia, & correctoria via, idem ad *dict. l. Per minorem 54. D. de iudic.* aliter item vulgò veteres, & no-

nouiores. Eſt autem procul dubio minor cauſa, & cognitio alimentorum, & maior, principaliorque filiationis; *l.* 3. §. *Si quis liber* 12. *D. de Carbon. ed. dict. cap. Tuam* 3. *de ordine cognit.* Ac proinde non ex eo, quòd in iudicio de alimentis ſupponatur, plenè cognitum de filiatione, at neque etiam ſi tamquam filium ali debere, pronuncietur, ſequitur, aut præciſè infertur, fuiſſe plenè probatam, aut deciſam incidentem quæſtionem filiationis. Idque totum firmat ſententia noſtræ *l. Si Iudex* 11. *& dict. l.* 5. §. *Meminiſſe*, dum ſine diſtinctione plenæ, aut ſummariæ cognitionis ſtatuit, iudicatum de alimentis, non eſſe iudicatum, quoad filiationem; atque ita contra vacillantem Surdum *de alimentis tit.* 1. *quæſt.* 126. *num.* 10. *& ſeqq.* & renitente Valençuela *conſil.* 169. *num.* 60. *& ſeqq. & conſ.* 134. *num.* 45. expendit, & concludit rectè, verbis tamen, quam re copioſior, Caſtillo *tom.* 5. *controu. cap.* 104. *ex num.* 22. *&* 40. & ante alios ſenſit Accurſius *in dict. l. Si Iudex* 11. *verb. Alimentorum, verſ. Vel contra*, & explicitè docuit Angelus *in d. l.* 11. *n.* 1. *verſ. Extra quæro.*

8 Porrò ſi extra confinia iudicati de alimentis, & in commune, ſiue generaliter quærimus, an ſententia ſummarij iudicij, ſi in eo plenè de principali, aut incidenti quæſtione illinc pendente cognitum fuit, præiudicet in vim iudicati, quoad eaſdem quęſtiones in ordinario iudicio, agnoſcimus, placuiſſe id multis, & circumferri, vt nuper diximus, pro deſultoria regula, ſiue pro limitatione regulæ de iudicato in ſummario, non præiudicante in ordinario, vt ſcilicet ea ceſſet, ac ſententia præiudicet, quoties plenè in ſummario cognitum fuit; vt docet, ac diſtinguit Accurſius *in noſtra l. Si Iudex, gloſſ. vltim. verſ. Vel diſtingue.* & *in l.* 2. *verb. Pronunciatum in fine, Cod. de ordine cognit.* Baldus *in dict. l.* 11. *num.* 6. & poſt Iacobum Butrigarium, huius limitationis Anteſignanum *in l. Ab hoſtibus* 15. §. *Sed quod ſimpliciter, D. ex quib. cauſ. maiores*, & Panormitanum, acriter differentem *conſ.* 50. *num.* 3. *lib.* 1. ex alijs Surdus *dict. tit.* 1. *quæſt.* 126. *num.* 10. Vinc. de Franchis *deciſ.* 289. Gratian. *diſcept. forenſ.* 3. *tom. cap.* 445. *num.* 2. *& ſeqq.* Caſtillo *dict. cap.* 104. *num.* 37. Fontanell. *deciſ.* 133. *num.* 3. *tom.* 1. Noguerol. *allegat.* 26. *num.* 335. *& ſeqq.* iunctis ex eadem ratione traditis à D. Couarruu. *in practicis cap.* 24. *num.* 8. Agnoſcimus etiam hanc, ſiue regulam, ſiue limitationem regulæ noſtræ *l. Si Iudex* 11. ſi auctorum magis numero, quàm rationum momentis ſtandum eſt, receptiorem omnino eſſe, vt teſtatur Alexander *in l. Sæpe* 63. *n.* 81. *& in l. à Diuo Pio* 15. §. *Si ſuper rebus, num.* 6. *& ſeqq. D. de re iudic.*

9 At ſi è contrario, vt inſinuare cœpimus, non tam ex numero, quàm ex auctoritate iuris, & rationis cenſendum eſt, vix eſt, ac ne vix quidem, vt prętextu plenariæ cognitionis, adhibitæ in iudicio ſummario, quod ſummarium tamen permanſit, præiudicare poſſit, aut debeat ſententia illius iudicij, in vim exceptionis iudicati, quoad aliud ordinarium, plenumque iudicium, in quo eadem quæſtio deducatur, idque nos certè, non, niſi perrarò, & pendente cenſorio calculo, admitteremus. Nam in primis, ſi auctores legum potiùs, quàm leguleios conſulimus, conſtabit, cognitionem ſummarij iudicij in quęſtione principali, & multò magis in incidenti, ſemper eſſe ſummariam. *dict. l.* 5. §. *Si vel parens*

8.

8. *D. de agnoſcend. liber. l. 3. §. Sciendum 9. cum §. Ibidem 13. D. ad exhib. l. 1. §. Si ea 14. D. de ventre in poſſeſſ. mitt. l. Si ſine 9. §. Illud 6. D. de interrogat. in iure fact. l. 3. §. 1. D. vt in poſſeſſ. legator. l. Si quis libertatem 7. §. Planè, D. de hæred. petit.* & ideo iudicatum in ſummario non præiudicare in vim iudicati quoad ordinariũ, præſertim, quoad incidentem quæſtionem. *dict. l. 5. §. Meminiſſe 9. dict. l. Si Iudex 11. D. de his, qui ſui, vel al. l. à Diuo Pio 15. §. Si rerum, D. de re iudic.* Idque nulla habita ratione plenæ cognitionis, quæ ſi plena futura eſt, & altiore eget indagine, excedit captum ſummarij iudicij, & reſervatur in ordinarium. *l. 3. §. Ibidem 13. D. ad exhibend. l. Ille à quo 13. §. Si de teſtamento 2. cum §. ſeq. D. ad S. C. Trebell.*

10 Deinde quia & meminiſſe, oportebit, ſummariæ cognitionis iudicia diſtingui ab ordinarijs, tum in ordine procedendi, quoniam ſcilicet in ſummarijs res ſummatim exponitur, & cognoſcitur, *dict. l. 3. §. Sciendum 9. D. ad exhibend. l. In lege* 40. illic: *Summatim re expoſita. D. ad leg. Aquil.* & ſine dilationibus, & ſolemnibus ordinarij iudicij, ex quibus plena illa inquiſitio, & diſceptatio, ſiue magnus conflictus ordinariæ cognitionis componitur. *dict. l. Iudices 9. Cod. de Iudic. l. Iudex 5. l. vltim. Cod. comminat. vel epiſt.* tum in eo, quòd pleraque ſummaria iudicia, & ſaltem fauorabiliora, leuiores probationes requirunt, & ſemiplenis contenta ſunt. *dict. l. In lege* 40. illic: *Ad ſuſpicionem Iudicem adducam. l. 3. §. Cauſæ* 4. ibi: *Vel modicum pro puero facientem. D. de Carbon. edicto.* Quæ fere de duabus his ſummarij iudicij qualitatibus traditio, Bartoli eſt, *in dict. Extrauag. ad reprimendum, verb. Summariè, ex num. 1. & 9.* Gloſſæ, & Canoniſtarum *in Clementin. Diſpendioſam, de iudic. & in Clementin. Sæpe, de verbor. ſignific.* Et inſinuantur hæ ſummarij iudicij qualitates *in Regia noſtra l. 7. tit. 19. part. 4.* prima illic: *Llanamente, è ſin alongamiento, non guardando la forma del juizio.* Et ſecunda inibi: *E ſi faltare por algunas ſeñas.* Quò circa, vtcumque ſupponatur plenè probatum, & egreſſum Iudicem fuiſſe anguſtias ſummariæ cognitionis, tamen cum id Iudici regulariter non liceat, vtpote contra ſolitum ordinem ſummarij iudicij, non faciet rem iudicatam. *l. Prolatam 4. Cod. de ſentent. & interl. omn. Iudic.* iuncta *l. Si duo patroni 13. §. Idem Iulianus, verſic. Nec pati, D. de iureiurand. l. vltim. Cod. Qui legitim. perſ. ſtandi in iudic. non hab.* vel ſi ex litigatorum conſenſu, aliave ex iuſta cauſa licuiſſe petimus, ſi quidem ita vt ex ſummario iudicio in ordinarium tranſierit, erit res extra terminos quæſtionis propoſitæ; aut ſi ſummarium iudicium manſerit, non fiet res iudicata, quoad ordinarium, ex ratione, & regula *dict. l. à Diuo 15. §. Si rerum, D. de re iudicat. cap. Veniens 38. verſic. Quo audito, de teſtibus.* Atque ita de hac re ſenſit iam olim Baldus *in l. 2. num. 29. Cod. de edendo,* & poſt alios Fachinæus *lib. 10. controu. cap. 81.* & poſt Salycetum, atque alios, Petr. Gilkenius *in l. 1. n. 17. Cod. de ord. iudicior.* Quibus illud ſaltem, ne ſcioli labantur, adijcimus, induci ad hanc quæſtionem perperam, quod traditum eſt *in l. 2. Cod. de ordine cognit.* cum ſimilibus. *l. 1. Cod. de ordine iudic. l. Quoties 3. Cod. de iudic. l. Si quis libertatem 7. D. de hæred. pet. l. Quod in diem 7. §. 1. D. de compenſ. l. Si autem 8. §. 1. D. de negot. geſt. l. 1. §.*

Præ-

Præterea 4. *D. de contrar. iud. tut. cap. Tuam* 3. *de ord. cognit. cap. Cauſam* 7. *qui filij ſint legit.* quia non ſunt de quæſtione incidenti, plenè, aut ſummatim cognita in iudicio ſummario, ſed de eo potiùs, an ſententia ordinarij iudicij, in quo incidens quæſtio deducta eſt, faciat rem iudicatam, quoad incidentem. Quod certè alienum à propoſita *l. Si Iudex* 11. & alterius inſpectionis, & curæ.

11 Duo ſaltem propria huius loci, nec prætereunda adnotamus. Primum ſit, ſententiam de alimentis, quamvis non faciat rem iudicatam, quoad principalem cauſam de iure filij, inducere tamen præſumptionem pro filiatione, & conſtituere, vt aiunt, in illius quaſi poſſeſſione, & proinde transferre contrariæ probationis onus in adverſarium: quæ ſingula argumento ex *dict. l. Si Iudex* 11. *dict. l. Si quis* §. *Si vel parens*, *&* §. *Meminiſſe*, *D. de agnoſc. liber. dict. l. vltim. in fine*, *tit.* 19. *part.* 4. docent, deducuntque, poſt Palæotum *de nothis*, *& ſpurijs cap.* 23. *num.* 4. Surdus *de alim. tit.* 9. *quæſt.* 7. *num.* 10. *& tit.* 1. *quæſt.* 126. *num.* 9. *& ſeqq.* Caſtill. *dict. lib.* 5. *cap.* 104. *num.* 44. Noguerol. *alleg.* 25. *num.* 78. in eamque rem expendere licebit, textus in *l.* 1. §. *Iulianus* 12. *verſic. Quandoque*, *D. de agnoſc. liber. l.* 3. §. *ibidem Iulianus* 8. *D. de Carbon. edict. l. Si duo patroni* 15. *verſic. Multum*, vbi Gloſſa, & Claſsici *D. de iureiurand. l. A ſententia* 5. *D. de appellat.* iunctis traditis à D. Couarruu. *in practicis cap.* 13. *num.* 4.

12 Secundum ſit, probationes, & acta ſummarij alimentorum iudicij pro filiatione, non præiudicare, quoad plenum, & principale de illa iudicium, niſi reproducantur, & quod conſultius, cautiuſque eſt, repetantur. *dict. cap. Veniens* 38. *verſ. Quo audito.* iuncto *cap. Præſentata* 50. *de teſtibus. l. Cum antea* 5. *in fine*, *Cod. de recept. arbitr. l. vltim. Cod. de teſtib.* Notat ad rem poſt ordinarios *in dict. cap. Veniens* 38. in ſpecie Caſtillo *dict. cap.* 104. *num.* 44. & in commune ex alijs Noguerolius *alleg.* 25. *num.* 300. ac quoad tenutam maioratuum Hiſpaniæ Pacius *de tenuta cap.* 32. *ex num.* 2. *& ſeqq.* Circa quæ rurſus ſingulare ius eſt, & ideo notabile, inductumque apud nos *Regia l.* 33. §. 11. *titul.* 11. *lib.* 2. *Compilat.* qua cautum, probationes, & acta, pro nobilitate incidenter deducta, ad euitandam carcerationem, aut torturam, aliumve ſimilem effectum, ſicut apud quoſcumque Iudices incidenter deduci, moris, iuriſque eſt. *l. Quoties* 3. *Cod. de iudic. l.* 1. *Cod. de ordin. iudicior.* iunctis notatis ſupra, ad verba illa Iuliæ legis, *Qui filius. cap.* 4. *ad finem*, non ſolùm non præiudicare, quoad principale de nobilitate iudicium, apud Regios illius Iudices, quos, *Alcaldes de Hijoſdalgo*, vocamus (quod regulare, & expeditum erat) ſed neque reproduci apud eos, aut aliquatenus expendi poſſe, & vt, ſcriptum eſt, *in dict.* §. 11. *No ſe puedan preſentar, ni alegar, ni tener por acto poſitiuo para la hidalguia en lo principal.* Videndus, poſt Narbonam *inibi gloſſa* 12. noſter Solorçano 2. *tom. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 63.

CA-

CAPVT XXVIII.

AD VERBA IVLIÆ LEGIS : AVT EAM , QVÆ IPSA ; CVIVSVE pater , materve artem ludicram facit , fecerit. De prohibito Senatorio connubio cum ſcenicis.

ARGVMENTVM.

SCenicarum nuptiæ inhibitæ etiam his, qui tantùm ingenui; at Senatorijs non modò illarum, ſed etiam, quarum pater, materve ſcenici. Proinde nec ſuperflua hęc prohibitio, quoad Senatorios, nec ſupplenda *in l. Lege* 44. *Digeſt. de ritu nupt.* quoad mulieres quæſtuarias, cum Balduino: prohibitionis ratio, & correcta leuiter *Nouella* Martiani de *matrimon. Senator.* De ignominia ſcenicorum ex legum, morumque, & Eccleſiæ cenſura. Sed maximè ex legum, in queis notata ſigillatim ignominiæ eius teſtimonia, & effectus. Collata Iuliæ legis verba, & illa edicti Prętorij de artis ludicræ cauſa, in ſcenam prodeuntibus, eaque, tametſi inter ſe ſubtiliter diſtingui poſſent, in eumdem ſenſum redacta.

1 ERant adhuc in argumento hoc de prohibitis nuptijs Senatorijs cum libertinis, exceptiones vna, atque altera eiuſce prohibitionis, quæ extant *in l. Si Senatori* 31. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. Si libertam* 28. *Cod. de nuptijs*, in quas, & adiacentes alias, poſſet noſtra commentatio excurrere; ſed ſepoſitis interim illis, & ad *capitis huius, de maritandis ordinibus*, reliquias conſultò reſervatis, reuocant nos quæ *in eodem capite Iuliæ legis*, verba ſequuntur, apud Paulum *in dict. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* illic: *Aut eam, quæ ipſa, cuiuſve pater, materve artē ludicram facit, fecerit*, inhibentur his verbis nuptiæ Senatori, eiuſdemque filio, nepoti, pronepoti cum muliere ludricæ artis, ſeu ſcenica, vel filia ſcenici, ſcenicæve: pertinentque ad hanc prohibitionem legum noſtrarum, conſtitutiones *l. Imperialis* 23. *& l. vltim. Cod. de nupt. l. Sacram* 33. *Cod. de Epiſcop. aud. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. l.* 1. *Cod. de natural. liber. &* Vlpiani *fragmentum, titul.* 13. *in princip. l. Semper* 42. §. 1. *Digeſt. de ritu nuptiarum.*

Porrò duo hìc ſtatim notanda. 2
Primum eſt, prohibitionem hanc connubij Senatorij cum ſcenicis, non fuiſſe otioſam, ſuperfluamve, quia quamvis, qui non vltra quàm ingenui eſſent, prohiberentur, etiam noſtris legibus, vxores ducere eas, quę artem ludicram facerent, vt eſt apud Vlpianum *dict. tit.* 13. §. *vltim.* eoque ipſo ſine ſpeciali prohibitione Senatoribus, Senatorijſque, vtpote antecedentis gradus hominibus, prohibitæ illæ nuptiæ intelligerentur, ex Vlpiani, & Marcelli ſententia in *dict. l. Lege* 44. §. *vltim. l. obſeruandum* 49. *D. de ritu nupt.* de queis ſupra *cap.* 1. attamen prohibitio illa, quæ in ingenuis ſtabat, attinebatque tantùm mulieres ipſas ludicras, ſiue ſcenicas, producitur quoad Senatorios, ex ſupra ſcriptis Iuliæ legis verbis, ad eas etiam, quæ ipſæ non ſcenicæ, ludicræve, ſed quarum pater, materve artis ludicræ forent. Eoque reſpectu Paulus ſententiam Iuliæ legis in hoc capite, & verbis ad ſummam redigens, *in dict. l. Lege*

44.

44. §. 1. omiſſa ipſius mulieris ludicræ mētione, vtpote ad quam communis illa nuptiarum cum ingenuis prohibitio ſufficeret. Signat tamquam ſpecialem, propriamque Senatorijs cautionem, prohibitionem connubij cum illis, quarum pater, materve artis ludicræ fuiſſent, vt & prænotauimus *hoc libro* ſupra *capite* 1.

3 Secundum eſt, & quidem nuper poſitis conſequens, non eſſe diminutum, defectumve contextum *capitis Iuliæ legis*, apud Paulum *in d. l. Lege* 44. dum poſt verba hæc, *quæ ipſa, cuiuſve pater, materve artem ludicram facit, fecerit*, non adijcitur, *item palàm corpore quæſtum facientem*: neque ſupplenda ea verba apud Paulum, quomodò ex Vlpiano *dict. tit.* 13. *in princ.* adijcit, ſuppletve Balduinus, quippe ad prohibitionem Senatorij connubij cum quæſtuaria fœmina, ſufficiebat prohibitio eius connubij cum ingenuis, ex ratione *d. l. Lege* 44. §. 1. *l. Obſeruandum* 49. neque erat cur in capite de Senatorijs ſpeciatim exprimeretur: ac proinde non ſupplendus Paulus, & caput legis Iuliæ legis, ſed Vlpiani fragmenti verba componenda, reponendaque in ſuum locum, vt & fecimus explicitè magis *lib.* 3.

4 Prohibitionis ratio duplex, & in primis quoad ſcenicas ipſas generalis illa, communiſque alijs turpibus fœminis, ducta ex periculo contagionis morum, ne ſcilicet, *Senatoribus harum fœminarum non tam connubia, quàm vitia iungerentur*. Vt ſcriptum eſt *in Nouella* Martiani 4. *de matrim. Senat.* iuncta *l.* 1. illic: *Quarum venenis inficiuntur animi perditorum. Cod. de natur. lib.* deinde quoad ipſas, etiam non ſcenicas, & tamen filias ſcenici patris, aut matris, ob ignominiam conditionis, & ſanguinis, ſiue ne geniales Senatorij thori contaminentur *pollutarum mulierum fæce*; ſic enim ſcribendum in laudata *Nouella* Martiani *verſic. Quis arbitretur*, quomodò apud Gratianum Cæſarem ſcenicorum filiæ dicuntur ex huiuſmodi *fæce progenitæ*, *in l. Quæcumque* 9. *Cod. Theodoſ. de ſcenicis.* Adde in re nobilem *noſtram legem* 3. *titul.* 14. *p.* 4. vbi poſt nominatam inter alias, notatamque, *la Iuglareſa, y ſus fijas*, ſubiungitur ratio illa: *Cà non ſeria guiſada coſa, que la ſangre de los nobles fueſſe embargada, nin ayuntada à tan viles mugeres.*

Iam verò de ignominia ſcenicæ artis, & artificum, ex iuris, morumque cenſura, illuſtrandæ prohibitionis noſtræ rationi, ne in re parata, & prompta moremur, ſit ſatis, & veluti in commune ſtatuiſſe, ſcenicos, ſiue ſcenicæ, ludicræve artis cauſa in ſcenam prodeuntes, infamia notari, tam ex Prætorio edicto, de quò in *l.* 1. *l.* 2. §. *vltim. cum l.* 3. *&* 4. *D. de his, qui not. infam. l. pen. Cod. ex quib. cauſ. inf. irrog.* quàm ex priſco Romano iure, moribuſque, de queis locuples teſtis Æmilius Probus, ſiue potiùs Cornelius nepos in *Prologo vitarum ad Atticum.* Cicero 4. *de Republic.* & ex eo Diu. Auguſtin. 2. *de Ciuitat. Dei cap.* 13. *& lib.* 1. *de conſenſu Euangeliſt. cap.* 33. Tertullian. *de ſpectac. cap.* 22. Arnobius *lib.* 7. *adu. gentes.* Addimus ſuccedaneos, eumdem Auguſtinum, dum Romanos Dijs ſuis componit, & anteponit *lib.* 2. *de Ciuit. cap.* 14. *Illi* (ſcilicet Dij) *honori ſuo depoſcunt ſcenicos ludos; iſti* (Romani) *ab honoribus omnibus repellunt homines ſcenicos; & cap.* 27. vbi ſic de ſcenicis Floralibus: *Cuius actores laudanda Romanæ virtutis indoles, honore priuauit, tribu mouit, agnouit turpes, fe-* 5

ſecit infames. Diu. Chryſoſthomum *in epiſtol.* 1. *Pauli ad Corinth. homilia* 12. vbi inter alia ſic de ſcenicis: ἀλλ' ἄτιμοί εἰσι: *Sed ſunt infames. Quid ergo*, adijcit, *per infames honoras Regem? Cur in eos tot ſumptus facis? Si enim ſunt infames, oportuit, eos Vrbe pelli, non de publico ali.* *Carthaginienſe Concilium* apud Gratianum *in cap. Diffinimus* 4. *quæſt.* 1. illic: *Omnes infamiæ maculis aſperſi, id eſt hiſtriones.* Nec diuerſo ſenſu Tertullianus *in apologet. cap.* 15. hiſtrionem vocat, *ignominioſiſſimum, & famoſum caput*, & *de ſpectacul. cap.* 23. *damnandos in omnem ſcopulum famoſitatis.* Caſsiodorus *lib.* 7. *formula* 10. *fama deminutos.* Iulianus *in Miſopogone*, theatrale vitæ genus δυσκλεέστατον καὶ ἐπονείδιστον, ſiue *turpiſsimum, & ignobiliſsimum*, ſicut *pudendum* Auſonius *in prologo ſeptem ſapientum*, inducens eos in ludum illum: *Hodie in Orcheſtram palliati prodeunt: quid erubeſcis tu togate Romule? Scenam quòd introibunt tam clari viri? Nobis pudendum hoc, non Atticis quoque, quibus Theatrum Curiæ præbet vicem.* Scipio Africanus apud Macrobium 2. *Saturnal. cap.* 10. *Eunt in ludum hiſtrionum: diſcunt cantare, quæ maiores noſtri ingenuis probro ducier voluerunt.* Nec plura de notiſsima re.

6 Reſtat potiùs ex Romano ciuili iure, (Eccleſiaſticum nunc ſeponimus) effectus, ſiue documenta ſcenicæ infamiæ ſummatim delibare. Eiuſmodi ſunt ademptum ſcenicis ius poſtulandi. *l.* 1. §. *Remouet* 6. & §. *Ait* 8. *Digeſt. de poſtul. l.* 4. §. 1. *Digeſt. de legation.* iuncta *l.* 1. *Digeſt. de his, qui notant. infam.* accuſandi. *l. Is qui iudicio* 4. *verſic. Item, Digeſt. de accuſat. cap. Diffinimus* 4. *quæſt.* 1. teſtimonij dicendi, argumento *ex l.* 3. §. *Lege* 5. *Digeſt. de teſtib.* conquerendi de inofficioſa, ſiue iniuſta exhęredatione. *l. in arenam* 11. *Cod. de inofficioſo teſtament. Nouell.* 115. *vt cum de appellat. cap.* 3. §. *Si Præter* 10. *l.* 5. *titul.* 7. *part.* 6. & è contra permiſſa inofficioſi querela fratri, ſi inſtitutus à fratre ſcenicus, ſiue mimus, vt ſignanter Theophilus *libr.* 2. *Inſtitut. titul.* 18. §. 1. Anianus Thymelicos accenſens inter iniuſtos deteſtabilis turpitudinis notis, ad *leg.* 1. *Cod. Theodoſ. de inofficioſ. teſtament.* Harmenop. *in promptuario libr.* 5. *titul.* 6. iuncta *l. Fratres* 27. *Cod. de inofficioſ.* data marito impunitas occidendi adulterum mimum. *l. Marito* 24. *Digeſt. ad leg. Iul. de adulter.* Paulus apud Licinium Ruffinum *in collat. leg. Moſaic. titul.* 4. §. 2. & *vltim.* & *lib.* 2. *ſentent. titul.* 27. & Magiſtratibus ius torquendi, & puniendi hiſtriones, ſine metu legis Iuliæ de vi, etiamſi ad Principem prouocauerint. Teſte eodem Paulo *lib.* 5. *ſent. tit.* 26. iuncta *l. Lege.* 7. *D. ad leg. Iul. de vi publ. l. Capitalium* 28. §. *Solent, D. de pœnis.* Tacito *lib.* 1. & 13. *Annal.*

Rurſus negata ſcenicis iura, & decoramenta honeſtarum perſonarum, quale illud, vt Pantomimi, & hiſtriones non decorentur pictura in porticib⁹ publicis, alijſque locis honeſtis. *l.* 4. *C. de ſpectacul. lib.* 11. *l. Si qua* 12. *Cod. Theodoſ. de ſcenicis.* Vt in mulieribus, ſcenę deditis, earumque Amaſijs impunita adulteria ſint, ſiue ſtupra. *l. Mater* 10. §. *vltim. Digeſt. ad leg. Iul. de adulter.* iunctis *l. Si ea* 22. *l. Quæ adulterium* 29. *Cod. eodem tit.* vt Senatoris filiæ ſcenicæ non cenſeantur indignæ nuptiæ cum libertino. *l. Senatoris* 47. vbi ratio, & de qua ſuo loco *D. de* 7

ritu nupt. Vt filius ſcenicus non proficiat, ſeu computetur inter filios libertini patris ad liberationem operarum propter liberos ex lege Iulia. *l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. liber.* ne liceat mimis fœminis, vti publicè habitu virginum, Deo dicatarum. *l. Mima* 3. *Cod. de Epiſcop. aud. l. Si qua* 12. *Cod. Theodoſ. de ſcenicis*, neque gemmis, aut ſigillatis ſericis, textiſve auratis, aut illis veſtibus, *quas Græco nomine Latini*, cruſtas, *vocant, in quibus alij admixtus colori, puri rubor muricis inardeſcit.* (quomodo legendum *in l. Nulla mima* 11. *Cod. Theodoſ.* monuit Rad. Fornerius 3. *rer. quotid. cap.* 11. quamquam, *robur*, malit Gothofredus illic in notis) neque ſella, aut ſeſsionis prærogatiua in ſpectaculis *l. vnica, Cod. Theodoſ. de vſu ſellarum*: de queis ſingulis conferenda huc, quæ ſcripſimus *lib.* 3. vbi & de inhibito artificibus ludicris conſeſſu in quatuordecim.

8 Tandem quod & pro infamia ſcenica, & interdictione Senatorij connubij propriè conducit, vt digniores quæque perſonæ tantò magis arceantur à ludicro artificio, & profeſsione, veluti miles, cui ob artem ludicram capitis pœna. *l. Quædam* 14. *D. de pœnis.* iuncto *cap.* 1. *de vita, & honeſt. Cleric. libr.* 6. & ne Magiſtratus, alijve ludorum editores, præter quàm ſi Conſules ſint, dent pro præmio auri quicquam ſcenicis artificibus. *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de ſpectacul.* iunctis pro re illuſtranda de coarctatione lucaris, & largitionum in ſcenico. *l.* 3. *Cod. qui manumitt. non poſſ. cap. Donare cum ſeq.* 86. *diſtinct.* Tacito *lib.* 1. *Annal.* Capitolino *in M. Antonio*, & Lampridio *in Alexandro*, Scholiaſte veteri *ad illud Iuuenalis Satyra* 7. *Accipe, victori populus quod poſtulat aurum.* Queis pleraque poſteriorum Cæſarum, & ſeculi licebit, addere, nec à me tranſcribenda, ex commentarijs Iacob. Gothofred. *ad l.* 1. *&* 2. *Cod. Theodoſ. de expenſ. ludor.* Poſtremò ne Senator domus Pantomimorum introiret, neve Equites Romani hiſtrionum, egredientium in publicum, latus tegerent, & multò minus Senatores, equiteſve ſcena polluerentur; quæ ſunt ſingula ex priſcis Senatuſconſultis apud Suetonium *in Auguſto cap.* 43. *& in Tiberio cap.* 35. Tacitum *lib.* 1. *Annal.* Dionem *lib.* 54. *hiſtor.* Et cum tot, tantaque ſcenicorum infamię documenta ſint, ſubeat prorſus mirari, extare adhuc pro eorum fama honeſtanda, operosè ſatagentes, Albericum Gentilem *in libello de actoribus fabularum non notandis*, noſtrumque, & probum planè virum, at praui, & parùm honeſti patrocinij aſſertorem, Simonem Villalobos *in paradoxis iuris cap.* 9.

9 Expoſita ſententia, & ratione huius partis, verborumque noſtræ legis Iuliæ, conſequens eſt, diſpicere, quinam artem ludicram facere, videantur. In quo ocurrit ſtatim Vlpiani deſcriptio *in l.* 2. §. *vltim. cum l.* 3. *&* 4. *D. de his, qui not. infam.* Et quamquàm ea deſcriptio aptetur propriè verbis Prætorij edicti, quibus infamia notatur, qui artis ludicræ, pronunciandive cauſa in ſcenam prodierit. *dict. l.* 1. *D. de his, qui not. infam. l. penult. Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog.* Lex autem Iulia non ſignatè de prodeunte in ſcenam, ſed de artem ludicram faciente, aut qui fecerit, concepta ſit, *dict. l. Lege* 44. *l. Semper* 42. §. 1. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.* Vlpianus *in fragment. tit.* 13. iuncto ſimili alio capite Iuliæ legis apud Paulum *in l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. liber.* inter quæ an eadem ſint, dubitari, neque inſubtiliter diſtin-

ſtingui poſſet, ſicut dubitatum de eo, qui quamvis artis ludicrę cauſa, ſe Prętori in hortis oſtenderat, non tamen in ſcenam prodierat, ſeu productus fuerat, vt eſt apud Quintilianum *lib*. 3. *Inſtit. Orat. cap*. 6. de quo multa affabrè *in ſemeſtribus* Petrus Faber *lib*. 1. *cap*. 20. & diſtinguntur, aut ſeparantur *in l. Marito* 24. *D. ad leg. Iul. de adulter*. iuncta Baſilicorum verſione *lib*. 60. *tit*. 36. *& in Synopſi libro* item 60. *tit*. 37. tamen vt & ſimplicius, ita & ſimilius veri eſt, artem ludicram facere, & artis ludicræ cauſa in ſcenam prodire pro eodem vſurpari, ſaltem quoad leges noſtras, quarum cautionem hanc interdicti connubij cum ludicram artem facientibus, exaudiunt, & accipiunt poſteriores conſtitutiones, non de facientibus extra ſcenam, ſed de ſcenicis, vt videre eſt in *l*. 1. *C. de naturalib. lib. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. l. Imperialis* 23. *& l. vlt. Cod. de nupt. & in Baſilicis lib*. 28. *tit*. 5. *ex l*. 42. §. 1. *D. de ritu nupt*.

CAPVT XXIX.

DE THYMELICIS ANALECTVM.

AD L. 4. D. DE HIS, QVI NOTANT. INFAM.

ARGVMENTVM.

Exagitatur variè, & validè Vlpiani aſſertio, de Thymelicis, non habitis pro ignominioſis. *Thymelicorum* nomen à *Thymele*, ſiue Orcheſtra, aut pulpito Theatri parti, in queis Muſici artifices pſallebant, aut ſaltabant. Eo ſenſu Orcheſtra, & ſcena diſtinctę; & Thymelici à ſcenicis apud Græcos, & *in l*. 33. *& l*. 14. *Cod. de Epiſcop. aud*. Apud Romanos Thymelici in ſcenæ fronte, ſeu proſcenio, illiuſque pulpito, ludicris ſuis expoſiti, & ſcenæ, ac ſcenicis accenſiti, vt *in l*. 24. *D. ad leg. Iul. de adulter. & Nouella* 105. *& in Baſilicis*, & extra iuris libros alijs, ex queis multa. Expoſita contra Cuiacium *l*. 14. *cum l. vltim*. §. 1. *Cod. de Epiſcop. aud. l. vltim. Cod. de ſpectacul*. Elucidata, & emendata *l. Scenæ* 8. *Cod. Theodoſ. de ſcenic*. Concluditur, fuiſſe Thymelicos inter ignominioſos, idque non modò ex cenſura Eccleſię, de qua præ alijs *Canon Laodicenus* 54. (cuius apud Gratianum lectio corrigitur) & T*rullanus Canon* 24. illuſtrantur, ſed & ex concinentibus eidem cenſuræ Cæſarum legibus, ac vel ex ipſo Pretorio edicto, vt in Baſilicis enarratur. Iam ergo exploſa vulgari acceptione *dict. l*. 4. *de Thymelicis*, ſcenicis, ſubſcribitur illam intelligentibus de Muſicis, ſeu Thymelicis certantibus in muſicis agonibus. Tentatur alter intellectus *dict. l*. 4. *ex Baſilico textu de Thymelicis*, ſeu Muſicis præcinentibus ἐνδυμια, ſeu proęmialia in ſacris, certaminibus: & pro vtroque intellectu expenſus Balſamonis locus: & Thymelicorum mentio *in l*. 7. *Cod. de numerar. lib*. 12. *l*. 20. *&* 21. *Cod. Theodoſ. de diuerſ. offic*.

1 Illud vtique, ante quàm progrediamur (& quod præ alijs, alienioribuſque pro analecto veluti ſit) in commentatione illa Vlpiani de artis ludicræ cauſa in ſcenam prodeuntibus, difficile, nec omittendum eſt, quod ſcriptum eſt, *in d. l*. 4. *D. de his, qui not. infam. generaliter omnes opinari, & vtile videri, vt neque Thymelici* (neque alij, de queis illic mentio, nunc ad Spartam noſtram non pertinens) *ignominioſi habeantur*. Difficile, inquam, eſt. Namque Thymelicos, ideſt, Can-

tores, Tibicines, Citharœdos, Lyriſtas, Symphoniacos, & id genus muſicos alios, ſcitũ eſt, dictos à Thymele, ideſt, Orcheſtra, theatri parte, vbi & ara, ſeu pulpitum, in quo muſici artifices præcinebant, & interdum ſaltabant; quomodò apud Græcos, ſcena ab Orcheſtra, & Thymelici à ſcenicis diſtinguebantur, Vitruvio auctore *lib. 5. de architectura, cap. 8.* Diu. Iſidoro, temerè à Ritheruſio *ad Saluianum* notato, *lib. 18. etymolog. cap. 43. 44. & 47.* Polluce *lib. 4. Onomaſt. cap. 19.* Suida, Phrynico, & priſcis gloſſarijs, Varrone, & ex eo Nonio Marcello *cap. 2.* in voce, *Ramices*, eoque Græcanico ſenſu ſcena, & Orcheſtra diſtinguntur, apud Græcanicum Cæſarem Iuſtinianum *in leg. 33.* illic: εἰς σκηνὴν, ἢ ὀρχήστραν, *in ſcenam, vel Orcheſtram, Cod. de Epiſcop. aud. l. vltim. Cod. de nupt.* quarum ſententia eſt, non licere, pertrahere invitas fœminas in ſcenam, vt mimæ, vel in Orcheſtram (non Senatoriam, ſed græco ſenſu, pulpitum) vt Thymelicæ fiant, & vtrobique proſtent, quod inhibitum iam à Leone, pœna tamen non addita, *in l. 14. Cod. de Epiſcop. aud.* verbis illis, exponendo, illuſtrandoque Iuſtiniano, appoſiſsimis: μηδὲ θυμελικὸς εἴη, ἢ ἄλλως σκηνικὸς, ſiue *Thymelicus ſit, ſiue alioquin ſcenicus.* Et repetitum *in l. vltim. Cod. de Epiſcop. aud. & in l. vltim. Cod. de ſpectacul. ex Baſilicis lib. 60. titul. 38.* Addimus Græcum item, & Iuſtiniano coævum, Procopium *in antidotis*, de Theodora illa mox Auguſta: *Neque enim Tibicina fuit, vel ſaltatrix, aut Orcheſtræ habuit vſum.* Et poſtea: *Deinde mimis in theatro ad omnia ſe præbuit miniſtram.*

2 Apud Romanos tamen, cum Orcheſtra ſedibus Senatorijs deſignata eſſet, & Thymelici in ſcenæ fronte, ſiue proſcenio, illiuſque pulpito actiones ſuas peragerent, & *ex pulpito*, vt alibi Seneca *epiſt. 84. omne Tibiarum genus, organorumque conſonaret.* Dediſſe eos omnes artifices in ſcenam operam, negari non poteſt, vt his fere verbis diſtinguit, docetque Vitruvius *dict. lib. 5. cap. 6.* & de Nerone Citharœdo Suetonius *cap. 21.* Quæ Græci, & Romani theatri, ac ſenſus diſtinctio adhibenda eſt, conciliandis veterum ſcriptis de Thymelicorum actione in Orcheſtra, aut proſcenio, primo adſpectu pugnantibus, ne in illis cum Dempſtero *5. ad Roſinum cap. 29.* & alijs inventus hæreat, & feciſſe Thymelicos artem ludicram, neque ſolo, & ſeuero Senecæ ſenſu ludicras vocantis *epiſtol. 88. quæ ad voluptatem oculorum, atque aurium tendunt.* Sed omnino ſcenicam, & in ſcena, vt liquet ſatis ex *Nouella 105. de Conſulib. cap. 1. §. Quintum*, illic: *Vbi in ſcena ridiculorum eſt locus tragædis, & Thymelicis choris. l. Marito 24. D. ad leg. Iul. de adulter.* inibi: *Quive artẽ ludicram fecerit, in ſcenam cantandi, ſaltandive cauſa prodierit*, Tertullian. *de ſpectac. cap. 10.* vbi de ſcena, & ſcenicis artibus: *Quæ verò voce, & modis, & organis, & lyris tranſiguntur.* Caſsiodor. *4. var. cap. 51. Pantomimo igitur cum primùm ſcenam plauſibus inuitatus aduenerit, aſsiſtunt conſoni chori diuerſis organis eruditi.* Vnde in græca collectione librorum iuris, pro titulo illo Iuſtinianei Codicis, *de ſpectaculis, & ſcenicis*, vertitur περὶ θεάτρων καὶ θυμελικῶν, ſiue *de ſpectaculis, & Thymelicis*, vt in libro 54. *Baſilicon tit. 5. & 28.* & in iuris, alijſque libris.

Planè quamvis *Thymele* propriè eſſet muſicorum, & ſaltatorum, iuxta Luciani illud *in Dialogo de Orcheſtra*, de ſaltatore quodam obeſo, cui ſaltum molienti Antio- 3

tiocheni inclamabant, vt Thymelæ, ſiue tabulato, in quo ſaltaturus, parceret φεῖσαι τῆς θυμέλης. Itemque illud Sidonij *lib. 9. epiſtol.* 13. de Corinthijs Thymelicis, quorum acroamata Phornutus alibi memorat, *Bimari remittat Vrbe Thymelen, Palemque doctas, tepidas ad officinas, Cithariſtrias Corinthus.* Tamen & generaliter, paſsimque Thymele pro ſcena, aut theatro, vt apud Plutarcum *in Galba, & in libello de cupiditate diuitiarum*, ſiue περὶ φιλοπλουτίας, & Iuſtinianum *Nouella* 105. *de Conſulibus, cap.* 1. §. *Proceſsiones*, iuncto §. *Quintus*: Thymelici, Citharœdi, Symphoniaci, & eorum chori, veſtes, officia, ſub generali ſcenæ, ſcenicorumque nomine comprehenduntur, & comœdis, hiſtrionibus, mimis iunguntur, comparantur. *l. Veſtis* 127. *D. de verbor. ſignific. l. Cum eiuſdem* 34. *D. de ædil. edict. l. Proinde* 22. §. 1. *D. ad leg. Aquil. l. Sed ſi quid* 15. §. 1. *D. de vſufruct.* Saluianus *lib. 7. de Gubernat. Dei*; dum à Chriſtianis increpatoriè ſciſcitatur: *Templum omnes magis ſectentur, an theatrum? Dicta Euangeliorum magis diligant, an Thymelicorum? Verba Chriſti, an verba mimi?* Ammian. Marcellin. *lib.* 1. *Denique pro Philoſopho Cantor, & in locum Oratoris, Doctor artium ludicrarum acitur.* Statius Papin. *lib. 1. ſylu. vltim. Hic agnoſcitur omne quod theatris, aut forma placet, aut probatur arte; hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes, illic cymbala, tinnulæque gades, illic agmina confremunt Syrorum; hic plebs ſcenica.* Sidon. Apollin. *in Narbone*, ſiue *Carm. 23. Quid dicam Cithariſtrias, Choraules, mimos.* Artemidor. *lib. 2. Oneirocrit. cap.* 42. vbi de Venere πανδήμῳ, ſeu populari, bonam eam eſſe *Thymelicis, & ſcenicis omnibus.* Apulei. *Apologia* 1. *Quid enim ſi Choragium Thymelicum poſsiderem? Num ex eo argumentarere, etiam me vti conſueſſe tragœdi Syrmate hiſtrionis, Crotaloue ad trieterica Orgia, aut mimi centunculo.* Xiphilinus ex Dione *in Nerone*, de quo poſtea Capitolinus *in L. Vero*: *Adduxerat ſecum & tibicines, & fidicines, & hiſtriones, & mimos, prorſus vt videretur, non bellum Parthicum, ſed hiſtrionicum confeciſſe.* Vopiſcus *in Carino*, vbi de Meſſalla: *Ille enim patrimonium ſuum ſcenicis dedit, hæredibus abnegauit: matris tunicam dedit mimæ; lacernam patris mimo, inſcriptum eſt adhuc in Choraulæ pallio Tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meſſallæ nomen, & vxoris*; noſter Iſidorus *lib.* 18. *cap.* 43. & 44. illic: *Officia ſcenica tragœdi, comœdi, Thymelici, hiſtriones, mimi, & ſaltatores.*

4 Non itaque, tamquam diſsimiles, ſeparantur ſcenici, & Thymeli.i, *in l.* 14. *Cod. de Epiſcop. aud.* vt 6. *ad Africanum* Cuiacius, eidemque alij bene creduli cenſuerunt, ſed tamquam ſimiles iunguntur voce repetitiua ſimilium, τὸ ἄλλως, ſiue *alio modo ſcenicus*, ſicut *in eadem lege* 14. *in fine*: συγχωρεῖν μιμοῖς ἢ χοροῖς. *Coniungi mimis, aut choris*: & *in l. vltim.* §. 1. *Cod. de Epiſcop. aud.* illic: *Aut ſcenæ, vel Thymele ſpectatores fiunt ludorum.* Et in eadem re ſcenici omnes vno Thymelicorum nomine comprehenduntur, *in l. vltim. ex Baſilicis* addita, *Cod. de ſpectacul.* Et initio *Trullani Canonis* 24. *Synodi* 6. & à Theodoro *Baſilicorum* Scholiaſte *libr.* 60. *titul.* 39. *ad l. vltim. Cod. de malefic.* iunctis notatis infra *ad Canonem Laodicenum*; quoniam re vera mimi, & Thymelici, quãvis illi in ſcena, &

&

& iſti in proſcenio, ſeu pulpito, vtrique tamen ſcenici, & ſcenæ ſerviebant.

5 Atque inde elucidanda *lex Scenæ* 8. *Cod.Theodoſ.de ſcenicis*, vbi quæ in principio vocatur *ſcenæ mulier*, eſt propriè, omninoque Thymelica, vt apparet ex eo, quod ſequitur, *retracta in pulpitum*, ſtatuiturque, ſi ſcenæ vacationem, ob religionem, tamquam Chriſtiana poſtulauerit, *obtentu petionis venia non deſit* (legimus ita *ex l.* 1. *eodem tit. & Cod.*) Verùm ſi poſtea *turpibus voluptata complexibus, religionem, quam expetierit, prodidiſſe, & gerere quod officio deſierat, animo tamen ſcenica detegetur*, ſiue, vt ſimiliter Syricius Papa, *ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & ludicras* (non *lubricas*, vt in Vulgatis, apud Gratianum, eſt) *voluptates, & inhibitos denuo appetiuere concubitus.cap. de his* 12. 33. *quæſt.*2. *retracta in pulpitum* (ſic enim legendum, non *detracta*, vt ad ſcenica officia retrahi in *l.Mulieres* 4. *eodem titul. & reuocari, vel reduci in l.*1. & in Africano Concilio *cap.* 30. *& retracta in pulpitum*, in quo, vt monuimus, Thymelicæ ſtabant, aut proſtabant) *ſine ſpe abſolutionis*, ideſt, veniæ, & vacationis à ſcena, *ibi eò vſque permaneat, donec anus ridicula ſenectute deformis* (qualis Lyce illa, aut Chloris apud Horatium *lib.* 3. *Carm.*15. *& lib.*4.*Carm.* 13. vel exoletum illud ſcortum in proſcenio apud Plautum *in prologo Pænuli*) *ne tunc quidem abſolutione* (à ſcena) *potiatur, cum aliud quàm caſta eſſe non poſsit.* quo ſenſu hoc vltimum ſaltem rectè exaudiſſe, video, illic Iacobum Gothofredum contra Samuel. Petitum.

6 Sed, vt pergamus, Tymelicos, & eorum Choragium, præter quàm quòd ſcenæ inſeruiiſſe, & ludicram artem feciſſe, ſatis iam liquet, idque, vt infames eſſent, & haberentur; ſufficeret: idcircoque inter operas ludicras, viles, ſeruiles cum hiſtrionibus, ſeu mimis recenſentur. *dict. l. Cum eiuſdem* 34. *D.de ædil.edict. dict. l. Proinde* 22. *D.ad leg. Aquil. l. Sed ſi quid* 15. §.1. *D.de vſuſruct.* iuncta *l. Suos* 73. §. *Proinde, D. de legat.* 3. *l. Titius* 43. *in fine, D.de action.empti. l. vltim.* §. *vltim. D.de liberali cauſa. l. Patronus* 25. *l.Si libertus* 27. *l.*7. §. *Dabitur, D.oper.lib.* Macrob. *lib.*2. *Saturnal.cap.*10. fuiſſe tamen & habitos inter ignominioſos, nec dumtaxat ex cenſura illa ſancta, & ſeuera Eccleſiæ priſcæ, qua Thymelici, ſiue cantores ſcenici, perinde ac mimi, & hiſtriones de turpitudine notantur, damnantur, vt prętер Saluianum *lib.*7. & Iſidorum 18. *cap.* 44. *&* 51. quorum ſupra meminimus; Auguſtinum *lib.* 2. *de Ciuit. Dei cap.* 4. vbi de Symphoniacis ſcenicis; Hieronymum *epiſt. ad Furiam*, dum fidicinas, pſaltriaſque nominat *chorum diaboli*. Docet Clemens Romanus *lib.* 8. *Conſtitut. Apoſtolic. cap.* 32. vbi de accedentibus ad baptiſmum ita, ex Canonibus Pauli Apoſtoli: *Si quis ſcenicus accedat*. Et deinceps: *Aut Tibicen, aut Cytharædus, aut Lyricen, aut Saltator, vel ceſſent, vel repellantur.*

Et nominatim de Thymelicis 7 *Canon* 54. Concilij Laodiceni, quo cautum, non oportere Clericos, *ſpectaculis aliquibus, quæ in nuptijs, aut cænis exhibentur* (corruptè apud Gratianum *in eo Can. non oportet de conſecratione, diſtinct.*5. legitur, *ſcenis*, gloſſa illic, & aſſeclis delirantibus, cum legendum ſit *Cænis*. Vt apud Iuonem *Decreti parte* 11. *cap.*78. & in Græco Laodiceni *textu*, δείπνοις, ſiue *conuiuijs*, vt eſt in Braccharenſi 2. *Can.* 60.) *intereſſe: ſed antequam Thymelici ingrediantur, ſurgere, & de*

de conuiuio abire. Vbi & pro re obſeruandum, Thymelicorum nomine, nouiores Canones, illo vtentes, intellexiſſe vniuerſos ſcenicos; ſicut & in *l. vltim. Cod. de ſpectacul.* de qua ſupra, & id genus ludicra omnia ſpectaeula, vt videre eſt in *Canone* 24. Sextæ Trulanæ Synodi (ad quem plura Balſamon Patriarcha, & Zonaras Monachus) illic: ἡνίκα εἰσέλθοιεν παίγνια. *Quādo ludicra ingreſſa fuerint*. Et in Braccharenſi 2. *can*. 60. *antequàm ingrediātur ſpectacula.*

8 Quibus, quoad Thymelicorum infamiam, concinunt Chriſtianorum Cæſarum *leges*, *quiſquis* 5. *l. Scenæ* 8. iuncta, de qua iam ſupra, elucidatione *l. Si qua* 12. *in fine*, *Cod. Theodoſ. de ſcenic. l.* 14. *&* 33. *atque vltim. Cod. de Epiſcop. aud. l. vltim. Cod. de ſpectacul.* Idque, inter alias infamiæ cauſas, quia non minore turpitudine, quàm mimæ in ſcena, Thymelicæ in proſcenio, ſiue Orcheſtra proſtabant; vt poſt Plautinum illud *in prologo Pœnuli*: *Scortum exoletum, ne quis in proſcenio ſedeat*; de Thymelicis, propriè Cæſares verbis huc reſpicientibus *in l. Scenæ* 8. illic: *Retracta in pulpitum*. Et poſtea: *Cum aliud quàm caſta eſſe non poſsit. Cod. Theodoſ. de ſcenicis*. Et apertiùs *in l.* 14. *&* 33. *Cod. de Epiſcop. aud. l. vltim. Cod. de nupt. l. vltim. Cod. de ſpectacul.* Vbi qui vocatur Thymelicus, fœminas in Orcheſtra producens, & proſtituens, eſt ille idem, qui Tribunus Thymelicus, apud Anaſtaſium *in Collatione Maximi*. *Nouella* 51. *&* 105. Iuſtiniani *cap*. 1. §. *Quintus*, vbi in proceſſu illo dicto πορνεῖα, ſiue poſtribulo, recenſentur *Thymelici Chori*. Diu. Auguſtinus in hac re ipſa Thymelicam obſcenitatem exagerans *lib*. 6. *de Ciuitat. Dei*, *cap*. 7. *in fine*.

Quin denique, vt iam concludamus, vel ex ipſo Prætorio edicto fuiſſe ignominioſos Thymelicos, licet, elicere ex illius verbis: *Qui artis ludicræ, pronunciandi-ve cauſa*. *l*. 1. *D. de his, qui notant. infam*. Primis etenim illis ſignantur hiſtriones, & mimi; qui ſaltantes, vel geſticulantes, ludicræ artis cauſa, in ſcenam prodibant, ſiue in ſcena ludebant, vt ſcriptum eſt *in cap. Maritum* 33. *diſtinct*. poſterioribus autem Thymelici, & cantorum chori, qui pro ſaltaturo hiſtrione, aut geſticulaturo mimo fabulam prænunciabant (idque *in Baſilico dict. l.* 1. *contextu* eſt, προοίμαται) ſeu cantillando pronunciabant, *iiſque canentibus, alij geſtus edebant*, vt ſcripſit Iſidorus 18. *origin. cap*. 44. *&* 49. more in re ſcenica notiſsimo, de quo Manilius *lib*. 5. *æquabitque choros geſtu*. Caſsiodorus *lib*. 4. *epiſtol*. 51. Anonymus *inter priſca epigrammata libr*. 4. *Egreſſus ſcenam populum ſaltator adorat*; *ſolerti pendet prodere verba manu. Nam cum grata chorus diffundit cantica dulcis*; *Quæ reſonat cantor*; *motibus ipſe probat*. Graphicè, & ſæpiùs Lucianus *in Dialogo de Orcheſtra*; *ſeu ſaltatione*; & Ariſtænetus *libr*. 1. *epiſtol*. 26. *ad Pantomimam*. Atque hoc ipſum eſt, quod Scholiaſtes Græcanicus *libr*. 60. *Baſilicon titul*. 2. verba illa *d. l.* *pronunciandi-ve*, exponens, ſubiungit: ὁποῖος ἐστὶν ὁ αὐλητὴς, ὑπὲρ ὀρχηστοῦ τοῦ μέλλοντος ὀρχῆσαι παρακαλεῖν; *qualis eſt*; *qui pro hiſtrione ſaltaturo ſolet prouocare*. Nempe cantor, ſiue Thymelicorum chorus, vt poſt Ariſtotelem, & Horatium *in poetica* Iſidorus *lib*. 18. *cap*. 41. Poſtremò & addimus Prætorio edicto Romanam legem Iuliam de adulterijs, quæ cum ludicris artificibus componit, & inter infames reponit eos, qui cantandi cauſa 9

in ſcenam prodierint. *l. Marito* 24. *D. ad leg. Iul. de adult.* ſiue in ſcenæ, theatrive proſcenium, neque enim id honeſtius, quàm ſcena. *l. Si qua* 4. *in fine, Cod. de ſpectacul.* iuncto Dione *in Nerone* apud Xiphilinum, dum de Senatoribus, & equitibus, qui in ſcenam prodierant, ὥσπερ οἱ ἀτιμότατοι, ſiue *tamquam viliſſimi*, aut infames ſubiungebant. *Quidam eorum tibijs ludebant, ſaltabant, in tragædijs, & comedijs mimos, & hiſtriones agebant.* Congruit *Regia lex noſtra* 4. *tit.* 6. *part.* 7. *Otroſi*, ait (*ſon enfamados*) *los juglares, è los remedadores, è los fazedores de los zaharrones, que publicamente andan por el pueblo, ò cantan, è fazen juegos por precio.*

10 Eſt itaque, vt, poſt tam multa, iam ad rem, non dumtaxat difficile, ſed diſſonum, abſurdúmque quod traditur *in dict. l.* 4. *de his, qui not. infam.* Thymelicos neque eſſe, neque haberi inter infames, vtique, ſi de Thymelicis ſcenicis accipiatur. Id quod apud eruditiores fere in confeſſo eſt, & miramur, Hilligerum 18. *ad Donell. cap.* 7. *litt. A.* & quod magis mireris, Cuiacium *ad l. Si qua* 4. *Cod. de ſpectacul. lib.* 11. Thymelicos de muſicis ſcenicis modulos in tabula facientibus accepiſſe, eoſque inter infames non habuiſſe. Proinde aſſentior potiùs alijs, & ex eis adnotanti Amaiæ noſtro *ad leg. vnic. Cod. de infamib. num.* 40. & Thymelicos exaudio de certantibus in muſicis certaminibus, ſiue agonibus, cuiuſmodi θέας μουσικὰς καὶ θυμελικὰς, vocat Plutarchus *in Fabio Maximo*, & Septitia illa apud Modeſtinum *in l. Septitia* 10. *D. de pollicit.* & qui ipſi Thymelici, cum aurigis, ſiue agitatoribus, de queis poſt *in dict. l.* 4. coniuguntur *in l. Nulli* 21. *Cod. Theodoſ. de piſtoribus.* Et actuarij Thymelę, & Equorum Curuliũ, *in l. Actuarios* 7. *Cod. de numerar. lib.* 12. *& in l.* 20. *&* 21. *Cod. Theodoſ. de diuerſ. offic.* Eamque expoſitionem ex eo firmo, quia quos initio Vlpianus athletas (communi nomine muſicis gymnicis, & equeſtribus certatoribus, qui generaliter athletæ dicti, vt apud Platonem *Dialogo* 6. *de legibus.* Pollucem *lib.* 3. *Onomaſtici, cap.* 30.) non facere artem ludicram, propoſuerat *in dict. l.* 4. eoſdem poſtea ſingulis vocibus ad ſingula certamina accommodatis diſtinguit, atque exprimit, dum recenſet, *Thymelicos*, qui in muſico agone; *Xyſticos*, qui in gymnico; & *agitatores*, qui in Circenſi, ſiue equeſtri certabant, ad quod triplex certamen, Vlpianum reſpexiſſe, probabile eſt, vtpote cum id Romæ ad inſtar Olympicorum, fuerit inter ſacra habitum, & nuncupatum quinquennale, ſeu Capitolinum, adeoque non infame, vt ab eo ſerui, & Pantomimi prohiberentur, vt ad rem ſcribit Tacitus *lib.* 14. *Annal.* Sueton. *in Nerone cap.* 12. *& in Domitiano cap.* 4. Xiphilinus ex Dione Caſsio *in Nerone.* Philoſtratus *de vita Apollonij lib.* 4. iunctis, atque inde illuſtrandis *l. vnica, Cod. de athletis. l.* 1. *Cod. de ſpectacul. l. Spem* 5. *Cod. quæ res pignori. l.* 6. §. *Vlpianus* 13. *Digeſt. de excuſat. tutor. l. Commodis* 40. *D. de re indic. l.* 2. *D. de aleator. l. Qua actione* 7. §. *Si quis in colluctatione* 4. *D. ad leg. Aquil.*

Quamquam nec repugnabo, ſi quis malit cum Græco Baſilico *textu libr.* 21. *titul.* 2. vbi *in Scholijs* Cyrillus, *& in Synopſi*, ſiue *Ecloga eodem libro, & titulo*, & apud Photium *in Nomocanone, tit.* 13. *cap.* 21. Et ex his poſt Cuiacium Fabro Sanioriano *lib.* 1. *agoniſticon, cap.* 4. Thymelicos *in dict. l.* 4. intelligere, non de muſicis certatori- 11

toribus in muſico agone, ſed de illis Thymelicis, ſiue muſicis, qui in ſacris certaminibus gymnicis, vel vel equeſtribus, ante eorum commiſſionem, ad tibiam, aliudve muſicum inſtrumentum præcinebant, pronunciabantque præludia, ſeu proæmia quædam (cuiuſmodi proæmium, ſeu cantilenam proæmialem à Græcis Citharœdis vocare, οἴμην, ſcripſit Quintilianus *lib.* 4. *Inſtitut. Orator. cap.* 1. & προαύλιον Ariſtoteles *lib.* 3. *Rhetoricorum*, atque ex his Curius Fortunatianus 3. *Rhetoric.*) Eoque referendum eſſe, quod in Baſilico textu, & Scholijs iam laudatis pro Thymelicis, quorum apud Vlpianum mentio, exprimuntur, qui in Olympijs *Enthyria* dicunt, ἐν τοῖς ὀλυμπίοις λέγοντες τὰ ἐνθύρια, ſi *Enthyria* exaudias de proæmijs illis muſicis, quæ futuro ſacro certamimini, θύρια, ſiue portas, pręcinendo, quaſi aperiebant. Sanè non alio ſenſu in vetere inſcriptione, cuius ex Onuphrio Gruterus meminit, quod hodie legitur. ATHENODORVS XISTICVS PARIDI THYMELICO BENEMERENTI FECIT. Acceperim de Athenodoro athleta, grato erga Paridem Thymelicum de ſe benemeritum, dum præcentor eidem certaturo in gymnico agone feliciter Enthyria cecinerat.

12 Nec diuerſus ab iſto ſenſu (ſi capere mauelis, quàm carpere) Theodorus Balſamon, dum *ad Canonem* 130. *Synodi Carthaginienſis*, excludentis ab accuſando mimos, & ſimiliter turpes, adnotat, non contineri eo Canone omnes Thymelicos, ſiue, vt in Gręco eſt, μὴ πάντας τοὺς τῆς θυμελικῆς, non omnes Thymelicos, ſcilicet, quia quamvis Thymelici ſcenici, vtpote infames contineantur, alij tamen extra ſcenam, vel in ſacris agonibus muſica organa tractantes, non ſunt infames, vt & ſcripſit Firmicus Maternus *lib.* 4. *Matheſ. cap.* 15.

Sed neque aliena hęc explanatio à reliquo Vlpiani textu, ſi obſervetur, poſt nominatos initio athletas, quæ deinde ſequuntur, pleraque fere eſſe de pręparantibus, ſeu miniſterijs ſacrorum certaminum, quales præter deſignatores, & eos, qui aquam equis ſpargebant, ſunt in primis Thymelici iam expoſiti, & Xiſtici, qui in xiſto, ſeu porticu ſe exercebant, & futuro agoni parabant, & agitatores, ſi tamen eos exaudias, non de aurigis, ſed equorum Curulium ad Circenſe certamen curatoribus, prębitoribus, factionarijs, de queis *in l.* 1. *&* 2. *C. Theodoſ. de equis Curul. l.* 2. 3. *&* 5. *C. de ſpectac. l.* 1. *§. Perſonalia, D. de muner. & honor. l. Plenum* 12. *§. Equitij, D. de vſu, & habit.* Et in Symmachi *epiſtolis* paſsim. Denique actuarijs illis Curulium equorum, qui eorum publica ratiocinia tractabant, & actuarijs Thymeles coniunguntur, *in l. Actuarios* 7. *C. de numerar. l. Nemo* 21. *cum l. ſeq. C. Theodoſ. de Diu. Offic.* (quas luſtrat fere ſilens, accuratus alioquin Theodoſiani Codicis illuſtrator, Gothofredus.) At de his hactenus, & quoad agitatores, pendente titulo, quia nec diutius deliberare, aut exerrare vacat, aut libet. 13

CAPVT XXX.

AD LEG. LEGE 44. IN PRINCIP. ET §. NON OBEST. D. de ritu nuptiar.

DE LVDICRIS ARTIFICIBVS, QVI IPSI, QVORVMVE pater, materve fuere.

ARGVMENTVM.

QVi arti ludicrę ſe locauerit, niſi & eam fecerit, non comprehenditur lege Iulia, nec notatur Prætorio edicto. Elucidata *l. 3. D. de his, qui not. infam.* Sed & cur non idem in locante ſe ad beſtias, & ex locatione ſola notato. Differentię ratio proxima, deducta ex legum, & edicti verbis. Vlterior alia, ſignata à Caio *in d. l. 3.* quæ adornatur. Detectus in re obex *in l. 10. §. vlt. D. ad leg. Iul. de adult.* eique remouendo tentamenta Gręcorum, queis non acquieſcitur. Diſtinctio inter infamiam ex edicto, & eam, quæ facti dicitur, ſiue notam, quoad theſin *d. l. 10. §. vlt.* Ad Paulum *in §. Non obeſt, d. l. 44.* Patris nomen producitur iuſta interpretatione ad auum, quoties par ratio, aut in fauorabilibus, non in odioſis. Electa rei exempla in tractatu *S. C. Tertylliani.* Iam quoad *d. §. Non obeſt,* propria ratio petita ex verbis legum. Illuſtratus Calliſtratus *in l. 220. D. de verb. ſign.* & adhibitum exemplum ex lege Pompeia de parricidijs, cum lugubri nobis memoria. Addita tandem ratio rationis ad *dict. §. Non obeſt.*

1 PErcurremus iam leui pectine Pauli commentationem, & quas ſingillatim mouet quæſtiones ad ſupraſcripta legis Iuliæ verba *in dict. l. Lege 44. D. de ritu nupt.* In primis autem, & vltra Paulum (niſi ſi ab eo notatum fortaſſe Tribonianus omiſit) animaduertimus, ex verbis Iuliæ legis ita conceptis, de his, qui artem ludicram *faciant, fecerint,* rectè, proprièque inferri, eos, qui artis ludicræ faciendæ cauſa, ſiue, vt in ſcenam prodirent, operas ſuas locauerint, nec tamen fecerint, prodierintve, non contineri prohibitione, aut verbis legis Iuliæ, quæ ſunt de his, qui faciunt, fecerint, non de facturis; ſuntque ſimilia illa, & fere ſolemnia in legibus verba, *faciat, fecerit.* Vt in *l. Libertinus 37. D. de oper. libert. l. Marito 24. D. ad leg. Iul. de adulter. l. 3. §. Lege Iulia, D. de teſtib. l. Palàm 43. in princip. & §. Non ſolùm, D. de ritu nuptiar.* Vlpianus *in fragm. regul. tit. 13. & lib. 9. de officio Proconſulis,* apud Licinium Ruffinum *in collat. leg. tit. 9.* Idque ipſum ad edictum Prætorium de infamia eius, qui artis ludicræ cauſa in ſcenam prodierit, nempe vt non ſit infamis, qui operas locauit, nec prodijt, prænotauit Caius *in l. 3. D. de his, qui not. infam.* Et quidem eleganti ratione addita, quia ars ludicra *non eſt res adeo turpis, vt etiam conſilium puniri debeat;* ideſt, quia quamuis in atrocioribus malefactis, qualia *Immane nefas* Virgilius *6. Æneid.* & ſignanter, *ſcelera* vocant Seneca *lib. 4. controuerſ. & de conſtantia ſapientis, cap. 7.* Iuuenalis *Satyr. 3.* Apuleius *in floridis lib. 1.* & Cæſares *in l. 1. Cod. Theodoſ. ad leg. Iul. de ambitu,* conſilium cum conatu puniatur, *l. Quiſquis 5. Cod. ad leg. Iul.*

Ma-

Maieſt. l. Si quis non dicam 5. Cod. de Epiſcop. & Cler. l. 1. D. de extraordin. crim. l. Si quis aliud 38. §. vltim. D. de pœnis. l. vlt. §. Sic autem, D. de bonis eorum, qui ante ſentent. non tamen in leuioribus, ſeu non habentibus atrocitatem facinoris. *l. Cogitationis 18. D. de pœnis. l. 1. §. 1. D. de furtis. l. Impuberem 22. §. Etſi ei ſerui 4. D. de lege Cornel. de falſis;* ſiue in non adeo turpibus, cuiuſmodi eſſe artem ludicram, adnotat Caius *in d. l. 3.*

2 Enim verò & hæc ratio, ſi dextrè applicetur, & explanetur, ſufficit diſſolvendæ quæſtioni, & differentiæ, cuius in ratione reddenda Græci, & Latini interpretes valde laborant, cur ſcilicet non ſit infamis, qui operas ludicræ arti locauit, ſi non prodijt, & è contrario infamis ſit, qui operas ſuas, vt cum beſtijs depugnaret, locat, etiamſi non depugnauerit. *l. 1. §. Remouet 6. verſ. Et qui operas, D. de poſtulat. l. Qui libertinus 37.* vbi duo hæc diſtinguntur, *Digeſt. de oper. libert. l. 1. §. Qui operas 6. D. ad S. C. Tertyll. l. 3. §. Lege, D. de teſtib.* Paulus apud Licinium Ruffinum *in collat. legum titul. 4. & tit. 39.* Sanè proxima, & prompta differentiæ ratio eſt, in qua ex Græcis Theodorus Balſamon *ad Photij nom canonem tit. 13. cap. 21.* & prolixo ſatis Scholio Cyrillus *ad d. l. 3. lib. 21. Baſilicon tit. 2.* & ex Latinis, poſt Caſtrenſem *in l. 1. §. Beſtias, D. de poſtul. & in l. 2. §. Ait Prætor, D. de his, qui not. infam.* Vertranius Maurus, Eguinarius Baro, Balduinus, Briſſonius Ræuardus, Petrus Faber, & ſi qui alij apud Hilligerum *ad Donellum 18. cap. 3. litt. BB. & 57. litt. A.* & vel ex practicis Tiraquellus, Menochius, Roizius, Carrocius conueniunt, nempe in ludicra arte factum dumtaxat, ſeu turpitudinis effectum; & exercitionem notari, vt in Prætorij edicti verbis, *prodierit*, & in noſtrarum legum *faciat, fecerit, exercuerit. l. Semper 42. §. 1. l. Senatoris 47. D. de ritu nupt.* cum ſupra laudatis. Ideoque qui non prodijt, nec fecit, etiam ſi ſe rei ludicræ faciendæ locauerit, non notari. *l. 3.* At ex adverſo in locante ſe ad beſtias, quamvis non depugnauerit, damnari propoſitum habentis, ſanguinem venalem, & pro mercede caput ſuum; ac furiis locantis, vt alibi Manilius, ſiue exponentis vitam diſcrimini certandi cum belluis; cum tamen factum ipſum pugnandi, non mercedis, quæſtuſve, ſed virtutis gratia, & vt habet *Regia lex noſtra 4. titul. 6. part. 7. Por probar ſu fuerça, è ganar prez de hombre; non notetur d. l. 1. §. Remouet 6. verſ. Et qui operas, cum ſeqq.* Vnde & in lege de vi excipitur, ne inter famoſos habeatur, qui iaculandi cauſa ad Vrbem miſſus eſt, Vlpiano teſte apud Licinium Ruffinum *d. tit. 9.* quia, vt appoſitè Quintilianus *declamatione 302.* de auctorato ad gladium pro parte redimẽdo, cui deinde tamquam gladiatori contradicebatur, ne in quatuordecim theatri gradibus ſederet; *Non pugna per ſe turpis eſt; ſed inhoneſta pugna; dedit enim & familijs nomina: hinc Coruini; hinc Torquati; hinc Opimi: illum ergo maiores prohibuerunt theatro, qui vilitate; qui gulâ ſe auctoraſſet.*

3 Sed hæc prompta, cuius & vt diximus proxima, ſiue immediata dubitationis, & differentię ratio. Quòd ſi vlteriùs quæſieris, cum ſicut in locante ſe ad beſtias, propoſitum turpe notatur; non itidem notetur in locante ſe ad ſcenam, cum ſit prodire in ſcenam turpe, *& nullius rei turpis merces decora ſit*, vt Tertullianus expendebat *de habitu muliebri cap. 2.* applicanda differentiæ ratio

eſt, & huc referenda illa ex Caio *in dict. l.* 3. (quam & ipſum huc retuliſſe, arbitramur, cum alioquin prima, & proxima illa ex verbis edicti, factum, aut propoſitum notantibus, cuiuis in expedito eſſet) quoniam ſcilicet in ſcenam prodire, quantumvis turpe, non tamen adeo turpe, vt etiam conſilium, ſiue conatus ſe locantis, puniri, debeat, aliter atque in locante ſe ad beſtias, ſeu venationem in arena, cuius non modò turpis, ſed nequiſsima ars, vt vocatur Auguſtino *in cap. Qui venatoribus, cum ſeq.* 86. *diſtinct. & miniſterium crudelitatis*, vt Ambroſio *ad Pſalmum* 218. *Octonario* 8. *Et ferarum lachrymoſa ſpectacula*, *in l. vltim. Cod. de ferijs*, denique, *actus deteſtabilis*, *ludus crudelis*, *ſanguinaria voluptas*, *inhumana feritas*, vt de re, & rem ad Caſsiodorus *lib.* 5. *var.* 42.

4 Neque prætereundum eſt, quod primo adſpectu obſcurum, & in hac re nondum expenſum, Papinianus ſcribit, *in l. Mater* 10. §. 1. *D. ad leg. Iul de adulter.* poſſe ex Senatus Conſulto, illic relato accuſari, & damnari adulterij mulierem, quæ, euitandæ pœnæ adulterij gratia, operas ſuas in ſcenam locauit; & proinde ſupponitur, ante illud Senatus Conſultum, & extra illius limites ſolam locationem in ſcenam, etiamſi non prodijſſet, ſuffeciſſe ad infamiam mulieris, & vt in ea tamquam infami adulterij pœna non exerceretur, iuxta *l. Si ea* 22. *l. Quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Iul. de adulter.* Id quod ipſum ex eo firmatur, quia & impudicitiæ, aut lenocinij ſola profeſſio cœpta, ſeu ſolemniter apud Ædiles facta, ſatis erat ante id Senatus Conſultum, ad exſoluendam fœminam dignitate matronali, & euitandas propter infamiam legum pœnas, vt Suetonius ſcribit *in Tiberio cap.* 35. *More illo apud veteres recepto, qui ſatis pœnarum aduerſus impudicas in ipſa profeſsione flagitij credebant*, ait Tacitus *lib.* 2. *Annal. Solaque famoſam culpa profeſſa facit*, vt eſt apud Naſonem *lib.* 3. *eleg.* 13. conducit & Catonis illud apud Nonium *in voce, ſuſpicioſus*, & Agellium 9. *noct. Attic. cap.* 12. *Aut ſe lenoni locauiſſet etſi famoſus, & ſuſpicioſus eſſet.* Quæ ſingula adverſari, videntur, iam traditis de locatione in ſcenam ſola, infamem non faciente, vtpote re, non adeo turpi, vt illius ſola profeſsio, ſeu conatus puniri debeat. *d. l.* 3. *D. de his, qui notant. infamia.*

Nec probamus perfugium rei 5 expediendæ, quod veluti ſuggerit *textus libro* 60. *tit.* 37. *in Baſilicis*, in quo pro verbis illis, *aut operas ſuas in ſcenam locauit*, *in d. l. Mater* 10. §. 1. redditur γένηται ἡ σκηνική, *vel fiat ſcenica*, & proinde locatio exauditur, ſiue ſuppletur de ea, quæ fuit cum effectu ſcenici miniſterij, ſicut è converſo intromiſsio in arenam, & arenarij mentio intelligitur per ſuppletionem de eo, qui non ob virtutē, ſed ex locatione, vel auctoramento in arena pugnauit. *in l.* 4. *D. de accuſat. l.* 4. §. 1. *D. de legation. l. Ob carmen* 21. §. *Si ea, D. de teſtib. l.* 5. *D. ad S. C. Treb. l. Hæ demum* 38. *D. de oper. libert. l. In arenam* 11. *Cod. de inoffic. teſt. l.* 1. *Cod. de natural. lib. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* Non probamus vtique, qūia & verius credimus, quoad terminos *dict. l. Mater* 10. §. 1. & ante illud Senatus Conſultum, eiuſque hypotheſin ſuffeciſſe ad infamiam, & impunitatem adulterij, & ſtupri, quemadmodūm profeſsionem ſolam lenocinij, aut licentiæ ſtupri apud Ædiles, ita & locationem operæ in ſcenam, apud editorem ludorum; ſic enim fere hæc comparantur *in dict. l.* 10. §.

§. 1. & apud iam laudatum Suetonium, Tacitumq;. Et ſpecialiter, propriè que magis de ſponſione iurata, vel fideiuſsione pro operis in ſcenam, *in Nouella* Iuſtiniani 51. *l. Neque* 14. iuncta *l.* 33. *Cod. de Epiſcop. aud. l. vltim. Cod. de ſpectacul. l. Imperialis* 23. *l. vltim. Cod. de nupt.* neque immeritò, quia Romanis moribus, legibus (proh quàm exlegibus) eadem fere erant locatio operarum fœminæ in ſcenam, & profeſsio meretricij. *Nouella* 51. *ſcenicas*, in præfatione *l. Mimæ* 5. *Cod. de Epiſcop. aud. l. Scenæ* 9. *in fin. Cod. Theodoſ. de ſcenic.* Tertullianus *de ſpectacul. cap.* 17. Auguſtin. *lib.* 2. *de Ciuit. Dei cap.* 26. *& lib.* 6. *cap.* 7. *ad finem.* Iſidorus *lib.* 18. *orig. cap.* 42. & ex Patribus alij creberrimè.

6 Ergo obſervamus, potiùs diſtingui oportere inter infamiam illam iuris ex edicto Prætorio, ad quam ſola locatio operarum in ſcenam, niſi & prodeatur, non ſufficit. *dict. l.* 3. *D. de his, qui notant. infam.* & infamiam, vt vocant, facti, ſiue ignominiam, notamque ex probroſa, turpive cauſa, etiamſi iure non notata, contracta cum minutione exiſtimationis apud graues viros. *l.* 2. *D. de obſequ. par. vel patr. l. penult.* §. *Minuitur, D. de extraord. cogn.* Quæ certè nota, & probrum incurritur ex ſola locatione publica operarum fœminæ in ſcenam, aut profeſsione lenocinij, vel meretricij apud Ædiles, etiam ante quàm exerceantur: eaque probroſa profeſsio ſufficiebat, ne erga ſimiles fœminas ſtuprum, vel adulterium committatur, aut vindicetur. *l. Si ea* 22. *l. Quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Iul. de adulter. l.* 1. *Cod. Theodoſ. eod. tit. l. In liberæ* 24. *l. Probrum* 42. *D. de ritu nupt. l.* 1. §. *Cum Attilicino. l.* 3. *D. de concub. l. Cum tabulis* 16. §. *Quoniam, D. de his, quæ vt indign. l. Si vxor* 13. *D. ad leg. Iul. de adult.* Nec mirum; cum ad eum effectum ſola vilitas vitæ, aut miniſterij in caupona, & illius occaſione, lenocinio, aut libidini obnoxij, vel expoſiti, ſoleat, ſufficere. *dict. l. Si ea* 22. *l. Quæ adulterium* 29. *l.* 2. *in fine, tit.* 19. *part.* 7. iunctis *l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. l.* 1. *Cod. de natural. lib.* itemque *l. Palàm* 43. *in princ. &* §. *Si qua cauponam, D. de ritu nupt. l.* 4. §. *ait Prætor, D. de his, qui not. infam. l. vltim. Cod. ſi mancip. ita vend. ne proſtit.* Excipiuntur tamen fœminę nuptæ, ſiue matres familias, quæ poſt commiſſum adulterium, & ad euitandam illius pœnam iam imminentem, profeſſę ſunt licentiam lenocinij, aut meretricij, vel operas ſcenę locarunt, vt tamquam famoſæ, & exſolutæ dignitate matronali, de adulterio, ante commiſſo, non puniantur, vt Viſtilia illa apud Tacitum 2. *Annal.* & famoſæ alię apud Suetonium *in Tiberio d. cap.* 35. quas omnes, ne refugium in tali fraude eis eſſet, poſſe adulterij, antea commiſſi, accuſari, & damnari, fuit cautum Senatuſconſulto, de quo in *dict. l. Mater* 10. §. 1. Quomodò id exponendum, collatis etiam Tertulliani *de pallio cap.* 4. alijſque locis, dicemus pleniùs *infra lib.* 3. vbi de interpretanda *l. Si vxor* 13. §. *Sed & in ea* 2. *D. ad leg. Iul. de adulter.*

Ex eiſdem verbis illis, *faciat, fecerit*, proxima illatio eſt, eam etiam 7
mulierem, quæ ipſa, cuiuſve pater, materve artem ludicram fecerint, etiamſi nunc non faciant, ſeu quamvis facere, deſierint, lege notari, ſcilicet quoad prohibitionem eius nuptiarum cum Senatorijs; quod & fortaſſe Paulus ad hæc verba Iulię legis non prætermiſit, ſaltemque, eum ita ſenſiſſe, intelligitur ex eo, quod tradidit *in dict. l.* 44. §. *An & is* 5. *D. de ri-*

tu

tu nupt. de qua poſtea; interim pro firmanda illatione ſatis ſit, ſtabiliri eam ab Vlpiano ad ſimilia verba noſtrarum legum de prohibitis nuptijs ingenuorum cum fœminis, quæ palàm corpore quæſtum faciant, fecerint. *in l. Palàm* 43. §. *Non ſolùm* 4. *D. de ritu nupt.* ad quem locum plura, neque inculcanda *infra libr.* 3. Illud loci huius proprium, quoad eam, quæ artem ludicram fecit, & facere, deſijt, ſeu pœnituit, fuiſſe huic capiti derogatum, *in l. Imperialis* 23. *Cod. de nupt.* de qua tamen, & pro re, & opportuniùs, pleniùſque dicemus infra pro auctario eiuſce capitis noſtrarum legum.

8 At cum Paulo iam progrediamur, qui *in dict. l. Lege* 44. §. *Non obeſt* 2. ad illa verba, *cuiuſve pater, materve*, in primis notat, non obeſſe, ſcilicet ad connubium cum Senatorijs, auum, & auiam nubentis artem ludicram feciſſe. Dubitandi ratio ex eo, quia quod de patre, matreve ſcenico cautum pertinere, aut produci oportere ad auum, auiamve ſcenicos, videbatur, iuſta interpretatione *l. Iuſta* 201. *in fine. l. Appellatione* 51. *D. de verbor. ſign. l.* 4. §. *Parentem*, *D. de in ius voc. l. vltim.* §. *Parentes* 7. *D. de gradibus.* Et ſpecialiter in connubiali hoc capite noſtrarum legum, in quo & quoad eius prohibitionem appellatio filij Senatoris pertinet etiam ad nepotem, & pronepotem, qui auum, vel proauum Senatorem habuit. *l. Emancipatum* 7. §. *penult.* & *vltim. l. Liberos* 10. *D. de Senator.* iuncta *l.* 2. §. *In filijs, verſic. In auo*, *D. de Decurion.* & quę ad eumdem tractatum, caputque pertinet. *l. Non quemadmodùm* 8. *cum l. Si quis* 5. §. *Vtrum* 2. & Auguſti *Conſtitutione* non diſsimili, de qua nos ex Dione ſupra *hoc libro*, *D. de agnoſcend. liber.* Sicut immunitates Vicesſimæ conceſſæ patri in hæreditate filij, productę ſunt à Traiano ad auum in hæreditate nepotis; *cur enim retro non recurreret æquitas eadem*? Vt ad rem expendebat Plinius *in Panægyrico.*

9 Sed in contrarium decidendi ratio fortior; quippe nomen *patris* ductum à *patratione*, ſeu *procreatione*, vt Iſidorus ſcripſit *lib.* 9. *etymolog. cap.* 5. propriè, & partitè reſpicit patrem ſolum, non autem auum, & vlteriores, qui parentes vocantur latiore, & communi nomine. Vt peritè Accurſius præſenſit, *in dict. l. Appellatione* 51. Eòque ſpectat, quod interdum, *parens, vel pater*, nomina, tamquam, diuerſa diſtinguntur. *l. Si pupillorum* 7. §. *Si pater*, *D. de rebus eorum. l.* 3. §. 1. *D. de adminiſtr. tut. l. Profectitia* 5. *D. de iure dot.* & apud Ciceronem, alioſque non ſemel. Et quamvis iuſta interpretatione, ſiue ex iuris prudentum ſententia, plerumque patris nomine auus quoque comprehendatur, ſeu demonſtrari, intelligatur. *dict. l. Iuſta* 201. *D. de verb. ſign. cap.* 2. *de verb. ſign.* iunctis pro illuſtratione, & collatis *Danielis cap.* 5. *verſic.* 17. & *Hieremiæ cap.* 52. *in fine.* Id tamen obtinet in his, quę neque odioſa, neque fauorabilia, & in queis eadem eſt ratio patris, atque aui, & multò magis in fauorabilibus. *l. Neſſenninus* 34. *verſ. Præterea*, *D. de negot. geſt. l. Si quis* 5. §. *Vtrum* 2. *cum ſeqq. D. de agnoſcend. lib. l. Diui* 17. *D. de iure patronat. l. dotem* 6. *D. de collat. bonor.* non autem in odioſis, ſiue quæ ſunt ſtrictæ interpretationis. *l. Patri* 21. *cum l. ſequ. D. ad leg. Iul. de adulter.* iuncta ratione, & regula *l. Cum quidam* 19. *D. de liber. & poſthum.*

Eiuſ-

Eiuſque diſtinctionis electa, & elegans probatio duci poteſt ex tractatu Senatus Conſulti Tertylliani, in quo filij ſucceſsio matri, non etiam auiæ, deferebatur, vt eſt ſingulariter proditum *in* §. *Poſtea* 2. vbi Theophilus *Inſtit. de S. C. Tertyll.* & patris appellatio, vt præferatur matri in ſucceſsione filij, non extenditur ad avum, etiam manumiſſorem. *l.* 2. §. *Obijcitur* 15. iuncta *l. Æquiſsimum* 5. §. 1. *Digeſt. ad S. C. Tertyllian. l.* 2. *Cod. &* §. *præfertur* 3. *Inſtitut. eodem titul. l. Si ad patrem* 10. *Digeſt. de ſuis, & legit. cap. penult. de conceſsion. præbend. in* 6. & è contra in eodem tractatu conſtitutiones de matre, non petente tutorem filijs, pertinere etiam ad auiam. *dict. l.* 2. §. *Si mater* 23. *cum* §. *Filijs* 28. *Digeſt. ad S. C. Tertyllian.* iuncta *Authent. matri, & auiæ, C. quando mulier tutor. offic. fungi poſſ.* Quam diſtinctionem de patris, matriſve appellatione, in fauorabilibus ad avum, auiamque porrigenda, non autem in odioſis, docent, deducuntque ſignatè, *ex noſtra l. Lege* 44. §. *Non obeſt*, Bartolus, Albericus, & Fulgoſius *inibi, vbi* & Baldus, *& in l. Palàm* 43. §. *Quæ in adulterio num.* 5. *D. de ritu nupt.* & ad nobiles in praxi quæſtiones produci poſſent.

10 Sed euagari nunc non datur. Planè quoad Pauli gnomen *in dict.* §. *Non obeſt*, ſpecialis, propriaque decidendi, & ad dubitandi rationes, ſupra expenſas, reſpondendi ratio eſt, quia Iuliæ legis verba, quæ Paulus interpretabatur, ſunt concepta dumtaxat de ea, quæ ipſa, cuiuſve pater, materve artem ludicram feciſſent; & è contrario eadem lex Iulia *in hoc capite*, vbi de filio Senatoris loquuta, expreſsit nominatim filium, nepotem, pronepotem, & conſequenter patrem, avum, proavumque Senatorem. *dict. l. Lege* 44. Eſt autem certa ſatis, notaque definitio, quæ docet, quamvis iuſta interpretatione nominis patris, *ex dict. l. Iuſta* 201. vel generali appellatione parentum aſcēdentes omnes intelligantur. *dict. l. Appellatione* 51. *D. de verb. ſign. l.* 4. §. *Parentem. l. Sed ſi hac* 10. §. *Liberos* 9. *D. de in ius vocand. l.* 1. §. 1. *D. de legat. præſt. l. Nuptiæ* 53. *D. de ritu nupt. l. vltim.* §. *Parentes* 7. *D. de gradibus*, iuncto Pompeio Feſto in voce, *Parens*; tamen quoties leges ſingularum cognationum, ſiue graduum nominibus vtuntur, enumeratione facta, veluti filij, nepotis, pronepotis, vel patris, aui, proauique, non intelligi his legibus conſtitutum de omnibus gradibus, ſed de his ſolis, quos nominatim enumerant. *l. Liberorum* 220. *verſ. toties, D. de verbor. ſignific.* Vbi quæ leges nominantur, exaudiendas eſſe de Iulia, & Papia noſtris, præmonuerunt iam alij, & nos ſupra *lib.* 1. *cap.* 3. & referri poſſe ad hoc caput quod extat *in dict. l. Lege* 44. itemque ad illud, cuius mentio in *l. vnica*, § *Et cum lex, Cod. de caduc. toll.* & apud Vlpianum *in fragment. tit.* 18. cuiuſmodi etiam enumerationis graduum, ne ad vlteriores productio fiat, extant exempla *in l.* 1. §. *Enumerantur* 1. *D. ſi à parente quis manumiſſ. ſit. l. filij* 22. §. *Senatores* 5. *D. ad municip. l. Diuo Marco* 11. *Cod. de quæſtion. l.* 1. *Cod. de priuilegijs eorum, qui in Sacro Palatio milit. lib.* 12. *l.* 1. *Cod. de his, qui ante apertas tabulas.*

Et notanter in tractatu de parricidio, in quo pœna illa Cullei more maiorum, qua forſan enumeratis patre, matre, auo, & auia nominatim indicta, vel inducta fuerat, non porrigebatur ad vlteriores perſonas. *l. Pœna* 9. §. 1. *D. de lege Pompeia de* 11

parricid. ſcilicet ante Conſtantinum *in l. vnica, Cod. de his, qui parentes. l. vnic. Cod. Theodoſ. de parricid.* Cuius in hac re conſtitutum, quia Pompeię legis de parricidio veluti appendix, & auctarium fuerat, adſcribit Iuſtinianus Pompeiæ legi *in* §. *Alia deinde* 6. *Inſtit. de public. iud.* vt obſervauit ante alios noſter Couarruuias, & ſimilia nos plura ſupra *hoc libro.* Quamquam de tota hac re nobis in hoc tranſcurſu non facilè extricanda, pro turbatis, aut valde rem turbantibus locis explanandis, *in l.* 1. *D. de lege Pomp. de parricid. l. Hos accuſare* 12. §. *vltim. verſic. Item, D. de accuſat. l. Diuus* 15. *D. de pœnis. l. Si adulterium* 38. §. *Imperator* 38. *D. ad leg. Iul. de adult. l.* 1. §. *vlt. D. ad leg. Cornel. de Sicar.* Paulo *lib.* 5. *ſentent. tit.* 24. nouiſsimè erudito, & arguto criterio, & prout quęſtionis, & ætatis lubricum eſt, acri, & ardenti, cenſuerit in ſuis *de parricidij pœna* in Tribonianum *analectis lib.* 5. noſter Ioannes Franciſcus Ramos, Iacobæi Ordinis Eques, & Regius in Patrimonij Regij Senatu Conſiliarius, in quo ſicut inclinatę domus recumbentem ſpem (poſt præreptos intra biennium, turbato ordine, & immatura heu morte, Franciſcum, Ioſephumque filios) & eumdem qualiſcumque noſtri in Iuriſprudentia nominis ſucceſſorem, votis ah non felicibus proſpiciebamus, ita eiuſdem in medio annorum, & honorum curſu propera morte interciſas ſpes patriæ, & patris, patrio affectu lugemus, niſi quòd ſpes Chriſtiana ſolatur illius non iam mortui, quàm ad meliorem vitam tranſlati, ò vtinam, qui poteſt, polleſque Deus.

At vt in viam, cur Iulia lex in Senatorijs vſque ad pronepotem, & proauum, & in ſcenicis, ſiue ludicris, non vltra ipſos, eorumque patrem, matremve cauerit, non eſt differentię ratio in difficili, ex differentia ſtatus quæſtionis, ſiue materiæ, nimirum quia in Senatorijs ſtatuebatur de dignitate proaui producenda ad pronepotem, quod eſt fauorabile; nec enim honores parentum invidere liberis, oportet. *l. Senator* 11. *Cod. de dignit. l. Emancipatum* 7. §. *vltim. l. Liberos* 10. *D. de Senatorib. l. Moris* 9. §. *Sed vtrum, D. de pœnis. l.* 2. §. *In filijs cum ſeqq. D. de Decurion. l. Filij* 22. §. *Senatores* 5. *D. ad municip.* At ſi infamiam ſcenici aui, vel proaui prorogaret, quoad interdictionem connubij, lex Iulia ad nepotem, pronepotemve innoxium (quæ & infamia quantò remotior, vtique inefficacior) foret ſubdura, odioſaque, argumento *ex l. Crimen* 26. *D. de pœnis. l.* 2. §. *Sed ſi pater* 3. *cum ſeqq. D. de Decurion. l. Generali* 34. §. *vltim. D. de ritu nupt. l. Filiam* 9. *D. de Senator. l.* 2. *Cod. de libert. & eor. lib. l. Per adoptionem* 35. *D. de adopt.* Conducit notiſsima regula *l. penult. D. de pœnis. l. Cum quidam* 19. *D. de liber. & poſthum.* 12

(§)(§)

CAPVT XXXI.

AD EAMDEM L. LEGE 44. §. *NEC DISTINGVITVR* 3. *CVM* §. 4. *&* 5. *D. de ritu nupt. Breues Enarrationes.*

ARGVMENTVM.

EMancipatio minuit, mutatve priuata iura familiæ, non autem publica, quale eſt ius connubij. Vnde & à Senatorio arcetur filia ſcenici emancipata. Aliud in filia naturali, ſeu ſpuria patris ſcenici, cui pater, vtpote incertus, non obeſt, nec apprehenditur prohibitione hac connubij, vtique odioſa, & ſtricta, quamvis pro filia ſit, quoad alia diuerſæ rationis. Obſtat tamen naturali filię mater ſcenica, vtpote certa, obſtatque etiam adoptiuæ pater adoptiuus. Sed an obſtet adoptiuæ emancipatę pater, qui antequàm adoptaret, vel emanciparet, ſcenicus fuit, & poſtea deſijt, quærit Paulus *in dict. l.* 44. *§. An & is* 5. ex verbis Iulię *Faciat, Fecerit.* Et quamvis ſuboſcurè, diſtinguit filiam naturalem emancipatam, cui pater, etiamſi ante emancipationem ſcenicus deſierit, obſtat: & adoptiuam à patre iam ſcenico emancipatam, in qua contrariam Iulię legis ſententiam, ſcilicet, vt non obſtet, Pomponius cenſuit; quia quamvis verbum, *fecerit*, contrarium innuat, tamen extra rationem iuris eſſet, obſtare legem adoptiuæ emancipatę, in qua poſt emancipationem nihil iuris ex adoptione manet, aliter atque in naturali, vel adoptiua, facta ſui iuris, morte patris.

1 SEquuntur apud Paulum *in dict. l. Lege* 44. §. *Nec diſtinguitur,* *&* §. *Item*, tres aſſertiones. Prima, non diſtinguendum, pater in poteſtate habeat filiam, necne: ſecunda, patrem intelligendum eſſe iuſtum; matrem autem, etiam ſi vulgò conceperit: tertia, nihil referre, naturalis ſit pater, an adoptiuus. Iam vt de ſingulis quàm breuiſsimè, quoad primam, dubitandi ratio ex eo, quia filia, quæ in poteſtate patris naturalis non eſt, vt puta emancipata, amiſit emancipatione, ac per eam capitis minutione, iura filiæ familiæ, & ciuilia pendentia à patre naturali, cui extranea facta eſt. §. *Emancipatos cum ſequ. de exhæred. lib.* §. *Emancipati cum ſeq. de hæred. quæ ab inteſt. l.* 3. *& vltim. D. de capite min.* Proinde quoad ignominiam patris naturalis ludionis, ſeu ſcenici, & prohibitionem connubij Senatorij, quæ ciuilia effecta ſingula ſunt, ſubdurum videbatur, obſtare ei notam patris naturalis, à quo nihil ciuile retinet, nec diſtingui à filia retenta in patris poteſtate; vt ſcriptum eſt *in dict.* §. *Nec diſtinguitur.* At decidendi ratio illa non dubia, quia emancipatio, vtcumque perimat, mutetque priuata iura filię, familię, & ſucceſsionum ciuilium, non tamen publica. *l. Amiſſione* 5. §. *vltim. cum l. ſeq. D. de capite min. l. Senatoris* 6. §. 1. *cum l. ſeq. D. de Senatorib. l. Per adoptionem* 35. *D. de adoptionib.* in queis non attenditur, ſeu non diſtinguitur ius poteſtatis. *l. Ille, à quo* 13. §. *vltim. cum leg. ſeq. D. ad S. C. Trebell. l. In priuatis* 77. *cum l. ſeq. D. de iudic. l. Filius familias* 9. *D. de his, qui ſui, vel al. iur.* Eiuſmodi autem eſt ius connubij cum Senatorijs, & prohibitio illius cum ignominioſis fœminis ex noſtris legibus, vtpote innexum, ſubnixumque publica dignita-

te, & decore ordinis Senatorij, argumento *ex l. 1. D. de colluſ. deteg. l. 1. Cod. de natural. lib. l. Super 9. Cod. de quæſt. Nouell.* Martiani 4. *de matrimon. Senat.* Quocirca quemadmodum Senatoris filius, etiam emancipatus, vel in adoptionem datus, habetur pro Senatoris filio, quoad interdictionem connubij, ex noſtris legibus apud Paulum, & Vlpianum *in l. Senatoris 6. §. 1. cum l. ſeq. D. de Senator.* de queis ſupra; Ita & filia ſcenici, quamvis emancipata, quoad eamdem prohibitionem. *d. §. Nec diſtinguitur.*

2 Secunda aſſertio, bipertita eſt; eiuſque prior pars, quæ cum Octaueno definit, patrem in hoc tractatu, intelligendum eſſe iuſtum, ac proinde ſupponit, patrem non iuſtum, ſiue qui ſine nuptijs pater eſt, etiamſi ſcenicus ſit, non obſtare filiæ, quominùs Senatorio nubat, perfacilem rationem habet, quia quamvis abſonum videri poſsit, melioris conditionis, quoad connubium, eſſe filiam ſpuriam ſcenici patris, quàm legitimam filiam eiuſdem, contra regulas, rationemque *l. Generaliter, dict. §. Cum autem in fine, verſic. Vt quod, Cod. de inſtit. & ſubſt. l. 3. §. Spurios 2. D. de Decurion. l. 1. verſ. Nulla ſcilicet. l. vltim. Cod. de natural. lib. Nouella 89. quibus modis naturales*; & quoad nuptias ipſas filiæ ſpuriæ, inſpiciantur, impediantque naturalia iura, & vincula, patris non iuſti, & conſanguinitatis, atque affinitatis non ciuilis. *l. Adoptiuus 14. §. 1. & 2. verſ. Vnde, D. de ritu nupt. cap. Per tuas 10. de probation.* tamen cum pater ſolus ſit certus, quem nuptiæ demonſtrant, & filius, qui ex viro, atque vxore eius naſcitur. *l. Quia 6. D. de in ius voc. l. Filium 6. D. de his, qui ſui, vel alien. iur. §. Si aduerſus, Inſtit. de nupt. l. Lucius 83. D. de condit. & demonſtr.* abſurdum magis eſſet, patrem non iuſtum, & filiam itidem non iuſtam (de queis an pater, filiave ſint, in incerto eſt) comparari patri, filięque certæ, vt tamquam filiam ſcenici, quæ fortaſſe non illius, ſed patritij filia eſt, arceatur à nuptijs Senatorijs. Accedit rei, rationique communiendæ, tum quod prohibitio hæc nuptiarum, tota ciuilis eſt, vt iam diximus, & in propoſito prænotauit Baldus *in noſtra l. Lege 44.* tum quòd non fauorabilis, quatenus libertatem, & frequentiam coarctat connubij, indeque arctanda potiùs, quàm extendenda, vt non deteriùs ſenſit Fulgoſius inibi, & nos ſupra non ſemel *hoc libro, & libro 3.*

Accedit etiam, & eſt iuris, regulæque, ſicut quoad ciuilia effecta originis, dignitatis, familiæ, & ſimilium, ex perſona patris in filio, ſolum patrem, filiumque iuſtum, ex nuptijs, nempe iuſtis, attendi. *l. Cum legitimæ 19. D. de ſtatu hom. l. Exemplo 36. Cod. de Decurion. & l. 3. Cod. de municip. & origin. lib. 10. cap. 2. de conuerſion. infidel.* non autem patrem extra nuptias, quem filius non ſequitur. *dict. l. cum legitimæ 19. l. Lex naturæ 24. D. de ſtatu homin. l. Si ſpurius 4. D. vnde cognati, l. vlt. Cod. de natural. lib. l. Patronæ 18. D. de bonis lib. §. Vulgò quæſitos, Inſtit. de ſucceſ. cogn. l. Diui 25. D. de captiu. l. 1. Cod. de poſtlim. reuer. l. Ex libera 6. Cod. de ſuis, & legit.* de qua in ſpecie iam ſupra. Ita & eſt iuris, rationiſque, ſtricta, odioſave conſtituta, de patribus, filijſque certis intelligenda, nec producenda ad patrem incertum naturalem, cuiuſmodi ſingulare illud, quod extat *in l. 3. vbi ex Baſilicis* Thaleleus de nato ex concubina, *Cod. ad leg. Iul.* 3

de adulter. & multò minùs ad filium incertum, ſiue naturalem, in quo humanius eſt, non impedire ex patris nota dignitatem eius, cum nihil admiſerit, vt appoſitè Papinianus *in l. Spurij* 6. iuncta *l.* 2. §. *In filijs,* & §. *Nullum* 7. *D. de Decurion.* Diuerſum autem eſt in rebus, ex naturali honeſtate æſtimandis, veluti abſtinentia nuptiarum inter parentes, filios, conſanguineos, affines, quantumcumque non certos, ſed naturales, vel ſpurios. *dict. l. Adoptiuus* 14. §. 1. & 2. *l. Etiam* 56. *Digeſt. de ritu nupt.* Diuerſum item in effectis, quæ, quamquam ciuilia, aut pendentia ex ciuili iure, ſunt tamen fauorabilis interpretationis, vel reſpiciunt naturalem illam ſanguinis neceſsitudinem, & reuerentiam, mutuaque officia, & affectionem inter parentes, & liberos, etiam obliquos, non iure certos, at quorum natura communis eſt, vt ad rem Venuleius *in l. Hos accuſare* 12. §. *vltim. verſic.* Item *nec lex, D. de accuſat.* iunctis *l. Libertinum* 4. *Cod. de interdicto matrimon. l.* 4. §. *vltim. l. Parentes* 6. *D. de in ius vocand. l. Si collactaneus* 13. *Digeſt. de manum. vind. l.* 3. *Digeſt. de liber. cauſa. l. Vxorem* 41. §. *Codicillis* 2. & §. *Pater* 11. *D. de legat.* 3. *l. Si domus* 71. §. *Qui confitetur, D. de legat.* 1. *l. Denique* 8. *Digeſt. de pignorib. Nouella* 157. *de ruſticis, qui in alienis prædijs.*

4 Poſterior aſſertionis pars, quæ habet, matrem ſcenicam, quoad effectum arcendæ filię à nuptijs Senatorijs, eſſe intelligendam etiam eam, quæ vulgo conceperit, eſt vtique expeditæ rationis; quia quamuis mater iuſta non ſit, tamen omnino certa eſt. *l. Quia* 5. *D. de in ius vocand.* Idcircòque, quamvis, vt iam præmiſsimus, quoad originem, dignitatem, familiam, & reliqua ciuilia, filij ex iuſtis nuptijs ſuſcepti, ſequantur patrem, cuius princeps eſt in genere monſtrando prærogatiua, vt Sidonius aiebat, tamen filij non iuſti, ſiue extra iuſtas nuptias quæſiti, matrem prorſus ſequuntur. *l. Cum legitimæ* 19. *l. Lex naturæ* 24. *D. de ſtatu hom. l. Eius* 9. *D. ad municip. l.* 3. *Cod. ſoluto matrim. l. Ex libera* 6. *Cod. de ſuis, & legit. l.* 3. *in fine, Cod. Theodoſ. de liber. cauſa.* Idque tam in ciuilibus, quàm naturalibus. *l.* 1. §. *vltim. in fine. l. Eius* 9. *D. ad municip. l.* 1. §. *Sed & vulgò* 2. *cum ſeqq. l.* 2. §. 1. & *ſeqq. D. ad S. C. Tertyllian. l.* 2. *l.* 4. *l. Modeſtinus* 8. *D. vnde cognati. l. penult. in fine, Cod. ad S. C. Orfit. l. Patronæ* 18. *D. de bonis lib. l. Si ſuſpecta* 29. §. 1. *D. de inoffic. teſtam. l.* 1. *l. Ius poſtliminij* 14. *l. Commercio* 16. *Cod. de poſtlim. reu. l. Diui* 25. *D. de captiu. l. Vulgò* 23. *D. de ſtatu hom. l.* 3. *Cod. ſoluto Matrim. l. Si quis* 5. §. *Ergo* & 4. *D. de agnoſc. lib.* Paulus *lib.* 4. *ſentent. titul.* 10. paſsimque *in titulis Inſtitut. de S. C. Tertyll.* & *Orfit.* & *de ſucceſſ. cogn.* quantò potiùs, vt tamquam filia ſpuria matris ſcenicæ comprehendatur prohibitione connubij cum Senatorio, cum & mater certa ſit, & ſcenica, ac de matre, ſeparatim à patre, ſint legis Iuliæ verba concepta. *dict. l. Lege* 44. iuncta *l. Tutelas* 7. illic, *vt perſonæ, D. de capite min.* & in hac filia, vt ſcitè olim Calpurnius Flaccus *declamat.* 30. *de ſuſcepto ex meretricio, neſcias, quid ſit indignius, vtrum patris origo, quòd eſt dubia, an matris origo, quòd certa eſt,* ſiue vt argutia pari Auſonius *epigramm.* 25. *Nec pater certus fuit, & mater verè fuit lupa.*

Iam nec prolixa eſt, aut perplexa magis ratio tertiæ aſſertionis *in* §. 5

Item 14. *dict. l.* 44. qua ſtatuitur, nihil referre, naturalis ſit pater, an adoptiuus, ſcilicet, quia perinde, filia patris naturalis, ſiue, quod idem eſt, veri, iuſtique ex iuſtis nuptijs patris, vt *in l. Senatoris* 5. *D. de Senator.* ſi ille ſcenicus ſit, non poteſt nubere Senatorio, ita & filia adoptiua ſcenici patris. Et dubitandi, ac decidendi ratio æquè in promptu; illa, quia adoptio patrem, filiamque facit, non natura, ſed iuris cenſura, & commento; at hæc, quia quoad connubij ius ciuile ſatis eſt, filiam, patremque eſſe cenſura iuris. *dict.* §. *Item* 4. *dict. l. Senatoris* 5. *l. Liberos* 10. *D. de Senator. l.* 1. *in princip. l. Ordine* 15. §. *vltim. D. ad municip. l.* 4. *Cod. de Decurion. l. Ciues* 7. *Cod. de incolis lib.* 10. diximus hæc, & alia diſtinctiùs ſupra, quæ non recoquimus.

6 Subſequitur, & proxima eſt *in* §. *an & is* 5. *d. l. Lege* 44. quæſtio alia, de patre adoptiuo ſcenico, an ſcilicet & ille, qui antequàm adoptaret, fecit ludicram artem, ſi tamen cum adoptat, iam non faciat (ſic enim ſupponendum eſſe, & contextus vult, & iuris ratio, quoniam ſi adhuc, cum adoptaret, ludicrum faceret, nec dubitandum, quin filiæ noceret, imò deciſum iam *in dict.* §. *Item*) noceat filiæ, poſtea adoptatę, quoad nuptias Senatorias: perinde *atque*, ait Paulus, ſi *pater naturalis, antequàm filia naſceretur, fecerit*; & ſanè Paulus, quamuis quæſtioni ſigillatim non reſpondeat, ſentit tamen, & pro explorato relinquit, tam in patre adoptiuo, quàm naturali, qui ante adoptionem, vel natiuitatem filiæ fecit ludicram artem, vtcumque iam non faciat, nocere vtriuſque filiæ ignominiam ſcenici patris, tum ex verbis legis diſertè ſcriptis, de eo, qui faciat, fecerit, *dict. l. Lege* 44. iunctis in ſimili *l. Palàm* 43. §. *Non ſolùm* 4. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. lib. l. Marito* 24. *D. ad leg. Iul. de adulter. l.* 3. §. *Lege*, *D. de teſtib.* Vlpiano apud Ruffinum *in collat. leg. Moſ. tit.* 9. de queis *proximo ſupra capite*, tum ex ratione iuris, de qua pleniùs *libr.* 3. & opportuniùs alia, quoad ius nouum. *l. Imperialis* 23. §. 1. & §. *His illud* 5. *Cod. de nupt.* infra *hoc libro*.

Eo itaque relicto, tamquam deciſo, & pro explorato, progreditur Paulus, & quærit, an ſi huius notæ homo, nempe ſcenicus, filiam, quam adoptauit, emancipauerit, obſtet filię huic, emancipatione ſui iuris factæ, nota adoptiui patris ſcenici, perinde ac obſtaret, ſi talis ſcenicus, idemque naturalis, & iuſtus, pater, deceſsiſſet, eiuſque morte, naturalis filia ſui iuris fieret, quo ſcilicet poſtremo caſu obſtare filiæ, patris morte extra poteſtatem poſitæ, notam patris præmortui, ſuppoſuerat ſatis Paulus, dum præſcripſerat, non diſtingui, quoad notam hanc, pater in poteſtate habeat filiam, necne. *dict.* §. *Nec diſtinguitur.* Eaque dubitandi ratio, & deductionis à naturali filia ad caſum adoptiuę filiæ emancipatæ ſubeſſe, poterat, & vlterior alia; quia vel in adoptiua ipſa, manere eam, etiam poſt mortem adoptiui patris in eius familia, & pro filia, quoad conſectanea iura familiæ, agnationis, conſanguinitatis, & ſucceſsionis, indubium eſt. *l. Vtrum* 9. iuncta *l.* 3. §. *Si pater*, *D. de bon. poſſeſſ. contr. l. Pronunciatio* 195. §. *Communi*, *D. de verbor. ſign. Sed in hoc caſu*, nempe filiæ adoptiuæ emancipatæ, ait Paulus, *contrariam legis*, ſcilicet Iuliæ, *ſententiam eſſe*, *Pomponius rectè putat*, nimirum vt hæc filia, non 7

connumeretur eis, filijs ſcenicorum patrum, quæ à Senatorijs nuptijs arcentur: idque, quia emancipatio in adoptiua filia, omnia iura adoptionis reſolvit, nullumque ex priſtino relinquit veſtigium. *l. In omni* 13. *D. de adoption. l. Senatoris* 6. *D. de Senator. l. Per adoptionem* 17. *l. Qui etiam* 55. §. 1. *l. Si quis tutor* 60. §. *Quid ergo, D. de ritu nupt.* Eadem autem emancipatio in filia naturali, neque perimit publica iura, nec naturalia. *l. Amiſsione* 5. §. *vltim. cum l. ſequ. l. Eas* 8. *D. de cap. min. dict. l.* 5. §. 1. *l. Emancipatum* 7. *D. de Senatorib.* Quin & mors patris, etiam in adoptiua filia, cum illam ſine minutione ciuilis capitis, aliter atque emancipatio, faciat iuris. *l.* 3. §. *vltim. D. de S.C. Maced.* relinquit adhuc eam in familia illa, quæ fuit patris adoptiui, quoad ciuilia iura, illi annexa. *dict. l. Vtrum* 9. *D. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* Enim verò, quia hæc ipſa de filio adoptiuo emancipato Senatoris, non habendo pro filio naturali emancipato, quoad connubium ex legibus Iulia, & Papia, docuerant Vlpianus, & Paulus *his eiſdem ad illas libris in dict. l.* 5. 6. *&* 7. *D. de Senator.* (& fortaſſe ex illis caſu aliquo expreſſum lege Iulia fuerat) ſubinfert ducto inde argumento, in hoc caſu filiæ adoptiuæ emancipatę, ſententiam legis Iuliæ contrariam eſſe ei, quod de naturali emancipata, aut patris morte ſui iuris facta, conſtitutum, ſupponebatur, *in dict.* §. *Nec diſtinguitur. dict. l.* 5. 6. *&* 7. *D. de Senatorib.* ad quas multa non inculcanda dedimus ſupra *cap.* 2.

CAPVT XXXII.

AD EAMDEM L. 44. §. SI POSTEA 6. CVM §. SEQ. D. DE RITV nupt. l. Si libertam 28. Cod. de nupt.

ARGVMENTVM.

IN §. *Si poſtea* 6. *d. l.* 44. ſuſpecta Triboniani manus. In eiſdem rationis ſpeciebus cum illa *d.* §. 6. contrarium cenſuere veteres Iuriſconſulti, vt liquet *ex l.* 28. *C. de nupt.* Cuius proinde ſenſui, non illorum aptatur, Triboniano interpolante, *d.* §. 6. Aſt pro exponendo eo tamquam Pauli præmittitur, illum, ſuppoſita Oratione Marci de diſſolutione matrimonij contra legem Iuliam, reſpondere ſecundùm rationem iuris, de matrimonijs bene contractis non diſtrahendis, & de ſuperveniente nota patris ad filium innoxium non producenda. Tentatur & pro diſcriminanda illa theſi, & ſeuero ſenſu veterum, quorum mentio *in d. l.* 28. *& d.* §. 6. ſubtilior diſtinctio inter notam ſcenicæ matris, quæ ſuperveniens, & veluti extranea, & extrinſeca, quoad filiam, & notam libertinitatis, quę propria, & naſcendo contracta, nec compatibilis ſeuero illo ſenſu cum ſuperveniente dignitate Senatoria mariti. Illuſtratur diſtinctio exemplis *ex l.* 24. *D. de his, qui not. inf. & ex l.* 15. §. 3. *D. de excuſ. tut.* quibus curſim prælata fax. *Ad* §. *Planè* 7. *d. l.* 44. in vxore ipſa Senatoria dante ſe ſcenæ, indubia ratio, & ius illius ſeparandæ ex Romanis legibus, & Eccleſię. *Ad l.* 28. *Cod. de nupt.* cuius duę aſſertiones, illarumque rationes propriæ, & diſcretæ ab illis, de queis *in d.* §. 6. *&* 7. *l.* 44. Expuncta Theophili *nota*. Tandem pro actuario, & pro vulgato illo de infirmandis, aut non infirmandis, quæ ab initio conſtiterunt, ex ſubſecuto caſu, à quo incipere non potuiſſent, diſtincta, breuis, & accurata cenſura, re, & regula ſuis capitibus diſterminata, ex pura, & puta iuris ratione.

Ex

1 EXtrema eſt *in dict. l. Lege* 44. hypotheſis §. *Si poſtea* 6. *cum* §. *ſeq.* in queis Paulus definit: ſi poſt contractas à Senatorio nuptias cum vxore ingenua, pater, materve eius vxoris, artem ludicram facere, cœperit, *iniquiſsimum eſſe, dimittere eam debere, cum nuptiæ honeſtè contractæ ſint, & fortaſſe iam liberi procreati ſint; planè ſi ipſa artem ludicram facere, cœperit, vtique dimittendam fore.* Nec diſsimulo in primis ſuſpicionem Triboniani notæ in eo textu, tum ex phraſi illa decretoria, Triboniani magis propria, quàm Pauli, *iniquiſsimum eſt, dimittere eam debere,* & *vtique dimittenda erit*; & charactere illo ratiocinandi, per verba, *cum nuptiæ*, & *fortaſſe*. Tum etiam, quia ex vi, verbiſque Iuliæ legis, quæ Paulus commentabatur, nuptiæ Senatorij, etiam ab initio contractæ cum ſcenica, aut filia ſcenici, erant quidem iniuſtæ, & contra legem nuptiæ. *l. Si Senatori* 31. *l. Si quis* 27. *generali* 34. §. *vltim. D. de ritu nupt. l. vnica, D. vnde vir, & vxor.* iuncto Vlpiano *tit.* 16. §. *Aliquando*; non tamen diſſolvebantur, ante Orationem, & Senatus ſcita, quibus cautum eſt, vt nec nuptiæ eſſent, vt obſervatum nobis ſupra *hoc libro, ex l. Oratione* 16. *l. Palàm* 43. §. *Senatus*, iuncta *l. Semper* 42. §. 1. *D. de ritu nupt. l.* 3. §. 1. *verſic. Ergo, D. de donat. inter. l. Oratio* 16. *D. de ſponſalib.* vnde & Paulus ad verba Iuliæ legis *in dict. l. Lege* 44. de prohibitione ducendæ vxoris ſignatè loquitur *in* §. 1. illic: *Libertinam ducere, & filiam ducere. in* §. *An & is* 5. *an non poſsit duci. &* §. *vltim. prohibentur ducere, & non ducent*; non autem de ea retinenda, aut dimittenda. Nec poterat ex Iulia lege, vel non, niſi expreſſa, aut ſuppoſita Senatuſconſultorum cautione, dubitari, aut diſquiri de vxore, ſecundùm legem ducta, dimittenda, propter patrem, poſtea ſcenicum factum, cum etſi ante nuptias ſcenicus eſſet, & filia contra legem ducta non dimittenda ex Iuliæ vi, & verbis.

2 Tum denique, & potiſsimùm, quia ſi priuati hominis filiæ, quæ non contra leges liberto nupſerat, poſtea pater Senator fiat, aut libertinæ ex lege Papia ab ingenuo vxori ductæ, iuxta regulas *l.* 23. *D. de ritu nupt. l. Vxorem* 15. *Cod. de nupt.* poſt nuptias maritus factus Senator ſit, ſenſiſſe olim in poſteriore hac ſpecie Vlpianum, & in priore ex legis Papię diſciplina, veteres iuris auctores, matrimonium diſſolvendum, & vxorem diſpergendam, ob ſupervenientem dignitatem patris, vxoris, vel mariti, Iuſtinianus commemorat, ac ſe primùm ſtatuere ex Dei iudicio, & humanitatis, quas expendit, rationibus, ne matrimonium, vxorve his caſibus diſpergatur. *in l. Si libertam* 28. *Cod. de nupt.* Proinde & pariter, ſaltem ex cenſura veteris Iuriſprudentiæ, ante Iuſtinianum, fuiſſe, videtur, diſſolvi matrimonium, & vxorem, vtcumque ritè ductam, dimitti ob ſupervenientem ignominiam ſcenici patris, cum par ſaltem, & comparabilis ſit ex noſtris legibus nota ſcenę, & libertinitatis, quoad nuptias Senatorias, & prohibitio, illiuſque ratio. *l. Semper* 42. §. 1. *l. Lege* 44. *in princip. l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. l.* 1. *Cod. de natural. liber.* Imò & eo reſpectu maior nota ſcenæ, quàm libertinitatis, quia ſcenicarum nuptiæ inhibitę ingenuis Iulia, Papiaque lege, non autem libertinarum, vt eſt apud Vlpianum *tit.* 13. §. *vltim. & tit.* 16. *l. Lege* 23. *D. de ritu nupt.* Neque in facili differentiæ ratio ſit, cur ſuperveniens dignitas pa-

patris matrimonium filiæ diſſolveret, ſeuero illo ſenſu, ante Iuſtinianum, de quo in *dict. l. Si libertam* 28. §. *Simili*. Et ſuperveniens ignominia patris non diſſolveret eodem illo ſenſu, & iure, contra quàm ſcriptum eſt, *in dict. Si poſtea* 6. *l.* 44. vt proinde tandem nec temerè ſuſpicemur, aſſertionem illius §. 6. non tam Pauli eſſe, quàm Triboniani, reſpicientis ad Iuſtiniani novum ius *ex dict. l. ſi libertam* 28. & eiuſdem in ſimili re ſententias Tribonianicas, alijs obſervatas, *in l. ſi cum dotem* 22. §. *ſi maritus* 7. *cum ſequ. D. ſolut. matrim. l. vxores* 6. *D. de diuort. l. ſed ſi mors* 13. §. 1. *verſ. Cum igitur, D. de donat. inter.*

3 Fuerint tamen hæc ſuſpicandi de Triboniani manu, & ſi Pauli contextus eſt, dubitandi in eius hypotheſi, veluti cauſæ. At decidendi omnino apertiores, dum præmittamus quod & prænotauimus *dict. cap.* 8. quantumvis Iuliæ legis verba Paulus commentaretur, ſuppoſuiſſe tamen illum, tamquam appendices Iuliæ legis, Orationem Marci, & Senatuſconſulta, quibus poſt legem Iuliam, & ante Paulum obtinebat, nuptias contra Iuliam initas, non modò iniuſtas, ſed & irritas, ac diſſolvendas eſſe, & vxores dimitti oportere. Ergo eo ſub præmiſſo (quod in Paulo non legimus, quia ſegmenta ſola eius telæ, ſeu textus nobis relicta in Pandectis) diſquiritur cauſatè apud Paulum *in dict.* §. *Si poſtea* 6. an ingenua ritè, & ſecundùm Iuliam ducta à Senatorio vxor, cuius poſt nuptias pater, materve ſcenici facti, ſit dimittenda, ſaltem ex Senatus Conſulto, ad eamdem legem Iuliam facto, de ſimili vxore non retinenda. *l. Palàm* 43. §. *Senatus, Digeſt. de ritu nuptiar.* iuncta *l. Miles* 11. §. *vltim. Digeſt. ad leg. Iul. de adulter.* & ex ſententia illa Vlpiani, & veterum, de queis *in dict. l. Si quis* 28. *Cod. de nupt.* Æquiſsimè autem deciditur; dimitti eam non debere, & inſinuatur ratio illa iuris, quòd ſcilicet nuptiæ honeſtè contractæ ſunt; & illa æquitatis, quòd fortaſſe iam liberi procreati ſunt: quibus propriè firmandis ſeruiunt, coniungendæque ſunt regulæ, & exempla iuris, quæ docent, ritè contracta matrimonia ex poſt facto vitiari non debere, etiamſi ex poſt factum ſit tale, à quo incipere non potuiſſent; vt apertè proditum *in l.* 3. *Cod. de interd. matrim. l. penult.* §. *Sed videamus. l. Si qua* 12. *in princip. l. Oratione* 16. §. *vltim. Digeſt. de ritu nupt. l. Patre* 8. *verſ. Nam furioſus, D. de his, qui ſui, vel al. l. Si cum dotem*, 22. §. *Si maritus* 7. *D. ſolut. matrimon. l. Iulianus* 4. *Dig. de diuort. l. Furor* 8. *D. de ſponſ.* Item ratio illa æquitatis, de matrimonio bene concordante, & quieſcente non facilè turbando, aut diſtrahendo, & multò magis, bene contracto, & poſt ſuſceptos liberos. *dict. l.* 3. ibi: *Poſt liberos ſuſceptos. l.* 1. §. *vltim.* illic: *Fortè & liberis ſubnixum, cum l.* 2. *D. de liber. exhib. l. Miles* 11. §. *Licet* 11. *l. Adulter* 19. §. *vlt. l. Conſtante* 26. *D. ad leg. Iul. de adulter. l. Qui in Prouincia* 57. §. 1. *D. de ritu nupt. Nouella* Iuſtiniani 139. & 154. *l. Cum te* 18. *l. Filia* 20. *Cod. de inoffic. teſtament. l. diſſentientis* 5. *Cod. de repud. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *Si ſocer* 19. *cum* §. *ſeq. D. de donat. inter.* de queis & aliqua iam nos *ſupra ad l.* 4. *D. de colluſ. det.* Accedit, Paulo nō explicita, & tamē rei propria ratio aliæ iuris, & æquitatis, nempe quòd innocenti filię, quę per ſe, ac ſuo tempore Senatorij connubij capax, compoſ-

que fuit, nocere non debet noxa, notave ſuperveniens ſcenici patris. *l. 2. §. Nullum 7.* iunctis *§. In filiis 2. verſic. In auo cum ſeq. l. Spurij 6.* illic, *non enim, D. de Decurion. l. Legem 7.* illic, *quia indigni, Cod. de natur. lib.* neque dignitas, Senatorio connubio quæſita filię, auferenda ei eſt propter crimen, caſumve ſubſecutum patris ſcenici, quæ ſimilis, tametſi in diſsimili ſpecie, ratiocinatio Papiniani eſt *in l. Generali 34. § vltim. D. de ritu nupt. l. Filiam 9. D. de Senator.* iuncta regula *l. Crimen 26. D. de pœnis. l. Sancimus 22. Cod. eodem tit.*

4 Planè quod in ſpecie comparabili de ſuperveniente dignitate Senatoria patri vxoris, à libertino ductæ, aut marito vxoris libertinę, ſenſiſſe olim Vlpianum, alioſque, ex legis Papiæ ſcito, mátrimonium diſſolvendum eſſe, & Iuſtinianus ſupponit *in dict. l. Si libertam 28. Cod. de nupt.* & nos nuper expendimus pro Triboniani manus veluti vola, *in dict. l. 44. §. Si poſtea*, habuit fortaſſe propriam, nec facilè extricandam diſtinctionis cauſam, inter notam ſupervenientem ſcenici patris, poſt filiæ iuſtas nuptias, de quo *in dict. §. Si poſtea*, & dignitatem Senatoriam patris, poſt nuptias filiæ cum liberto, aut mariti poſt nuptias cum libertina, de queis *in dict. l. 28.* habuitque illam fortaſſe, quia ſcenæ nota in filia non ſcenica, quę nec naſcendo illam, nec ſuo vitio ſcenæ ſe dando, per ſe contraxit, & ſine qua per nuptias in familiam mariti tranſijt, poſteaque ex dignitate patris, ſcenici facti ſupervenit, eſt veluti extranea, & aliena, quoad filiam, eique per ſe innoxię, & honeſtè nuptæ, ex poſt facto ſcenici patris, notant illam inuri, & nocere, iniquum, & iniurium eſſet. *dict. §. Si poſtea 6.* iuncta regula, exempliſque *l. 2. verſ. Quoniam, Cod. de libert. & eor. liber. l. 3. D. de interd. & releg. l. Diui 17. in princip. & fine, Digeſt. de iure patron. l. Emancipatum 7. §. 1. verſ. Si quis conceptus, D. de Senator. l. 2. §. Sed ſi pater 3. D. de Decurion. l. Moris 9. §. Planè 15. D. de pœnis. l. vltim. Cod. de liber. cauſa.* At libertinitatis nota, naſcendo contracta (vtcumque ſine culpa naſcentis, ſicut illa ſcenici patris, quoad filiam) eſt tamen naturalis, perſonalis, & propria, vtpote ad ſtatum pertinens libertæ, aut liberti, & tranſit cum eiſdẽ, & permanet poſt nuptias (quantũvis tunc iuſtè initas, quia tunc nõ Senatoriæ) & ſuperveniens dignitas Senatoria patri, aut marito reperit notam illam libertinitatis naſcendo, ante nuptias contractam, & poſt nuptias permanentem in coniuge libertino: idcircòque illam tunc obſtare nuptijs iam Senatorijs, ex ſeueritate legum Iuliæ, & Papiæ. *dict. l. Lege 44.* & diſſolvendas eſſe ex Senatuſconſultis ad eaſdem factis. *l. Oratio 16. D. de ſponſal. l. Oratione 16. l. Semper 42. §. 1. l. Palàm 43. §. Senatus, D. de ritu nupt.* (ad quas pro elucidanda *dict. l. Si quis libertam 26.* monuimus ſupra) cenſuiſſe ea ratione Vlpianus, & alij, videntur, *in d. l. 28.*

Quemadmodùm eadem ſeueritate Vlpianus idem, & Marcellus in *libris ad leges Iuliam, & Papiam*, de filio in ſervitute nato, & per arrogationem redacto in poteſtatem patris, & de libertino arrogato ab ingenuo, ſcripſere (quantumcùmque iſte apud arrogatorem ingenui iura ſit conſecutus) manere tamen vtrumque libertinum, & à Senatorijs nuptijs repellendum, obſtante nempe, & permanente, etiam poſt iura ingenuitatis, innata illa, & propria libertinitatis nota. *l. vlt. D. de adoption. l. Sciendum 32. D. de ritu nupt.* de queis ſupra. Cum tamen è contra- 5

rio

rio Vlpianus idem in ancilla quæſtuaria, & poſtea manumiſſa, & liberta, refert ex reſcripto Seueri, non obſtare eius famæ notam quæſtus meretricij, in ſervitute facti (vtpote non innatam, nec pertinentem ad ſtatum, aut permanentem, vt eſt libertinitas) idque quoad nuptias cum ingenuo ex legibus noſtris, alioquin quæſtuariæ inhibitas, quomodò pro *l. Imperator* 24. *D. de his, qui not. infam.* obſervabimus hæc, & alia infra *lib.* 3. Quemadmodùm denique non abſimili ſeueritate, & Senatoriæ dignitatis reſpectu, ſcriptum Modeſtinus reliquit, ſi tutor pupilli non Senatorij poſt ſuſceptam tutelam, fiat Senator (ſic enim quæſtio, & theſis ponenda, de tutore ipſo facto Senatore συγκλητικῷ, non autem de pupillo, nec de Decurione, ſeu βουλευτῇ, vt, prȩter vulgi ſenſum, Antonius Auguſtinus primus admonuit, continuò, ſiue omnino abſoluendos eſſe à tutela ante ſuſcepta pupilli, vtcumque innocentis, idque intuitu, vt diximus, Senatoriæ dignitatis, & muneris. *l. Spadonem* 15. *§. Si quis autem* 2. *l. Iuriſperitos* 30. *D. de excuſat. tutor. l. Verum* 11. *§. Ex facto, verſ. Cum enim, D. de minor.* iuncta, & ex poſitis illuſtranda *l. Et qui* 22. *D. de tutorib. datis ab his*: quamvis alioquin Reipublicæ operantes, aut illius cauſa abſentes, non abſolvantur, nec deponant tutelam, ante acceptam, ſiue non excuſentur, niſi ad tempus. *l. Non tantùm* 18. *§. Sanè* 5. *l. Adminiſtrantes* 43. *§. Eorum. l.* 10. *§.* 3. *D. de excuſat. tut. dict. l. Verum* 11. *§. Ex facto. l. In omnem* 15. *cum l. ſeq. D. de tutorib. datis ab his. l. Quæſitum* 12. *D. de tutel. l.* 1. *Cod. in quib. cauſ. tutor. hab. l.* 1. *&* 2. *Cod. ſi tutor Reip. cauſ. l. Si tutor* 9. *D. de tutel. & ration. diſtr. §. Item, qui* 2. *cum §. ſeq. Inſtit. de excuſ. tutor.*

Diuerſum eſt, quod ſequitur 6
apud Paulum *in §. Planè* 7. *dict. l.* 44. ſi vxor, ipſa poſt nuptias Senatorias ritè initas, cœperit, artem ludicram facere, vtique dimittendam eſſe; quia quamvis & ad hanc ſpeciem valere, videantur, regulæ illæ de nuptijs ſemel iuſtè contractis, non diſturbandis, diſtrahendiſve ex poſt facto, ſeu ſubſecuto. *dict. l.* 3. *Cod. de interd. matrim. l. Miles* 11. *§. Licet* 11. *D. ad leg. Iul. de adulter.* præualent tamen Iuliarum legum, & eis annexorum Senatuſconſultorum decreta, de eiuſmodi mulieribus nec ducendis, nec retinendis, ſicut de publico iudicio damnata proditum eſt, *in l. Palàm* 43. *§. Senatus, D. de ritu nupt.* & de deprehenſa, vel damnata adulterij, *dict. l. Palàm* 43. *§. Quæ in adulterio* 12. *l. Auxilium* 37. *§. vltim. D. de minorib. l. Miles* 11. *§. vltim. D. ad leg. Iul. de adulter. l. Claudius* 13. *D. de his, quæ vt indign.* Vlpiano *tit.* 13. *§.* 1. cuiuſmodi nuptæ damnatæ, vel deprehenſæ in adulterio, ſimilis eſt, aut exæquanda, quæ poſt nuptias ſe ſcenæ dedit. *l. Mater* 10. *§. vltim. D. ad leg. Iul. de adulter.* iuncta *l. Si ea* 22. *l. Quæ adulterium* 29. *Cod. eodem tit.* quia ludicra ars, ſeu ſcenica in fœmina, erat veluti profeſsio meretricij, & proinde in nupta, tamquam deprehenſio, ſeu damnatio adulterij, vt ex *Nouella* 51. *ſcenicas, in præfatione. l. Minimæ* 5. *Cod. de Epiſcop. aud. l. Scenæ* 9. *in fine, Cod. Theodoſ. de ſcenicis. dict. l. Mater* 10. *§.* 1. cum alijs admonuimus ſupra, & *lib.* 3. Qua ratione, vel ex ſeuera illa, ſanctaque priſcæ Eccleſiæ diſciplina, habere in matrimonio ſcenicam, ſeu retinere, vetitum erat, & coniugia hæcce ſeparabantur, vt *ex Canone* 18. *Apoſtolorum*, qui apud Gratianum eſt, 15. *ſi quis viduam* 34. *diſtinct.* iunctis *Can.* 43. *Concilij Tolet.* 4. *& Can.* 67. *Eliberitano*,

no, iuxta lectionem illam, *aut comicos, aut viros ſcenicos habeat*, non ſecus ac damnatam, vel deprehenſam adulterij, *ex Canone Neocæſarienſi*, itidem apud Gratianum, *cap. Si cuius* 11. 34. *diſtinct.* de queis plura *lib.* 3. Addimus ſingulare magis, nec vulgò expenſum, & veluti à maiore, propriumque ad rem præſentem argumentum illud, quòd, vel ex ſolo acceſſu vxoris ad ſcenam, non vt ſcenica fiat, ſed vt ſpectet, interſit, gaudeatve theatralibus ludis, invito, aut ignorante marito, dimitti eam vxorem poſſe, eamque vnam eſſe ex legitimis cauſis repudij, placuit Cæſaribus Chriſtianis. *l. Conſenſu* 8. §. *Vir quoque*, illic, *aut ipſo inuito*, *Cod. de repud. Nouella* 117. *cap. Quia verò* 8. §. *Si Circenſibus* 6. Quantò vtique magis dimitti, quantòque indignius eſſet, retineri vxorem Senatoriam, quæ non modò inſpectioni, ſed etiam miniſterio ipſi ſcenæ ſe dederit, fœdaueritque.

7 Coniungenda eſt his Pauli notatis *in dict.* § *Si poſtea* 6. *cum* §. *ſeq.* Iuſtiniani conſtitutio, quæ & conſentanea eiſdem eſt, non diſſentanea *in l. Si libertam* 28. *Cod. de nupt.* Eius duo capita ſunt. Primum, de liberta, ſecundùm leges ducta, ciuilis maritus poſtea Senator factus fuit. Secundum de priuati hominis filia, non contrà leges à liberto vxore ducta, ac poſtea eius vxoris patre, Senatoria dignitate illuſtrato. Supponit autem vtroque in capite Iuſtinianus, ex legis Papiæ ſeueritate, & Vlpiani, aliorumque ſenſu, matrimonium olim diſſolvi ſolitum, & ſe deinceps ſtatuere, ne diſſolvatur: idque, vt loquitur, ex vna radice, ſeu ratione, nempe *ſequendo*, vt ait, *Dei iudicium*, de indiſſolubilitate matrimonij, ſiue iam olim naturali non ſcripto, ſiue ſcripto Euangelico (de quo nouiores Theologi certant) at certè diuino, vt liquet Matthæi *cap.* 19. *verſu* 6. *& ſequ.* Pauli 1. *ad Corinth. cap.* 7. *verſ.* 10. iunctis *cap. vnico de voto in* 6. *cap. Cum per bellicam* 34. *diſtinct.* 2. *cap. Sunt, qui dicant* 19. 27. *quæſt.* 2. Tridentino *ſeſſ.* 24. *de matrim. in princip.* & ex humanitate illa politica, ne mariti, patriſve vxoris felicitas, ſiue proſpera alterùtrius ex coniugibus fortuna, fiat alterius infortunium, ſed participes vicisſim ſint in fortuitis felicitatis, & infelicitatis, in queis neutrius vitium incurrit, quomodò ex Triboniani ſenſu adumbratè legimus *in l. Si Cum dotem* 22. §. *Si maritus* 7. *verſ. Quid enim*, *D. ſoluto matrim.* *l. Sed ſi mors* 13. §. 1. *verſ. Et nihil vitium*, *D. de donat. inter. dict. l. Si libertam* 28. *in princ. verſ. Non patimur*, *&* §. 7. *in fin.* illic: *Non ex vitio mulieris, & mariti.*

Ex quo poſtremò, & in aperto eſt 8 diſcriminis ratio inter hypotheſes *d. l.* 28. §. *vlt. &* §. *Si poſtea l.* 44. inqueis matrimonium non diſſoluitur, ob ſub ſubſecutam indignitatem, aut indignitatẽ patris vxoris, quia vel iniquũ, vel inhumanum eſſet, ſine vitio, ſeu culpa innocentis coniugis, auferre ei veluti decus, dignitatemque nuptiarum honeſtè contractarum. *dict. l.* 28. *d.* §. *Si poſtea* 6. iuncta *l. Spurij* 6. *verſ. Nec enim*, *D. de Decurion. l. Adoptiuum* 8. §. *vltim. D. de in ius vocand.* Et inter hypotheſim *dict.* §. *Planè* 6. in qua nuptiæ ſolvuntur (ſaltem quoad thorum Chriſtianis moribus) ob indignitatem ſubſecutam vxoris Senatoriæ, quę ſeſe ſcenæ dedit, quoniam ipſius vitio, culpaque eſt, vt dimittenda ſit, nec matrimonij Senatorij, vtcumque ritè contracti, decus retineat, argumento *ex l. Senatoris* 47. *verſ. Nec enim*, *D. de ritu nupt. l.* 1. *in fin. Cod. vbi Senatores, vel*

vel Clariſſ. l. vltim. D. de pœnis. Iam nec moramur interim, affinem quæſtioni *dict. l. Si libertam* 28. & abnormem à Iuſtiniani ſæculo, & ſenſu, & cui meritò, nigrum *thita* præfigatur, adnotationem Theophili, de impediendis nuptijs manumiſſæ matrimonij cauſa, ſi poſt manumiſsionem, & ante nuptias manumiſſor fiat Senator, *in* §. 5. *ad finem. Inſtit. quib. ex cauſ. manumitt.* de qua iunge, quæ ſcripſimus ad caput de ingenuorum nuptijs cum libertinis.

9 Subnotamus potiùs veluti auctarium Pauli *in dict.* §. *Si poſtea* 6. & Iuſtiniani *in dict. l.* 28. (ad quas vltra Rhæuardi, & noſtratis Amaiæ *lib.* 2. *cap.* 5. *ex num.* 30. tot non dum eiſdem notata attexuiſſe, non pœnitebit) de nuptijs non diſſolvendis, etiamſi ad eum caſum pervenerint, à quo incipere non poterant; & è contrario diſſolvendis apud eumdem Paulum *in dict.* §. *Planè* 7. regulam illam, de vitiandis his, quæ ab initio conſtiterunt, ſi ex poſt ſecuto in eum caſum incidant, à quo incipere non potuiſſent, quamvis ſtatuatur tamquam regula *in l. penult.* §. *Etſi placeat, Digeſt. de verbor. obligation. l. Quia* 16. *D. ad leg. Aquil. l. Pro parte* 11. *D. de ſeruit. l.* 3. §. *vltim. D. de his, quæ pro non ſcriptis. l. Granius* 71. *verſ. Et puto*, illic, *vt quemadmodùm, D. de fideiuſſ. l. Falſus* 45. §. *vltim. D. de furtis.* Eſſe tamen, vt pleraſque alias, periculoſam, nec perpetuam *l. Omnis* 201. *l. In ambiguis* 85. §. 1. *D. de regul. iur.* imò & fuiſſe ſub controuerſia inter ipſos Iuriſconſultos, vt coniectari, licet, *ex* §. *Ex contrario* 14. *Inſtit. de legat.* iunctis *l. Verbis* 5. *in fine, D. ad leg. falcid. l. Debitor* 82. *verſ. Quòd ſi vivo, D. de leg.* 2. itemque *ex l. A filio* 25. *D. de legat.* 1. iuncta *l. Si à ſeruo* 20. *D. ad leg. falcid.* (queis conciliandis nunc immorari, neque otij, nec negotij noſtri eſt) & quod vtique & ſaltem conſtat, regulam illam vitiari, ſubverti, aboleri, non paucioribus ferè, quàm quæ ſub regula manent, exceptionibus, quas, & regulam ipſam ad potiora capita redigi, & componi obtinuit penè iam poſt Bartolum, Caſtrenſem, & alios inter iudicioſiores Interpretes, ea diſtinctione: nimirum, vt regula obtineat in his, quę licet ab initio conſtiterint, & validè cœpta, non dum tamen conſummata, aut perfecta fuere, ſed ex futurò adhuc pendentia, poſtea in eum caſum, ſeu ſtatum inciderunt, à quo non modò incipere, & ſtare non potuiſſent, ſed neque ad effectum perduci; tunc enim in irritum recidunt, vt cernere eſt in ſervitute ad fundum proprium, in ſtipulatum deducta, non tamen conſtituta, & ante conſtitutionẽ, & poſtea fundo in totum, aut pro parte alienato. *l. Pro parte* 11. *D. de ſeruit. l. Exiſtimo* 98. *in fine. l. Si ſub vna* 136. §. 1. *D. de verbor. obligat.* & in re profana vtiliter promiſſa, aut legata, & poſtea ante effectum traditionis exempta à commercio. *l. Inter* 83. §. *Sacram, verſ. Nam & cum quis. l. Is, qui alienum* 51. *l. Si ſeruum* 91. §. 1. *de verb. obl. l. Si mihi* 92. *l. Qui res* 98. §. *Auream in princ. & fine, D. de ſolut. l. Statuliberum* 9. §. *Illud* 2. *verſ. Nam etſi, D. de ſtatulib. l. Si hæres* 35. *D. de leg.* 1. §. *Idem* 2. *verſ. Item contra, Inſtit. de inutil. ſtip.* & in teſtamento ritè facto, ſi ille caſus teſtatori ſupervenerit, quo impediatur, teſtamentũ ad effectum perduci, vt puta adeptis bonis. §. *Non tamen* 6. & §. *Alio* 4. *Inſtit. quib. mod. teſt. infirm. l. eius* 8. §. 1. *D. qui teſt. fac. poſ. l. ſi quis filio* 6. §. *Irritũ cũ ſeqq. D. de iniuſto rupto. l. pen.* §. *teſtamẽto, D. de bon. poſſ. ſec. tab.* quib' non diſsimilia, aut eodẽ rationis filo annectenda exẽpla ſunt. *l.* 3. §. *vlt. D. de his, quæ pro*

non ſcriptis. §. penult. Inſtit. de adſignat. lib. l. Exiſtimo 98. verſ. Aut ſi hoc verum, D. de verb. oblig. l. Falſus 43. §. vlt. D. de furt. l. Furioſum 9. verſ. Nunc autem, Cod. qui teſtam. fac. poſſ. l. Si is, qui 27. D. eodem titul. l. Pomponius 13. l. Non diſtinguimus 32. §. Summa 3. in fine, & §. Item 5. D. de recept. qui arbitr. l. Si à me 11. illic, quoniam, D. de iudic. l. Liber homo 13. §. vltim. cum l. ſeq. D. ad leg. Aquil. l. Granius 71. verſ. Et puto, D. de fideiuſſoribus.

10 Diuerſum autem eſt, in his, quæ, quamquam ſint dumtaxat cœpta vtiliter non conſummata, & ex futuro pendeant, caſus tamen ſuperueniens eiuſmodi eſt, vt non impediat coſummationem, & effectum, vt, poſt teſtamentum ritè factum, furor, interdictio bonorum, & caſus ſimiles, ſuperuenientes teſtatori. l. 6. §. 1. l. Is, cui lege 18. l. Qui teſtamento 20. §. Nec furioſus 4. D. qui teſt. fac. poſſ. l. Conficiuntur 8. §. Si poſt 2. verſ. Nec ſimilis, D. de iure codicill. l. 1. §. Si quis autem 9. D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tabul. dict. l. Furioſum. 9. in fine, Cod. qui teſtam. fac. poſſ. §. Præterea 1. cum ſeqq. Inſtit. quib. non eſt permiſſ. idemque furor, ſuperueniens vſucapioni, cœptæ per poſſeſsionem, ante furorem quæſitam l. Iuſto 44. §. Eum, qui 6. iunctis l. 4. §. Furioſus 3. l. Nunquam 31. §. Si vi 4. D. de vſucap. l. Si is, qui 27. l. 1. §. Furioſus 3. D. de adquir. poſſeſſ. aut ſi eiuſmodi caſus ſuperveniat, qui non tam extinguat, quàm difficilem reddat effectum eius, quod ab initio conſtitit, vt in l. 2. §. Ex his, verſ. Ex quo. l. penult. §. Etſi placeat, verſ. Et tamen, iuncta l. Continuus 137. §. Illud in fine, D. de verb. obl. l. Hæredes 25. §. An ea 9. cum §. ſeq. D. famil. herc. l. via 17. D. de ſeruit. l. 2. in fine, D. de ſeruit. leg. iunctis, nec diſsimiliter explanandis, l. 1. §. Caſum, verſ. Quamuis, D. de poſtul. l. Cæcus 6. D. de iudic. l. Etiam 16. D. de autor. tutor. l. Frater 9. Cod. de excuſat. tutor. vel qui ſuſpendat magis, quàm extinguat. l. Qui res 98. §. Aream 8. verſic. Diuerſum, D. de ſolut. iunctis, atque huc fortaſſe referendis, l. Cum Furioſus 39. D. de iudic. l. Furor 8. D. de ſponſal. l. Idem 12. D. de excuſat. tut. l. Furioſus 11. D. de tutel. l. Quoties 8. D. de pactis dot.

11 E contrario autem regula ceſſat in his, quæ non tantùm validè cœpta, ſed & perfecta, ac conſummata, qualia quæ fuere, non reſoluuntur, aut extinguntur, etiamſi poſtea caſus incidat, à quo incipere non potuiſſent: eaque propoſitæ regulæ exceptio patet vſque adeo, vt vel per ſe in contrariam regulam fere abierit. l. In ambiguis 85. §. 1. D. de regul. iur. cap. Quod legitime 72. de regul. iur. in 6. l. 2. Digeſt. de itinere, actuque priu. Eius exempla ſunt in ſeruitute ſemel conſtituta, quæ conſeruatur, nec extinguitur alienatione partis fundi, cui ſeruitur, aut acquiſitione partis fundi ſeruientis, quamuis ab initio ita adquiri, aut conſtitui non potuiſſet. dict. l. penult. §. Etſi placeat in fine, D. de verbor. obligat. l. Vt pomum 8. §. vltim. D. de ſeruit. l. Vnus 34. verſic. Quoniam, Dig. de ſeruit. ruſtic. Et in matrimonijs ritè contractis, quę non diſtrahuntur ex poſt facto ſuperuenientis tutelæ, adoptionis, affinitatis, furoris. l. 3. Cod. de interdicto matrim. l. 1. §. vltim. D. de excuſat. tutor. l. penult. §. Sed videamus. l. Si qua 12. in princip. l. Oratione 16. §. vltim. Dig. de ritu nupt. l. Patre 8. D. de his, qui ſui, vel al. iur. l. Iulianus 4. D. de diuort.

uort. l. Si cum dotem 22. §. *Si maritus* 7. *D. ſolut. matrim.* iuncta *l.* 5. §. 1. *de bonis damnator. cap. diſcretionem* 6. iuncto *cap.* 2. *de eo, qui cognouit conſanguin. vxoris. cap.* 1. 2. *&* 3. *de coniug. leproſor.* & quod proprium hypoteſis noſtræ eſt, nec diſtrahuntur ex ſubſecuta indignitate in patre vxoris ritè ductę, aut dignitate in eodem patre, aut marito, *dict. l. Lege* 44. §. *Si poſtea, d. l. Si libertam* 28. *Cod. de nupt.* denique in finitimis cauſis ſponſalium, teſtamentiſve, ſignatorum, legati, donationis, venditionis, poſſeſsionis, vſucapionis, dignitatis, Magiſtratus, muneris, & ſimilium, veluti tutelæ, & actionis de dote, quæ ſemel conſtiterunt, *l. Furor* 8. *D. de ſponſal. l. Ad teſtium* 22. §. 1. *D. qui teſtam. fac. poſſ. l. Planè* 34. §. *Planè* 13. *cum* §. *præcedente, D. de legat.* 1. *l. donationes* 31. *D. de donat. l. Si is, qui* 27. *D. de adquir. poſſeſſ. l.* 1. §. *vltim. cum l. ſequ. D. de itin. actuq. priu.* §. *Furioſus* 3. *l. Nunquam* 31. §. *Si vi* 4. *D. de vſucap. l. iudex* 46. iuncta *l. Cum Prætor* 12. §. *Non autem* 2. *verſic. Natura. l. Cum furioſus* 39. *D. de iudic. l.* 1. §. *Caſum, verſic. Quamuis, D. de poſtul. l. Nec mandante* 8. §. 1. *Digeſt. de tutor. datis ab his. l. Etiam* 16. *D. de auctorit. tutor. l. Infamia* 8. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l. Sciendum* 15. §. *vltim. Digeſt. qui ſatiſd. cog. l. Cum Prætor* 127. *Digeſt. de regul. iur. l. Adminiſtrantes* 41. §. *Eorum* 2. *Dig. de excuſat. tutor. l. Qui filium* 74. §. *vltim. in fine, Digeſt. ad Senat. Conſult. Trebell. l. Si ſocer* 44. *D. ſoluto matrimon.* excepta, Religionis intuitu, ſpecie illa *l. Non diſtinguemus* 32. §. *Sacerdotio, D. de receptis, & qui arbitr. l. Aut Religionis* 18. *D. de Procurator. l. Prætor* 13. *D. de vacat. muner.* & intuitu Senatorij muneris illa ſingulari, de qua *in l. Spadonem* 15. §. *Si quis autem* 3. *Digeſt. de excuſat. tutor.* cum ſupra adiunctis. Porrò ſubexcipiendi ſunt ab hac, ſiue exceptione, ſiue regula, ſuperuenientes matrimonio, & alijs, vtcumque perfectis, caſus ex culpa, vitiove eorum, inter quos ab initio conſtiterant, quorum in pœnam, ſiue ob infamiam diſtrahuntur, quatenus iure poſſunt, vt indignitate vxoris, quæ ſe ſcenæ poſt nuptias dedit. *dict. l. Lege* 44. §. *Planè* 7. *cap. Si cuius* 11. 34. *diſtinct. cap.* 2. *& cap. diſcretionem* 6. *de eo, qui cognouit conſanguin.* & in eiuſdem fere calculi caſibus *l.* 1. *in fine, Cod. vbi Senatores, vel Clariſſ. cap. vltim. de iureiurand. libr.* 6. *cap. Inſinuante* 25. *de offic. delegati.* aut ſi caſus ſubincidant, qui etiam ſine vllius culpa impediant vſum, retentionemue. *l.* 10. §. *vltim. cum l. ſeq. l. Poſt ſuſceptam* 40. *Digeſt. de excuſat. tutor. l. penultim. l. Solet* 13. *Digeſt. de tutel. l. Prætor* 13. *Dig. de vacat mun. l.* 1. *in fine princip. Digeſt. de curatore fur.* iuncta *l. penultim. Cod. eodem titul. cap.* 2. *& ſeqq. de Clerico ægrot. cap.* 1. *& ſeqq. de coniug. leproſorum.*

CA-

CAPVT XXXIII.

AD IVLIÆ LEGIS VERBA: NEVE SENATORIS FILIA nepotiſ-ve ex filio, proneptiſ-ve ex nepote, filio nato, nata, libertino. Et deinceps in l. Lege 44. de ritu nupt.

ARGVMENTVM.

VErborum legis ſumma, &, quę ad eam referantur, Iuriſconſultorum fragmenta. Notata differentia inter priora legis verba, queis apprehenditur pronepos etiam ex nepte, & poſteriora hæc, quibus non niſi proneptis ex nepote, filio nato: differentiæ ratio deducta ex cenſura mediæ iuriſprudentiæ, & Voconiæ legis, quæ, vtcumque benigna erga agnationem, ſemel dumtaxat interruptam, non tamen erga bis defectam, de quo non pauca expenſa obiter; oſtenditur deinde, diuerſam, non contrariam eſſe *l. 3. C. de nupt.* quæ eſt de liberti cum patroni ſui filia, nepte, pronepte, nuptijs, quales, etiamſi Senatoria fœmina non ſit, ſemper exoſæ, & punibiles proprijs rationibus. Expoſitus Martianus *in l. 14. §. 1. D. de manum. vind.* Expoſiti etiam Modeſtinus *in l. 14. §. 1. D. de excuſ. tut.* & Tryphoninus *in l. 24. D. ad leg. Iul. de adulter.* Obſervata, & obiecta propoſitis Anthemij Nouella, quæ nunquam, & nulla ante eam lege vetitum, coniugium liberti cum patrona, ſupponit. Aſt reſpondetur, vel deſitam, datamque obliuioni, cadente Imperio, & moribus, ſeueram talium coniugiorum cenſuram, vel quod fortaſſe certius, non vſquequaque notam illius Nouellę ſarcinatori, langueſcente fere poſt Conſtantinum, & multò magis ſub Anthemio, & ad paucisſimos redacta iuris Romani profeſsione, & peritia. Id, quod non vulgariter adſtruitur pro diſcentium vulgo.

1 PErluſtranda ſunt tandem, & quidem leui pede, ſaltemque ne obliuiſci videamur, quæ ſuperſunt legis Iulię verba apud Paulum *in dict. l. Lege* 44. illic: *Neue Senatoris filia, neptiſ-ve ex filio, proneptiſ-ve ex nepote, filio nato, nata, libertino, ei-ve, qui ipſe, cuiuſ-ue pater, mater-ve artem ludicram facit, fecerit, ſponſa, nupta-ve ſciens dolo malo eſto: ne-ve quis eorum dolo malo ſciens, ſponſam, vxorem-ve eam habeto.* Verborum ſumma, & ſententia eſt inhibitio nuptiarum Senatoris filiæ neptis, proneptis, cum libertinis, aut ſcenicis: idque, vt ſæpiùs diſtinximus, tam ex legibus Iulia, & Papia, aut nuptiæ iniuſtæ ſint, non autem irritæ. *dict. l.* 44. *l. Sciendum* 32. *l. Generali* 34. §. *vltim. l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. Si libertam* 28. §. *Simili, Cod. de nupt. l. Filiam* 9. *D. de Senatorib.* quàm ex Marci ratione, & Senatus Conſulto, vt nec omnino nuptię ſint, ſed vt irritę diſſolvantur. *l. Oratione* 16. *l. Semper* 42. §. 1. *Digeſt. de ritu nuptiar.* iuncta *l. Oratio* 16. *Digeſt. de ſponſal.*

2 Pertinet ad hæc verba Iuliæ legis, eiſque commodè aptari poteſt, definitio de libertino, habendo pro ingenuo, nempe quoad nuptias cum filia Senatoris, ſi ingenuus iudicatus ſit. Vt ex Vlpiani *libro* 1. *ad leges Iuliam, & Papiam* proditum legimus *in l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. l. Res iudicata* 207. *D. de regul. iur.* item de libertino, qui impetrauit ius aureorum annulorum, habendo itidem pro ingenuo, quoad Senatoriæ fœminæ nuptias, ex eodem Vlpiano, & libro *in l. vltim.* iuncta *l. antecedente, D. de iure aureor. annul.* & è contrario de libertino eodem, iudicato ingenuo per colluſionem, aut arroga-

gato ab ingenuo, ne ſcilicet habeatur pro ingenuo, ſiue ne tamquam ingenuus habeat connubium cum filia Senatoris. Vt ex eiſdem libris traditur *in l. Si libertinus* 4. *D. de colluſ. deteg. l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt. l. vltim. D. de adoption.* de queis ſingulis abundè ſupra ad Iuliæ legis verba de libertinis, quia & eis commodè applicabantur, quæ nunc moleſtum eſſet, repetere: atque eiuſdem generis ſunt quæ de appellatione filiorum, nepotum, pronepotumve Senatoris, & ad quos ea, qualeſque liberos producenda eſſet, diſſervimus plenè ſupra *cap. 2. & ſequentibus*, nec niſi inopportunè huc transferenda, aut inculcanda. Quin & ratione, & quidem grauiore, ſtrictioreque, prohibitionis connubij eiuſce Senatoriarum fœminarum, imò & ingenuarum cum libertinis, ſcenicisque, animadvertimus non pauca, *huic capiti* itidem ſervientia, *ad caput de ingenuorum connubio cum libertinis, lib. 3. cap. 3.*

3 At enim propria eſt horum verborum, & loci, nec ſilenda, ſpernendave obſervatio differentiæ inter filiam, neptem, proneptemve Senatoris, & eiuſdem filium, nepotem, pronepotem, quoad prohibitionem connubij ſcenici, aut libertini, ex poſtremis iſtis, & prioribus illis verbis legis Iuliæ, quæ *in noſtra l.* 44. Quippe in prioribus & filio, apprehenduntur prohibitione, ſignatè nepos ex filio, & pronepos ex filio nato, ſi receptæ Florentinæ lectioni ſtamus, cui & magis ſtetimus ſupra ad ea verba, *pronepoſve ex filio nato.* & proinde apprehenditur etiam pronepos ex nepte, dummodò neptis ſit ex filio Senatoris, quia iſte pronepos eſt ex filio nato, vt eodem illo capite expreſsimus: ex diuerſo in poſtrema hac clauſula, & cautione de filia Senatoris, exprimuntur ſignatè, & ſolæ, neptis Senatoris ex filio, & proneptis ex nepote filio nato, & proinde non comprehenduntur neptis, aut proneptis ex filia, imò nec proneptis ex nepote, ſi non ſit nepos iſte ex filio natus, vt fere ſenſit in re ſimili Paulus *l. Filij* 22. §. *Senatores* 5. illic: *Et pronepotes ex filio, D. ad municip.* (ſcilicet ſi exaudiatur de pronepotibus ex nepote, & filio, vt *in l. Gallus* 29. *in princip. &* §. *Idem credendum* 2. *cum* §. *ſeq. D. de liber. & poſth.*) & redigendus ad eumdem ſenſum Modeſtinus *in l. Semper* 42. §. 1. *D. de ritu nupt.*

Nec differentiæ ratio in difficili iam, & ſupra, vt monui, indicata, illa nimirum, quoniam in pronepte ex filio Senatoris, vtcumque per neptem, promptior fuit, ac debuit eſſe conſiderationi, & reſpectui legis Iuliæ, quoad prohibitionem connubij ignominioſi, Senatoria proauita dignitas, & linea maſculina continuata per filium, & ſemel tantùm interrupta in nepte, vt veluti ſuſcitaretur in pronepte, & prodeſſet ei magis dignitas proaui, & aui, quàm obſtaret interruptio lineę per matrem, ex ratione *l. Emancipatum* 7. §. *vltim. D. de Senator.* iuncta *l.* 2. §. *In filijs, verſic. In auo, D. de Decur.* vtique & multò magis, cum & illius mater, tamquam neptis ex filio, ſignatis Iuliæ legis verbis comprehendantur. *d. l. Lege* 44. illic: *Neptiſve ex filio.* Iam autem è converſo in pronepte, quamvis ſit ex nepote, ſcilicet nato in filia (& multò potiùs in pronepte, nepteque ex filia) fuit difficilior, & remotior conſideratio proauitæ dignitatis Senatoriæ, nec tam facilè ſuſcitanda rurſus ea conſideratio, & linea maſcula Senatoria, quæ in filia ſemel, primùmque defecerat, & in pronepte denuo interciſa, ſi ad eam rurſus 4

per nepotem tranſiret, bis veluti ſuſcitaretur, quod bis difficile, & fere diſſonum, non dumtaxat, quia in filia ſemel defecerit familia Senatoria, cum fœmina familiæ ſuę & caput, & & finis fuerit. *l. Pronunciatio* 195. §. *vltim. cum l. ſeq. D. de verbor. ſign. l. Quicumque* 10. *Cod. de re milit. libr.* 12. iunctis ex legum Iuliæ, & Papiæ commentarijs *l. Non quemadmodùm* 8. *D. de agnoſcend. lib. l. Nulla* 13. *D. de ſuis, & legit.* ſimulque *l. Liberos* 10. §. *vltim. D. de Senatorib.* quæ ſanè ratio, & ad pronepotem per neptem ex filio Senatoris aptari poſſe videretur (quia perinde in nepte defecit Senatoria agnatio, vt expendere licet ex diſciplina illa iuris veteris, memorata *in* §. *Item vetuſtas* 15. illic: *& pronepotes ex neptibus, cum* §. *ſeq. Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.* iuncta *l. Si defunctus* 9. *l. vltim.* illic, *nepotibus, vel pronepotibus cuiuſcumque ſexus.* Et in fine: *quod tantùm in futuris, non etiam in præteritis. Cod. de ſuis, & legit. hæred.*) Sed & potiſsimum, quia in pronepte ex filia bis defecta, ſiue denuò interciſa, conſideretur Senatoria agnatio, eamque bis ſuſcitari difficilius, & contra veteris, ſeu mediæ iuris prudentiæ, & Voconiæ legis cenſuram, noſtris Iulia, Papiaque legibus anteriorem, & earum æuo vigentem, quæ quamquam primi gradus fœminas, vt in linea recta filias, aut ex filio neptes, ſic & ex filio, & nepote proneptes connumerabat, admittebatq; tamquam agnatas ad legitimam hæreditatem parentũ. *d.* §. *Item vetuſtas* 15. *in princip. & verſ. Et quemadmodum. l.* 1. §. *Suos* 2. *&* §. *Non minus* 4. *D. de ſuis, & legit.* aut proneptem ex nepote per filiam, in queis remotior, & defecta non ſemel agnatio. *dict.* §. *Item vetuſtas* 15. *verſ. Et pronepotes ex neptibus.* iuncta *l.* 3. *Cod. de ſuis, & legit.* & vulgari, at in hanc rem fortaſſe invulgata. *l. Maximum* 4. illis in verbis: *Et hæc non ſolùm in filiabus obtinere, ſed etiam in nepotibus, & neptibus, & deinceps obſeruari cenſemus, ſi tamen ex maſculis progeniti ſunt. Cod. de liber. præter.* quemadmodùm ſimiliter eadem Voconiana iuriſprudentia in hæreditate legitimâ tranſverſalium, admittebat, agnoſcebatque pro agnatis primi gradus illius lineę, ſorores conſanguineas defuncti fratris, non autem filias ſororum, & vlteriores in queis remotior, & abrupta repetitè, atque abſciſſa per duas fœminas agnatio videbatur. §. *Cæterum* 3. *verſ. Quod ad fœminas, & verſ. Media, Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ. l. Lege* 14. *Cod. de legit. hæred.* Paulus *lib.* 4. *ſentent. tit.* 8. §. *Fœminæ.* Vlpianus *tit.* 25. §. *Ad fœminas vltra.*

Nec dimouere à differentia obſervata debet, tametſi primo adſpectu diſcrepet, quod elicitur ex conſtitutione Seueri *in l.* 3. *Cod. de nuptijs,* quod prohibitionem matrimonij liberti cum patrona, aut patroni filia, nepte, pronepte, comprehendi eas ſingulas indiſtinctè, ſeu ſine diſtinctione, an neptis ex filio, vel proneptis ſit ex nepote, filio nato, contra quam Iulia noſtra lex diſtinxit, & cenſuit *in dict. l.* 44. *in princip. & verſ. Neve Senatoris.* Sed vt monuimus, nec hac diſcrepantia moueamur, ratio eius *in dict. l.* 3. non relinquitur in obſcuro: eſt enim ea conſtitutio non de nuptijs ſimpliciter prohibitis, neque vltra, quam vt non iuſtæ, ſiue non nuptię ſint, cuiuſmodi ſunt inter fœminas Senatorias, & libertinos (qui ſcilicet non ſunt liberti illius Senatoriæ fœminæ, cuius de nuptijs agitur) ſed de improbatis, & ſeuerè punitis, tamquam odioſis, & exoſi publicè exempli;

pli. Quales fuere, & cenſebantur ex diſciplina priſci iuris, appetitę à liberto nuptiæ cum patrona ſua, aut patroni ſui vidua, aut filia, nepte, & pronepte. Vt exprimitur *in dict. l.* 3. & oſtendit pœna metalli, aut operis publici, qua libertum coerceri placuit, vt ait Paulus 2. *ſentent. tit.* 19. §. *vltim.* iuncta *l. Libertum* 64. *l. Non eſt* 66. *in fine. l. Quamquam* 62. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Libertinum* 4. *C. de interd. matr. int. tut.*

6 Cui diſciplinæ congruebat, vt quamquam ingenuo viginti annis minori, ancillam ſuam matrimonij cauſa manumittere lege Ælia ſentia permitteretur. §. *Eadem* 4. *cum ſeq. Inſtit. quib. manum. lic. l. Si collactaneus* 13. *in fin. l. Si rogatus* 20. §. *Matrimonij, D. de manum. l. Matrimonij* 51. *D. de ritu nupt. l. matrimonij* 21. *D. qui & à quib.* & eãdem libertũ vxorẽ ducere, ſi manumiſſor, ſeu patronus non ſit Senatorius. *l. Vxorem* 15. *C. de nupt. d. l. Si rogatus* 20. §. *Matrimonij. l. vlt. in fin. C. communi, de manumiſſ.* iunctis ex libris ad leges Iuliam, Papiamque *l. Inuitam* 28. *cum l. ſeq. l. In eo* 45. *cum ſeqq. D. de ritu nupt. l. vltim. D. de diuort. l.* 1. *D. de concub.* non tamen è contrario permitteretur mulieri manumittere matrimonij cauſa ſervum, vt ei manumiſſo, & liberto ſuo patrona nubat, niſi ea ipſa non ingenua, ſed conſerva primum fuerit eiuſdem ſervi, cui poſtea manumiſſæ idem ſervus legatus fuerit, *in hoc*, nempe, vt manumittat, & liberti vxor ſit, cuius fortaſſe in ſervitute fuerat contubernalis, quomodò elucidandus Marcianus *in l. Alumnos* 14. §. 1. *D. de manumiſſ. vind.* & ex eo viciſſim Vlpianus *in l. Si patrona* 13. *D. de ritu nupt.* de queis ſingulis alia nos ad *caput connubij ingenuorum cum libertinis* infra *lib.* 3. *cap.* 3. vbi & de ratione illa, ob quam ſtrictior fuit ſemper, ſeueriorque cenſura; & deteſtatio nuptiarum patronę cum liberto ſuo, & cur eas fieri dicatur, *mala ratione* apud Papinianum *in l. Quamquam* 62. §. 1. *D. de ritu nupt.* cui nunc quoad eaſdem nuptias liberti cum patrona, aut eius filia, nepte, aut pronepte, de queis *in dict. l.* 3. Iungitur ratio illa alia, quod eis ſingulis debet libertus obſequium, ſeu reuerentiam. *l. Parens* 5. *D. de obſequ. l. Adoptiuum* 8. §. 1. *l. Sed ſi hac* 10. §. *Liberos* 5. *cum ſeqq. D. de in ius voc.* indignum autem viſum, & in ciuile, vt libertus exigat obſequium à patronali fœmina, tamquam ab vxore, *l. Alia* 14. §. *vltim. in fine, D. ſoluto matrim.* cui ipſe reuerentiam debet, tamquam libertus. *l. Liberto* 9. *D. de obſequijs par. Nam præter æquũ cenſet*, ait 1. *epiſtol.* Symmachus, qui inter diſpares par obſequium requirit.

Sit itaque ſtatum, & ſcitum, diſtare valde prohibitionem legis Iuliæ, quæ non niſi de nuptijs iniuſtis filiæ Senatoris, neptiſve ex filio, proneptiſve ex nepote, idque cum extraneis libertis, & ex ratione ſola Senatorij decoris, & prohibitionem illam, deteſtationemque matrimonij affectati à liberto cum patrona ſua, aut patroni filia, nepte, pronepte, quod abſciſsè, abſolutèque ſine diſtinctione lineę, quoad neptẽ, aut proneptem disiungitur, damnaturque tamquam odioſum, & contra reuerentiam à liberto patronæ debitam. *dict. l.* 3. *Cod. de nuptijs.* Argumentum rei addimus *ex l. Libertum* 14. §. 1. *D. de excuſat. tutor.* vbi quoad conſtitutum illud, ne libertus à tutela liberorum patroni, aut patronæ excuſetur, ex Senatus Conſulto, de quo *in l. Libertum* 5. *Cod. de excuſat. tutor. l. Libertus* 14. *D. de tutorib. datis*, Modeſtinus ſcribit, 7

li-

liberos patroni intelligendos, non tantùm primi gradus, ſed & *nepotes ex vtroque latere, & eos, qui deinceps ſunt.* ἐγγόνους ἐξ ἑκατέρου, καὶ τοὺς ἐφεξῆς. Et proinde ſine differentia lineæ, vel ſexus; ſubiungitque eum etiam libertum, qui ius aureorum annulorum impetrauerit, cenſendum eſſe in libertorum ordine, ἐν τούτῳ, ſiue, *in hoc*, vt apud Modeſtinum eſt *in dict. l.* 14. §. 2. ſiue quoad hoc, ſcilicet, ne à tutela liberorum patroni excuſetur, idque ex conſtitutione Marci Antonini. *dict. l. Libertum* 5. iuncta, & ab ea, ob diuerſitatem hypotheſis diſcriminanda, *l. Cum ex Oratione* 44. *in princip*, & §. *vltim. Digeſt. de excuſ. tut.*

8 Accedit quod *in l. Si is, qui* 42. *D. ad leg. Iul. de adult.* non diſsimili ſenſu, & cenſura Tryphoninus, quoad permiſſum illud marito, occidendi libertum ſuum, deprehenſum in adulterio, ſupponit, in primis libertum intelligi oportere, non tantùm eum, qui libertus ſit ipſius mariti, vel vxoris, ſed & qui fuerit patris eorum, aut matris, & filij, filiæve eorum, ſicut & ſcriptum eſt *in l. Marito* 24. *D. ad l. Iul. de adulter.* & ex Paulo apud Licinium Ruffin. *in collat leg. Moſaic. titul.* 4. §. 2. ac deinde decidit, huic etiam pœnę impunitatis occiſionis ex lege Iulia, ſubijciendum tamquam libertinum, eum etiam, qui annulorum ius impetrauit, & quidem pro tuitione matrimoniorum, & quia impetratione annulorum non præiudicatur patrono, quæ rationes ſunt *dict. l. Si is, qui* 42. iuncta, ex eodem Tryphonino, *l. Idemque* 10. *Digeſt. de S. C. Syllanian.* itemque *l. penult.* & *vltim. D. de iure aur. annul. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi ius, D. de in ius voc. l.* 3. *D. de bonis liber.* ſed hoc amplius, quia quamvis hic libertus poſt annulos, ſit pro ingenuo, quoad connubium cum fœminis, etiam Senatorijs, quarum libertus non ſit. *dict. l. penult.* & *vltim. D. de iure aur. annul. l. vnic. Cod. ad leg. Viſell.* & vt à tutela libertini pupilli excuſetur, vtpote iam ingenuus. *l. Cum ex Oratione* 44. iuncta *l.* 1. §. *Libertinis* 4. *D. de excuſat. tutor. l.* 3. *Cod. eodem tit.* non tamen habendus pro ingenuo, ne ſit obnoxius tamquam libertus occidionis impunitati ob adulterium cum patronali nupta, ſicut, neque vt excuſetur à tutela liberorum patronalium, cuiuſcumque ſexus, & lineæ. *dict. l. Libertum* 14. §. 1. & 2. & ex eadem ratione, neque quoad connubium cum patronali filia, nepte, pronepteve qualicumque. *dict. l.* 3. *Cod. de nupt.* quia eſſent ſingula hęc inciuilia, & contra reuerentiam patronalem. *dict. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi ius* 3. iuncta *l. Non eſt* 65. *in fine, D. de ritu nupt.* quæ amplianda, non coarctanda. *l. Capitalium* 28. §. *Omnia* 8. *D. de pœnis. l. Si adulterium* 38. §. *Liberto* 9. *D. ad leg. Iul. de adulter. l. Prætor* 7. §. *Præterea, D. de iniur. l.* 4. §. *Aduerſùs* 16. *D. de doli except. l.* 2. *Cod. de in ius voc. l.* 3. & 4. *C. de libert.* & *eor. lib.* cum eiuſmodi alijs ſexcentis.

Planè, priuſquàm hinc ad alia, 9
non eſt prætereundum, quod ex aduerſo veluti ad nuper tradita, legimus in *Nouella* 1. Anthemij *de mulieribus, quæ ſe ſeruis proprijs, vel libertis iunxerunt*: nempe de libertorum conſortijs prohibendis (cum patronis ſuis, cuiuſmodi erat Iulia illa, cuius preces Anthemius memorat) *euidens æſtimari, quod ante hoc lex vlla non vetuit.* Et vt poſt inde ſcribitur, *nulla nunc vſque ad liquidum iura vetuerunt*; rurſuſque poſtea: *de quibus ante hanc noſtri nominis ſanctionem nihil legum ſcita præ-*

ſcrip-

ſcripſerunt, denique vt de re tandem: *quod nemo prohibuerat*. Et ſanè hæ repetitę ter, quaterque aſſertiones, negant veluti deſtinatò, & ex oppoſito, non tantùm ſcitiſsima vetita, ſiue prohibita legum noſtrarum, connubij Senatoriæ, & vel dumtaxat ingenuæ fœminæ cum libertinis, ſed quod inſperatum magis, & inſolens, damnationem, deteſtationemque coniugij patronæ cum liberto ſuo. *dict. l. 3. Cod. de nupt.* cum ſupra laudatis. Nos hæc ex fide bona, & animi ſententia cēſentes potiùs quàm improbabiliter conciliantes, vel agnoſcimus ſub Anthemio, cadentibus cum Imperio moribus, legibuſque, caſſaque pridem ipſa morum diſciplina, & cenſura (cuius inter alia iudicium erat, de ingenuorum conſortijs cum libertinis) eaque cenſura iam ſuo æuo diſperſa, vt Tertullianus conqueritur, *de pallio cap. 6.* & ſub Theodoſio demum reſecata, Romani Senatus decreto, & ſuffragatore Symmacho *lib. 4. epiſtol. 29. & 45. & libr. 5. epiſtol. 9.* tum deminuta valde fuiſſe iura pleraque patronalis reuerentię, & obſequij, vt apparet *ex Nouella* Valentiniani *de libertis*, tum etiam excidiſſe memoria, aut exoleuiſſe moribus, deſitaſque, vel diſsimulatas ſeueras prohibitiones coniugij patronæ cum liberto ſuo, eòque referendas aſſertiones illas non cenſorias aulicorum aſſeſſorum Anthemij *in dict. Noellua* 1. vel inclinamus potiùs, vt fateamur, emoriente itidem ſub Anthemio, & occidente, cum Italiæ Imperio, Romanarum legum ſcientia, fuiſſe prohibitionem coniugij patronæ cum liberto, vel ignoratam Anthemij libellorum Magiſtro, ſeu Palatij Quæſtori, vel non *vſque ad liquidum* notam, ſed de qua *ſuſcepto quaſi errore nutarent, formidarentque ſuſpicaces mentes*, vt ſcriptum fere eſt *in d. Nouella* Anthemij.

Id, quod ne mireris, memi- 10
neris, poſt Conſtantium elanguiſſe adeo iuris ciuilis ſcientiæ decus, vt quæ olim *Manilios, Scæuolas, Seruios in ampliſsimum gradum dignitatis euexerat, libertorum artificium duceretur.* Vt Mamertinus ſcripſit *in gratiarum actione pro Conſulatu ſuo ad Iulianum*; eſſentque ita rudes nonnulli peritiæ affectatores, *vt vel nunquam ſe Codices habuiſſe meminiſſent, vel ſi in circulo doctorum auctoris veteris incidiſſet nomen, piſcis, aut edulij peregrinum eſſe vocabulum, arbitrarentur, & vt peruulgati iuris proferretur lectio vna, ſeptem vendibiles introitus præpararent*, quomodò ſtomachatur, vt ſolet, de Iuliani eiuſdem æuo, Ammianus *lib. 30.* Denique poſt Theodoſium iuniorem, eiuſque Codicem Theodoſianum, cui nonniſi à temporibus Conſtantini conſtitutiones inſertæ, cum & *pauci, rarique tunc extarent, qui plena iuris ciuilis ſcientia ditarentur, aut recepiſſent ſoliditatem perfectæ doctrinæ*, ſimulque eo confirmato Codice, cautum eſſet, ne in poſterum diſceptare, aut advocare liceret legibus, niſi ex libris illius vocabuli, vt legitur *in Nouella* Theodoſij *de Theodoſ. Cod. auctor.* & *in præfatione Codicis Alarici Regis.* D. Iſidoro *lib. 5. Origin. cap. 1.* in obliuionem abijſſe apud pleroſque, Iuriſconſultorum, & Cæſarum Conſtantino antiquiorum, libros, & leges, quin & poſtinde, intra Italiam, iam penè barbaricam, & ſub Anthemio calcatas ipſas Theodoſianas leges, & Theodoricianas, ſeu Gotthicas introductas, vt de Anthemij ſeculo Sidonius *lib. 2. epiſt. 11.* & intra Gallias ipſas, qua exparte adhuc Romanæ ſub Anthemio ignotam fuiſſe,

& à Nicetio primùm introductam, nobilem illam Theodoſij magni conſtitutionem de triginta annorum præſcriptione, ſeptuaginta circiter annis ante Anthemium conditam (nec in Theodoſij nepotis Codice extantem) vt Sidonius idem commemorat *lib.* 8. *epiſtol.* 6. cuius de duobus his locis elucidandis, nondum inter eruditiores convenit. Addimus, ſubſignamuſque rem, atteſtatione Valentiniani iunioris, ex eodem Anthemij æuo, *Nouella de confirmandis his, quæ adminiſtrantibus*, illo loci: *Notum eſt, poſt fatalem hoſtium ruinam, qua Italia laborauit, in quibuſdam Regionibus, & cauſidicos defuiſſe, hodieque gnaros iuris, & legum, aut rarò, aut minimè reperiri.* Nobis ſat eſt, ex eis ad rem iuuentuti præiuiſſe. Illud ſaltem adijcimus, ab Anthemio *eadem Nouella*, & exinde in futurum patronarum coniugia cum libertis prohiberi, vt execrabilia, & plecti deportatione, alijſque pœnis. Vt & adnotabimus infra *lib.* 3. *cap.* 2.

Nec plura nunc de his verbis Iuliæ legis, ſepoſita ad parerga, ſiue analectorũ claſſem pleniore ad Scholam, forumque commentatione, pro *l. Non quemadmodùm* 8. *D. de agnoſc. lib.* iuncta *l. Libertos* 10. §. *vltim. D. de Senator. l. Nulla* 13. *D. de ſuis, & legit.* & eiuſdem notæ, ac numeri alijs, huc referendis. 11

CAPVT XXXIV.

AD PAVLVM 4. AD LEGEM IVLIAM, IN L. SENATORIS 47. Et Vlpianum 3. ad eamdem in l. Si quis 27. & Papinianum in l. 34. §. vltim. D. de ritu nuptiar. & l. 9. D. de Senatoribus.

ARGVMENTVM.

Excepta à prohibitione nubendi libertino, Senatoria filia, ſuo admiſſo facta ignominioſa, ex Paulo *in l.* 47. *de ritu nupt.* Oppoſita eidem regula, & ratio Papiniani *in l.* 34. *§. vlt. eod. tit. & l.* 9. *de Senator.* At pro Paulo rationes iuris generales, & propriæ. E conuerſo contra Papinianum expenſus Vlpianus *in l.* 27. *de ritu nupt.* Item regula de conualeſcentibu[s] n[u]ptijs ceſſante impedimento, tamdemque & argumentum Senatoriæ fœminæ, nuptæ plebeio, ideoque & deinceps non Senatoriæ, quantò magis illius, vt Papinianus loquitur, ſecutæ libertinum, ſeu ſequutuleiæ. Diſtinguitur inter ſcenicam, aut meretriciam, in Senatoria fœmina, fœditatem, quę vtique grauius probrum, ſceluſque, & eiuſdem fœminę notam nubentis libertino, in quo peccatum vocatur coniugium. Et firmatur diſtinctio ex pſis legibus Iulia, & Papia. Stoica Paralogia de peccatis paribus ſimul cum Nouatianis damnata, & quàm aliena ea à ſenſu Iuriſconſultorum, quos nec omnes, neque in omnibus Stoiciſſare. Senatoria, quę ſcenæ, aut meretricio ſe dedit, deinceps non ſolùm Senatorio, ſed nec ingenuo potuit nubere: idcircoque permiſſum ei, nubere libertino legibus noſtris, ex queis ad rem exemplum in *l.* 3. *D. de concub.* de qua & alijs alia. Diuerſum in Senatoria nuptias libertini ſequuta, per quas, vtpote nullas, non tranſijt in familiã libertini, & eſt adhuc nubilis ingenuo, & Senatorio. *Ad l.* 27. *de ritu nupt.* & quæ illic decidendi ratio. Senator, ordine motus, deſinit ſua culpa eſſe Senator. Non item deſinit filia eſſe Senatoria ſine ſuo admiſſo, & ex patris nota, ſeu caſu: atque ita componendi, qui alioquin opponeretur loci. Poſtremò de Senatoria nupta plebeio, liquet, eam, vtpote per legitimas nuptias, tranſire in plebeiam familiam coniugis, quæ tamen non tranſiret, ſi libertinum ſequeretur. Gutherij *ad l.* 16. *D. de ritu nupt.* correctio diſpuncta.

Pro-

1 PRohibitionis connubij Senatoriarum fœminarum cum libertinis, & ſcenicis regulæ proxima eſt, & primaria exceptio, quæ apud Paulum *lib. 2. ad legem Iuliam, & Papiam, in l. Senatoris 47. D. de ritu nupt.* de Senatoris filia, quę corpore quæſtum, vel artem ludicram fecit, aut iudicio publico damnata fuit: an ſcilicet attineatur adhuc legis Iuliæ prohibitione, ne libertino ſponſa, nuptave ſit. Et ſanè, vt attineri, videatur, expendi electè, neque inargutè poteſt exemplum Senatoris filiæ, quæ libertino nupſit, contra legem Iuliam, ac poſtea illius pater Senatoria dignitate cecidit, motuſq; fuit. In qua tametſi ſuo admiſſo, & indignitate nuptiarum cum libertino ſit facta indigna honore filiæ Senatoris: & proinde poſt remotionem patris à Senatu, nihil obſtare, videatur, quominùs in poſterum ſaltem fiat libertino iuſta vxor; Papinianus tamen reſpondit, non fieri, & ſervari ei adhuc dignitatem filiæ Senatoris, naſcendo, quęſitam. *l. Generali 34. §. vltim. D. de ritu nupt. l. Filiam 9. D. de Senatorib.* Cur itaque non idem ſervetur filiæ Senatoris, quæ vel corpore quęſtum fecit, contra leges Iuliam, & Papiam. *l. 3. in princip. & §. vltim. D. de concubin. l. Fœdiſſimam* 20. illic: *Leges vlciſcuntur. Cod. ad leg. Iul. de adulter. l. Palàm* 43. *§. Non ſolùm, D. de ritu nupt.* ad quam plura nos infra *lib.* 3. Vel arti ludicræ ſe dedit, & ſcenæ, contra Senatus Conſulta, id ſpeciatim Senatorijs vetantia, de queis Dion *lib.* 54. Sueton. *in Auguſto cap.* 43. & *in Tiberio cap.* 35. Tacitus *lib. 1. Annal. & 2. hiſtor.* Iuncta, & ad rem non malè expendenda *l. Mater* 10. *§. vltim. D. ad leg. Iul. de adulter,* vel denique delicti in leges publicorum iudiciorum damnata fuit, indeque indigna nuptijs ex Senatuſconſulto ad Iuliam, & Papiam. *d. l. Palàm* 43. *§. Senatus, D. de ritu nupt.* ſiue è converſo, cur ſeruetur honor filiæ *in dict. l.* 34. *§. vltim. & d. l. Filiam* 9. *contra rationem l. Senatoris* 47. cum vtrobique filia, in legem Iuliam delinquendo, indigna Senatorio honore fiat, & hoc amplius *in dict. l.* 34. *§. vltim. & dict. l.* 9. ſupervenerit indignati filiæ indignitas patris, remoti à Senatu.

Sed in contrarium Paulus ſtans in 2
quæſtione *dict. l. Senatoris* 47. ſcribit, Senatoris filiam, quæ corpore quæſtum, vel artem ludicram fecerit, aut iudicio publico damnata fuerit, impunè nubere libertino, & proinde ſupponit, iuſtam ei vxorem fieri, & rationem illam ſubiungit, *nec enim honos ei ſeruatur, quæ ſe in tantum fœdus deduxit,* quomodò illic conſtanter in Florentino archetypo, alijſque libris legitur, *in tantum fœdus,* ignota, & Balduino non recepta phraſe, pro qua ſubſtitui poſſet, *in tantam fœditatem, vt in l. Filiam* 19. *Cod. de inoffic. teſtam.* ſiue *in tantum ſcelus,* vt Haloander, & *in ſtatum fœdum,* vt Faber, atque alij. Nos, vt de re, & ratione potiùs, animaduertimus, ſubniti eam regula, exempliſque iuris, perquam frequeutibus, ex quibus liquet non modò generale illud, honores excludi reatu, eiſque indignos eſſe, qui indignè deliquerunt, vt de Senatorijs, ac ſimilibus proditur *in l.* 1. *in fine, Cod. vbi Senatores. l. Iudices* 12. *l. Quoties* 17. *verſ. In criminalibus, Cod. de dignitatib. lib.* 12. *l.* 2. *Cod. de ſecund. nupt. cap. 1. de purgat. Canon. cap. Nobilis* 15. 2. *quæſt.* 5. ſed, quod ſpecialius eſt, dignitatem, decuſque Senatorij patris amitti veluti, & aboleri in filio, indignitate, & dedecore ipſius filij, ſiue *ſuo admiſſo,* vt ad rem Paulus noſter ſcripſit *in l. vltim. §. vlt.*

de

de pœnis. iunctâ *l.* 2. §. *Nullum*, illic: *Innocenti filio, D. de Decurion. l. Adoptiuus* 8. §. *vltim.* illic: *Filius, quaſi innocens, D. de in ius voc.* rurſuſque & illud ſpeciale, quoad leges Iuliam, & Papiam, priuilegijs, præmijſve earum, vt indignos arceri, eos, qui in eas deliquerunt. Vt ad eaſdem, & *eodem lib.* 2. Paulus docuit *in l. Qui libertinus* 37. §. *Poſthumus, verſ. Ex lege, D. de oper. lib.* & Terentius Clemens *in l. Filio* 48. §. 1. *Digeſt. de ritu nupt.* & Vlpianus *in l. vnic. verſic. Nihil enim, D. vnde vir, & vxor. & tit.* 16. §. *Aliquando* 2. *cum* §. *ſeq. & tit.* 25. *de fideicommiſſ.* §. *Si quis in fraudem* 17. iunctis ex eodem tractatu, *l. à Diuo* 58. *l. Dote* 61. *D. de ritu nuptiar. l. vltim. verſic. Delinquunt, D. de legat.* 1. *l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ vt indign. l.* 3. §. 1. *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *vltim. D. de donat. l. Si concubina* 17. *D. de act. rer. amot. l.* 1. *Cod. de natur. liber. l.* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* de queis affatim ſupra *hoc libro*, ſimul cum regula illa notiſsima *l. Auxilium* 37. §. *vltim. in fine, D. de minorib.*

3 Iam verò nunc, & ſecundùm hęc tum obſcurior eſt ratio diſcriminis, cur filiæ, contra legem Iuliam libertino nuptæ, dignitas Senatoriæ filiæ conſervetur, etiam poſt patris crimen, & ne vel tunc fiat vxor apud Papinianum *in dict. l. Generali* 34. §. *vlt. & dict. l. Filiam* 9. & non conſervetur eidem filiæ, contra leges peccanti, poſsitque, vel ob idipſum, libertino nubere, apud Paulum *in noſtra l. Senatoris* 47. tum & ſi ſemel, ſeriòque cenſeas, non modò exerrans à perpenſa ratione iuris, & regula, ſed & exorbitans ab alia, ac ſeuerior, ſubduriorque Papiniani aſſertio videtur, cum pro regula itidem ſit, nuptias initas contra legem Iuliam, veluti Senatoris cum libertina, quamvis interim neque nuptię, neque vxor ſit, ſi tamen ille poſtea Senatorio ordine cadat, conualeſcere, & libertinam eſſe vxorem incipere, vt eſt apud Vlpianum *libro* 3. *ad l ges Iuliam, & Papiam, in l. Si quis in Senatorio* 27. *D. de ritu nupt.* & pro regula, inquam, vt poſui, in nuptijs, quas, vtcumque ab initio inutiles, aut contra ius, poſtea tamen ceſſante iuris impedimento, eo perſeuerante iunctorum voluntate, convaleſcere exinde in poſterum, iuſtaſque fieri, liquet, vel exemplis nuptiarum filiorum familias, ſine conſenſu patrum, & tutoris contra Senatus Conſultum; & Præfecti contra mandata, & denique minoris duodecim annis, de queis *in l. Si vt proponis* 5. *cum l. ſeq.* iuncta ex Cuiacio, inſerta Codici, *Inſtitutione* Seueri, *poſt l.* 8. *Cod. de nupt. l. Eos, qui* 65. §. 1. *l. Minorem* 4. *l. Si quis officium* 38. *D. de ritu nupt. l. Filius* 28. §. *Si quis eo* 3. *D. de liber. & poſthum. l. Si vxor* 13. §. *Si quis vxorem* 6. *in fine. &* §. *Si minor* 8. *D. ad leg. Iul. de adult.* quod & Papinianus idem agnoſcit *in l. Dotis* 68. *D. de iure dot.*

Accedit, vt, vel alio ex capite, 4
abnorme, & abſonum Papiniani reſponſum cenſeas, *in dict. l. Filiam* 9. *& dict. l.* 34. §. *vltim.* quod in contrarium legimus, vxorem, quæ fuit Senatoris, aut Conſularis, ſi plebeio poſtea nubat, deſinere eſſe Senatoriam, ſiue clariſsimam, aut Conſularem. *l. Cum te* 10. *Cod. de nupt. l. vltim. l. Fœminæ* 8. *D. de Senatorib. l. Filijs* 22. §. 1. *D. ad municip. l.* 1. *& l. Mulieres* 13. *Cod. de dignitas. lib.* 12. *l. vltim. Cod. de incolis lib.* 10. *Nouella* 22. *de nuptijs cap.* 36. &, quod prope, ac propriè magis ſtringit, filiam Senatoris eſſe clariſsimam, quâdiu in familia patris Senatoris eſt,

aut

aut clariſsimo viro nupta, non item ſi nubat plebeio. *dict. l. Fœminæ* 8. iuncta *l. Libero* 10. *in fine, D. de Senatorib.* iuxta vetus illud, & notum de Virginea Patritij Auli filia, quam, quia Volumnio Plebeio, vtcumque Conſuli, enupſerat, matronæ ſacris pudicitiæ patritiæ arcuerunt, apud Liuium *libro* 10. ſiue quia, vt de ſe in Apuleio 2. *de aſino*, Byrrhena illa: *Nos dignitas diſcernit, quod clariſsimas illa, ego priuatas nuptias fecerimus.* Quo iure igitur in filia Senatoris, quæ non tantùm plebeio, ſed etiam libertino, contra legem Iuliam, nupſit, reſpondeatur, retinere adhuc dignitatem clariſsimæ, ſeu filię Senatoris, & quidem vel poſt indignitatem patris remoti à Senatu, idque vt etiam poſt remotum patris Senatoris impedimentum, nec vxor fiat, nec nuptiæ convaleſcant, vt *in dict. l. Filiam* 9. *&* *dict. l.* 34. §. *vltim.* contra rationem, exemplumque *dict. l. Si quis in Senatorio* 27. ac præterea noſtræ *legis Senatoris* 47. & ne vel hoc diſsimulemus, cum dedecore quodammodò ipſius Senatorij ſanguinis, libertinis nuptijs inquinati, argumento *ex l.* 1. *D. de colluſ. deteg. l. Super* 9. *Cod. de quæſtion. Nouella* Martiani 4. *de matrimon. Senat.* quod vel Papinianus idem agnoſcit, proprietatis verborum, & diſciplinæ inter Iuriſconſultos retinentiſsimus, dum de hac Senatoris filia ſic loquitur, non vt eam nupſiſſe, aut nuptam libertino, dicat, ſed *nuptias libertini ſequutam*, qua loquutione fere contubernium, & improbatæ potiùs, quàm iuſtę nuptiæ. *l. Mulier* 16. *Cod. de agricol. & cenſit. l. Decreto* 11. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irroget. l.* 3. *Cod. de liber. cauſ.* iuncto Paulo *lib.* 2. *ſentent.* integro fere *tit.* 21. & mulier cum probro, amaſium ſequuta, ſignari ſolet, qualis Lycoris illa apud Maronem *Eclog.* 10. quę *perque niues alium, perque horrida caſtra ſequuta eſt.* Et apud Propertium 2. *eleg. vlt. &* 4. *&* 5. Medea *ſequax* dicta, quia *ignotum ſecuta virum*, vnde & mulier *ſecutuleia* Petronio *in ſatyr. cap.* 42. & veteri noſtro Hiſpaniſmo, muger *de ſeguida*, Mariana 19. *hiſtor. cap.* 17.

Hæc, quæ tam multa, nouaque 5
contra Papinianum mouimus, egent etiam noua, vt ſubmoueas, obſervationis ope, quæ & Papiniano *locis laudatis*, & Vlpiano, Pauloque *in dict. l.* 47. & 27. atque alijs vna opera explanandis ſit ſatis, eamque in caſſum quæras in Accurſij, & veterum gloſsis, imò neque in nouiorum, Baronis, Corraſij, Rebuffi, Vaccæ, Fabri, & ſi qui alij ſunt, *ad titulum de Senatoribus*, &, quod mireris magis, pręter Ræuardum, Briſſonium, & ex noſtris Amayam *lib.* 2. *obſeruat. cap.* 5. *num.* 31. *&* 45. nec reperias apud Cuiacium, qui ad Papiniani illud reſponſum *d. l. Filiam* 9. nodum ex Vlpiano *in dict. l.* 27. nectit ex parte potiùs, quàm ſolvit. Nos tot ſimul, ac ſingulis expediendis, & in primis elucidandæ rationi illi *dict. l.* 47. *verſ. Nec enim*, & vt liqueat, non eſſe illam applicabilem Papiniani hypotheſi, in *dict. l.* 34. §. *vltim. & dict. l. Filiam* 9. diſtinguimus in filia Senatoris inter fœditatem ſcenicę, aut meretricię operæ, aut damnationis publici iudicij, de queis in *dict. l.* 47. & dedecus nuptiarum cum libertino, eiuſdem filiæ, de qua *in dict. l. Filiam* 9. *& l.* 34. §. *vltim.* quia, quamvis per has nuptias peccauerit in leges Iuliam, & Papiam, ideoque indigna videatur, honore Senatoriæ filiæ, ex eiſdem legibus, iuxta Pauli rationem *in dict. l.* 47. non tamen inficiari, licet, gra-

uius omninò, ſiue fœdius, flagitioſiuſque probrum eſſe Senatoriæ filiæ, meretricio, aut ſcenæ ſe dare, vel adulterij, ſtuprive damnari, quàm libertino nubere: quippe priora illa, fere hyperbolicè, *tantum fœdus*, à Paulo, & alibi *flagitioſæ fœditatis*, ſiue *fœdiſsimæ nequitiæ*, & *portentoſæ vilitatis*, probra dicuntur. *dict. l.* 47. *l. Si filiam* 19. *Cod. de inoffic. teſtam. l. Fœdiſsimam* 20. *Cod. ad leg. Iul. de adulter. l. His ſolis* 7. *in fine*, *Cod. de reuoc. donation.* ſiue *prodigia, moreſque Romæ damnandos Canopo*, vt de Senatoria, ſequuta ſcenicum, Ægyptum vſque, propriè, & acriter Iuuenalis *Satyra* 6.

Nupta Senatori comitata eſt Hippia ludum
Ad Pharon, & Nilum, famoſaque mœnia Lagi,
Prodigia, & mores Vrbis damnante Canopo.

At verò non tam fœdum, probroſumque, Senatoriæ filię, tametſi probrum, & inhibitum, nubere libertino, ſaltem quia, quod illic ſcelus, hic *vocatur matrimonium*, vt de Patritij filia, liberto nupta, declamator apud Senecam *lib. 7. controu. 6.* &, vt apud Maronem, Dido *in 6. coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.* Conſtat autem, multùm diſtare probrũ à probro, & ſceleſtum contubernium à matrimonij nomine. *l. vltim. Cod. de inceſt. nupt. l. Probrum* 41. *D. de verbor. ſignif.* & diſcrimen eſſe inter ſcelus, & erratum, vt ſcitè *Hieron.* ſeu *Paulinus epiſtol.* 14. & quoad interdictionem connubij noſtris ex legibus diſtingui meretricem palàm profeſſam, & quęſtuariam ab ea, quæ non palàm, & paſsim, aut ſine quæſtu proſtituta fuit; & damnatam calumniæ ex cauſa publici iudicij ab ea; quæ damnata publico iudicio. *l. Palàm* 43. §. 1. *cum ſeqq.* & §. *ſi qua* 11. *l. Probrum* 41. iuncta *l. In libera* 24. *D. de ritu nupt. l.* 1. & 3. *D. de concubin. l. Cum tabulis* 16. §. *Quoniam, D. de his, quæ vt indign. l. Si vxor* 13. *D. ad leg. Iul. de adult.* & quoad rem ſignantiùs, diſtingui, & diſtringi grauiore nota dedecus meretriciæ, ac ſcenicę artis, aut damnationis publici iudicij in fœminis, quibuſcum, ſi tales ſint, prohibetur connubium, non dumtaxat Senatorijs viris, ſed etiam quibuſcumque ingenuis, vt ex Vlpiano diſcas *in fragment. regul. titul.* 13. *in princip.* & §. 1. iuncta *dict. l. Palàm* 43. *l. fœdiſsimam* 20. *Cod. ad leg. Iul. de adult.* & notam libertinitatis, ob quam cum libertina fœmina, inhibitæ nuptiæ ſolis Senatorijs, permiſſæ autem alijs ingenuis. *l. Lege* 23. *D. de ritu nuptiar.* Vlpianus *dict. tit.* 13. & 16. §. 1. & quoad infamiam ipſam, ſeu turpitudinem culparum cenſeri alias alijs turpiores. *l.* 3. *D. de his, qui not. infam.* iuncta *l.* 1. §. *remouet* 6. *verſ. Et qui operas*, illic: *Ergo qui locauit, D. de poſtul.* de queis ſingulis abundè ſuis locis *lib. 3. cap. 1. & ſeqq.* & hoc eodem libro ſupra.

Adijcimus, vt vel currente penna adnotemus, paradoxam illam Stoicorum aſſertionem, quæ ſicut virtutes omnes pares ſtatuebat, propugnante diſertè Seneca *epiſtol.* 66. & diſertiſsimè Auguſtino *epiſtol.* 29. *ad Hieronymum*, Plutarcho *in Solone*, Horatio 1. *Satyra* 3. & 1. *epiſtol.* 16. ita & paralogè peccata omnia per ſe ęqualia, vt apud Laertium *in Zenone*, Ciceronem *paradoxo* 4. & *Academic.* 4. neque aliud *turpi turpius*, vt idem Cicero ſcribit 4. *de finib.* cui Nouatiani olim aſſenſere, & poſtea Iouinianus, damnati Hieronymo, ſiue

ſiue apud Hieronymum Paulino *epiſtol.* 14. *ad Celantiam*. & ex profeſſo *lib.* 2. *aduerſ. Iouin. cap.* 12. *& ſeqq.* & Hieronymum laudanti Auguſtino *dict. epiſtol.* 29. *& de hæreſibus ad Quotvuld. cap.* 82. & ante eos Cypriano *epiſtol.* 52. *ad Antonianum*, imò nec Tertulliano ipſi probati, quamuis alioquin cum Montano iuxta eadẽ erranti, & tamen diſtinguenti inter delicta modica, & media, vt vocat, & alia culmen criminum tenentia, & principalia, ac deuoratoria ſalutis, *libro de pudicitia cap.* 1. *& de patientia cap.* 5. *& de idololatr. cap.* 1.) aliena tamen ſemper fuiſſe à cenſura noſtræ Iuriſprudentiæ, ſecundùm quam peccata, & maleficia, non paria, aut eadem, ſed diuerſa, & diſcriminanda, ſuo gradu, & qualitate, vt quædam leuia, & minora ſint, quædam grauiora, & atrociora, & omnino alia alijs turpiora. *l. Aut facta* 16. §. *Qualitate: l. Perſpiciendum* 11. *D. de pœnis. l.* 4. §. *Grauius* 10. *&* §. *Leuius* 14. *Dig. de re milit. l. Ad tempus* 5. *D. de Decurion. l.* 2. *D. de effractor*; quin & alienam fuiſſe ab Vlpiani ſenſu, apud quem mores alij leuiores, alij grauiores, vt in eius regularum fragmentis *tit.* 6. §. *Morum* 12. *cum* §. *ſeq.* (iuncta *l. Virum* 39. *D. ſoluto matrim.* vbi paria delicta, non tam quia æqualia. *l. Palàm* 43. §. *Lenocinium* 6. *D. de ritu nupt. l.* 4. §. *Pomponius. l. Imperator* 24. *D. de his, qui notant. infam.* quàm quia mutua, & compenſanda, vt dicuntur *in l. Si vxor* 13. §. *Iudex* 5. *in fine, l.* 2. §. *Qui hoc* 4. *cum* §. *ſeq. D. ad leg. Iul. de adulter.*) & apud eumdem grauia crimina, diſtincta à leuioribus. *l.* 1. §. *vlt. D. nihil innou. appell. pend. l. Quid ſit* 17. §. *Noxas* 18. *Dig. de ædil. ed. l. Neratius* 11. §. *Quamuis* 2. *verſ. Sunt enim, D. de ſeruo corrupt. l.* 1. §. 1. *D. de effractor. l. Probrum* 42. *D. de verbor. ſignific. l. Leuia* 6. *Digeſt. de public. iudic. l.* 1. §. *Interdictum* 43. *D. de vi, & vi arm.* iuncta regula illa *l. Ad ea* 157. *D. de regul. iur.* & ad eam ex eodem Vlpiano appendicibus. *l. Is, qui* 11. §. *An ignoſcitur* 7. *D. quod vi, aut clam. l. Sed eſt* 9. §. *Si atrocem* 3. *Digeſt. de iniur.* & ex Labeonem *ad eamdem regulam l. Si vnius* 17. §. *Si iuſſu* 7. *l. Prætor* 7. §. *vltim. D. de iniur.* Tandemque & ad eamdem, ex Caio ad leges noſtras, *in l. In fraudem* 10. §. *vltim. D. de his, quæ vt indign.* quos tamen ſingulos Vlpianum, & Caiũ, poſt Labeonem, Proculeianorum Antiſtitem, auctoremque ſtoiciſſare per ſæpe eruditi, nouioreſque gratuitò ſuſpicaces volunt, & in hoc ipſo paradoxo de æqualitate peccatorum, de Vlpiano Merilius 1. *obſeruat. cap.* 24. læuo, ac leui argumento ex *l. Vulgaris* 21. *D. de furt.* cum è contra eſſe ſtatum, ſcitumque debeat, Iuriſconſultos neque omnes, neque in omnibus fuiſſe iuratos Stoicorum aſſeclas, de quo pluribus, ſi vacaret.

7 Sed pergamus, ſatiſque ſit, conſtare iam rationem illam, ductam ex hyperbole, veluti fœditatis, & probri filiæ Senatoris meretricis, ſcenicæ, aut mœchæ, *in d. l.* 47. non poſſe aptari ad ſpeciem eiuſdem nuptiarũ cum libertino, in quo non adeo turpe, ſeu tantò leuius erratum, & nota. *d. l.* 34. §. *vlt.* Iam itaque, vt pergam, obſeruemus, diuerſas eſſe, non modò poſitione, ſed & iuris æſtimatione theſin apud Paulum *in d. l.* 47. quæ eſt, vt filia Senatoris poſt meretricium, ſcenã, aut damnationẽ, impunè nubat libertino; & apud Papinianũ *in d. l.* 34. §. *vlt. & d. l. Filiam* 9. vt eadem filia, etiam poſt libertini nuptias, atque etiam per caſum patris, moti à Senatu, fiat libertino vxor, nam in priore theſi cum Senatoria filia, quæ meretrix, ſcenica, aut

aut publici iudicij, ac probri damnata fuit, eo ipſo non poſsit nubere Senatorio, &, quod amplius eſt, neque ingenuo. *l. Palàm* 43. §. *Non ſolùm* 4. *&* §. *Senatus* 10. *D. de ritu nupt. l. Fœdiſsimam* 20. *Cod. ad leg. Iul. de adulter.* Vlpianus *tit.* 13. *in princ. &* §. 1. fuit prouidentiæ Iuliæ, Papiæque legum, & virtutis illius in permittendo, quæ legis inter alias eſt, *l. Legis* 7. *D. de legibus*, permittere eiuſmodi fœminæ, vt ſaltem nuberet libertino, idque vel ſine luce illa Euangelicæ charitatis, cuius eſt, meretrices, *& mulieres luxurioſè viuentes, vt caſtè viuant, ad legitimum thori conſortium inuitare*, quomodò habet integrior *textus cap. Inter opera* 20. *de ſponſalibus*. Et *ad corrigendam vitam ſacramento conſulere*; vt cum Hieronymo *in cap. vltim.* 32. *q.* 1. Auguſtinus *lib.* 22. *contra Fauſtum, cap.* 80 adumbratum cernere, licet, argumento ad rem opportuno, electoque in eiſdem legibus Iulia, & Papia, quæ mulieres haſce ignominioſas, meretrices, damnatas, ſcenicas, eo ipſo quod vxores eas ducere ingenuis prohibuit, permiſit habere in concubinatu, coniunctione ſcilicet illa, olim legibus permiſſa, ſiue quæ, quia per leges nomen aſſumpſerat, extra legis pœnam erat, vt ſcitè, & appoſitè Martianus *in l.* 3. *& ad leges noſtras* Vlpianus *in l.* 1. §. 1. *& ſeqq. D. de concub.* iuncta *l. Probrum* 41. *Dig. de ritu nupt. l. Stuprum* 34. *l. Mater* 10. §. 1. *D. ad leg. Iul. de adulter. l. Cum tabulis* 13. §. *Quoniam, D. de his, quæ vt indign.* ad quas exactè nos *in Analecto de concubinis*. Proinde & multò magis permittendum fuit Senatoris filiæ ignominioſæ, vt nuberet libertino, & quidem *impunè*, vt ait Paulus *in dict. l.* 47. ſenſu ſimili, illi Martiani *extra legis pœnam. in dict. l.* 3. §. 1. *D. de concub.* Cuius eſt apud Paulum vis, vt quamvis ex legibus noſtris Iulia, Papiaque, impares nuptiæ, & iniuſtæ, cuiuſmodi Senatoriæ fœminę, & vel ingenuæ tantùm cum libertino prohiberentur, neque eſſent impunè ſaltem cenſoribus, & eorum notæ, ſiue Epiſcynio, vt monuimus *lib.* 3. Et quoad damnatam adulterij, puniantur etiam Iulia de adulterijs. *l. Miles* 11. §. *vlt. l. Mariti* 29. §. 1. *D. ad leg. Iul. de adulter. l. Caſtitati* 9. *Cod. eodem tit. l. Auxilium* 37. *in fine, D. de minor.* & hoc amplius ſi libertinus, cui Senatoria, vel ingenua fœmina nubit, ipſius libertus ſit, odioſa, & acriter coercenda coniunctio cenſeatur. *l.* 3. *Cod. de nupt. l. Quamquam* 62. §. 1. *D. de ritu nupt.* Paulus *lib.* 2. *ſentent. tit.* 19. §. *vltim.* Ceſſant tamen hæc ſingula in Senatoria filia, meretrice, ſcenica, aut damnata, cuius nuptiæ cum libertino ſunt impunè, tam quoad ipſam, quia vitæ anteactæ vilitas indignam eam fecit legum obſervatione, ſiue cenſuræ nota, ſiue ſtupri pœna. *l. Quæ adulterium* 29. *l. Si ea* 12. *Cod. ad leg. Iul. de adult. l. Cum tabulis* 16. §. *Quoniam, D. de his, quæ vt indign. d. l.* 1. §. 1. *&* 2. *& l.* 3. *D. de concubin.* quàm quoad libertinum maritum ex ſua perſona, quia leges noſtræ nuptias cum ignominioſis fœminis prohibuere ingenuis, & Senatorijs, non item libertinis viris, vt liquet ex Vlpiano *dict. tit.* 13. §. 1. illic: *Cæteri ingenui.* & *l. Lege* 44. *in princip. &* §. *vlt. D. de ritu nupt.* iuncta *l.* 3. §. *Si emancipatus* 5. *verſ. Nam etſi, D. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* & de ingenuo non Senatorio ignominioſæ libertæ ſuæ marito, contra legem Iuliam, exponenda *l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.* vt prædiximus *hoc libro cap.* 9. *& lib.* 3. *cap.* 6. & ex perſona filiæ Senatoris, tamquam Senatoriæ, quia vt propriè,

&

& hoc reſpectu Paulus, *non ſeruatur his honos ei, quæ ſe in tantum fœdus deduxit. dict. l. 47.* & quidem, etiamſi libertinus, cui nubit, ipſius libertus ſit, quia tam ignominioſæ patronæ ſunt honeſtæ vel liberti ſui nuptiæ. *l. Si patrona* 13. *D. de ritu nupt. l. Alumnos* 14. §. 1. *Dig. de manum. ſſ. vind.*

8 Fuit autem omnino diuerſa iuris æſtimatio, & cenſura in theſi Papiniani, de Senatoria filia liberto nupta, *in dict. l.* 34. §. *vltim. dict. l. Filiam* 9. quippe cum eas nuptias lex Iulia iniuſtas faciat; & Senatus Conſultum, poſt Marcum, dirimat. *l. Lege* 44. *l. Oratione* 16. *l. Semper* 42. §. 1. *Digeſt. de ritu nuptiar. l. Oratio* 16. *Digeſt. de ſponſalibus. l.* 3. §. 1. *Digeſt. de donation. inter.* potuit & poſt eas nuptias, quæ nuptiæ non erant, & proinde nec libertini vxor. *l. vnic. D. vnde vir, & vxor.* §. *Si aduersùs* 12. *Inſtitut. de nupt.* Senatoris filia, & ingenua nubere ingenuo, & quod magis eſt, etiam Senatorio, quia ſecutę, ſiue attentatæ libertini nuptiæ, vtcumque ſubiecerunt illam cenſorio ſupercilio, & notæ, & indignationi patritiatus matronalis, non tamen alij pœnæ, aut iuris infamiæ, quin nec interdictioni connubij cum Senatorijs, & ingenuis, ex noſtris legibus, quæ ſignatè ſcenicas; meretrices, lenas, & adulterij, aut publico iudicio damnatas apprehendunt, non alias vltra, quamvis alioquin infames. Vlpianus *dict. tit.* 13. *& in l. Palàm* 43. §. 1. *&* 2. *&* §. *Si qua* 12. *D. de ritu nupt.* & conſequenter attentatum libertini coniugium non eſt tale admiſſum, ex quo filia, quoad connubium ex noſtris legibus, Senatoris filia eſſe deſinat, ſiue cui aptari poſſit ratio, & reſponſum Pauli *in l. vltim. D. de pœnis.* Quin potiùs nec libertina eſt Senatoris filia, quia libertini iniuſtas nuptias ſequuta; non enim ſequitur mulier viri ius originis, conditioneſve, niſi per legitimas nuptias. *l. de iure* 37. §. *vltim. l. Ea, quæ* 32. *D. ad municip. l.* 5. *D. de ritu nupt. l. vlt. Cod. de Incolis lib.* 10. Quocirca ex noſtris legibus, & earum æſtimatione, eſt omnino diuerſa hæc theſis ab illa *dict. l.* 47. quę eſt de Senatoris filia Senatorio honore indigna, &, ob fœditatem ſuam, alij non nubili, quàm libertino, cui, & ideo nubere impunè eſt, vt nubat potiùs, quàm meretricetur; cùm è contra apud Papinianum Senatoris filia, etiam poſt libertini iniuſtas nuptias, non ſit libertina, ſed nubilis ingenuo, aut Senatorio, & proinde nihil ſit, cur tamquam ſummè probroſa, & alij non nubilis, fiat iuſta vxor libertino, etiam poſt patris remotionem à Senatu. *dict. l.* 34. §. *vlt.*

Enim verò ex tot iam huc vſque obſervatis, facile explicatu eſt primum, cur Senatoris filia, libertino nupta, etiam poſt remotionem patris à Senatu, non fiat vxor iuſta libertino, apud Papinianum *in dict. l.* 34. §. *vlt. & d. l.* 9. & è contrario apud Vlpianum libertina nupta Senatori, ſi ille poſtea Senatoria dignitate moueatur, ſiue excidat, eſſe vxor incipiat. *dict. l. Si quis in Senatorio* 27. *D. de ritu nupt.* nimirum quia filia Senatoris, per nuptias cum libertino, non deſijt eſſe ingenua; & Senatoria. *dict. l. de iure* 37. §. *vltim. Dig. ad municip.* & proinde eſt adhuc nubilis ingenuo, & Senatorio, cui & vt nubat, conſequens magis eſt, & conſentaneum decori eiuſdem, & prouidentię, ac fini legum Iuliæ, & Papię, quàm vt per caſum patris fiat vxor libertino. *dict. l.* 34. §. *vltim.* At Senator amiſſa Senatoria dignitate 9

ſiue ordine motus (exaudiuntur enim hæc pro eodem. *l. Emancipatum 7. verſ. Si quis conceptus, D. de Senator. l. 2. §. Sed ſi pater 3. D. de Decurion.* quomodò qui apud Papinianum caſus, ſcilicet dignitatis Senatoriæ amiſſæ, dicitur in princip. *dict. l. 34. §. vltim.* poſtea apud eumdem, & eodem reſponſo vocatur crimen, & caſus patris, remoti à Senatu, *dict. §. vltim. dict. l. Filiam*) non eſt deinceps Senator. *dict. l. Emancipatum 7. l. penult. §. Minuitur, D. de extraord. cogn. l. Ordine 15. D. ad municip. §. Quibus 5. Inſtit. de capit. min.* ſed plebeius, & dumtaxat ingenuus. *dict. l. 2. §. Sed ſi pater 3. & §. Præterea 6. D. de Decurion. l. Diuo 11. Cod. de quæſt. l. Moris 9. §. Planè 15. D. de pœnis. l. Infamia 8. Cod. de Decurion.* excepto caſu, effectuque *l. vlt. D. de Decurion.* Qua propter & eidem legi Papiæ congruenter dicitur, vt quamuis libertina huic, quamdiu Senator fuit, non fuerit vxor, incipiat tamen eſſe vxor, poſtquam Senator deſit, & ingenuus dumtaxat eſt, cui Papia lex, libertinam vxorem ducere, & multò magis retinere, ſiue habere iam ductam, permittit. *dict. l. Si quis in Senatoris 27.* iuncta *d. l. Lege 23. D. de ritu nupt.*

10 Secundum, propoſito proximum, & explicatu itidem iam facile eſt, cur apud Papinianum *in dict. l. 34. §. vltim.* Senatoris filia poſt patris remotionem à Senatu, non fiat vxor, nuptiæve illius cum libertino non conualeſcant, tamquam ſublato iam impedimento nuptiarum, per amiſsionem dignitatis patris Senatoris, vt apud Vlpianum *in dict. l. Si quis in Senatorio 27.* & iuxta exempla, rationemque aliarum nuptiarum, ſublato impedimento ſimili, conualeſcentium. *l. Eos qui 65. §. 1. D. de ritu nupt. l. Etſi contra 6. Cod. de nuptijs.* At reſpondendum, apud Vlpianum *in dict. l. 27.* vt libertina incipiat eſſe iuſta vxor ei, qui iam Senator non eſt, ceſſaſſe impedimentum dignitatis Senatoriæ, amiſſa ab eo dignitate, ſuo facto, ſiue admiſſo, ideoque & nuptias convaleſcere, exinde in poſterum, ſicut convaleſcunt ceſſante impedimento Præfecti, tutoris, filij familias, aut minoris in his, qui iam tales non ſunt. *dict. l. Eos, qui 65. §. 1. l. Minorem 4. D. de ritu nupt. dict. l. Etſi contra 6. cum l. 5. Cod. de nupt. l. Dotis 68. D. de iure dot. l. Filius 28. §. Si quis eo 3. D. de lib. & poſthum. l. Si vxor 13. §. Si quis vxorem 6. in fine. & §. Si minor 8. D. ad leg. Iul. de adult.* non idem eſt apud Papinianum *in dict. l. 34. §. vltim.* in filia Senatoris, quę Senatoria eſſe non deſijt, nec ob attentatas, & iniuſtas nuptias cum libertino, vt iam expoſuimus, & Papinianus pro explorato habuit, ſuppoſuitque, nec per remotionem patris à Senatu, quia decus, ſiue dignitas filiæ Senatoris, quæſita ei, ex quo ſemel patrem Senatorem habuit, non eſt eidem auferenda ſine ſuo facto, aut flagitio, propter caſum, crimenve patris, remoti à Senatu, quomodò & explananda, & vt huic, veluti occurrenti *ex dict. l. 27.* obiectioni reſpondeat, applicanda eſt Papiniani ratio *in dict. l. 34. §. vltim. dict. l. Filiam 9. D. de Senator.* iunctis, & conſpirantibus in eumdem ſenſum. *l. 2. §. Sed ſi pater 3. cum ſeqq. l. Spurij 6. D. de Decurion. l. Moris 9. §. Planè 15. D. de pœnis. l. Emancipatum 7. §. vltim. & §. 1. verſ. Si quis conceptus, D. de Senator. l. Adoptiuum 8. §. vltim. D. de in ius voc. l. Diui 17. in princip. & §. 1. D. de iure patron. l. 3. D. de interd. & releg. l. vltim. Cod. de liber. cauſa. l. 2. verſ. Quoniam, Cod. de libertis, & eor. liber. l. vni-*

vni-

vnica, illic: *Soboli parcimus, ne deſunctorum parentum vitijs prægrauetur. Cod. Theodoſ. de mulieribus, quæ ſe ſeruis*; ſiue, vt in ſimili Caſsiodor. 2. *variar. epiſtol.* 11. *ne nouo infelicitatis euentu, fiat dedecus proprium, ſcelus alienum*: ſimul cum regula notiſsimæ *l. Crimen* 26. *Dig. de pænis*, itemque *l. Si poſt mortem* 10. §. *vlt. verſ. Cum enim, D. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* ſcitè ergo Papinianus non fieri filiam Senatoris *in dict. l.* 34. §. *vltim.* vxorem libertini, neque conualeſcere nuptias, per remotionem patris à Senatu, quia nec per eam aufertur filiæ decus filiæ Senatoriæ, & conſequenter neque impedimentum nuptiarum.

11 Tertium, poſtremumque expenſum contra Papinianum ſupra, & breuiter iam expediendum, cur nempe filia, libertino nupta, non amiſerit, vel ante caſum patris, decus filiæ Senatoriæ, cum ſi plebeio nupta eſſet, aut alij inferioris dignitatis, quàm Senatoriæ (ſiue vt ſeptem partita lex noſtra loquitur 7. *tit.* 2. *part.* 4. *Con otro de menor guiſa.*) deſineret eo ipſo, eſſe Senatoria. *l. Fæminæ* 8. iuncta *l. Liberos* 10. *l. vltim. D. de Senatorib. l. Filij* 22. §. 1. *D. ad municip. l. Cum te* 10. *Cod. de nupt. l.* 1. *& l. Mulieres* 13. *Cod. de dignit.* ſed ex traditis conſpicua eſt ratio, quam ab Accurſio ſubindicatam *in dict. l. Filiam* 9. *verbo, Facit*; pluribus poſt alios Corraſius exprimit, ſcilicet, quoniam filiæ Senatoris libertinum ſecutæ, non ſunt nuptiæ, idcircòque per eas nec in familiam libertini tranſit, nec deſinit eſſe in Senatoria. *dict. l. de iure* 37. §. *vltim. l. Ea, quæ* 32. *D. ad municip. dict. l. Fæminæ* 8. Diuerſoſum, ſi non libertino, ſed plebeio nupſerit, vel inferioris dignitatis, quàm Senatoriæ, ſeu clariſsimæ, quia inter Senatorios, & plebeios iam olim ante Iuliam, Papiamque leges, fuerunt iuſtę, & probatæ nuptiæ Canuleio plebis ſcito, de quo Liuius *in* 4. & Florus *cap.* 25. vtpote cum plebeiæ familiæ pleræque fuerint, non tantùm libertinis digniores, ſed & ſuo gradu nobiles, & iure imaginum, honoremque decoratæ. *l. vnic.* §. *Hodieque, D. de offic. Quæſtor.* Liuius *lib.* 22. *& alij alibi paſsim*; cuiuſmodi Equites ſunt, Auſonio *in Cleobulo, Orcheſtræ proximi. l. vnica, Cod. de equeſtri dignit. lib.* 12. iuncta *l. Plebs* 238. *D. de verbor. ſignific.* ſicut Licinius ille, Fabiæ patritiæ maritus, & quidem *Illuſtris*, quamquàm *plebeius*, ait Liuius *lib.* 6. Quocirca & Senatoria, plebeio nupta, tranſit in mariti ordinem, & deſinit eſſe in Senatorio, ſeu clariſsimo. *dict. l. Fæminæ* 8. *& l. vltim. D. de Senator. l. Cum te* 10. *Cod. de nupt. l. Filij* 22. §. 1. *D. ad municip. l.* 1. *& l. Mulieres* 13. *Cod. de dignitat.* ſignamus hæc leui animadverſione in Gutherij criticam leuem, an muſteam, dum *lib.* 2. *cap.* 7. *de iure Pontific. in l. Oratione* 16. *Digeſt. de ritu nuptiar.* audacter legit de Senatoris filia, *Libertino enupſiſſet*, vt ea voce, diſtincta à *nupſiſſet*, gentis, ſeu familiæ mutatio, & in libertinam per nuptias translatio ſignificetur, quod in Senatoria, quæ libertino nupſit, falſum omnino, quamvis ſi plebeio nupſiſſet, propriè diceretur, vt iam diſtinximus.

CA-

CAPVT XXXV.

AD LEG. SI SENATORI 31. EX LIBRO 6. VLPIANI ad Iuliam, & Papiam, D. de ritu nupt. l. Imperialis 23. Cod. de nuptijs.

ARGVMENTVM.

SEnatori libertina erit iuſta vxor, ſi Princeps permittat, ſeu diſpenſet. Eius diſpenſationis in Cæſaribus Romanis, quoad nuptias prohibitas, teſtimonia, & vſus. Non item vt Senatoria fœmina fiat iuſta vxor libertino, in quo non diſpenſandi ratio. At diſpenſatum rurſus, & indultum, quamvis perrarò, vt Conſularis vidua nubat inferioris gradus viro, retenta Conſularis fœminæ dignitate. Illuſtratur *lex vlt. D. de Senatorib.* Iam & deinceps *ad l. 23. Cod. de nupt.* paraphraſticæ enarrationes. In eis libata curſim aliqua de teſtamenti factione meretricum, & ſcenicarum. Et de eiſdem dignitate donatis, ac de earumdem pœnitentium filiabus: dein perpenſæ dubitandi rationes contra permiſsionem connubij ſcenicæ reſipiſcentis, cum Senatorijs, & quidem tam ex Iure Romano, quàm ſacro Hebręorum. Decidendi in contrarium cauſæ ductæ ex benignitate Eccleſiæ, & Chriſtianorum Cæſarum erga ſcenicas pœnitentes. Sed an cauſę illæ ſatis, vt eis permitterentur nuptiæ Senatoriæ, diſcuſſum, & propendetur, vt non ſatisfuerint ex diſciplina Eccleſiæ Canonum, & Romanæ Nomotheſię. Iam quoad *dict. l. 23.* aſſerta ea Iuſtino Cęſari, impulſore Iuſtiniano, pro excuſanda indignitate coniugij ſui cum Theodora ſcenica. Atque eatenus credi, poſſe, Procopio in anecdotis, de queis in vniuerſum ſeria, ſeuera, &, vt cenſemus, iuſta cenſura.

1 FVit & alia vetus exceptio regulæ prohibitarum nuptiarum Senatorijs cum libertinis, teſtata Vlpiano *lib. 6. ad leges Iuliam, & Papiam in l. Si Senatori 31. Dig. de ritu nupt.* illis verbis: *Si Senatori indulgentia Principis fuerit permiſſum, libertinam iuſtam vxorem habere, poteſt iuſta vxor eſſe.* Exceptionis ratio expedita vel ex eo, quia cum Romanæ legis, Iulię, & Papiæ, auctoritate prohibitio hæc nitatur, *dict. l. Lege 44. & l. Lege 23. Dig. de ritu nupt.* ſubdita etiam eſt Romani Principis indulgentiæ, &, vt loquimur, diſpenſationi, qui non ſolùm ſolutus eſt eiſdem legibus Iulia, & Papia. *l. Princeps 31. D. de legibus. l. Quod Principi 56. cum l. ſeq. D. de legat. 2.* ſed & ſupra eaſdem Iuliam, Papiamque eſt, tam vt deroget *l. vnic. in princ. verſic. Et quemadmodùm, Cod. de caduc. tollend. l. Sancimus 27. cum l. ſequenti Cod. de nuptijs*; quàm vt diſpenſet, indulgeat, ſolvatque iuga ipſarum ſingulatim, vel in commune. *l. 1. & 2. Cod. de infirm. pœnis cœlib. l. 1. Cod. de iure libert.* quoniam, vt de Imperatoribus in hoc ipſo veniæ prohibitarum alioquin nuptiarum argumento, ſcriptum eſt *in Nouella Leonis 105. Licitum eſt, vt quibus Deus vniuerſi terrarum orbis, tamquam familiæ cuiuſdam adminiſtrationem demandauit, hi ſecus quàm lex, quæ ſubditos deuincit, præſcribat, familias cogant.*

Cuius auctoritatis in Principibus Romanis, ſcilicet diſpenſandi in nuptijs prohibitis ſolo Romano iure, extant documenta conſpicua *in l. Solet 10. D. de his, qui notant. infam. l. penult. Cod. de interd. matrim. inter tut. l. 1. Cod. ſi nuptiæ ex reſcript. pet.* 2

&

& quoad Senatoris cum libertina coniugium, in peculiari, & ad vetus hoc ius reſpiciente Conſtantini Sanctione (de qua & ſuo loco) *in l.* 1. illic: *Aut noſtri prærogatiua Reſcripti. Cod. de naturalib. lib.* & quod vlterius eſt, diſpenſandi, vel in nuptijs, alioquin illicitis, impedimēto ſanguinis. *l. Celebrandis* 19. *Cod. de nupt.* iuncta *l. vltim. Cod. de inceſt. nupt. l.* 2. *Cod. ſi nuptiæ ex reſcript. pet.* & huc itidem referendis *l. Qui in Prouincia* 57. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Si adulterium* 38. §. *Fratres* 4. *&* §. *ijdem Pollioni* 6. *D. ad leg. Iul. de adulter.* cum ſcitiſsimis Caſsiodori locis *lib.* 7. *form.* 40. *&* 46. At de his, & ſimilibus, ſimulque quando, & quatenus in re connubiali, Romani Cæſares, tamquam Pontifices Maximi, iura dederint, diſſeremus, fundatè magis & fusè, poſtremo ad leges noſtras excurſu, de auctoritate politica in matrimonijs.

3 Illud hìc ſaltem, & ſignatè ad Vlpianum *in dict. l. Si Senatori* 31. notamus, tractari ab eo theſin de indulgentia Principis pro connubio Senatoris cum libertina, ſiue, vt hæc fiat iuſta vxor Senatori; non item è contrario, & de indulgentia pro connubio Senatoriæ fœminę cum libertino: idque taxatim, neque inconſultò. Quippe vt Senatori libertina eſſet vxor, quamvis obſtarent Iulia, & Papia leges, neque infrequens omnino fuit, neque probroſum adeo, vt non aliquando ſit viſum, permiſſumque, vt innuit declamator ille apud Senecām *lib.* 7. *controuerſ.* 6. tametſi Marco Antonio exprobratum *à Cicerone Philip.* 2. At, vt Senatoria fœmina fiat iuſta vxor libertini, impermiſſum, improbatumque ſemper, ante, & poſt Iuliam, Papiamque leges, ac vel poſt Iuſtinianum, ex ratione illa iuſtopolitica, ſtrictioris, ſeuerioriſque honeſtatis in coniugijs, exigendæ à nobilibus fœminis, quàm à viris; de qua toties, tam multaque ad caput de ingenuorum connubio cum libertinis *lib.* 3. *cap.* 4. & nuper *cap.* 34. vti & exemplum dedimus, rei appoſitum, de Senatore libertinam habente, cui dignitate amiſſa, fit ea iuſta vxor, quæ ante non erat; ex Vlpiano *in l. Si quis in Senatorio* 27. *D. de ritu nupt.* & è contra de Senatoris filia, libertinum ſequuta, quæ ei non fit vxor, etiamſi pater Senator deſinat; ex Papiniano *in l. Filiam* 9. *Digeſt. de Senatorib. l. Generali* 34. §. *vltim. D. de ritu nupt.* cui non diſsimile illud, quod eodem capite expendimus de permiſsis patrono ingenuo cuiuis, non Senatorio, nuptijs cum liberta ſua. *l. Vxorem* 15. *Cod. de nupt. l. Si rogatus* 20. §. *Matrimonij, Digeſt. de manumiſſ. vind.* & ex adverſo abſciſè inhibitis, coercitiſque patronæ cum liberto. *l.* 3. *Cod. de nuptijs. l. Libertum* 64. *Digeſt. de ritu nupt.* Paulus *lib.* 2. *ſentent. tit.* 19. §. *vlt.*

Addimus, illuſtrandæ magis huic notæ, aliam ex eodem Vlpiano *in l. vltim. D. de Senatorib.* dum ſcribit, nuptas priùs Conſulari viſo, ſi iterum minoris dignitatis viro nupſerint, quo facto, & iure excidunt dignitate prioris coniugij, deſinuntque eſſe Conſulares. *l.* 1. *& l. Mulieres* 13. *Cod. de dignit. lib.* 12. *l. Cum te* 10. *Cod. de nupt. l. Filij* 22. §. *Viduæ, D. ad municip. l. Fœminæ* 8. *D. de Senatorib.* tamen vt nihilominùs in Conſulari dignitate maneant (ad exemplum indulti ab Antonino Caracalla, Iuliæ Mammeæ conſobrinę ſuæ, & Alexandri Seueri matri) ſolitas impetrare id à Principe, *quamvis perrarò*, ait exertè Vlpianus, & quidē eo forſan intuitu; quia nuptię Conſularis, aut patritiæ fœminæ cum 4

R 5 in-

inferioris ordinis viro, veluti cum Romano Equite, aut plebeio alioquin nobili, vtcumque non prohibitæ, ſed permiſſæ, iuſtæque eſſent poſt Canuleiam, & ante, ac poſt Iuliam, Papiamque leges, vt prænotauimus *hoc lib. cap. 1. & alibi*, tamen nunquam caruere cenſura flaceſcentis matronalis patritiæ dignitatis in fœmina eius ordinis, denubente inferiori viro, fueruntque Ciuitati hæ nuptiæ *inter partes mœroris*, vt de Iulia illa, denupta Rubellio Blando, Romani Equitis nepoti, edixit Tacitus 6. *Annal.* ſaltemque habitæ impares, & indecoræ, & proinde patritia eas iniens vix digna, vt à Principe impetret retentionem Patritiatus, *niſi perrarò. dict. l. vlt. Dig. de Senatoribus.*

5 Sit iam ſequela veluti, & acceſſio Vlpiani ſententiæ *in dict. l. Si Senatori* 31. *D. de ritu nupt.* noua, notaque conſtitutio *l. Imperialis* 23. *C. de nupt.* cuius prolixiori contextui non commentarium, ſed recitationem paraphraſticam iungimus, ſeu ſummam Capitum. Primum eſt in §. 1. licere ſcenicis mulieribus, deſerta ſcena reſipiſcentib⁹, nubere qualicumque Illuſtri dignitate, vel dumtaxat ingenuo natalibus, vt expoſuimus *lib.* 3. & reſtitui famæ, dotalibus tamen inſtrumentis confectis, & reſcripto Principis impetrato. Cui tamen conſtituto, quoad requiſitum inſtrumentorum dotalium in nuptijs eorum, qui non ſunt ex illuſtribus, ſiue maiori dignitate decoratis, fuit poſtea derogatum à Iuſtiniano in *Nouella* 117. *vt liceat matri cap.* 6. *in fine.* iuncta *Nouella* 89. *quib. mod. natur. cap.* 1. §. 1.

6 Secundum eſt *in* §. *Sed &* 2. filios ex eiuſmodi nuptijs cum ea, quæ ſcenica fuit, ſuſceptos, eſſe ſuos, legitimoſque patri, eique cum alijs ex priore matrimonio legitimis, ſuccedere, correcta hoc capite, & in hoc caſu, Conſtantini *conſtitutione in l.* 1. *in princip. Cod. de naturalib. lib.*

Tertium *in* §. *Sed etſi tales* 3. eaſdem ſcenicas, reſcripto ſemel reſtitutas, etiamſi deinde non nubant, permanere adhuc integras famæ, & cum teſtamenti factione, tam vt eis ſuccedatur, quàm vt ipſæ ſuccedant ex teſtamento, vel ab inteſtato: in eoque vel tacitè detrahitur, ac veluti derogatur legi Conſtantinianæ, quæ ſcenicas, ac ſimiles fœminas fecerat impotes dati, ſeu commendati ab Illuſtribus, quorum nuptias affectaſſent. *dict. l.* 1. §. 1. *Cod. de naturalib. lib.* vel reſpicitur ſimul ad vetera conſtituta, quibus ſuccedendi, aut capiendi ex teſtamento ius, in meretricibus, ac proinde in ſcenicis deminutum, reſtrictumque ex parte, certiſque caſibus, *l.* 3. *D. ſi à parente quis ſuer. manum. l. Si filiam* 19. *Cod. de inoffic. teſtam. l. Miles* 41. §. *Mulier* 1. *D. de teſtam. mil.* Suetonius *in Domitiano cap.* 8. Dio Caſsius *lib.* 57. & 58. dum tamen è contrario memor ſis, ſcenicas, meretriceſque non fuiſſe iure priſco Romano incapaces omnino neque teſtandi. *l. Sed & qui* 5. *D. ad S. C. Trebell.* neque capiendi ab inteſtato, *l.* 2. §. *Si mulier* 4. *D. ad S. C. Tertyll.* neque ex teſtamento capiendi *l. Cum tabulis* 16. §. *Quoniam, D. de his, quæ vt indign.* Hieronym. *epiſtol.* 83. *ad Nepotian.* ex quo, & alijs hęc obſeruauimus *lib.* 3. 7

Quartum deinde caput eiuſdem *l. Imperialis* 23. §. *Similes* 4. eſt, ſimiles illis, quæ Imperiale reſcriptum promeritæ, futuras ſcenicas, quæ dignitatem aliquam conſecutæ ſunt, etiã ſine libello ſupplici apud Principem, ſed vltronea illius (& vt hodiè loquimur, *motu proprio*) donatione digni- 8

ta-

tatis ante matrimonium, quomodò rectè Accurſius exaudit *in dict. §. Similes*, quippe ea dignitate, perinde ac reſcripto, reſtitui fœminas famæ, & connubio, alioquin eiſdem prohibito. Exemplum damus, capiti huic illuſtrando, ex Vlpiano *in l. Etiam* 4. *D. de iure aur. annul.* & compar, ſeu coæuum magis ex eodem Iuſtiniano *in Nouella* 18. *de triente, & ſemiſſe cap. vlt.* queis traditur, libertinam, iure aureorum annulorum impetrato, vt *in dict. l.* 4. vel etiam ancillam, quam dominus pro concubina, & ex ea filios habuit, ſi manumiſſa poſtea ſit, & ius aureorum annulorum impetrauerit (quod quid aliud eſt, niſi dignitas equeſtris ordinis, honore ingenuitatis? *l. vnic. Cod. ad leg. Viſell. l. 2. Cod. de iure aur. annul. l. Falſa* 33. §. 1. *D. de cond. & demonſtr.* Plinius *lib.* 33. *natur. hiſtor. cap.* 1. & 2. alijque alibi laudati, & noti) fieri, tamquam ingenuam, iuſti, & alioquin prohibiti connubij compotem, filioſque iuſtos: ſicut ſi ius ſtolæ ab Imperatore impetraſſet, vt Hieronymus ſcripſit, loco ad rem gemello, *epiſt. ad Oceanum* 83. de quo & alijs plura iam ſupra *hoc libro*. Nec diſsimilis ad rem ſenſus, *Canonis* 38. *Concil. Triburienſis* ſub Formoſo I. illic: *Ancillam per manumiſsionem, & Regalem largitionem liberam factam, legitimè in matrimonium duxerit.* Ad quem tamen, & alia Nos *lib.* 3. & ad caput ingenuorum connubij cum libertinis.

9 Quintum eſt *in §. His illud* 5. ſcenicarum filias, natas poſt matrum reſipiſcentiam, non arceri à connubio, ſcenicarum filiabus inhibito, *legibus noſtris*, ſcilicet Iulia, & Papia, itemque Conſtantini, & Valentiniani *l. 1. Cod. de naturalib. lib. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* iunctis, pro decidendi ad Iuſtinianum ratione, *l. 2. verſ. Filijs, Cod. de libert. & eor. lib. l. vltim. Cod. de liber. cauſa. l. 2. §. Sed ſi pater* 3. *cum ſeqq. D. de Decurion. l. Moris* 9. *§. Planè, D. de pœnis. l. Emancipatum* 7. *§. 1. D. de Senatorib.* (quantumvis in hoc ipſo ſeueriorem fuiſſe cenſuram veterum legum, & apprehendiſſe etiam filias ſcenicorum, qui ante, aut poſt eas natas reſipuiſſent, & ſcenici eſſe deſijſſent, licet colligere ex *l. Paulàm* 43. *§. Non ſolùm* 4. *l. Lege* 44. *§. An & is* 4. *cum §. ſeq.* vbi & prænotauimus ſupra, *D. de ritu nupt.*) rurſuſque *in dict. l.* 23. *§. His illud* 4. natas ante reſipiſcentiam, & ex matre tunc ſcenica, poſſe libello ſupplici integrari à Principe, famę & connubio, ineũdo tamen cum dotalibus inſtrumentis. *dict. §. His illud* 4. cui proximum eſt, & ſubſequitur Sextum *in §. Sed ſi à ſcenica* 6. nempe natas non tantum ſcenica tum matre; ſed & quæ ſcenica vſque ad mortem fuit, poſſe, ea mortua, à Principe impetrare veniam famæ, & nuptiarum; alioquin eis prohibitarum prioribus *legibus*, de queis nuper.

Septimum iam, poſtremumque 10 adijcitur *in §. Imò etiam* 7. *dict. l.* 23. nuptias cum ingenua muliere, exceptis inceſtis, nefarijs, aut alioquin illicitis, & exceptis nuptijs cum ſcenicis, quando & quatenus permittuntur ea *l.* 23. valituras exinde, etiam ſine dotalibus inſtrumentis, & ſine diſtinctione honeſtatis perſonarum, remoto priſco, quod ſupponebatur, iure de matrimonio inter impares non contrahendo, niſi cum inſtrumentis dotalibus: de quo tamen, & nouo, ac priſco iure, quia & excedit huius paraphraſis, & *d. l.* 23. quæ de ſcenicis, & proſcenicis lata, terminos, dicemus propriè magis, & ſigillatim ad *l. à Caligato* 21. *Cod. de nupt. infra.*

Concluditur *in dict. l.* 23. eiuſque extrema cautio, & clauſula eſt 11

in

in §. *His illud* 8. pertinere eam conſtitutionem ad præteritas nuptias ab initio illius Imperij cum ſcenicis initas, eaſque inde cenſendas, & firmandas, ſimulque vxorum, & filiorum iuſta iura: quod vtique, niſi nominatim caueretur, contra eſſet. *l. Etſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. Eos, qui* 65. §. 1. *l. Qui in Prouincia* 57. §. 1. *D. de ritu nupt.* iuncta regula *l. Leges* 7. *Cod. de legib.*

12 Succedunt paraphraſi *dict. l.* 23. dubitandi, ac decidendi rationes ad id conſtitutum, quæ neque excedent breuitatem paraphraſis. Dubitandi ea aperta, quia connubij prohibitio cum ſcenicis, ſiue ludicris, ex noſtris legibus, non fuit tantùm cum his, quæ nunc ludicræ, ſed cum his etiam, quæ fuerunt, ſiue quæ artem ludicram faciunt, fecerint. *l. Lege* 44. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.* iunctis Vlpiano *tit.* 13. *l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. lib. l. Marito* 24. *D. ad leg. Iul. de adulter. l.* 3. §. *Lege*, *D. de teſtib.* ſicut & cum his, quæ palàm corpore quæſtum faciunt, fecerint, ex eodem Vlpiano *in l. Palàm* 43. §. *Non ſolùm* 4. *D. de ritu nupt.* & quidem hæ, quæ fecerint, etiamſi facere deſierint; *neque enim aboletur turpitudo, quæ poſtea intermiſſa eſt. dict.* §. *Non ſolùm* 4. cuius ratione adiunximus plura recoquenda *lib.* 3. nunc autem pro dubitatione ad Iuſtinianum, ſatis ſit, addidiſſe, famoſas, ſeu probroſas fœminas, etiamſi pœnituerit, ideoque, & meritò *ignominiæ eximantur, propter propoſitum mutatum in melius; laudanda eſt enim nequitiæ pœnitentia*: nec vetētur nubere alijs. *cap. Scenicis* 96. *de conſecrat. diſtinct.* 2. *cap. Inter opera* 20. *de ſponſalib.* tamen vetari ſaltem debuiſſe, ne à ſcena, aut lupanari migrarent ad Senatorios thoros, quomodò hæc, & alia facundè Philo Hebræus de vetito cum eiuſmodi fœminis coniugio Sacerdotibus Hebræis *lib.* 2. *de Monarchia*; nec diſsimili ſenſu Tharaſius *epiſtola ad Ioannem Presbyterum* inſerta *Synodo ſeptimæ, ſeu Nicenæ* 2. ac vel inter ethnicos Tacitus *de Germanis*: *Publicatæ pudicitiæ nulla venia; non forma, non ætate, non opibus maritum inuenerit.*

Fuerunt tamen, vel prætexuntur pro decidendi rationibus *in dict. l. Imperialis* 23. tres vel potiſsimæ. Prima, Imperialis beneuolentiæ cura erga ſubditos lapſos, cuiuſmodi ſcenicæ iſtæ ſunt, ſubleuandos, & meliorandos, *dict. l.* 23. *in princip.* Secunda, diuinæ clementiæ imitatio, in ignoſcendo peccatoribus pœnitentibus. *dict. l.* 23. *in princip. verſ. Nam ita.* Tertia, exemplum natalium reſtitutionis in libertis, quod ſcenicis reſipiſcentibus applicabile, *dict. l.* 23. §. 1. 13

Enim verò, vt iam à recenſendo ad cenſendum de eiſdem rationibus, agnoſcimus eas, quæ pro decidendo expenduntur *in dict. l.* 23. præualuiſſe meritò, vt ſcenicæ reſipiſcentes, ſiue quæ ſcenicæ eſſe deſierunt, reſtituantur Imperiali reſcripto famæ, & connubio, vel cum ingenuis, contra præteritas leges illas noſtras, de queis Vlpianus *in dict.* §. *Non ſolùm* 4. *& dict. tit.* 13. *cum ſupra laudatis.* Sic enim & ſancta vetus Eccleſia ſcenicas, aut meretrices, quę pœniterent, & ſcenā, ac meretricium eiurarent, admittebant ad baptiſmum, & nuptias, vt ex Illiberitano *Canone* 44. *&* 62. & Africano *Can.* 12. quin apud Gratianum *in cap. Scenicis* 96. *de conſecrat. diſtinct.* 2. *& cap. de his* 12. 33. *quæſt.* 2. ſimulque ex Auguſtino *libro de Fide, & operibus cap.* 21. *& de octo Dulcitij quæſtionibus.* Sic item, & ante Iuſtinianum, Chriſtiani Cæſares, præeuntibus Eccleſiæ Concilijs, ſcenicos ad baptiſmum admiſſos, tametſi ante ſceni- 14

ni-

nicos ad baptiſmum admiſſos, tametſi antea ſcenæ deditos, addictoſque, eadem liberabant. *l. 1. & l. 4. l. Scenæ 8. cum l. ſequ. Cod. Theodoſ. de ſcenic.* (ad quas doctè alia Gothofredus) iuncto *Canone* 30. Concilij Africani ſub Bonifacio, & Cœleſtino, quibus ſucceſſere conſonantes Iuſtinianicæ leges, *vltima Cod. de nupt. & 33. Cod. de Epiſcop. aud. & Nouella 51. ſcenicas non ſolùm, cap. 1.* ſic denique ſolo reſipiſcentiæ, & emendatioris vitæ intuitu, & ante Iuſtinianum ſcenicæ, fiebant expertes, ſcenici miniſterij, reſcripto Cæſarum, vt *in dict. l. 4. in fine*, repetita in *l. Quæcumque 9. in fine, Cod. Theodoſ. de ſcenic.*

15 Atque eò vſque laudabiliter, nec ſine exemplo *in dict. l. 23.* Atqui in eadem tranſitus fit, vt non modò ad famam, nuptiaſque cum ingenuis, alioquin prohibitas, reſtituantur ſcenicæ reſipiſcentes, ſed etiam vt nubant illuſtribus, qualicumque dignitate, & gradu, cum dotalibus inſtrumentis, ſi ex animi ſententia, & quidem libero, & politico ſenſu æſtimes, vtcumque eam apologeticè tueri, aut excuſare, conetur, Gabriel Triuortius pro Iuſtiniano *cap. 11. num. 3. & 4.* fuit planè ſine exemplo, nec dumtaxat contra Romanas noſtras leges, quas ſecutus Conſtantinus *honeſti amantiſſimus, & morum ſanctiſſimus cenſor, ſcenicarum mulierum fæce geniales Senatoris thoros contaminari prohibuerat*; vt de eo ſcriptum eſt in *Nouella* Martiani 4. *de matrimon. Senat.* iuncta *l. 1. Cod. de natur. liber. l. Humilem 7. Cod. de inceſt. nupt.* Sed etiam præter ipſam Eccleſiæ ſanctæ politiam, diſciplinamque, quæ quamvis ſcenicas pœnitentes, & eiuratas admittebat ad baptiſmum, & nuptias, non tamen ad eaſdem nubendas, retinendaſve cum Clericis, vt addiſcere, licet, *ex Can. 18. Apoſtolorum*, qui apud Gratianum *in cap. Si quis viduam 15.* iuncto *cap. Si cuius 11. cum ſeq. 34. diſtinct. cap. Maritum 2. 33. diſtinct.* & Toletano 4. *ſub Siſenando Can. 43.* (de queis iunge, quæ ſcripſimus infra *lib. 3.*) neque vtcumque converſas, continenteſque ſcenicas, referebat inter Diaconiſſas, de quo eſt inſignis atteſtatio Taraſij, ſupra pro dubitando allata; ſicut neque ſcenicos ipſos, quantumvis reſipuiſſent, inter ſacros Miniſtros, vt Innocentius Primus ſcripſit *epiſtol. 24. ad Patres Toletanos cap. 1. & 2.* Idque ex ea honeſtiſsima Philonis iam laudati cenſura, quia vtcumque reſipuerint; idcircoque reſtitui ad famam, & nuptias famæ non incongruas; ſit Imperialis prouidentiæ, & pietatis, vt oſtenditur in *dict. l. 23.* indignum tamen è ſcena migrare ad Senatorios thoros, cum maneant, vt itidem Philo expreſsit, *vel in animis pœnitentium cicatrices quædam, & veſtigia nequitiæ priſtinæ.* Et vt ex Claudio *in eius vita* Suetonius *cap. 16. extet ſaltem litura.* Nec comparabilis ex æquo ſit, ſed vt contenditur *in dict. l. 23.* fauorabilior natalium reſtitutio in libertis, vtpote per quam eluitur macula, naſcendo contracta, ſine libertorum culpa. *l. 2. & vltim. D. de natal. reſtitut.* iuncta *l. Spurij 6. verſ. Non enim, D. de Decur. l. vnic. Cod. Theodoſ. de mulier. quæ ſe ſeruis*, quàm reſtitutio famę in ſcenica, quæ ſub admiſſo famam amiſerat. *l. Senatoris 47. D. de ritu nupt. l. vlt. §. vlt.* illic: *ſuo admiſſo. D. de pœnis.*

16 His ex iuris ratione, & diſciplina præmunitis, ducimur, neque inviti, vt credamus Procopio Cæſarienſi *in anecdotis*, ſiue *arcana*, vt vocant, *hiſtoria*, dum ſcribit, Iuſtinianum, vt cum Theodora planipede

pridem, & ſcenica, nuptias, quas moliebatur, perficeret, auctorem fuiſſe, Iuſtino avunculo, legis ferendæ, quà cum ſcenicis meretricibus nuptię Senatorijs viris permitterentur. Porrò eam legem fuiſſe, quæ extat *in dict. l. Imperialis* 23. inſcriptam Demoſthèni Pręfecto Prætorio, & adſcribēdam Iuſtino maiori (vt agnoſcit, adſcribitque, non agnoſcentibus Cuiacio, & alijs, recens, nec malè notus ſcriptor Antonius Galvanus *de vſufr. cap.* 31. *num.* 9. & ante eum Nicolaus Alemanus *ad Procopij anecdota pag. notar.* 37.) non Iuſtiniano, cuius alia, & diuerſa in eodem Codice conſtitutio eſt, reſcriptum, de quo *in dict. l.* 23. in matrimonio ſcenicæ cum illuſtri, non requirens. *l. vlt. verſ. Licentiam, Cod. de nupt. l.* 33. *Cod. de Epiſcop. aud.* eoque intuitu *dict. l.* 23. ſcenicis ſolis, quarum ex fœce Theodora fuit, non de alijs ignominioſis, & perinde à connubio inhibitis, nominatim indulgeri, prænotatum iam probabiliter Nicolao Alemanno, nupero editori Procopij, cuius locus fere ita habet: *tum is* (Iuſtinianus) *cum Theodora inire nuptias, molitur. Nam cum non liceret Senatoria dignitate præditis viris, meretricem fœminam ducere vxorem* (*quod priſcæ leges prohibebant*) *ille ad ſoluendas eas leges adigit Principem alia, nouaque lege, & exinde Theodoræ matrimonio iungitur, alijſque omnibus aditum aperit ad meretricias nuptias.* Alia de connubiali toto iure à Theodora ad libidinem ſuam redacto, deturpatoque cum ſaltatricibus, & ſcenicis idem Procopius *in eiſdem anecdotis pag.* 77. à quo quoad Iuſtiniani fœdas nuptias cum proſtibula (exerrans tamen in Antoninæ, Beliſarij vxoris pro Theodora, nomine) non valde diſcrepat Aimoinus *lib. 2. hiſt. Francor. cap.* 5.

17 Sanè his, vt indicauimus, ducimur, vt credamus Procopio, quoad editorem, cauſamque edendæ conſtitutionis *d. l.* 23. Namq; extra eam, & quoad alia anecdota eiuſdem libri, ſi de auctore, & illis cenſorem agere, noſtrum nunc eſſet, non diffiteremur, viſam eam ſcriptionem ſemper fuiſſe ſequioris animi, & fidei, cum non modò ſit retractatio publicarū, quas apud Iuſtinianum, ac de eius laudibus habuerat, laudationum, vt Nicephorus notat *lib.* 17. *hiſt. Eccleſ. cap.* 5. & in non paucis palinodia, hiſtorię ipſius viuo, ac lecturo Iuſtiniano oblatæ, atque editæ (quem, ac Theodoram ſimul, ne extra rem exemplum perquiras, *lib.* 1. *de ædific. Iuſtiniani*, meritò laudauit de extructo Regia impenſa, & pietate, *pœnitentiæ*, vt vocabant, monaſterio, atque in id è lupanari redactis mulierculis reſipiſcentibus, *in anecdotis* 16. hoc ipſum in deterius capit, & carpit) & quod vel magis eſt, Beliſarium illum, illum *Decus Romanorum*, vt de eo ex nummo Iuſtiniani Cedrenus, & cuius perpetuus Aſſeſſor in Perſicis, Vandalicis, Gotthicis, nec tam Hiſtoricus, quàm Panœgyriſta, fortitudinis, liberalitatis, iuſtitiæ, continentiæ, aliarumque Beliſarij virtutum, ſimulque perſpicacis, ac viuidi ingenij, fuit Procopius *in Vandalicis lib.* 1. *& in Gotthicis lib.* 3. eumdem ille idem *in anecdotis*, inertem Imperij prædonem, auarum, periurum, ac demum Antoninę vxoris lenonem, belloque, ac pace contemptibilem deſcribit. Quæ ſingula, vt vera eſſent, nunquam tamen effugiet Procopius quin vel *in publica hiſtoria*, atque vltro publicata, Græculus adulandi prudens, vel *in arcana* imprudens, & calumniandi artifex fuerit.

Quamquàm & rurſus, ſi de rebus ad eaſdem narrandis modum, geniumque tranſeas, neque excuſatior in his Procopius, ſiue dum tot indigna, 18

&

& obſcena; & priuata perſonarum ſcelera, non tam poſteritati in documentum, quàm ſeculo, & naturæ ipſi ceſſura in dedecus, commemorat, hærente, & occupato in tot impuris ſtylo, neque, vt debuit, modeſte, & modicè, inſinuaſſe contento, iuxta præceptiones hiſtoricas Ariſtotelis 3. *Rhetor. cap.* 7. Polybij *lib.* 1. *&* 3. & Halicarnaſſ. *lib.* 1. ſiue dum eas ipſas narrationes onerat plauſtris conuiciorum, & vt alibi *de anecdotis*, Cicero 2. *ad Attic. epiſtol.* 6. Theopompina aſperitate, & obtrectatione, quæ non minus auerſanda in hiſtoricis, quam fœda adulatio. At deſinimus, id ſaltem addidiſſe, contenti, & gratulantes nobiſcum, eadem fere de Procopij anecdotis cenſuiſſe eruditum ex Gallia Ariſtarchum, Motam Vayerium 1. *tom. opuſc.* vbi de hiſtoricis, & vbi de Procopio, & ex profeſſo Gabrielem Triuortium *in obſeruat. apologet. pro Iuſtiniano*, *&* *in Procopij anecdota cap.* 26. *&* *ſeqq.* vtrumque, poſt hæc ſcripta, à me viſum.

CAPVT XXXVI.

AD APPENDICES LEGVM IVLIÆ, ET PAPIÆ. ET EX PROFESSO ad Conſtantinum in l. 1. Cod. de natural. liber.

ARGVMENTVM.

POſt Orationem Marci, & Senatus Conſultum fuit ſuccedanea huic capiti Iuliæ legis, *Nobilis lex Conſtantini* 1. *Cod. de natur. lib.* Inſcripta ea ad Gregorium, & quis ille in alijs Conſtantini legibus, & apud Optatum. Subſcripta, ſiue vt ſubſcriptio habet, *Data, ſeu lecta Chartagini*: in quo mendum, niſi ſi referatur ad eum locum, in quem tranſmiſſa, vt legeretur, ſeu publicaretur: vt in alijs Conſtantini legibus, & inter alias *in l.* 16. *Cod. de ſponſalib.* in qua *Facundi* nomen reſtitutum. Conſtantinianæ legis, quam commentamur, ſumma. In illa, pro voce, *Præfectos*, legi oportere, *Perfectiſſimos*. Quinam iſti ſub Conſtantino, & poſtea ex eiuſdem, & aliorum legibus, & illius æui ſcriptoribus. Fuere Senatoribus proximi, aut ſecundi gradu, & dignitate inter eas, quæ codicillis Principes deferuntur. E conuerſo Equites Romæ ſecundi poſt Senatores, ſeu clariſſimatum, inter eos ordines, ex quibus illa Vrbs, ſeu Populus Romanus conſtabat. Sic conciliandæ, & exponendæ *l. vnic. Cod. de equeſtr. Dignitat. libr.* 12. *&* *l.* 1. *Cod.* Theodoſ. *de his, qui ven. ætat.* Ratio ampliandæ Iuliæ prohibitionis ad perfectiſſimos, petita ex eorum dignatione.

1 PRoperat iam ad metam labor hic noſter, & perluſtrato Iuliæ legis capite de maritandis ordinibus, & quæ ad illius verba, aut ſententiam in iuris libris pertinent, commentationibus, & analectis, venimus eò tandem, vt diſquirere, dumtaxat reſtet, quando, & quatenus prohibitio hęc Senatorij connubij cum libertinis, aut ignominioſis permanſerit, vel ampliata, ac retenta ſit, aut deminuta, vel abolita. Seponimus autem ſtatim, quæ ad caput de ingenuorum nuptijs permiſsis cum libertinis, & de prohibitione cum probroſis, ac de veſtigijs, & abrogatione priſci illius iuris, Eccleſiaſticis, & nouioribus ciuilibus legibus, ſcripſimus ex profeſſo *lib.* 3. idque, ne actū, agamus, in his, quæ & transferre huc promptum eſſet. Seponimus item, nec moramur, Orationem Marci, & Senatus Conſultum, quibus ampliata, firmataque prohibitio Iuliæ, Papiæque legum in Senatorijs connubijs, vt *in l. Oratio* 16. *D. de ſponſalibus*, *l.*

Ora-

Oratione 16. *l. Palàm* 43. §. *Senatus, D. de ritu nuptiar. l.* 3. §. 1. *verſ. Ergo, D. de donat. inter.* de queis, quaſi appendicibus legum noſtrarum, affatim ſupra hoc libro.

2 Acceſsit illas poſt, & ſervata in hunc locum appendix alia, & ampliatio ex nobili conſtitutione Conſtantini ad Gregorium, quæ extat in *l.* 1. *Cod. de natural. liber.* lata ea circiter ad extremum Imperij Conſtantini *anno* 336, Nepotiano, & Facundo Conſulibus, & inſcripta ad Gregorium, eaque inſcriptionis ad Gregorium nota inſignitur à Iuſtiniano *in Nouella* 89. *quib. modis naturales, cap.* 15. *& Nouella* 117. *vt liceat matri, cap.* 6. Extant porrò ad Gregorium Conſtantini *leges in Theodoſiano Codice* 2. *de contrah. empt.* & ſub eiſdem Conſulibus Nepotiano, & Facundo. *l.* 3. *de annonis & tributis*, vbi & epigraphe eum Præfectum Prætorio nuncupat. Fuit, vt conijcere licet, ille idem Gregorius Præfectus, quem Donatus, ſchiſmatis, & hæreſeos Donatiſtarum Carthagini caput, & Præſul (à quo ſub Conſtantini extremis annis, & dein ſub Conſtantio, Donatiani, ſeu Donatiſtæ, teſte Hieronymo *de ſcriptoribus Eccleſ. cap.* 104. *& ad Euſebij Chronicon ad annum Conſtantini* 22.) fortaſſe quoniam Conſtantini in Donatiſtas edicta exequebatur, non dubitauit inſolenter laceſſere, vt eſt apud Optatum Afrum *lib.* 3. *de Schiſmat. Donat.* illo loco: *Et de fonte leuitatis ſuæ multa maledicta effudit, non minùs quàm in Gregorium aliquando, ad quem ſic ſcribere, minimè dubitauit; Gregori, macula Senatus, & dedecus Præfectorum, & talia cui; Donato Præfectus patientia Epiſcopali reſcripſit.*

3 Sed & quoad ſubſcriptionem *d. l.* 1. *Cod. de natural. lib.* vbi ſic habet: *Dat.* ſiue vt eſt apud Haloandrū, *Lecta* 12. *Kal. Auguſt. Carthagine.* Obſerves, oportet, (ſi, *Data*, vocem referas ad locum, diemque illius Conſtitutionis ſubſcriptæ, vt ex Romano more, & ſenſu Suidas *in voce* [illegible]) non potuiſſe eam legem dari, aut ſubſcribi Carthagine à Conſtantino, quia Conſtantinus eo anno, & Conſulibus Nepotiano, & Facundo, ac proximè ſecuto anno, qui & ei Imperij, ac vitæ poſtremus, vix exceſsit Conſtantinopolim, & Nicomediam Bithyniæ, vbi & in ſuburbano deceſsit ſub ipſum Pentecoſtes feſtum, & Feliciano, ac Titiano Conſulibus, vt liquet ex Eccleſiæ, & ſeculi faſtis, & ex Conſtitutionib' alijs datis eodē anno, & Conſulibus Conſtantinopoli *d. l.* 2. *de contrah. empt. l. Cum Decuriones* 22. *de Decurionib. l. Eum, qui* 5. *de Iudæis, in Cod. Theodoſ.* ex queis & corrigenda epigraphe *l. Si quis* 4. *C. Theodoſ. de annon. & trib.* & adſcribenda ea lex Conſtantio, non Conſtātino, collata conuincendo mendo *l.* 2. *de diſtrah. pignorib. in eod. Cod.* Quamquàm rectiùs adſcribat eam legem 2. Conſtantino iuniori Iacobus Gothofredus illic *in notis.*

Sed vt ad rem, & iuxta hæc, eſt 4
emendanda itidem ſubſcriptio *dict. l.* 1. *Cod. de natural. lib.* vt pro *Carthagine* legatur *Conſtantinopoli*, vel exaudienda, quod & certius eſt, & referenda ad eum diē, quo primùm è Cōſtantinopoli, vbi edita, fuit tranſmiſſa, Carthaginem, vt illic legeretur, ac publicaretur, & ad Gregorium fortaſſe Italię, & ideo Africæ Prætorio Pręfectum, ideoque Donato, & illius ſectæ inviſum. Quomodò & frequens eſt, in ſubſcriptionibus Conſtitutionum Cæſarum, exprimi diem, locumque Metropolis Prouinciarum, ſeu Diœceſeon, ad quam tranſmiſſæ, ſiue vbi acceptæ, vt videre eſt *in alijs* Conſtantini, *& anni eiuſdem legibus in*

in Theodoſij Codice l. 1. Ne Chriſtian. mancip. l. Sacerdotes 2. quemadmodùm ciuil. mun. & præ alijs *in l. Si à ſponſo 5. de ſponſal.* inſcripta ad Tiberianum Vicarium Hiſpaniarum, cum integra hac ſubſcriptione *Dat. Id. Iul. Conſtantinopoli; Accepta 14. Kal. Maij Hiſpali, Nepotiano, & Facundo Coſſ.* ex qua & ſupplenda, & reponendum *Facundi* nomen, pro *Pacato*, in eadem Conſtitutione apud Iuſtinianum *l. Si à ſponſo 16. Cod. de ſponſalib.* ſilentibus ad hæc, atque alia, poſt Cuiacium, vtroque Gothofredo.

5 Iam verò ſumma Conſtantini Conſtitutionis hæc; Senatores, & qui alij nominantur, fieri infames, & exleges Romanis; ſi ex ancillis, & alijs, quæ recenſentur fœminis, ſuſceptos filios habeant pro legitimis; & donata eiſdem, aut matribus eripi, & transferri ad iuſtos filios, agnatos, cognatos, & eorum defectu ad Fiſcum. Quo in conſtituto id primùm notandum, quantumvis Conſtantini verba, qualia in Iuſtiniani Codice extant, non exprimant ſignatè inhibitionem, & irritationem coniugij Senatorum, & ſimilium, cum memoratis illic fœminis, tamen dum ſtatuunt filios, matreſque eſſe illegitimos, & incapaces, ſatis ea ipſa ſententia ſupponere inhibitionem matrimonij, ſicut & iſto ſenſu accepta Conſtantini lex fuit à Martiano in *Nouella de matrim. Senat.* illis verbis, *de Conſtantiniana lege: Nam cum ſanciret, ne Senatori* (deinceps) *habere liceret vxorem, ancillam, ancillæ filiam,* cum reliquis; *& in l. Humilem 7. in fine, Cod. de inceſtis nupt.* Iuſtiniano *dict. Nouell. 117. cap. 6.* Secundum, & propriè illuſtrandum eſt, ampliari à Conſtantino, & produci ad perſonas alias prohibitionem Iuliæ, Papiæque legum; & adaugeri effectu, ac pœnis: de queis nunc ſigillatim.

6 In primis ergo præter Senatores, quos ex Iulia lege nominat Conſtantinus initio *d. l. 1. C. de natural. lib.* & Iuſtinianus Conſtantini hanc legem memorans, vocat λαμπροτάτους, ſeu clariſsimos, noto Senatorum epitheto, *Nouell. 89. quib. mod. natur. cap. 5.* iunctis notatis ſupra *hoc lib. cap. 1.* ampliatur prohibitio ad *Præfectos*, vt vulgata lectio habet, ſanè inconcinnè, quia ea appellatio, ſi ad Præfectos Prętorio, aut Vrbi referas, qui ſub Conſtantino, & ab Alexandro vſq; Seuero omnes Senatorij, imò & ſupra Senatores dignitate, & illuſtrium Primi, ſuperfluè exprimeretur, cum prohibitione Senatoria apprehendatur ex ratione *l. Obſeruandum 49. D. de ritu nupt.* Quòd ſi referenda ad alios Præfectos inferioris ordinis, veluti annonæ, vigilum, aut caſtrorum, nominandi ſpeciatim fuerant, & parùm apta generalis Præfectorum mentio, tot, præter eos, altiorum, & humiliorum graduū Præfectos, confundens, ac miſcens, argumento ex *l. 2. Cod. vt dignit. ordo ſeru. Nouella* Iuſtiniani 62. *de ordine Senatorum.* Sed obſervatum iam Cuiacio, pro *Præfectis*, ſubſtitui, ac legi, oportere, *perfectiſsimos*, vt eſt in editione Haloādri, legiturq; *in Nou.* Martiani *de matr. Senat.* illic: *Nam cum ſanciret, ne Senatori, perfectiſsimo, duumviro.* Et apud Scholiaſtem *libri 38. Baſilic. tit. 1. ad. l. 6. §. 14. D. de excuſat. tutor.* vtcumque pro vulgata ſtet Antonius Auguſtinus *ad Modeſtinum.*

7 *Perfectiſsimorum* autem, voce, deſignatur dignitatis ordo, ac titulꝰ, extra, atque infra Senatum, & poſt illuſtres, ſpectabiles, ac clariſsimos, quo ſub Cęſaribus medij Imperij, & maximè poſt Cōſtantinum, ornari ſoliti plerique, militaris, aut Palatinæ, ac Prouinciarum adminiſtrationis merito,

& gradu (& vt Iuſtinianus *dict. Nouella* 89. *cap.* 15. eos, qui Conſtantino Perfectiſsimi, Græcè exaudit διασημότατοι, ſeu *valde inſignis*, vel abſque eo, ſolis codicillis perfectiſſimatus, vt vocabant, ab Imperatore impetratis: vt eſt dicere ex *l. vnic. Cod. Iuſtin. & Theodoſ. de perfectiſsim. dignit. l. Diuo* 11. *Cod. de quæſtion. l. Cum reis* 18. quæ in Theodoſiano eſt 4. *cum epigraphe, Cod. de pœnis. l. Scriniis* 7. *in vtroque Cod. de palatin. ſacr. largit. l. Orphanotrophos* 32. *Cod. de Epiſcop. & Cleric. l. Actuarios* 10. *Cod. Theodoſ. de numerar. l. Cunctos* 26. *l. Quicumque* 44. *de Decurion. & l. Omnes* 7. *de priuileg. eorum, qui in Sacr. Palat. mil. in eodem Codice.* iunctis ex Conſtantino cum inſcriptionibus *l.* 3. quæ apud Theodoſium eſt 1. *Cod. fin. regund. l.* 2. *in Theodoſ.* 1. *Cod. de bonis vacant. l. Vniuerſis* 15. *Cod. Theodoſ. de Decurionib. l. vnica, eodem Codice de his, qui veniam ætat. impetr.* quæ interpolata à Triboniano extat *in l.* 2. *verſ. Sed Senatores, Cod. Iuſtinian. eodem titul.* & expendendis pro diſtinguendo perfectiſsimatu adminiſtrationis ab honorario ex eodem Conſtantino *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de honorar. codicill. l. Eos, qui* 5. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* cuius Conſtitutionis ad Bythinos partes ſunt *l.* 1. *de Cæſarianis, & l.* 3. *de Cohortal. in Cod. Theodoſ. & l.* 1. *de Murilegulis in Cod. Iuſtin.* Et eſt perfectiſsimorum gradus mentio in vtriuſque Imperij notitia, & apud Ammian. Marcellin. *lib.* 21. Symmacum *lib.* 10. *epiſtol.* 55. *&* 40. *ac* 41. Auguſtinum *lib.* 3. *contra Creſconium, cap.* 7. *& epiſtol.* 68. Eumenium *in Orat. de inſtaur. Mænian.* Macrobium 5. *Saturnalium, cap.* 22. & ſine ſtata gradatione Lactant. *lib.* 5. *diuin. inſtit. cap.* 15. *in fin.* & in veterum inſcriptionum loculis, quos non excutimus.

8 Duo ſaltem ad rem obſeruanda. Primum eſt, perfectiſsimatus honorem, & titulum, ſi cum eis ſolis coferatur, aut recenſeatur, qui vel officij adminiſtrati iure, vel allectione, & codicillis Principis deferuntur, proximum eſſe clariſsimatui, ſeu Senatorio gradui, & honori, atque ab eo veluti ſecundum, & equeſtri veluti maiorem, vt colligitur fere ex gradatione illa apud Conſtantinum *in l. vnic. verſic. Ita vt Senatores, Cod. Theodoſ. de his, qui veniam ætat. l. Omnes* 7. illic: *A primis quibuſque gradibus vſque ad perfectiſsimatus ordinem. Cod. Theodoſ. de priuil. eor. qui in Sacro Palat.* Ammian. Marcell. *lib.* 21. vbi ſic de Conſtantio erga tribuendas celſiores dignitates parco, & nihil nouante: *Nec ſub eo Dux quiſquam cum clariſsimatu prouectus eſt; erant enim, vt nos quoque meminimus, perfectiſsimi.* At ſi non tam codicillos, aut officium in perfectiſsimatu reſpicias, quàm eos gradus, atque ordines, quibus Romana Vrbs, ac populus, diſtinguebatur, quiſque in eo præcipui, fuit procul dubio, equeſter ordo, ac dignitas, ſecunda poſt clariſsimatum. *l. vnic. Cod. de equeſtri dignit. lib.* 12. Signanterque illis verbis eius Conſtitutionis in Theodoſiano. *Equites Romani, quos ſecundi gradus in Vrbe omnium obtinere volumus dignitatem.* eòque referenda ſignata illa vox, *in Vrbe*, quæ à Triboniano omiſſa *in eadem l. vnic. Cod. Iuſtin. de equeſtri dignitat.* iunctis *l. Cum te* 10. *Cod. de nupt. l. Fœminæ* 8. *in fine. l. vltim. Dig. de Senatoribus. l. Mulieres* 13. *Cod. de dignitat. libr.* 12. de queis ad rem ſupra *hoc libro cap.* 1. *in extremo*: idque non tantum

tùm Roma vetere, & Iuriſconſultorum æuo, ſed etiam poſt Conſtantinum, & ſub Valentiniano Primo, cuius eſt *dict. l. vnic. Cod. de equeſtr. dignitat.* eoque ſenſu Auſonius ſub Gratiano, in ludo ſapientum, vbi de Cleobulo, equeſtrem ordinem compellat, Orcheſtræ, ſcilicet Senatoriæ proximum, illic: *Interpretare tu, qui Orcheſtræ proximus, gradibus propinquis in quatuordecim, Sedes.* & agnoſcit dignationem, & gradum Equitum eodem fere ſæclo Claudianus 3. *de laudibus ſtiliconis: Omnis in hoc vno varijs diſcordia ceſsit ordinibus, lætatur eques, plauditque Senatus, votaque Patritio certant plebeia fauori.* Denique iſto reſpectu prior equeſtris dignitas perfectiſsimatu, vt & agnoſcitur digniore conditione, quæ in allectione Equitum requiritur, & gradatione ipſa Conſtitutionum, & titulorum de equeſtri dignitate, & perfectiſsimatus dignitate in vtroque Codice. Atque ita Equites, & perfectiſsimi non tam pares, potioreſue inter ſe, quam diuerſi, & vnuſquiſque ſua conſideratione prior, & proximus clariſsimatui; quomodo, & componendæ diſsidentes alioquin leges, & loci, quamquam parum obſervent poſt Alciatum, Cuiacius, Pancirola, Bulengerus, Gutherius, & quod magis eſt, vix diſtinguat Iacob. Gothofredus ad vtramque illam Theodoſiani Codicis legem, cuius accuratis alioquin commentarijs nuper viſis, hæc proſcripſiſſe non pœnituit.

Secundum eſt, perfectiſsimos eo ipſo honore diſtingui à Plebeijs, neque ſubijci eorum pœnis, & tormentis. *l. Diuo* 11. *Cod. de quæſtion.* ſicut neque Equites ex *l. vnic. Cod. Theodoſ. de equeſtr. dignitat.* & pleroſque à perfectiſsimatu prouehi ſolitos ad clariſsimatum, atque ordinem Senatorium, vt elicitur ex *l. Omnes* 7. *Cod. Theodoſ. de priuileg. eor. qui in Sacr. Palat.* iuncta *l. Actuarios* 10. *eodem Cod. de numerar.* ſicut ex equeſtri ordine pridem, qui fuit veluti Seminarium Senatus, auctoribus Liuio, Tacito, atque alijs, iuncta, & huc referenda *l.* 1. *Digeſt. de colluſ. detegend.* Vnde & vt ad Conſtantinum iam, hac ratione, & intuitu, dignitatis, & ſpei proximæ ad Senatorium ordinem in perfectiſsimis, ampliata ad eos à Senatoribus prohibitio Iuliæ legis in *dict. l.* 1. *Cod. de natural. liber.* ne illis interim probroſo coniugio fœdatis, & poſtea ad Senatum promotis, inquinaretur ampliſsimus ordo, argumento ex *dict. l.* 1. *Dig. de colluſ. detegend.* qua & ratione crediderim, ampliationem hanc Conſtantini pertinuiſſe etiam ad Equites Romanos, vtpote pares, aut potiores perfectiſsimis, neque inferiores duum viris Ciuitatum (iuxta illud Plinij 1. *epiſtol.* 19. *ad Romanum Firmum*) ad quos poſtea ampliatio fit, & ex regula *l. Obſeruandum* 49. *Digeſt. de ritu nuptiarum.*

CA-

CAPVT XXXVII.

AD EAMDEM LEG. I. COD. DE NATVRALIB. LIBER. De Duumuiris, item de Phæniciarchis, & id genus alijs Sacerdotibus Gentilium.

ARGVMENTVM.

DVumvirorũ in Romani Imperij Vrbibus nomen, atque honor. Summus hic in illis, dignatione, & ornamentis, cuiuſmodi, inter alia, lictores cum faſcibus; vt in *l. 53. Cod. de Decurion.* & *Act. Apoſtolor. cap. 16. verſ. 35.* Duumviri dicti Principes Ciuitatum, ſiue Strategi, & Archontes. Aſſerta, & fulta ex alijs locis Vulgata verſio apud Modeſtinum *in l. 6. §. 14. D. de excuſat. tut.* Curiæ, Decurioneſque, ex queis duumviri, imagines Romani Senatus; atque inde ratio ad Conſtantinum *in noſtra l. 1. C. de natural. lib.* De Sacerdotibus Gentilium pro eadem lege, & Modeſtino *in l. 6. §. 14. D. de excuſ. tut.* Hi generali nomine Sacerdotes, Flamines, & in Hiſpania non ſemel Põtifices, ac exaudita de eis *l. vlt. §. 24. D. de muner. & honor.* Ijdẽ proprio nomine Phæniciarchæ in SyroPhœnice, Syriarchæ in Syria Prima, ſeu Cœleſyria: Alytarchę in Antiochia, quorum in Cæſarũ legibus illuſtratur mentio. Illuſtratur itidẽ de Aſiarchis, & exponitur, ac ſubſtinetur contra Cuiacium, & Albaspinum, vulgata verſio *Act. Apoſt. cap. 19.* Ornamenta Sacerdotum, & Flaminum, inter alia, Coronæ, de queis *Canon Illiberitanus 55.* Ex eis, & quia eorum honor compar, & comparatus ſæpe duumvirali, & ſingularia eorum priuilegia petita ratio ad Conſtantinum in *noſtra l. 1.* De Voconio Flamine, Inſcriptio Hiſpanienſis relata ad Voconium Plinianum.

1 AMpliatur deinde prohibitio Iuliæ legis ad eos, *quos*, vt loquitur Conſtantinus, *in Ciuitatibus duumvirilitas, vel Sacerdotij, ideſt, Pheniciarchia, vel Syriarchia ornamenta condecorant.* De duumviris, eorumque iuriſdictione plura, nec inculcanda nunc, *libro 3. cap. 6.* laudatis eo loci ex noſtratibus D. Emanuel. Gonſalio Tellio, & Suario Mendoſa, & iam nunc Iacobo Gothofredo *in paratitlis, & commentarijs ad titul. & leg. Cod. Theodoſ. de Decurionib.* Illud propriè ad hunc locum, duumviros in Ciuitatibus, fuiſſe in pleriſque Magiſtratus ſummi gradus, & honoris. *l. 1. D. de albo ſcrib.* dictoſque à numero duumviros, quamvis vnius vice fungebantur. *l. Magiſtratus 25. D. ad municip.* & in quibuſdam municipijs non duo, ſed quatuor viri, quinque viri, aut ſeviri erant, & dicebantur. *l. vnic. cum inſcriptione, Cod. de ſolution. & deb. Ciuit. lib. 11.* & in alijs Ædiles, Prætores, Conſules, Dictatores, Poteſtates. *l. 2. Cod. ſi ſeruus, aut lib. ad Decur. aſpir. l. Qui Inſulam 30. §. 1. D. locati. l. vnica, D. de via publ. & ſi quid in ea.* Sed in pleriſque, vt initio poſuimus, duumviri, qui & ideo intelliguntur, generali appellatione Magiſtratuum Municipalium. *l. In honorarijs 35. in fine, D. de obligat. & act. l. vltim. C. de iudic. l. 3. Cod. quo quiſque ordine cont. lib. 11. l. Si ad Magiſtratum 18. Cod. de Decurion.* & alibi paſsim. *Et in* Illiberitano *Canone 56.* illic: *Magiſtratum verò anno, quo agit duumviratum.*

Planè erat, vt diximus, duumvirilitas, maximus in pleriſque municipijs honor, ad quem ex Decurionum ordine eligebantur, & plebeijs aditus non erat. *dict. l. 1. D. de albo ſcrib. l. Honores 7. §. Is, qui 2. D. de Decurion.* & ad inſtar Romanorum Conſulum, in 2

inſignes erant ornamentis, & lictoribus cum faſcibus, ſiue, vt olim, bacillis. *l. Item* 15. §. *vnde* 39. *D. de iniur. l. Duumvirum* 53. *Cod. de Decurionib. lib.* 10. Petronius *in Satyr.* de Trimalcione Seuiro Auguſtali: *In poſtibus Triclinij faces erant cum ſecuribus mixti.* Apuleius *lib.* 10. *Miles.* vbi de quinquennali municipali Magiſtratu, *& vt ſplendori capeſſendorum reſponderet faſcium.* & *lib.* 1. vbi de Ædili Hypathæ: *Nam & lixas, & Virgas, & habitum prorſus Magiſtratui congruentem in te video.* Et *in Actis Apoſtolorum, cap.* 16. *verſu* 35. de Magiſtratibus Coloniæ Philippenſium: *Miſerunt Magiſtratus lictores.* Vnde & vocantur ἄρχοντες τῆς πόλεως. *in l. Spadonem* 15. §. 9. *D. de excuſ. t. tutor.* vbi cum Græcus textus habeat, ἐὰν τῆς πόλεως ἄρχων τουτέστιν, ὁ στρατηγός, vt verbum verbo redderet Latinus Interpres, neceſſario habuit vertere: *Si Ciuitatis Princeps, id eſt, Magiſtratus*; neque eſt, cur reprehendatur ab Antonio Auguſtino, ſic enim idem Modeſtinus nominat *in dict. l.* 6. §. *Remittuntur* 16. *D. de excuſat. tutor. & in l. Scire* 21. *D. de tutor. datis ab his.* Theophilus *in* §. 4. *&* 5. *Inſtit. de Attil. tutor. & in princip. de ſat ſdat. tutor.* & paſſim in *Baſilicis lib.* 38. *tit.* 8. quin iam olim in Græco textu Lucæ, Magiſtratus Hebræorũ, qui Euangelij *cap.* 22. *verſ.* 4. *&* 52. dicuntur, *Strategi*, ſunt & dicũtur ijdẽ *Archontes. c.* 23. *verſ.* 14. & quod Cõſtantino noſtro illuſtrãdo proprium; quos ille *in hac lege* 1. *Duumviros* vocat, *Strategos* Iuſtinianus, illam memorans *in Nouella* 89. *quib. modis natur. cap.* 15. Ex queis nec properanti toleranda Mercerij ineptia vertentis pro Strategis, *Exercituum Duces*, apud Harmenopulum *lib.* 5. *promptuarij, titul.* 2. *de Curatoribus.*

3 At vt rurſus de honore duumviralitatis, ſicut ea maxima in Ciuitatibus, & Duumviri ad inſtar Conſulum Romanorum, ita & Curiæ ipſæ fuere veluti effigies parvæ, & ſimulachra Romani Senatus in municipijs, & Colonijs (tametſi hæ ab illis olim diſtinguerentur) vt poſt Agellium 16. *noct. Atticar. cap.* 13. Iuſtinianus *Nouella* 38. *de Decurion. in princip.* Diximus hæc, & alia de Curiarum, ac Decurionum honore, & oneribus *ſupra hoc libro cap.* 2. vnde & Curia, minor Senatus, & Decuriones minores Senatores, ſuæ ſcilicet Curiæ. *l. Pupillus* 239. §. *Decuriones* 5. *D. de verb. ſign. l. Omnes* 33. *l. Exemplo* 36. *Cod. de Decurionib. lib.* 10. Maiorianus initio *Nouellæ de Curialibus.* Caſſiodorus non ſemel *lib.* 2. *variar. epiſtol.* 18. *& lib.* 9. *edicto* 2. *in fine*, & quoad originem, exemplo Senatorio cenſetur. *l. Exemplo* 36. *Cod. de Decurionib. l.* 2. §. *Proinde* 4. *D. eodem tit.* & quemadmodùm Senatores, ſeu clariſſimi immunes à pœnis, tormentiſque plebeiorum, ita & Decuriones. *l. Diuo* 11. *l. Decuriones* 16. *C. de quæſtionib. l. Moris* 9. §. *Iſtæ* 11. *cum ſeqq. l. Capitalium* 28. §. *Et vt generaliter* 5. *l. vlt.* §. 1. *D. de pœn. l.* 3. *l. Decurionũ* 11. *C. eod. tit. l.* 2. §. *in filijs* 11. *cũ ſeqq. l. vlt. in fin. D. de Decur. l.* 3. *D. de veteranis. d. l. Omnes* 33. *C. de Decur. l. In perpetuũ* 39. *l. oppidaneis* 47. *l. qui ad Sacerdotium* 75. *l. Omnis* 80. *l. omnes* 85. *l. Principales* 126. *cum l. ſeq. eod. tit. in Theodoſ.* quamquàm in eo, ſuæ pro tempore, & caſibus exceptiones. *l. Si quis Decurio* 21. *Cod. ad leg. Cornel. de falſ. l. Decuriones* 16. *in fine, Cod. de quæſtionib. l. Quilibet* 40. *C. de Decur.* cui poſt Auguſtinum, Cuiacio laudatũ, iungendus Caſſiodorus *lib.* 6. *form.* 3. illic: *Curiales etiam verberat*, & ſicut libertini arcentur à Senatu, ſic à Decurionatu. *l.* 1. *D. de colluſ. deteg. l.* 1. *&* 2. *Cod. Si ſeruus, aut lib. ad Decurion.* iuncta *l. Libertinum* 9. *Cod. de dignitat.*

V 5 de

de qua ſuo loco. Denique vt tot iam tradita Conſtantino illuſtrando ſeruiant, viſum eidem meritò fuit, prohibitionem ignominioſi coniugij in Senatoribus ampliari ſaltem ad ſummos Curiarum, ſeu minorum Senatuum, ſcilicet duumviros.

4 Sequuntur apud Conſtantinum hi, quos in Ciuitatibus, vt ait, *Sacerdotij, id eſt, Phœniciarchiæ, vel Syriarchiæ ornamenta condecorant*; quibus verbis ſignari, & comprehendi Sacerdotes gentium, ſiue Gentilium ſuperſtitionis, in Ciuitatibus Prouinciarum, nemo iam dubitet, vel ex *Nouella* Martiani *de matrim. Senat.* in qua pro verbis his Conſtantinianæ legis, extant illa, *Flamini municipali, Sacerdoti Prouinciæ*, vtcumque noſtri olim Accurſiani parùm hæc ceperint, & ex his Albericus *in Dictionario*, Syriarchiam exaudiat de Præfectura Syriæ: quomodò & vulgaris Interpres apud Modeſtinum *in l.6.§. 14. D. de excuſ. tut.* verba illa: Εθνους ιερωσυνη, & poſtea, τουτεσιν εως αν αρχη; ſic vertit: *Gentium Præſidatus, & quoad in Præſidatu ſunt*, cum vertere debuerit: *Prouinciæ Sacerdotium*. Et poſtea: *Quamdiu in Sacerdotio ſunt*, quomodò in eo textu intellexere Græci Scholiaſtæ *lib. 38. Baſilic. tit. 1. litt. Y. & B.* de Sacerdotibus Prouinciarum, Phœniciarchis, & Syriarchis, & quidem laudata in eam rem Conſtantini noſtri lege. At hæc notata pridem, ſimulque crebra mẽtio Sacerdotum Ethnicorum Prouinciarum in iuris libris. *l. 1. §. 1. D. ad leg. Iuliam de ambitu. l. Sponte 17. D. de munerib. & honor. l. Si quis ob honorem 11. D. de pollicit. l. Nec protoſtaſiæ 8. Cod. de numer. patrim. l. vnic. Cod. de peric. ſucceſſ. l. In honoribus 8. l. Prætor 13. D. de vacat. mun. l. 4. Cod. de iniur.* & apud Paulum *5. ſentent. tit. 30.*

5 Illud pro Conſtantino nunc, Sacerdotij communi appellatione, cuius exempla duo ſubiungit in Phœniciarchis, & Syriarchis, complecti eum, qualeſcumque Prouinciarum Sacerdotes, & Ciuitatum Flamines (ſicut duumvirorum nomine iam ante omnes municipales Magiſtratus) & præ cæteris Sacerdotes earum Prouinciarum, & municipiorum, qui non ſpeciali aliquo, vt Phœniciarchæ, ſed cõmuni nomine Sacerdotes, ſeu Flamines dicebantur, vt Africani. *l. Quoniã 21. l. A ſolis 46. l. Africani 145. l. Iuxta 166. l. Dumvirum 174. l. Exceptis 176. Cod. Theodoſ. de Decurionib. l. Sacerdotales 20. eodem Cod. de Paganis.* Et ex eodem Conſtantino, & Codice *l. 2. Quemadmodùm ciuil. mun. indicantur.* & in Hiſpania, communi etiam nomine, & promiſcuo, Sacerdotes, & Flamines, vt *in* Illiberitanis *Canonibus 2. 3. 4. & 55.* quorum extant notæ in lapidibus Tarraconenſibus, Emeritẽſibus, Eborenſibus, alijſque, qui & ijdem Pontifices dicti, Inſcriptione illa Hiſpana apud Gruterum *pag.* 31.

P. PODIL. AVITVS. P. F. INDVLGENTIA PONTIFI. ICEDITANOR. LOCVM. SEPVL. ACCEPI. ANTE AED. DEAE MAGNAE CYBELES. QVAM IRATAM MORTE SENSI.

Et in alio Aſtigitano, & Arjonenſi, ex queis illuſtranda Pontificis mentio *in l. vltim. §. Ab huiuſmodi 24. D. de munerib. & honor.* & referenda ad Sacerdotes, ſiue Pontifices Gentilium in Prouincijs, vt in Hiſpania, qui à muneribus patrimonialibus non immunes, tametſi id eis aliquando indultum ſub Theodoſio, de quo Symmachus *lib. 4. epiſtol. 62.* iuncta *l. Glegam 10. C. Theodoſ. de Senatorib.* ad quam Gothofredus.

At verò Phœniciarchia apud Cõſtantinum, & in *dict. l. 6. §. 14. D. de* 6

ex-

excuſ. tut. *Nouella* 89. Iuſtiniani *cap.* 15. fuit Sacerdotium Prouinciæ Phœnices, ſeu Syro Phœnices ad Libanum, & intra ſitæ, quæ & ideo Libanenſis dicitur, ſeu Libanica, *in l. Per Prouincias* 10. *Cod. de ædific. priu. & edicto* 4. Iuſtiniani *de Magiſtratu Phœniciæ Libanicæ*, in qua Damaſcus, Cæſarea, Berytus, Heliopolis, & maritimi Sidonij, & Tirij: ſic & Syriarchia Cõſtantino, & Iuſtiniano, iunctis *l. vnica, Cod. de offic. Com. Or. l.* 2. *Cod. Theodoſ. de expenſ. lud. l. Voluntate* 103. *eodem Cod. de Decurionib. l.* 1. *eodem Cod. de prædijs Senatorum.* Sacerdotium Prouinciæ Syrię Primæ, vt expreſſum eſt *in dict. l. vn. Cod. de offic. Com. Or.* quæ & vocata Cœleſyria, & Caua Syria, Libanum inter, & Antilibanum, & Phœnicem, vt Plinius loquitur, *circumfundens.* Cuius Caput Antiochia, quin & in ea (Antiochia ſcilicet) Sacerdotium dictum. Alytarchiæ munus redigitur à Leone Cæſare ad curam ſpectabilis Comitis Orientis, qui Antiochię fere reſidebat; ſicut Syriarchia ad moderatorem illius Secundæ Syriæ, quia & vtraque Syria Prima, & ſecunda fuit ſub officio Comitis Orientis. *dict. l. vn. Cod. de offic. Com. Or. l. Voluntate* 103. quæ inſcripta Proculo Comiti Orientis. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* quibus illuſtrandis ſimul cum *dict. l.* 2. *eodem Cod. de iure Fiſci. l. vltim. Cod. de Cupreſſ. ex lucro Daphn.* iungendus de Alytarcha, primus obſeruatur Cuiacius *lib.* 2. *cap.* 13. eique potiùs, quàm Petro Fabro 1. *Agoniſt. cap.* 18. ſubſcribens Iacob. Gothofredus *ad l.* 2. *Cod. Theodoſ. de expenſ. lud.* queis addendus Lucianus *in Hermotimo*, vbi de Alytarcha ludorum Præſide. Nec nos plura de Bythiniarchis, Cappadociarchis, quorum mentio *in dict. l.* 6. §. 14. *de excuſ. tutor.* & Aſiarchis, quorum inibi, *& in dict. l.* 2. *de expenſ. lud.* *l. In honoribus* 8. *Dig. de vacat. mun.* quos Conſtantinus communi Sacerdotum, & ſimilibus exemplis Syriarcharum, & Phœniciarcharum complexus.

Id ſaltem addimus de Aſiarchis, 7 nihil cauſæ eſſe, cur *in Actis Apoſtolorum cap.* 19. *verſ.* 31. pro verbis illis Sacri Vulgati Textus: *Quidam autem & de Aſiæ Principibus*, tentet Cuiacius *ad leg.* 1. *Cod. de pericul. ſucceſſ. lib.* 10. eique temerè ſubſcribens Epiſcopus Albaſpinus *lib.* 1. *obſeruat. cap.* 22. vertendum eſſe: *Sed & quidam numerariorum Aſiæ Prouinciæ*; cum Lucas Græcè ſcripſerit: τινες δ'εκαι των ασιαρχων οντες: & Aſiæ Archontes, ſint, & dicantur propriè Principes illius Prouinciæ, ſiue Magiſtratus intelligas, vt *in dict. l.* 15. §. 9. *D. de excuſ. tut. l.* 2. §. 6. *D. de tutor. datis ab his. l.* 48. *D. de iudic.* de queis iam ſupra, quomodo *Lucam* de Magiſtratibus Aſiaticis expoſuit Petrus Alexandrinus *in Canonibus Pœnit.* ſiue Primarios Sacerdotes Prouinciæ Aſiæ, nam & hi ex Principibus, ſeu Proceribus Aſiæ, vt *in l.* 6. §. 14. *D. de excuſ. tut.* & vt ad rem ſcitiſsimè Strabo Geogaph. *libr.* 14. vbi de Trallianis Aſiaticis Ciuibus, καὶ ἀεί τινες ἐξ αὐτων, εἰσὶν οἱ πρωτευοντες κατα την επαρχίαν ους ασιαρχας καλυσι. Et ſemper aliqui ex his, *ſunt Principes Prouinciæ, quos Aſiarchas vocant.* Strabo idem poſtea *eodem lib.* 14. vbi de Lyciarchis, *& lib.* 17. in extremo, vbi δυναστας, ſeu *Principes* vocat, eiuſmodi, aut pro eiſdem habet, Prouinciarum Præfectos, & Sacerdotes τους ἱερεις, neque alio ſenſu Cenſorinus *de die natali, cap.* 15. *Officijs municipalibus functus, honore Sacerdotij, in Principibus tuæ Ciuitatis conſpicuus*, inſinuata hęc Gothofredo *ad l.* 1. *Cod. Theodoſ. de præd. Senator.* & ante illum pręnotata Salmaſio *ad Solinum* 1. *tom. p.* 805.

Sed

8 Sed & pro elucidandis ornamentis illis, quibus condecoratos Phœniciarchas, Syriarchas, & Sacerdotes ſimiles Conſtantinus ſcribit, memineris, id genus Ethnicis, ornamenta fuiſſe purpuream veſtem, prætextam, & apicem, ſeu pileum acuminatum filo laneo, à quo Flamines dicti, vnde & de illis Latinus Pacat. *in Panægyr. Theodoſ. Reuerendi municipali Purpura Flamines, inſignes apicibus Sacerdotes*. Et cum ſacris, ſeu ludis præſiderent, virgam, & veluti lictores, lorarios illos, ſeu flagelliferos, qui *Maſtigophori in l. vltim. §. Maſtigophori 17. D. de muner. & honorib.* (à queis quia & *Alytæ* dicebantur, nominati *Alytarchæ* eis præfecti, vt *ad l. vn. Cod. de offic. Com. Or.* ex Phauorino Cuiacius) ac præ cæteris coronas, & quidem *aureas Prouincialium Sacerdotum*, vt Tertullianus exprimit *de Idolol. cap. 18.* quibus ſcilicet, vt ille itidem *de Corona mil. cap. 10. Sacerdotes eorum coronantur*. Vt Nicopolitanus ille Sacerdotij Auguſtalis candidatus apud Arrianum 1. *diſput. Epicteti, cap. 19. in fine*: αλλα χρυσουν στεφανον φορησω. *At auream coronam geſtabo*. Diodorus Sic. *lib. 36. in excerptis Photij*. vbi de Battace Phryge Sacerdote magnæ Deum matris, qui vt ſcripſit, Romæ, εφορει χρυσουν στεφανον υπερμεγεθη, *ferebat coronam auream inuſitatæ magnitudinis*. Vnde & petenda, & prælata iam noſtris lux, & ratio ad *Canonem Illiberitanum 55.* illic: *Sacerdotes, qui tantùm ſacrificantium coronas portant*. Innocentium 1. *epiſtol. ad Toletanæ Synodi Epiſcopos, qui poſt Baptiſmum vel Coronati fuerint, vel Sacerdotium, quod dicitur, ſubſtinuerint*. Addimus Flaminalibus viris defunctis, quin & Flaminicis fœminis inter ornamenta fuiſſe decretam ſæpe in Colonijs, & municipijs IMPENSAM FVNERIS, LOCVM SEPVLTVRAE, ET STATVAM, vt de Laberia Flaminica Eborenſi legitur in Leiriæ marmore. Atq; hæc fuere inter alia Conſtantino inſinuata ornamẽta, queis Sacerdotes Ethnici in Ciuitatibus condecorabantur, quæ & exornãdis ſint verbis illis *l. 4. Cod. de iniurijs*: *Cum eſſes in Sacerdotio, & dignitatis habitum, & ornamenta præferres*.

Ex his & in conſpicuo ratio ampliationis prohibiti coniugij cum probroſis fœminis ad Sacerdotes Prouinciarum, ſeu Flamines municipales, nempe eadem, quæ in duumviris, & par illis, ſummaque dignitas Sacerdotum, ſeu Flaminum; vnde & paſſim iunguntur, & cõparantur. *l. 1. §. 1. D. ad leg. Iul. de ambitu*, illic: *Magiſtratum, aut Sacerdotium. l. Si quis 11. D. de pollicit. Ob honorem, vel Sacerdotium.* & poſtea, *honorem, vel Magiſtratum*. Paulus 5. *ſentent. tit. 30. Petiturus Magiſtratum, vel Prouinciæ Sacerdotium. l. Quoniam 21. poſt Flaminij honorem, & Sacerdotij, vel Magiſtratus decurſa inſignia. l. Sacerdotes 60. l. Qui ad Sacerdotium 75. Cod. Theodoſ. de Decurion. l. 1. in princip. de ſpectacul. eod. Cod.* Tertullianus *de ſpectacul. cap. 12. Quæſturas dico, & Magiſtratus, & Flamina, & Sacerdotia*. Et ſignatè, ſimulque *Sacerdotales, & Flamines perpetui, atque etiã duumvirales*, vt Conſtantinus noſter ſcripſit *in l. 2. C. Theodoſ. quemadm. ciuil. mun. indic.* cui ſimiles *l. Nemo 77.* illic: *Nec verò à duumviratu, vel Sacerdotio incipiat. l. Duumvirum 174. eodem Cod. de Decurion*. Et in vetere Inſcriptione Sagunthi apud Gruterum *pag. 489. num. 10.* C. VOCONIO. C. F. CAL. PLACIDO AED. II. VIRO. II. FLAMINI II. (& fortaſſe Voconius ille, vt vel curſim notem, fuit Voconius Romanus ille, ſecundo Plinio peramicus, quem Flaminem fuiſſe, &, vt videtur in Hiſpania ci-

te-

teriore Plinius ſubindicat *lib. 2. epiſt.* 13. laudato eius parente, cuique, & filio applicandus lapis ille itidem Saguntinus apud Gruterum *pag.* 748. *num.* 3. VOCONIVS ROMANVS PATRI OPTIMO, & Voconiæ familię mento in alijs Tarraconenſibus, & Eborenſibus) & planè duumviri, ac Sacerdotes, ſeu Flamines, vtrique ſuo genere, Principes Ciuitatum, & Prouinciarum, vt iam diximus, ſummuſque in eis honor, ad quem & ideo non aſcendebatur, niſi gradatim. *l. Nemo* 77. *l. Qui ad Sacerdotium* 75. *l. Cum ſuper* 149. *Cod. Theodoſ. de Decurion. l.* 1. *D. de albo ſcrib.* vtriſque & paria inſignia, & ornamẽta, & perfunctis, dignitas ex Comitibus, ſeu Comitiuæ tertij ordinis. *l. Item* 15. *§. Vnde* 39. *D. de iniur. l.* 4. *C. de iniur. l. Quoniam* 21. *l. Qui ad Sacerdotium* 75. *l. Nec cogi* 109. *l. Quicumque* 127. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* vtrique immunes à corporalibus iniurijs, & pœnis plebeiorum, & à præpoſituris, ac muneribus inferioribus. *dict. l. Quoniam* 21. *& l. Qui ad Sacerdotium* 75. *l.* 2. *quemadm. ciu. mun. ind.* Vtrique ex ordine Curialium, ſeu Decurionum electi, vt ſupponit Innocentius 1. *epiſt. ad Tolet. Synodi Epiſcop.* Vtrique dignatione ſaltem pares, vt ſcribebat Iulianus illic Parabata *in fragmento Epiſtolæ ad finem* 1. *tom.* Operum illius à Petauio editæ. Atque hæc erant, quæ dicebantur priuilegia Sacerdotum. *l. Sacerdotes* 60. *Cod. Theodoſ. de Decurionib. l. Priuilegia* 14. *eod. Cod. de paganis.* Symmachus 4. *epiſtol.* 62. ad quem alia Iuretus.

CAPVT XXXVIII.

PARERGON.

DE SACERDOTIBVS, ET TEMPLIS IDOLORVM; ET QVANDIV, & quatenus ſteterint, ſub Conſtantino, & Chriſtianis Cæſaribus.

ARGVMENTVM.

IN Conſtantino Magno Chriſtianæ Fidei teſtatus cultus, ac ſimul deteſtatio Idololatriæ. Deleta ab eo in Phœnice Libanenſi Delubra Veneris, ſiue Vraniæ. Credita hæc eadem, cum Aſtarte Sidoniorum, & Cœleſti Carthaginienſium. De Cœleſti duo D. Auguſtini loci obſervati, & correcti, & Inſcriptio Tarraconenſis. Secundùm hæc, nec ſine cauſa iuventus quærat, aut miretur, retineri ab eodem Conſtantino *in noſtra l.* 1. *C. de natural. lib.* priuilegia, & ornamenta Sacerdotum Gentilium, Phœniciarcharum, & aliorum. Aſt obſervatur Conſtantini cum Ethniciſmo tolerantia temporaria, & politica in non paucis, vt in haruſpicinæ abuſu, & Gentilium Templis. Permanſere ſub Conſtantino, & ad Honorium vſque & Canones Carthaginenſes ſimulachra Cœleſtis in Africa. Stetere item in Phœnice, & Syria Aſtartis Idola, queis Phœniciarchæ, & Syriarchæ miniſtrabant, & euerſa tandem Archadij, & Theodoſij iunioris legibus; cuiuſmodi eſt *l.* 16. *C. Theod. de Pagan.* Proſtabant & ſimilia alibi, vt in Ægyto, Archierei, de queis *in l.* 112. *C. Theod. de Decurion.* & in Africa Sacerdotes Carthaginis, & Prouinciarum, atque inter has Byzazenæ (cuius ſignata mentio *in Gratiani decreto, & in collatione Carthaginienſi.*) Obſervatur deinde, manſiſſe Sacerdotum Gentilium nomina, & honores politico reſpectu, non vt Ethnicis ſacris præeſſent, ſed vt ſpectaculis publicis, quæ ſub eorum cura, & ſumptu, vnde & Agonothetæ dicti. Varij de ea re iuris, & aliorum loci, & Augu-

ſtini vnus de Apuleio Madaurenſi. Expoſita, & cum alijs compoſita *l.* 14. *Cod. de paganis*, & diſtincti Hierophantæ Cereris, & agrorum à Sacerdotalibus Metropoleon; reddita tandem voluntaria ſub Chriſtianis Cæſaribus ea Sacerdotia, quamuis non ita olim, & iuſſum ne à Chriſtianis exercerentur. *l.* 103. *&* 112. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* & inter Africanos *Canon* 27.

1 SEd hem, hæſerit fortaſſe Salmantina noſtra iuventus, ac meritò quærat, an non aliena, indignaque hęc cura decori in matrimonijs, & ornamentorum Sacerdotum Gentilium in Conſtantino Magno, qui veneranda Chriſtianorum Fide Romanum muniuit Imperium, vt de eo ſcriptum eſt *in l. Diui* 5. *hoc eod. tit. de natur. liber.* & qui, vt Oroſius memorat *lib.* 7. *cap.* 28. Paganorum Templa clauſit, vetuitque Idolis immolari, coactis eorum Sacerdotibus, ea in publicum proferre, *magna cum irriſione*, σὺν πολλῷ γέλωτι, ait Euſebius 3. *de vita Conſtantini*, *cap. Pleniuſque*, *& alijs, idem cap.* 53. *& ſeqq. & lib.* 4. *cap.* 25. *& lib.* 2. *c.* 43. *&* 44. *&* 46. *cum ſeqq.* Sozomenus *Eccleſ. Hiſt.* 1. *cap.* 8. quò referēda eſt de eodem Conſtantino Conſtantij filij teſtatio illa *in l.* 2. *Cod. Theodoſ. de pagan. ſacrificiorum aboleatur inſania: Nam quicumque contra legem Diui Principis parentis noſtri.* Deinde qui Ethnicorum Flaminum, & Sacerdotum priuilegia, quę erant, & ornamenta ad Chriſtianos Antiſtites tranſtulit, vt ex illius Oratione in Senatu habita recitat Baronius *ad annum* 324. *num.* 78. Nicephorus 7. *Hiſtor. Eccleſiaſt. &* 24. Euſeb. *lib.* 10. *&* 14. Cedrenus *in hiſtor. compendio*, vbi de Conſtantini *anno Imperij* 9. *&* 26.

2 Denique vt & ſpeciatim de Syriarchis, & Phœniciarchis, quorum *in noſtra l.* 1. Conſtatinus meminit, conſtat, eum in Phœnice Libanenſi apud Aphacos in verticem [illegible]bani, & Heliopoli deleiſſe fun[illegible] impura delubra dicata Vene[illegible]m Phœnices Vraniam vocabant, auctoribus Euſebio *in Conſtantini vita* 3. *cap.* 54. *&* 56. Sozomeno *Hiſtor. Eccleſiaſt.* 2. *cap.* 4. Nicephoro *lib.* 8. *cap.* 33. *& lib.* 7. *cap.* 46. Socrate Scholiaſtico *lib.* 1. *cap.* 14. Eunapio Sardiano *de vitis Philoſoph. in Ædeſio.* Eique Veneri, ſiue Vraniæ ſacra feciſſe Phœniciarchas, atque eam ipſam fuiſſe Aſtartem Sidoniorum, & Deam Syriam, cui Syriarchæ miniſtrabant, & Cœleſtem Carthaginenſium illuc à Phœnicibus translatam, cum Phœnices in Africam eructarent, vt inde Pallio Tertullianus loquitur, prænotauit ex Herodiano *lib.* 5. *& alijs*, omnis eius ille *in ſemeſtribus* Faber *lib.* 3. *cap.* 2. cui vel in hoc tranſcurſu addiderim locum Auguſtini *de Ciuit. Dei, lib.* 2. *cap.* 26. *vbi & quando ſacrati Cæleſtis* (legendum) *Cæleſti*) *audiebant caſtitatis præcepta*; & poſtea: *Illinc Virginem deam*, quem de Veſta perperam capiunt Viueſius, & Coquæus, cum ſit de Cœleſti, ſiue Vrania, de qua *eodem libro cap.* 4. idem Auguſtinus *cap.* 4. *Cæleſti Virgini*, & quidem, vel Iunone, vt malunt Baronius, & Lipſius; vel Venere, vt Pamelius, & fere Auguſtinus *ad Pſalm.* 198. illo loco: *Regnum Veneris, quale erat Carthagine, vbi nunc eſt Regnum Cæleſte?* Et alio ſimili, atque ignoto vulgò, quem adſcribo, vt emendem, *Sermone* 29. *de Verbis Domini, cap.* 10. *Carthago in nomine Chriſti manet, & euerſa eſt Cæleſtis* (ita legimus pro eo, quod in excuſis libris eſt, *& olim euerſa eſt à ſcæleſtis*; *quia non fuit Cæleſtis, ſed terreſtris.* Reſpexitque Auguſtinus ad euerſionem illam Cœleſtis, eiuſque fani, cuius eo tempo-

La[illegible] ditus [illegible]ri, qua[illegible]

pore factæ meminit Proſper *lib. 3. de prædict. cap.* 38. Vtrique porrò, ſiue Veneri, ſiue Iunoni tributum nomen Cœleſtis, & Virginis, ſcripſit de Aſſyrijs, & Afris Firmicus *lib. de myſter. prof. relig. cap.* 4. & quod reſtat, indictumque vtriuſque ſub Cœleſtis nomine ſuperſtitio per Phœnices, aut Carthaginenſes tranſijt ad Iberos Hiſpanos, vt liquet ex Tarraconenſi lapide apud Schottum, & in Grutterianis *pag.* 318. D. M. C. AVIDIO. APRIMVLO. SACERDOTI COELESTIS. INCOMPARABILI RELIGIONIS. EIVS. C. AVIDVS. VITALIS. PATRI. B. M.

3 At vt rurſus de re ad Conſtantinum, diſcat, ne hęreat Iuuentus, illud in primis, Conſtantinum, quamuis, vt diximus, Idolis immolari vetuerit, & quæ memorauimus, fana euerterit, non tamen omnia, neque omnino, vitandis Ethniciſmi furentis Romæ, & alibi ſeditionibus, vt ex Theodorito 5. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 20. explicitè Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 25. & præterquàm quòd haruſpicinę publicum vſum, &, vt vocat, ritum, eique exercendo aditum ad aras, & delubra, improbandis per quàm legib' permiſſit. *l.* 1. *C. Theod. de pagan. l.* 1. *&* 2. *de malefic. eodem Cod.* conniuente ſcilicet gentilibus, quantumuis eum, vt rei inſcium excuſare nitatur D. Ambroſius *ep.* 30. ſed conniuens vt dixi, vt & Valentinianus 1. *in l.* 9. *C. Theod. de malefic.* Conſtat tamen, manſiſſe Idola, eorumque ſuperſtitionē, vel permiſſam, integro ſeculo, & amplius poſt Conſtantinum ad vſque Honorij, de quo Auguſtinus 1. *de Ciuitat. cap. vltim.* & Theodoſij iunioris tempora, de queis poſt alios mox laudandos Nicephorus 14. *hiſt. Eccleſ. cap.* 3. *in fin.* Quorū tandem Cæſarum edictis extirpatæ reliquiæ ſimulachrorum Gentilium, in Africa quidem Cœleſtis, & aliorū, petentibus Africanis Patribus *Concilij* 5. *Carthag. cap. vlt.* & poſtea ſecutis ad Rectores Hiſpaniæ, & Africæ, *l. ſicut* 15. *& ſeq. l. ædes* 18. *l. Sacerdotales* 20. *l. vlt. de pagan. in Theod. C. & in Iuſtin. l.* 3. *&* 5. *l. nemo* 7. *eod. tit. Nouell.* Theodoſij *de Iudæis*, §. *Hinc perſpicit.*

Sic deinde & in Oriente eiſdem Archadij, & Theodoſij legibus, ac præcipuè in Phœnicia, quę reſtabant poſt Libanenſe illud à Conſtantino euerſum, fana, atque Idola Aſtartis Sidoniorum, & Heliopolis Phœniciæ, & in Syria Apamei Iouis, de queis in ſpecie, vt alia alibi deſtructa omittam, Sozomenus *Eccleſiaſt. hiſtor.* 7. *cap.* 15. Theodorit. 5. *cap.* 29. & euerſionis ſollicitato Chriſoſtomus *epiſtol.* 123. *&* 126. *ad Ruffinum Presbyterum*, & ad hanc euerſionem, poſt illam Conſtantini, quæ huic conferenda, pertinet propriè, & referenda Archadij *lex Si qua* 16. *Cod. Theodoſ. de pagan.* Ac de Aſtarte, ſeu Venere ſub Honorio, explicitè illis verbis: *Quam Phœnices nunc tenent.* Macrobius 1. *Saturn. cap.* 21. & de Cœleſti in Africa Ambroſius 2. *contra Symmachum.* Et poſt Honorium ſub Zenone Saluianus 8. *de Prouident.* quibus ſcilicet Idolis in Phœnicia, & Syria Phœniciarchæ, & Syriarchæ ad id vſque temporis præerant. 4

Sic & perſtabant poſt Conſtantinum in ſuis Prouincijs Sacerdotes alij, vt in Oſroena Syriæ accenſita, aut contermina, in qua vel ſub Theodoſio magno Templum patebat oraculis. *l. Ædem* 8. *C. Theodoſ. de pagan.* & in Ægypto apud Alexandrinos, Archiereus (vt in Galatia dictus Arſacius ille ἀρχιερεὺς. *epiſtol. Iuliani* 49.) ſeu Pontifex Summus Serapidis, & Iſidis, cuius ad Pontificatum, ſeu *Archieroſynam Templa, & Templorum ſolemnia pertinere.* Legitur in Conſtitutione Gra- 5

Gratiani, Valentiniani, & Theodoſij ad Florentium Præfectum Auguſtalem, quæ & ex his illuſtranda *l. In conſequenda archierοſyna* 102. *Cod. Theod. de Decurion.*

6 Sic denique & perſtabant in Africa Sacerdotales, & Sacerdotes Prouinciæ, & Metropoleon, ac præ alijs Carthaginis, & Prouinciæ Proconſularis, & Ciuitatum vel ſub Honorio *l. Sacerdotales* 20. *Cod. Theodoſ. de paganis.* iunctis *l. Omnia* 43. *de hæreticis*, cuius pars eſt *l. Templorum* 19. *de paganis.* & iunctis item *l. Filios* 7. *l. Quoniam* 21. *l. à ſolis* 46. *l. Africani* 145. *l. Iuxta* 166. *l. Duum-virum* 174. *l. Exceptis* 176. *de Decurion. l. vltim. de Tyronibus*, quæ ſunt de Africæ, & Carthaginis Sacerdotibus ad Honorium, & Valentinianum III. vſque, vt de Byzazenis Lybo Phœnicibus in eadem Africa (quorum Prouinciæ, & Concilij mentio *in Theodoſiani Codicis l. Breues* 13. *de indulg. reliquor.* & in Inſcriptionibus *l.* 3. *de inofficioſ. teſtam. l.* 1. *de libert. & eor. lib.* & Byzazenæ Prouinciæ *in l.* 2. §. 1. *Cod. de offic. Præf. Prat. Afr. l. Multum* 12. *de diuin. offic. l. Ex Byzazena vlt. de ſuſceptor. in eod. C.* & Conſularis Byzazenæ *in l.* 1. *C. de offic. com. rer. priu. l.* 1. *C. Theod. de conlat. donat.* & Præſidis Prouinciæ Byzazenæ, in nobili Inſcriptione de Arcadio Proculo iterata ex Romanis apud Goltziũ Smetrium, Gruterum, & alios, & Epiſcopi Primatis Byzazeni apud Gregorium *lib.* 7. *epiſt.* 64 cuius locum à Gratiano, & gloſsis vulgaribus oſcitanter translatum ad Bizantinum, ſeu Cõſtãtinopolitanum, correxere iam Gregoriani Patres in notis *ad decreti caput* 4. *diſt.* 22. *& in Collatione Carthaginienſi* edita à Pagirio Maſſono, in qua pro *Burcenſi Prouincia*, reponendam Byzazenſem, ſeu Byzazenam, adnotauit eruditus Theologus Phileſaccus *de ſacra Epiſc. auctor. cap.* 9. §. 11.) Eſt inquam de Byzazenis Sacerdotibus prope Carthaginem in Tunetano hodie Regno *lex Sacerdotes* 60. *Cod. Theodoſ. de Decur. on.* quam omiſſa de Sacerdotibus mentione, & conſtituto tranſtulit in Iuſtiniani Codicem Tribonianus *l. Curiales* 25. *de Decur. lib.* 10. Vnde & vt pergamus ſub Honorio denique in Gallijs Idolorum, eorumque Antiſtitum ſub Theodoſio mentio frequens Sulpicio Seuero *in vita D. Martini, cap.* 10. *& ſeqq. & dial.* 3. *cap.* 9. & in Hiſpania Sacerdotium Ethnicum ſubſtinentium itidem ſub Honorio apud Innocentium *epiſtol. ad Patres Toletanæ Synodi.*

Secundum, & quod proprium, ac ſatis pro Conſtantino, & iuuentute eſt, etiam poſt ſacrificia prohibita, vſque ad cadentis poſt Honorium Imperij ſeclum manſiſſe dignitatem, priuilegia, & ornamenta Sacerdotum Gentilium, ſeu Flaminum, & Syriarcharum, Phœniciarcharum, ac ſimilium, idque ea politica tolerantia, & reſpectu, quia cum eorum cura, & expenſis ederentur *ſpectacula, & ludi non conueniebat ea conuelli, ex quibus præberetur populis priſcarum ſolemnitas voluptatum.* Vt in ſimili fere expreſſum eſt Conſtantij lege, quæ eſt 3. *Cod. Theodoſ. de pagan.* & ſpeciatim in illa Honorij, ac Theodoſij iunioris 2. *Cod. Theodoſ. de expenſ. lud.* iunctis *l. Vt profanos* 17. *de pagan. eodem Cod. & in Iuſtinianeo l.* 4. *eodem titul.* 7

Pertinuiſſe autem ad eiuſmodi Flamines, & Sacerdotales, Syriarchas, ac reliquos ſpectaculorum, ſeu munerum editiones, quibus & præerant tam pro explorato eſt, vt fere teſtibus non egeat. *dict. l.* 2. *de expenſ. lud.* illic: *Exceptis Alytarchis, Syriarchis, Agonothetis, itemque Aſyarchis, & cæteris, quorum nomen votiua* 8

ſe-

feſtiuitatis ſolemnitas dedicauit. In qua notandum, Agonothetas, qui nominantur, eſſe eos ipſos, qui Sacerdotij nomine, & iure dicati erant editioni ſpectaculorum, quæ vocatur Agonotheſia *in l. Nec cogi* 109. *Cod. Theod. de Decur. l. Si filia* 20. §. *Neratius* 7. *D. fam. herc.* vnde & Agonotheticæ poſſeſsiones, & Templorum fere pro eiſdem, quia & Agoniſticis impenſis, ſimulque Templorum Antiſtitib' deſtinatæ, *l. Si, qui* 5. *C. de diuerſ. offic. lib.* 11. *l.* 3. *C. ne rei domin. vel Templ. Nouella* Martiani *de prædijs Ciuitat.* iuncta *l. vlt. Cod. de fundis patrim. l. Quiſquis* 6. *Cod. de omni agro deſerto. l. Vniuerſa* 8. *de iure Fiſci. & l. Ædificia* 5. *de locat. fund. reip. & templ. in C. Theod.* quamquam & alij Magiſtratus titulo, vel priuatæ editionis iure, atque onere, vocabantur ſæpe ad Agonotheſiã, erantque Agonothetæ, & Præſides certaminum. *l. Septitia* 10. *D. de pollicit. l. vlt.* §. *Maſtigophori* 17. *D. de muner. & honor. l. Annuam* 6. *Dig. de annuis leg.* deinde & pro re notandum, Alytarcham *in d. l.* 2. *& in l.* 2. *Cod. de Cupreſſis ex luco daphn.* ſub Theodoſio iuniore, eumdemque ſub Gratiano *in l. More* 12. *Cod. Theodoſ. de iure Fiſci*, nominari, & veluti honorari, tamquam ſpectaculorum Præſidem, non ſacrorum, cum Antiochiæ, vbi Alytarchæ, multis ante Theodoſium annis, ſacrificia Alytarcharum ceſſaſſent, conflagratione Templi, & Apollinis Daphnenſis ſub Iuliano Apoſtata, de quo plenè Baronius *ad annum* 362. Poſtremò & notandum eodem ſenſu *in d. l.* 2. exaudiendam eſſe mentionem Syriarcharum, & Aſyarcharum, ſcilicet tamquam Præſidum ſpectaculorum, non autem ſacrorum, quæ abolita ante eam legem fuiſſe ab Archadio, & Theodoſio iuniore in Phœnicia, Syria, atq; Aſia, & ab Honorio in Occidente iam memorauimus.

Porrò illud de editione ſpectaculorum, ſeu munerum, vt vocabant, ad eiuſmodi Flamines, Sacerdoteſque pertinent in Prouincijs, Colonijs, & municipijs liquet, ex *l. vnic. Cod. de peric. ſucceſſ. par.* iuncta *l. Nec protoſtaſiæ* 8. *Cod. de muner. patrim. lib.* 11. Tertulliano *de ſpectac. cap.* 11. 12. *&* 30. *in fine.* Arriano 1. *epicteti, diſſert.* 19. Luciano *in Hermotymo*, ſiue *de ſectis*, vbi de Alytarcha: & illaudata vulgò de hac re Auguſtini *epiſtol.* 5. *ad Marcellin.* in qua illud de Apuleio Afro Madaurenſi: *An fortè iſta, vt Philoſophus voluntate contempſit, qui Sacerdos Prouinciæ pro Magno fuit; vt munera ederet, Venatoreſque veſtiret.* Et poſt Conſtantinum vltra laudatas nuper *ex l. Qui ad Sacerdotium* 75. *l. Nemo* 77. *l. Voluntate* 103. *l. Africani* 105. *l. Cum ſuper* 109. *l. Exceptis* 176. *Cod. Theodoſ. de Decurionib. l.* 1. *Cod. eodem; de ſpectacul. & l. vltim. de Tyronibus.* Iulianus Chriſtianorum hoſtis ſimul, ac Simia *epiſtol.* 49. *ad Arſacium Archiereum Galatiæ*, qua illum, Sacerdoteſque ei ſubditos, monet, abſtinere à ſpectaculis: eoque intuitu, & collatio annua, ſeu penſitatio, quam vocabant Syriarchiam, exigebatur. *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de præd. Senat. l. vnic. de offic. Comit. Or. & fund.* vt dicebantur, Agonothetici, ſeu Templorum, de quibus nuper.

Sed & manebant eodem intuitu 10
editionis ſpectaculorum, Sacerdotib' Gentiliũ ſua priuilegia, nec modò ſub Conſtantino, cuius eſt, & noſtra Conſtitutione poſterior, *l.* 2. *C. Theo. quemadm. mun. ciu.* ſed & poſt eum fere vno ſeculo, vt liquet *ex l. qui ad Sacerdotiũ* 75. *l. Nemo* 77. *l. Africani* 145. *l. Exceptis* 175. quæ Honorij, ac Theodoſij iunioris eſt, *in huius C.* ſupponitq; *in verſ.*

ipſius, durare adhuc priuilegia dignitatis Sacerdotibus Africæ; cum tamen ea eis adempta, & abolita fuiſſe videātur anteriore *Conſtitutione* Archadij, & Honorij, quæ eſt *lex Priuilegia* 14. *C. Theodoſ. de pagan.* Aſt ne contraria hæc cenſeantur, ſupponimus, referendam eſſe *dict. l.* 14. ad priuilegia, conceſſa, vt ait, *Sacerdotibus Miniſtris, Præfectis Hieroſantis agrorum*, in queis veluti latebris, & agreſtium locorum compitis, excluſa Vrbibus ſuperſtitio Gentilium, obſtinatior perſeuerabat, vt indicatur *in l. Si qua* 16. *l. Paganos* 22 *cum l. ſeq. Cod. Theodoſ. de pagan.* vnde & pagani dicti à pagis, quia in his, & extra Vrbes Idololatrię ſuæ ſerviebant, vt vel diſcere eſt ex Oroſio *lib.* 1. *hiſt. adu. Pagan. cap.* 1. Eiuſmodi autem Sacerdotes, erant Antiſtites illi Vicanei Gentilium ruſticorum, de queis Sulpitius Seuerus *in vita S. Martini, cap.* 10. & qui *in dict. l.* 14. nominantur *Hieroſantæ agrorū*, nēpe ſacrati Deæ Cereri matri agrorū, & Eleuſinię apud Athenienſes, teſte Arnobio 5. *adu. Gentes.* Hieronymo *epiſtol.* 11. *ad Gerontiam, & lib.* 1. *aduerſ. Iouinianum in fine*, vbi & illos, *vſque hodie*, ideſt, ſua, quæ fuit Honorij ætas, manere affirmat; ſiue Hierophantæ Hecatis Cereris filiæ, quæ & Proſerpina, ſeu Perſephone frugifera, & præfecta frumentis, germinantibus, vt Auguſtinus ſcribebat 4. *de Ciuitat. Dei, cap.* 8. quo titulo inſigniuntur, ſcilicet ſacrati Deæ Cereri, & Hierophāti Deæ Hecatæ, Ædeſius Prætextatus, & Paulina Prætextati vxor, in Gruteri *Inſcript. pag.* 300. *& pag.* 1102. & in alijs apud Baroniū *ad annum* 376. *&* 382. de queis alia Iacobus Gothofredus *ad l.* 14. quem non tranſcribo.

11 E contrario nouior illa lex exceptis 176. Honorij, & Theodoſij iunioris, eſt de Sacerdotibus non agrorum, ſed Carthaginenſis Curiæ, & Metropolis, & Prouinciarum, vbicumque, quibus & maximè Carthaginenſibus priuilegia ſua ſtabant, non ſacrorum, quæ damnata, intuitu, ſed ſpectaculorum, quę edebant, Carthagini, & vt ſcriptum eſt, *cum fauorabili editione*, *l. Africani* 145. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* cum invulgata in hanc rem *lege vlt.* quæ eſt Theodoſij II. & Valentiniani III. de Sacerdotibus Carthaginis, *Cod. Theodoſ. de Decurion.* excluſa nempe à priuilegijs hiſce, *Sacerdotalium ſuperflua turba*, vt vocatur in *dict. l. Exceptis* 176. (quantò magis Hierophantis agrorum) & è Carthagine à Metropolibus in Vrbes ſuas redire iuſſa, vt nouiore alia Honorij, & Theodoſij *lege Sacerdotales* 20. *Cod. Theod. de pagan.*

Enim verò ſtetiſſe ſaltem ſub 12
Theodoſio, Honorij parente, Sacerdotum Gentilium immunitates, & priuilegia, oſtendit ſatis vnus D. Ambroſius celebri illa epiſtola cōtra Symmachi relationem, dum de Veſtalibus, atque vltra de Sacerdotibus fanorum expendit, exprobratque, eſſe illis ius, ex teſtamento Chriſtianæ viduæ capiendi, quod Chriſtianis Sacerdotibus adimebatur Theodoſij *legibus* 20. *&* 27. iuncta *l.* 28. *Cod. Theodoſ. de Epiſc. & Cleric.* quas & ſimiliter expendit Hieronymus *epiſt.* 2. *ad Nepotianum*; ac præterea adijcit Ambroſius immeritò Veſtales, & Flamines conqueri de alimentis ex publico non præſtitis, & Templorum agris in fiſcum tranſlatis, quod factum fuerat Gratiani conſtituto, cuius mentio *in l. Sacerdotales* 20. *C. Theod. de paganis*; & repetitum poſtea alijs, de queis ſupra vbi de Agonotheticis fundis. At honores, ornamentaque Flaminum ſub Theodoſio memorat Latinus Pacatus in *Panægyric.* Cenſorinus *de die natali, cap.* 15. & vel poſt Honorium Sido-

nius,

nius, *Flamoniæ municipibus inuideri*, tamquam honores, ſcripſit *lib. 5. epiſt.* 12. Ac denique Innocentius 1. *epiſtol.* illa ad Patres Toletanos, *de Sacerdotium ſubſtinentibus, & editiones publicas.*

13 Quibus & Illiberitanis Canonibus 2. 3. 4. & 55. elucidandis, addeſis licet, Chriſtianos Cæſares nouiores, vt cumque retinuiſſent Flamines, Syriarchas, ac ſimiles Sacerdotes pro fauorabili editione, noluiſſe tamen ad ea Sacerdotia, & munera cogi invitos, *l. Voluntate* 103. *l. Iuxta* 166. *C. Theodoſ. de Decurion. l.* 3. *de Scenicis*, quæ in Iuſtiniani Codice eſt. De ſpectac. & quamvis olim cogebantur ſaltem ſemel, *l. Sponte* 17. *D. de muner. & honorib. l. In honoribus* 8. *l. Prætor* 13. *D. de vacat. mun. l. Nec protoſtaſiæ* 8. *Cod. de muner. patrim. lib.* 10. Hieronymus alijs laudatus in vita Hilarionis, & ſub Cæſaribus Chriſtianis Curiales Ethnici, de queis exaudienda *lex Duumvirum* 174. *in fine, Cod. Theod. de Decurion.* tamen aperta prohibitio in Chriſtianis, ſiue illis, *qui à Templorum cultu, obſeruatione chriſtianitatis, abſceſſerint*, vt proditum eſt de Archiereis *in l. Conſequenda* 112. *eodem tit. & Cod.* Vbi & indigna illa ratio, quæ Canonibus ſacris iungatur: *Quippe indecorum eſt, imò, vt verius dicamus, illicitum, ad eorum cura Templā, & Templorum ſolemnia pertinere, quorum conſciētiam vera ratio diuinæ religionis imbuerit, & quos ipſos decebat, tale munus, etiam ſi non prohiberentur effugere.* Cōducunt *lex* 1. *Cod. Theodoſ. de Fide Cathol. leg. Quoniam* 5. *Cod. Theodoſ. de Epiſc. & Cler.* & in Africanis *Can.* 27. Sit & iam finis huic excurſui, qui & fuit Sacerdotibus Ethnicis, & nominibus Syriarcharum, & Alytarcharum, redacta eorum cura titulis, & ludis ad Comitem Orientis, & Moderatorem Syriæ. *l. vnica, Cod. de offic. Com. Or.* ſub Leone I. poſt quem & ideo ſub Iuſtiniano Phœniciarcharum, & Syriarcharum deſueta, & ignota fere nomina, vt indicatur in *Nouella* 89. *cap.* 15. ac ſimiliter Sacerdotum Ethnicorum, & Flaminum, quos & ideo Tribonianus influenda Iuſtiniani Codicis *Nouella* Martiani *de matrimonijs Senatorum*, ſimul cum perfectiſsimis, & duumviris omiſit, nominatis tantùm Senatoribus. *l. Humilem* 7. *C. de inceſt. nupt.*

Atque hæc de Sacerdotibus Gentilium, Phœniciarchis, & alijs, & politica in his conniuentia Cæſarum commentabamur præter Cuiacium, Petrum Fabrum, Iuretum, Pancirolam, Bulengerum, & alios laudatos noſtratibus Amaiæ *ad l.* 1. *n.* 10. *Cod. de muner. & honor. lib.* 10. Gonſalio in notis ad Illiberit. *lib.* 2. *cap.* 7. & 9. & poſt Baronium, Lilium Giraldum, Gutherum, & ad Tertulianum alios Epiſcop. Albaſpin. *lib.* 1. *obſeru. cap.* 22. & ante editos Iacobi Gothofredi commētarios ad Theodoſij Codicem, cuius in prolegomenis *ad tit. de pagan.* cum notis ad illius tituli leges, ſimulque *tit. de Decurion. & l.* 2. *de expenſ. lud. l.* 2. *de prædijs Senator.* reperiſſe nos pleraque ex his, quæ ſcripſeramus, & interdum plura non diffitemur, iuris nempe, & aliorum auctorum, teſtimonia, & vt ſic dixerim, pro ædificio cœmenta, & tigna. At ſat ſit, collocationem hanc, & ſtructuram noſtram fuiſſe, & in ea erectas aliquot obſervationum Columella. 14

CAPVT XXXIX.

AD EAMDEM LEG. 1. COD. DE NATVRALIB. LIBERIS;
Vbi de connubio cum ancilla, liberta, aut eius filio, & Latina.

ARGVMENTVM.

IVliæ, Papiæque Leges non tam prohibuere, quàm deſpexere connubium cum ancilla, vtpote quod Romano iure habitum ſemper pro nullo. At prohibuit Conſtantinus coercendæ nobiliũ vtriuſque ſexus licẽtiæ, quæ ſuo ſeculo in ſerviles nuptias præceps ibat: ac præ cæteris Decurionum, de queis eſt Conſtantini *lex 6. Cod. Theod. de Decurion.* in qua ſub legum nomine intelligendæ Iulia, & Papia. Conferuntur Conſtantini aliæ leges pro honeſtate, ac diſciplina morum. Quoad connubium cum liberta firmantur, fulciunturque pœnis leges Iuliæ à Conſtantino. Sed in filia libertę ampliantur prohibito connubio, non prohibito legibus Iulijs. Ampliationis ratio non alia fortaſſe, quàm vt comprimeret effrænem abuſum Senatorium in nuptijs cum eiuſmodi fœminis, quæ vtcumque non prohibitę, ſemper tamen viſæ indecoræ Senatoris. Ad Iuliani *legem 9. Cod. de dignitatibus, lib. 12.* animadverſio. De Latinis, vel libertis curſim aliqua. Non fuit cum illis connubium, etiam ante Conſtantinum, niſi ſpecialiter concederetur. Explanati Paulus in ſententijs, & Vlpianus apud Licinium. Nec tamen ideo otioſa prohibitio Conſtantini, quippe adaucta ea pœnis, & exacerbata, compeſcendo coniugiorum exceſſui, cum notæ huius fœminis. Latina facta, quę & quo ſenſu exaudienda apud Conſtantinum.

1 PRoximæ ſunt apud Conſtantinum *in dict. l. 1. Cod. de natural. lib.* poſt ampliationes prohibionis connubialis legum Iulię, & Papiæ in perſonis maritorũ, aliæ in fœminis ducendis: & in his prior illa: *Sed ex ancilla, vel ancillæ filia.* Firmatur hæc ampliatio *in Nouella* Martiani *de matrim. Senator. l. Humilem 7. Cod. de inceſt. nupt.* Quibus elucidandis memineris, Iuliam, Papiamque leges in prohibitione Senatorij connubij cum indignis fœminis, longiſsimè abfuiſſe ab exprimenda prohibitione in ancillis, ſatisque habuiſſe, exprimere libertinas, quæ ſunt ancillarum filiæ: idque tantò magis, quia connubium cum ancillis, non modò indignum Senatorio, ſed & inauditum iure Romano cuius libero homini; & vt eſt in Plautino prologo, *nouum, & quod, ſit nuſquam gentium.* Vlpianus *tit. 5. §. Cum ſeruis.* Paulus *2. ſentent. tit. 19. §. Inter l. Proculus 67. D. de iure dot. l. 3. Cod. ſolut. matrim. l. Si quis ſic 57. D. eodem tit. l. 1. D. de diuort. Nouella 22. de nuptijs, cap. 10.* & quidem *multò priùs hoc ipſum Domino conſtituente, quàm initium Romani iuris exiſteret.* Vt in ſpecie expendit *cap. Non omnis 12. 32. quæſt. 2.* exponendus nobis infra *lib. 3. cap. 2.* Quocirca aut iniurioſa Senatorijs poſsit videri, aut ſaltem ſupervacua ampliatio hæc prohibitionis ad coniugia cum ancillis, tamquam ex probrans illis, quæ vel non appetituri, vt indigniſsima, vel à queis ſatis prohibiti, dum vel cum libertinis vetantur.

2 At obſervaſſe rei expediendę iuuabit, flacceſcente cum Romano Imperio morum diſciplina, ac decoro ante, & poſt Conſtantinum, increbuiſſe, vel maximè, abuſum ſervilium cõiugiorum, idque non modò in fœminis ingenuis, & nobilibus, quæ contemp-

tempto Claudiano Senatuſconſul-to, *in plagas contubernij*, vt Conſtantinus vocat, *in l. 3. in fine, Cod. Theod. ad Senat. Conſ. Claud.* cum ſeruulis volentes ibant, vt ex Tertulliano, & Hieronymo, & profanis Iuuenali, ac Petronio, monuimus *lib. 3. cap. 3.* ſed etiam in viris nobilioribus, ex quis plerique eo ſeculo ancillas ſuas pro vxoribus habebant, aut vxoribus ſuperinducebant concubinas, & ancillarum ſuarum fiebant mariti, præcipitantes faſtigium nobilium matrimoniorum in cubilia obſcena ſeruarum, vt de Aquitanis ſuis deplorat Salvianus *lib. 4. & 7.* & eodem ſeculo, ac ſenſu Leo Primus *epiſtol. inter editas 95. ad Ruſticum Narbonenſem.* Ambroſius *ſerm. 3.* de S. Ioanne Baptiſta ad finem; vterque apud Gratianum *in cap. Non omnis 12. 32. quæſt. 2. cap. Dicat 9. 32. q. 4.* illuſtrauimus laudato nuper *lib. 3. cap. 2.* Addimus Hieronymum *epiſt. 83* ad Oceanum, vbi de habẽtibus ancillas ſuas pro vxoribus, ſuſceptoſque ex eis liberos, vt proprios. De quo & nos ſupra.

3 Addimus ad rem magis, iam à Conſtantini æuo, conſueuiſſe præ cæteris Decuriones municipiorum, ſeu Ciuitatum, vt ſe, ſuamque ſobolem ſubducerent curiarum oneribus, quæ grauia iam, & intolerabilia eſſe cœperant, vt nominantur *Nouella* Leonis 46. & Iuſtiniani 38. *de Decur.* Quibus adiecimus non pauca ſupra; abſtinere à nuptijs legitimis, & confugere ad coniugia ſeruilia cum ancillis potentium dominorum, eoque ipſo in gremia, & patrocinium potentiorum, quorum ſcilicet patrocinio, & potentia, contra repetitionem curiarũ defenderentur: vt Conſtantinus noſter aliquot ante hanc legem annis commemorat. *in l. 3. C. de inceſt. nupt.* quæ eſt *lex Quoniam 6. Cod. Theodoſ. de Decurionib.* (in qua præfatum illud: *Nulla præditos dignitate ad ſordida deſcendere connubia ſeruularum, & ſi videtur indignum, minimè tamen legibus prohibetur.* abſurdum meritò videatur, ideoque à Triboniano omiſſum *in dict. l. 3. Cod. de inceſt. nupt.* niſi ſi legum nomine intelligantur Iulia, & Papia, quæ de nuptiarum cum ancillis prohibitione, nihil ſpeciale ſanxere, quia deſpexere, vt ſupra inſinuauimus, ſenſitque ad illam *l. 6.* Iacob. Gothofredus) ſed & diſertè Leo, ac Maiorianus *Nouella* de Curialibus, vbi de his: *Illud quoque ſibi dedecoris addentes, vt dum vti volunt patrocinijs potentum, Colonarum ſe, ancillarumque coniunctione polluerint; itaque factum eſt, vt Vrbibus ordines deperirent.* Conducunt, & ex his illuſtrandæ *l. Ex omnibus 31. l. Si quis 34. l. Curiales 39. Cod. de Decurion. lib. 10. l. Curiales 30. C. de locato. l. Omnes 178. verſ. Nec quiſquam, cum l. ſeq. C. Theod. de Decurion. Nouell.* Theodoſij *ne Curialis præd. alt. conduc. l. vlt. ad finem, Cod. Theodoſ. de patrocin. Vicor. Nouell. 38. de Decurion. §. 1. verſ. Denique, & cap. 2.* Neque exſcribimus Salviani locum *lib. 5.* de ſimilibus patrocinijs, & clientelis laudarum Cuiacio *ad l. vnic. Cod. vt nemo ad ſuum patrocin. lib. 11.*

Ergo ea occaſione, & cura Conſtantinus, vt compeſceret nobilium effrẹnem abuſum cum ancillis, tãquam vxoribus, herilem lectum aſcendentibus, vt idem loquitur in *l. 3. Cod. Theodoſ. de liber. cauſa*; ac prẹcæteris Decurionum, quorum ex ordine duumviri, & Sacerdotales in Curijs erant, quomodò & ſolent, cũ vitia exorbitant, inſurgere, & armari nouæ leges, ampliauit prohibitionẽ Iuliæ, & Papiæ, ad duũviros, & Sacerdotes, & expreſſit quoad ancillas, nec ſupervacuo, vtpotè additis pœnis, quæ ſequuntur in hac *l. 1. C. de natur. lib.* & quas vetus Iuriſprudẽtia non agnouerat, quia ſeruilia con- 4

nubia, vt contubernia deſpexerat, ex regula *l. Quod attinet 32. D. de reg. iur.* iuncta Conſtantino illa Iuſtiniani traditione *in Nouella 89. quibus mod. natural. in princip.* Quemadmodum eadem ex cauſa idem, veteri iuri de nullitate, vt ſic loquamur, connubij cum ancillis, ſanctionem, pœnaſque addiderat anteriore Conſtitutione. *l. 3. C. de inceſt. nupt. l. Quoniam 6. in Theod. de Decurionib.* & in mulieres, *ſeruorum ſuorum complexibus inflammatas*, animadvertit, *diſtrictiſsimo rigore*, vt ſcriptum eſt *in Nouella* Anthemij, *& l. vnic. Cod. Theodoſ. & Iuſtin. de mulier. quæ ſe ſeru. propr.* & in his, quæ alieno ſervo, intendit pœnas Claudiani Senatus Conſulti. *l. 1. Cod. Theodoſ. ad S. C. Claud.* Nec diſsimili ſeueritate idem Conſtantinus cauit de concubinis conſtante matrimonio nō habendis. *l. vnic. C. de concubinis.* Fuitque acerrimus pudicitiæ vindex in raptores virginum, ac viduarum, *l. 1. de accuſat. & l. 1. de raptu virgin. in Theod.* cuius poſtremæ eſt pars interpolata in *l. penult. Cod. Iuſtinian. pro quib. cauſ. ſerui pro præm.* & in tutores pupillarum violatores. *l. vn. in vtroque Cod. Si quis eam, cuius tutor fuer. corr.* & his, alijſque legibus, intemperantes, ac libidinoſos concubitus coercuit, vt Sozomenus ſcribit *lib. 1. Eccleſiaſt. Hiſtor. cap. 8. ad finem. D. Hieron. lib. 2. in c. 2. Eſaiam.* Nazarius *in Panægyr. ad Conſtantinum, cap. vltim.* Vt proinde & pro merito in hac noſtra Conſtitutione enarranda indigetetur Conſtantinus *honeſti amantiſsimus, & morum ſanctiſsimus Cenſor*, à Martiano *in Nouella de matrim. Senat.*

5 Continenter apud Conſtantinum, poſt verba illa, *ex ancilla, vel ancillæ filia*, ſequuntur, *vel liberta, vel libertæ filia*: ad quæ, quoad libertam, nihil eſt, cur moremur, quia ancillæ filia, ſi manumiſſa, & libera eſt, vt ſupponitur (alioquin enim à matre ancilla non diſtingueretur) eſt eadem cum liberta; & pleonaſmus, ſeu redundantia in verbis eſt ſequioris Latinitatis ſub Conſtantino, & ſimiliter eſt pluſquã notum, cum liberta Senatorijs non fuiſſe connubium, ex legibus Iulia, & Papia, & proinde quoad ancillæ filiã, ſeu libertam, firmauit legum prohibitionem pœnis additis Conſtantinus, non ampliauit. At quoad libertæ filiam, de qua itidem Conſtantinus, ampliatur omnino, & extenditur Iuliæ, Papiæque prohibitio, vltra illis legibus expreſſa, quibus, vt ſpeciatim monuimus ſupra: libertæ ſolæ apprehendebantur, quas libertinarum nomine intellexere, vſitata, & ciuili vel ab Auguſti ſeclo, inter Iuriſconſultos, libertinorum acceptione. *l. Lege 44. D. de ritu nupt. l. Si quis libertam 28. verſ. Quia lex, Cod. de nupt.* iuncta *l. Qui libertinus 37. D. de oper. libert.* Libertarum autem filiæ, vtpote ingenuæ, *l. Quod ex liberta 11. Cod. de oper. libert. l. Libertina 9. Cod. de ingen. manum*, & quod magis eſt, libertæ ipſæ, ex ſervitute manumiſſæ, vel ex ancillis natę, ſi ingenuitatis ius, aut imaginem poſtea conſequerentur, nubere poterant Senatorijs, vt ad leges Iuliã, & Papiam Iuriſconſultos noſtros ſenſiſſe, *l. 4. 5. & 6. D. de iure aur. annul. l. 4. D. de colluſ. deteg. l. Sciendum 32. D. de ritu nupt.* prænotauimus ſupra. Quin &, quod ad rem magis, ante, & poſt Conſtantinum, libertorum, ſeu quod idem eſt, libertinorum filij, vtpote ingenui, poterant in Senatum allegi, vt ex Iuliano proditum eſt *in l. Libertinorum 9. Cod. de dignitat. lib. 12.* iuncta *l. 1. Digeſt. de colluſ. deteg.*

Ex his neque eſt in promptu ratio, ob quam Conſtantinus prohibitionem Senatorij connubij, quę ex Iulia, & Papia legibus intra libertas 6

ſta-

ſtabat, ampliauerit ad libertarum filias, niſi vt nuper de ancillis, coniectemur de libertarum filiabus, quę vtcumque iuris ſenſu ingenuæ, erant tamen *ſtirpis libertinæ*, vt Vlpianus diſtinguit apud Liein. Ruffin. *in collat. leg. tit.* 16. §. *Item libro*, invaleſcente cum eiuſmodi fœminis (materuæ ſeruitutis memoria, & *decolore macula infectis, ac veluti obſcœnitatem profeſsis*, vt fere loquitur Martianus Conſtantini interpres *Nouell. de matrim. Senat*; quia ſæpe libertinæ eædem, & concubinæ præſertim patronorum ſuorum. *l. vltim. D. de diuort. l. Probrum* 41. *l. Etiam* 56. *D. de ritu nupt. l. Si vxor* 13. *D. ad leg. Iul. de adult. l.* 1. 2. *&* 3. *D. de concub.* & Conſtantiniani fere æui. *l. Libera* 34. *Cod. de liber. cauſa*, de queis ſuo loco accuratius) invaleſcente, vt dicebamus, & inſaniente in eiuſmodi concubinas tamquam viceconiuges, luxu Senatorum, vt de Saluſtio illo olim Horatius 1. *Satyra* 2. & *de Veſpaſiono* Suetonius *cap.* 3. ac *de Caſſiano Senatore* Papinianus *in l. Cum Tabulis* 16. § *Quoniam, D. de his, quæ vt indign.* Conſtantinum, honeſti, ac decori amantiſſimum, qui & concubinatum, & ſimiles ſerviles coniunctiones latis pridem legibus coercuerat, vt ſupra memorauimus, eumdemque minimè erga libertos indulgentem, quos vel in aula, & aulicos Chlamide vti vetuit, & extremo loco habuit, vt collaudat Lampridius *in Alexandro* prope finem; & quibus vel ex leui offenſa ingratis pœnam ſervitutis comminatus. *l. 2. Cod. de libert. & eor. lib. l. 1. Cod. Theodoſ. eodem titul.* exacerbaſſe prohibitionem, & inauxiſſe ad libertarum etiam filias.

7 Ac ne mirere, Iulianum poſtea indulgentiorem Conſtantino erga libertorum filios in Senatum allegendos. *dict. l. Libertinorum* 9. *Cod. de dignitat. lib.* 11. memineris ſimul impiũ Parabatam Conſtantino Orthodoxo ſemper iniquum, & infenſum, vt ex illius de Cæſaribus fabula liquet, & ſimiliorem, fauentioremque fuiſſe Gẽtili ſuo Diocletiano, qui Anulini Senatoris olim libertos, teſte Aurelio Victore, & libertinorum ſtudioſus, vt ſuſpicari licet *ex l. Cum affirmes* 8. *cum ſeqq.* vſque *ad l.* 40. *Cod. de lib. cauſ. l.* 3 *ſeqq. Cod. de ingen. manumiß.* quamquam vt & quod rei, non ſuſpitionis eſt, dicamus, libertinorũ filios alligi in Senatum, vtcumque non prohibitum, ſemper tamen probroſum allegentibus, & nunquam admiſſum ſine reprehenſione, & vt Tacitus *lib.* 13. *Annal.* loquitur, de Paride liberto, & Pantomimo, *non ſine infamia Principis* allegentis: notumque id ex Suetonio *in Claudio, cap.* 24. *& in Nerone, cap.* 15. Lampridio *in Commodo, & Alexandro.*

Sequebatur poſt verba hæc, *liberta vel libertæ filia*, in auctographo Conſtantini, *Ciue Romana, vel Latina facta*, vt Conſtantini legem recenſens exprimit iteratò Martianus in *Nouella de matrim. Senat.* §. *Nam cum ſanciret. &* §. *Humiles*. Sed omiſſa ea verba in Conſtantini, & Martiani legibus Inſtinianæo Codici inſertis. *l.* 1. *Cod. de natural. lib. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* quoniam Latina libertate ſublata, & in Ciuitatem Romanam transfuſa à Iuſtiniano, nulla manſit inter Latinam, & Ciuem Romanam diſtinctio, & ſicubi Latinorum mentio in priſcis legibus, omiſſa ea, aut translata à Iuſtinianeis Concinatoribus, ad ius, nomenque libertatis iuſtæ, ſeu Ciuitatis Romanæ, vt ex alijs, quos non tranſcribo, locis, obſeruatum Cuiacio, & alijs *ad l. vnic. in princip. &* §. *His tantum* 12. *Cod. de Latina lib. & in Inſtitutionibus*, §. *vlt. de libertin. &* §. *vltim. de ſucceſſ. libert.* & ad Liuium *lib.* 43. vbi de Colonia 8

illa

illa Latina Carteienſium libertinorum, poſt Rævardum, & alios ex noſtratibus eruditiores: & nouiſsimè, atque exactè Iacobus Gothofred. *ad l. 3. de hæred. pet. l. 1. de raptu virg. l. 7. ad Sen. Conſ. Claudianum in Theod. Cod.*

9 Monemus tamen pro elucidanda hac veteris Iuriſprudentiæ indicina, Romanis legibus cum Latina fœmina non fuiſſe connubium, niſi ſpecialiter concederetur, vt ex Vlpiano liquet *tit. 5. §. Connubium* 3. *&* §. *Ex Ciue* 9 *& tit. 7. §. vltim.* iuncta *l. Lex naturæ 24. D. de ſtatu hom.* Boetio *ad Ciceronis Topica, §. A conſequentibus.* Latinam autem naſci, vel fieri; quippe Latina matre, quæ naſcitur, Latina naſcitur, & libertinæ nexu, & legibus cenſetur, niſi poſtea Quiritium ius conſequatur, tametſi hæc eadem, quia non eſt ancilla, ſed ex libera matre, vtcumq; Latinę libertatis, naſcitur, dicitur, atque eſt ingenua Latina, ſcilicet ingenua, *quia non eſt manu emiſſa,* ſed nata, & Latina, quia ex Latina matre, vt quoad hæreditatem legitimam filiorum eiuſce fœminæ, diſtinguit Paulus ſic explanandus 4. *ſentent. tit. 9. §. Latina ingenua;* iuncto ex eiuſdem Pauli ſententijs *tit. 10. §. Ad legitimam*: & proinde huic propriè ingenuæ natalibus, & libertinæ ſtirpe, ac conditione Latina, aptatur diſcretio illa Vlpiani, inter *libertinũ, & ſtirpis libertinæ* apud Licinium Ruffinum *tit. 16. §. Item libro.* Latina autem liberta fuit, non tantùm manumiſsione per eos modos, quibus Latina olim libertas contingebat, ſed etiam facto legis certis caſibus *l. 1. de raptu virgin. & l. vnic. de hæred. petit. in Cod. Theodoſ.* atque eſt vtriuſque generis veluti exẽplum, in natis ex ingenua, & ſervo fiſcali, qui quamvis, quia ex ingenua matre naſcuntur, iuris cenſura ingenui, fiunt tamen, naſcunturque Latini ex Conſtitutione Conſtantini, *& mediam tenent fortunam, vt ſeruorum liberi, & ſpurij liberorum Latini ſint;* quomodò, & ſcitè ſcriptum *in l. 3. Cod. Theodoſ. ad Senat. Conſ. Claudian.*

Quę cum ita ſint, dubitari meri- 10
tò poteſt, qui neceſſe habuerit Conſtantinus, Senatoribus inhibere coniugium cum Latinis libertabus, quibuſcum ante Conſtantinum, atque ante, & poſt Iuliam, Papiamque leges, quin & citra earum præſcriptum cuiuis Ciui Romano etiam plebeio, connubium non erat, vtpote cum Latina non Ciue, *princip. Inſtit. de nupt.* cum ſupra laudatis: deinde cur Conſtantinus ſignanter loquatur de *Latina facta,* quaſi ſcilicet aliud ſentiat de connubio cum Latina non facta, ſed nata, ſcilicet ex matre Latina, cum tamen hæc eadem, quamvis ingenua, Latina ſit, niſi ſpecialiter ius Quiritium conſequatur, excludatur tamquam Latina, & non Ciuis, à legitima hæreditate filiorum ex Tertylliano, vt ex Paulo poſuimus 4. *ſentent. tit. 9. §. Latina, & tit. 10. §. ad legitimam.* Et conſequenter itidem à connubio cum Ciuibus: & multò magis cum Senatorijs, vtpote Latina, & libertæ filia, quod poſtremum vel ſatis iuxta Conſtantini verba.

At, vt paucis reſpondeas licet, &
recolas rurſus ad hæc verba, illud ſu- 11
pra notatum, de exacerbata à Conſtantino prohibitione connubij cum eiuſmodi fœminis, compeſcendo exceſſui nobilium in his contubernijs, & ampliata vel ad eas, cum quibus priſco iure connubium erat, veluti ingenuos libertarum Ciuium Romanarum filias, & multò magis exacerbata quoad Latinas, nec ſuperfluè quoad iſtas, vtpote additis, quę in priſcis legibus non erant, pœnis, quæ exprimuntur *in d. l. 1. Cod. de natural. liber.*

12 Iam quod de Latina facta loquitur, non eò referas, vt aliud ſentiat de Latina nata, quod abſurdum, & abſonum Conſtantino foret, qui apprehendit ea prohibitione ingenuam etiam, Ciuemque Romanam, natam ex liberta Ciue Romana, proinde & quantò magis Latinam natam, ſed de facta loquitur, quia refertur, ſequiturque hæc adiectio præcedentem illam, communemque poſitionem de liberta, cui regulare eſt, fieri, non naſci, & quidem fieri, vt ſubſequitur, Ciuem Romanam, aut Latinam, quomodò hæc non ſemel iunguntur. §. *vlt. Inſtit. de libertin.* Paulus apud Licinium Ruffinum *tit.* 4. §. *Idem Paulus* 1. neque alia huic rei, & nunc de Latinis, de queis alibi ad alia capita noſtrarum legum, ac prę cæteris ad caput de caducis, ac de ratione, ob quam id caput in cœlibibus extenſum ad fideicommiſſa, non extenderetur ad ea in Latinis, vt ex noſtris, tricennio ante hæc, dictatis Salmaticæ, quin & ex diſciplina, quod gloriamur, noſtra commemorat, dignus Schola principe Primarius anteceſſor, imò digniſsimus, & admotus iam Supremæ Senatorię Orcheſtræ, in Caſtellano Regio Senatu, Don Ioſephus Retes *repetitæ editionis commentario de interdictis, & releg. lib.* 3. *excurſu* 3. *num.* 30. & 33.

CAPVT XL.

AD LEGEM, A CALIGATO 21. COD. DE NVPTIIS.

ARGVMENTVM.

IN vulgati, & Scholiaſte egentis *l.* 21. *Cod. de nuptijs Textus*, & quæ in eo difficilia. His explanandis, dictum in primis, qui Caligati milites, ac dein qui Protectores. Ab illis, tamquam infimi gradus, ad Protectores, tamquam ſummi, gradatio *in Theodoſiano Codice*. Reiecta *in noſtra l.* 21. Prateiana emendatio, & tentata alia. Prępoſiti Laborum, ſeu Labarorum, Protectoribus pares, aut comparabiles. Iam inde ab Auguſti ęuo liberti, ad armatam militiam admiſsi, non item ad Palatinam ex Theodoſij lege, quia ea militia inter honores, & ne inſoleſcerent: quæ rationes ſunt *l.* 3. *de libert. & cor. lib. & l.* 1. *de Conductor. & hom. dom. Aug. in Cod. Theod.* atque ipſæ ſunt vnius Conſtitutionis partes. Protectorum militia fuit dignitas, & in poſt Primicerium decem primi ſequentes, fuere Senatorij. Idcirco quamvis libertorum filij, vtpote ingenui, admitterentur ad inferiores gradus militiæ Protectoriæ, non tamen vſque ad proximos Protectori, qui eis nullatenus liciti. Enodata ſic contra Anianum, *d. l.* 3. *de lib. & cor. lib.* ſcriptura, in nuptijs non neceſſaria, & tamen habita inter ſolemnia priſca nuptiarum; quin & inter neceſſaria in matrimonijs nobilium, & in nuptijs imparibus: illuſtratur *l.* 22. *Cod. de nupt.* cum alijs, & Leonis magni Canon apud Gratianum *cap.* 12. 32. *qu.* 5. Additur exemplum coniugij inter Latinum, & Ciuem Romanam, ex Vlpiano, & Cœlicolæ cum terrigena, ex Martiano Capella. Papia lege an, & quid de dotibus cautum. Obſervatur iam, *noſtram l.* 21. eſſe ſectionem *d. l.* 3. *de lib. & cor. lib.* Eſt & illius pars (prænotante hoc Iacobo Gothofredo) *l. vlt. C. Iuſtin. de lib. & cor. lib.* in qua, Honorij nomine expuncto, emaculata Inſcriptio, & ſubſcriptio. Expoſita *ea lex vlt. de militia Palatina*, iuxta *d. l.* 3. & caſtigatus Tribonianiſmus, & ex eo Baſilicorum erratum. Ex his ſuppleta item ſubſcriptio *noſtræ l.* 21. cuius ſententia, & ratio applicita ad Caligatum militię Palatinæ, ſeu Protectoriæ, ac proinde ingenuum, eiuſque nuptias cum ingenua permiſſas, ſine ſolemnitate, vſque ad Protectoris proximos (ſic enim legi, malumus) quibus non permiſſæ, ſine ſolemnitate, quia impares, & illi Senatorij. De Inſtrumentis in nuptijs varia Iuſtiniani ſtatuta. Inter hæc illud, vt requirantur in matrimonijs dignitatum Maximarum, *vſque*

ad Illuſtres, Nouell. 117. *cap.* 4. pro queis Baſilica, & alij reddunt, *vſque ad Spatharios.* Iſti ſub Iuſtiniano, & deinceps fere ijdem cum Protectoribus, nempe cuſtodes corporis Cæſaris; & eorum Præfectus Protho ſpatharius, & ſub Gothis Comes Spathariorum.

1 LAtuit fortaſſe hactenus, aut præterij eruditiores, niſi nos in ſubluſtribus his priſci iuris latibulis hallucinamur, Conſtantinianæ legis veſtigium veluti, aut appendix, quæ extat in Theodoſij, & Valētiniani *l. à Caligato* 21. *C. de nupt.* verbis illis: *A Caligato milite vſque ad Protectoris perſonam, ſine aliqua ſolemnitate matrimoniorum, liberam, cum ingenuis dumtaxat mulieribus, contrahendi coniugij permittimus facultatem.* Quorum verborum, niſi per nebulam, vix primo adſpectu conſtet ratio, ac ſententia. Cur enim Caligato militi, ſiue gregario, ac plebeio non permittatur coniugium, niſi cum *ingenua dūtaxat* fœmina, ac proinde non cum libertina, cum longè ante Theodoſium Iulia, Papiaque legibus, ingenuo cuiuis, præter Senatorium, permiſſa libertinarum coniugia. *l. Lege Papia* 23. *D. de ritu nuptiar.* aut cur Protectori militi, prohibeatur, ſignificatur *in d. l.* 21. connubium cū ingenua, quod Senatorijs, & Patritijs permiſſum Iulia, & Papia, ac demum Conſtantini lege? *l. Lege Iulia* 44. *D. de ritu nupt. l.* 1. *C. de natur. lib. l. Humilem* 7. *C. de inceſt nupt.* aut quæ deniq; ratio, ac neceſsitas ſolemnitatis illius matrimoniorum, vel permittēdæ ſine illa facultatis eorum, Theodoſij lege in matrimonijs ante eam omni iure permiſsis? *l. Si vicinis* 9. *l. Neque* 3. *C. de nupt. l. Iubemus* 11. *C. de repud.* Quantò minùs in Caligato *Nouella* 74. *quib. mod. natur. cap.* 4. §. *Quiſquis* 3. *ad finem.*

2 Profitemur autem in primis, & præfiſcinè, & ſcripſiſſe nos hæc, & quæ ſequuntur, ſine vllo duce, vtique ante accuratos illos cōmentarios Iacobi Gothofredi ad Theodoſianum Codicē, & poſt hæc illis editis, nec reperta aliqua in eis, & *in l.* 3. *de libert. & eor. lib.* vel leui *noſtræ l. A Caligato* 21. mentione, quæ tamen pars illius *l.* 3. eſt, vt iam oſtendemus, non diſplicuiſſe quæleſcumque has noſtræ animadverſionis ſtricturas. Ergo pro diſcentibus, tamquam ſi è Cathedra Salmanticę præfaremur, pauca præmunienda ſunt. Illudque in primis, verbis illis prioribus *dict. l.* 21. *à Caligato milite vſque ad Protectoris perſonam*, deſignari duo veluti extrema, atque ordines, ſummum, & infimum militantium, ſcilicet Caligatos, quomodò à Caliga, vulgari crurum tegmine, dicti olim Caligati, milites Gregarij, ſiue manipulares, & infimę claſsis, & vt Iuſtinianus compellat εὐτελεστέρους καὶ ἀφανεστέρους, *viliores, & obſcuriores. Nouell.* 74. *quib. mod. natur. cap.* 4. §. 3. iunctis *l.* 10. *D. de excuſat. tut. l. Omne* 6. §. *Sed & Caligatus* 5. *D. de re milit. l. de militibus* 9. *D. de cuſtodia reor.* ad quam alia ex Briſſonio illaudato Dionyſius Gothofredus *l.* 2. *D. de his, qui not. infam.* in qua pro Caligatis, aut rectè habet textus Baſilicus *lib.* 21. *titul.* 2. *milites nouitios*, & propriè magis Scholiaſtes illic: *Viles, & gregarios*, & è cōverſo Protectores ſic dictos, quia protegendo, ſed tuendo Cæſarum lateri militabant, quorum de origine, nomine, & iure multa, ante annos triginta nos Salmanticæ, calente illo ætatis, & curæ extemporalis impetu, *in recitatione typis data ad l.* 2. *C. de excuſat. muner. lib.* 10.

Nunc id ſaltē pro re, Protectores habitos fuiſſe, ſummum, digniorem- 3 que militantium gradum, & honorem (ἀξιώτεροι, ſiue digniores milites dicuntur Procopio *hiſtor. arcanæ pag.* 108.) quē veterani in votis habebant, & quo ſæpe poſt ſtipendia emerita augebantur *l.* 2. *C. de veter. lib.* 12. *l. Qui in ſudore* 7. *l. Eos ques* 14. *C. Theod. de luſtr.*

coll. Ammianus Marcellinus *lib.* 30. Symmachus *lib.* 3. *ep.* 67. vbi *in notis* ex Paulino Iuretus. Vnde & diſcretio illa tãquam extremorũ infimi, & ſummi, *à Caligato vſq; ad Protectorẽ, in d. l.* 21. ſicut *in l. qui in ſudore* 7. *de luſtr. coll. in C. Theod.* illic: *Stipendiorũ gradus vſque ad Protectores,* & *in l.* 3. *eod. C. de libert. & eor. lib.* inibi, *ad locum vſque proximum Protectoris.*

4 Quò circa & explodẽda ſciola correctio, qua olim Prateius, pro verbis, *vſque ad Protectoris perſonã, in d. l.* 21. reponebat, *vſque ad Præfectũ Cohortis,* vt apud Vlpian. *in l.* 2. *D. de his qui not. inf.* At ſcire, aut meminiſſe debuit, apud Vlpianũ gradationẽ fieri à Caligato, ſeu gregario milite ad exercitum Regentes minores, maioreſque veluti Centuriones, Præfectos, Cohortis, Tribunos legionis, & vniuerſi exercitꝰ Duces, quales Vlpiani ſeculo erant. *d. l.* 2. *l. Præfectus* 63. *D. de rit. nupt. l. Ab eſſe* 32. *D. ex quib. cauſ. maior. l. Omne* 6. §. 1. & 2. & *vlt. l. Officiũ* 12. §. *vlt. l. milites* 13. §. *irreuerens, D. de re mil. l.* 1. *in fin. l. Tribunꝰ* 20. cũ *l. ſeq. l. Titius* 25. *D. de teſt. mil. l. de inofficioſo* 9. *C. de inof. teſt. l.* 1. *C. de reſtit. mil.* è cõtra apud Theodoſ. *in d. l.* 21. à claſſe infima Caligati militis, nõ ad Duces, ſed ad ſummã, digniorémq; claſſem militũ protectorum ſub Theodoſio, quorũ nullibi in Pandectis nomen, quãquam Vlpiani ſeculo, iã eo nomine noteſcere incipiebant, vt liquet ex Spartiano in Caracalla, Capitolino in Maximinis, ac deinde aucta, & promota eorũ dignitas à Gordiano iuniore, & ſecutis Cæſaribus, quomodò exaudiendus Cedrenus in Gordiano.

5 Nobis ſi critici ſcalpelli vſus aliquis *in d. l.* 21. (dimiſſa interim correctione alia, de qua opportuniùs infra) placebat, pro illis, *vſq; ad Protectoris perſonã,* in queis perſonę vox abundans, parũque apta, quia non tã de perſona vniꝰ Protectoris, quã de gradu militiæ eorũ ſermo, legi *vſq; ad Protectores, & Præpoſitos,* facili ex notis mẽdo. Intelligi autem Præpoſitos illos, qui Præpoſiti laborũ dicuntur *in l. vn. C. de Præpoſ. lab. lib.* 12. eoſdẽque, qui vulgò Præpoſiti Labarorũ, quia & in laborũ militarium ſolutionẽ, ac præmium, & Labaro ante Cæſares ferendo præponebantur, de queis iã olim poſt Cuiaciũ diximꝰ edita illa cõmentatione *ad l.* 2. *C. de excuſ. mun.* At pro correctione nunc noſtra addimus, Præpoſitos hos Laborũ, ſeu Labarorũ, fuiſſe ex ordine, & claſſe, ſeu Schola domeſticorum in Palatio, & ad latus Principis militantiũ. *l. vn. C. Theod. de præpoſ. Lab.* & paris, ſiue eiuſdẽ cum protectoribꝰ dignationis *d. l. vn. C. de præpoſ. Lab. in C. Iuſt. & Theod.* iuncta *l.* 2. *C. de domeſt. & protect. lib.* 12. *l. domeſtici* 7. *cum ſeqq. eod. tit. in Theod.* Vndè & Protectores, aut Præpoſiti iungũtur, cõparanturq; *in d. l.* 2. *C. de excuſ. mun. lib.* 10. *l.* 1. *C. Theo. de teſtim.* illic: *Si qui ex Protectoribꝰ, vel ex Præpoſitis,* iuncta *ſeq. l. eod. tit. l. Veteranorum* 5. *C. Theod. de veteran.* inibi: *Qui Præpoſiti, vel Protectores fuerunt.*

Secundò præmuniendũ eſt, ſicut ſolis ingenuis, & quidẽ honeſtioribꝰ licuiſſe, eſſe inter milites, & libertos, libertinoſve, non fuiſſe allectos, admiſſoſve ad militiã, idq; ex veteris Rom. dilectu, diſciplina, & iure, de quo *ad Polybiũ,* ex alijs Lipſius *lib.* 1. *de milit. Rom. cap.* 2. Steuuech. *ad Vegetium lib.* 1. *de re milit. cap.* 7. noſque ex Vlpiano *tit.* 3. §. *vlt. lib.* 3. *c.* 1. ita poſtea, & iam inde ab Auguſto ſub ſecutis Cęſaribꝰ, & Iuriſcõſultis noſtris, libertos recens manumiſſos promiſcuè, paſsimq; militaſſe, vt colligere ſatis nũc ſit, ex *l. qui ſtatꝰ* 8. *l. ab omni* 11. *de rẽ milit. l. ſi militi* 6. *verſ. Planè, D. de caſtrẽſ. pec. l. vl. C. de lib. & eorũ lib. l. operis* 43. *D. de oper. lib. l. qui de libertate* 29. *D. de lib. cauſ.* iũcta de præbitione tyronũ poſſeſſoribus indicta, & receptis ad arma ſeruis, quales domini habere faſtidiebãt, atq; 6

inde

inde tot Imperio illatis cladibus, lamentabili querela Vegetij, atque vtinam non noſtris moribus applicabili, *lib. 1. de re milit. cap. 7. in fin. l. Inter 8. l. Quiſquis 11. l. Contra 16. C. Theod. de Tyronib. & Nouella* Theodoſij *de Pantapolis, & 3. de Tyronibus. l. 2. Cod. eod. tit. lib. 12.*

7 Sed quod in propoſito obſerves, à militia Palatina, ſcilicet in Palatio Principis agente, libertos, ſiue ex ſeruitute manumiſſos, omnino excluſos fuiſſe, Theodoſij lege, in hanc rem ſingulari, quæ eſt 3. *Cod. Theod. de libert. & eor. liber. in princip.* illic: *Libertinæ cõditionis homines nunquam ad honores, vel Palatinam aſpirare militiam, permittimus.* Et *in fine*, illic: *Ipſos verò, qui manumiſsi ſunt, nulla ratione ad vllum, quamvis humilis militiæ locum ſinimus, admitti.* Quæ prorſus exaudimus de militia inter Palatinas humiliore, non autem de armata extra palatium, ad quam vel ſeruos ipſos, & deditios invitabat, libertate promiſſa, *lex alia Theodoſij*, quæ eſt *contra 16. C. Theodoſ. de Tyronib. l. 4. §. Seruus 6. C. de bonis libert.* Fuit autem propria ratio in Palatinis militijs, quia cenſebãtur inter honores dignatione, erantque fere dignitatibus pares, aut comparabiles. *l. Quoniam 38. verſ. Qui verò, Cod. Theodoſ. de Decurionib. l. Si quis cum l. Super 6. Cod. qui militare poſſ.* iuncta *l. Iubemus 4. Cod. de præpoſ. Sacri Cubic. lib. 12.* Ambroſius *de militijs*, ſeu *Scholis his Palatinis ad 1. epiſtol.* Pauli *ad Corinth. cap. 12. in princ. Sicut eſt etiam* in humanis officijs; *Scholæ enim ſunt, quæ poſitis in ſe dant dignitatem.* Et liberti arcebantur honoribus ingenuorum, *lege Vitellia. l. vnica, Cod. ad leg. Viſell. l. 1. Cod. ſi ſeruus, aut liber. ad Decurion. lib. 10.* ac præterea ne Palatinæ militiæ vſurpatione liberti erga patronos inſoleſcerent, aut inſurgerent, *& ex hoc ſibi erigendi ſupercilij faſtu ſacro*, ſiue Cæſareo *nomini oriatur inuidia*, vt fere ſcriptum eſt de conductoribus domus Auguſtæ, ne ad militiam aſpirent, vt exaudio, Palatinam, in Conſtitutione eiuſdem fere cum *dict. l. 3. Cod. Theodoſ. de lib.* inſcriptionis, ſubſcriptionis, & datæ, quæ eſt *l. 1.* iuncta *l. ſeq. de conductor. & hom. dom. Aug. in Theodoſ.* quam rationem, cenſuramque ſecutus *Toletanus Canon*, prohibens libertos 1 Palatinis officijs, atque inde illuſtrandus *in Concil. Toletan. 13. cap. 6.*

Tertiò & monemus, quod ſatis iam vel ex propoſitis liqueat, Protectorum militiam fuiſſe dignitatem, *l. 3. Cod. Theodoſ. de diuerſ. offic. l. 3. de fabricens. eod. Cod. & in Iuſtinianeo 2. eod. tit. l. 2. de excuſ. mun. lib. 10. l. 2. Cod. de veteran. l. Nonnulli 153. & l. Quoniam 38. Cod. Theod. de Decurion. l. Qui in ſudore 7. l. Eos, quos 13. de luſtrali collat. & l. 1. 2. & 3. de teſtimoniali*, & ex Tribunis in eodem Codice, & quidem, quia, inter alia decoramenta, & priuilegia, ſacram Cæſaris purpuram adorabant. *l. 1. Cod. de domeſtic. & prot. lib. 12. l. Reſtituendæ 6. §. Licentiã, C. de aduoc. diuerſ. Iudicum. l. 3. & 4. Cod. Theodoſ. eodem tit. dict. l. 2. aut 3. de fabricens. l. Qui de ordinariorum 9. de diuerſ. offic.* Addimus, vt & magis propoſito appropinquemus, inter Protectores ipſos, eminuiſſe, poſt Primicerium, decem primos ſequentes, Senatoria dignitate, ſiue clariſsimatu, intea alectos, veluti exconſulares, *dict. l. 2. l. Domeſtici 7. cum ll. ſeqq. Cod. Theod. de domeſt.* Eoque poſito, ſubiungimus, Theodoſi ana illa, cuius meminimus, *l. 3. de libert, & eor. lib. in Cod. Theod.* quamvis liberti ipſi, ſeu manumiſi ad nullam, quamuis humilem, Palatinam militiam admitterentur, tamen ex libertis, ſeu manumiſsis natos aditum habere *ad* 8

lo-

locum vſque proximum Protectoris, licitum nullatenus. Vt ſcriptum eſt *in dict. l.* 3. quibus verbis (ſi modò ſyncera ſunt) quamquam ſignificari ſimpliciter locum, ſeu gradum Protectoris, & ad eum vſque poſſe conſcendere ingenuos filios manumiſſorum, interpretatur Anianus, ſeu quis alius *ad dict. l.* 3. repugnant tamen illa, *licitum nullatenus*, quæ eum locum conſcendi vetant. Nec ſatis congruunt illa, quæ non locum Protectoris ſimpliciter, ſed *locum vſque proximum Protectoris* deſignant: ac proinde expono potiùs de loco decem primorū, vt quemadmodùm in litterata militia ſcriniorum palatij, dicti eo ſeculo, proximi ſcriniorum, qui immediatè eorum Præfectos, ſeu Magiſtros, qui ſpectabiles erant, ſequebantur dignitate; & loco clariſsimi, & Conſulares inter allectos, *l.* 1. *&* 3. *l. Peculiari* 5. *cum alijs, Cod. de proxim. ſacr. ſcrin. lib.* 12. *& l.* 2. *&* 7. *cum ſeqq. Cod. Theodoſ. de proxim. Comit. diſpoſ.* ita in militia armata Protectorum decem primi dicantur proximi dignitate clariſsimatus, Protectori, qui ſingulariter, & quaſi antonomaſticè Protector vocabatur. Quomodò apud Ammianum *lib.* 18. *&* 26. ille Iouianus, *Domeſticorum Ordinis Primus*; atque ex eo Interpretator, quem poſtea *Protectorem* ſimpliciter vocat Ammianus *lib.* 25. & Paulus Diaconus; *millenarium*, *lib.* 11. *ad finem*; & *Chiliarchum*, ſeu *Tribunum* Socrates 3. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 19. Cedrenus *in Iouiano*. Quocirca, & eſt ſententia Theodoſianæ legis, libertos, ſeu manumiſſos ab omni militia Palatina arceri, filios autem eorum aditum habere, ſalva patronorum reuerentia, *ad locum*, vſque proximum Protectoris, licitum nullatenus, ideſt, ad protectoriæ militiæ gradus inferiores excluſiue, vt nunc Scholiaſticè diceremus, ad maiores Primicerij, & decem primorum proximorum Protectori Tribuno, qui eis nullatenus liciti.

Quartò tādem ſupponimus quāuis 9. certi, & recepti iuris ſit, in nuptijs ſcripturam non requiri, eaſque & matrimonium fieri conſenſu, non tabulis. *l. Contrahitur* 4. *in fine, D. de pignor. l.* 4. *D. de fide inſtrument. l. Donationes* 31. *D. de donation. l. Si vicinis* 9. *l. Neque* 13. *Cod. de nupt. l. Iubemus* 11. *Cod. de repud. l. vltim. verſic. Sicut, Cod. de donat. ante nupt.* iuncta regula *l. Nuptias* 30. *D. de regul. iur. l. In ſponſalibus* 7. *D. de ſponſal.* tamen inter ſolemnia priſca nuptiarum recenſeri perſæpè nuptiales, ſeu matrimoniales, vt vocabant, tabulas, & inſtrumenta, quibus & dos conſcribebatur, & teſtatio ex more fiebat, nuptias fieri liberorum procreandorum animo, & voto, & vtrumque iuxta, aut ex iuſſu legum Iuliæ, & Papiæ, quarum veſtigia *in l.* 2. *Cod. de indicta viduit. Nouella* 22. *de nuptijs, cap.* 33. & apud Martianum Capellam *lib.* 2. *Satyr.* iunctis *l. Si is, qui te* 13. *Cod. de poſtlim. reu. l. Liberorum* 220. §. *Præter, D. de verbor. ſignif.* de queis; & alibi *lib.* 4. *reliquat.* 25. *ad leg. Iul. Miſc.* Sed tamen vel iam nunc adſcribimus Marculphi Monachi locum *lib.* 2. *form.* 15. quæ vocatur *libellus dotis*, ac ſic habet: *Quod bonum fauſtum, felix, proſperumque ſit: de diſpenſandis, maritandiſque ordinibus; ac procreationi liberorum cauſis, quæ ſunt neceſſariæ, vt omnis etiam donatium per ſcripturam ſeriem pleniorem obtineat firmitatem*; quibus verbis alludi quadamtenus ad præſcripta noſtrarū legum Iuliæ, & Papiæ, prænotauit illic Vignonius. At de tabullarum ſolemnitate in nuptijs, cui non vel ſatis Iuvenalis illa *Sa-*

tyra 2. *Quadraginta dedit Gracchus ſextertia, dotem Cornicini: ſignatæ tabulæ; dictum feliciter.* & *Satyr.* 10. *Veniet cũ ſignatoribus auſpex.* & *Satyr.* 6. *Si tibi legitimis pactã, iunctãque tabellis;* & in conſpicuo Tacitus 11. *Annal.* Tertull. *de velandis virgin. cap.* 12. Apuleius *lib.* 4. *& apolog.* 2. Sidonius 7. *ep.* 2. & ad eos Scholiaſtæ, quos non exſcribimus.

10 Illud pro re, & obſervatu dignius, matrimoniales tabulas, vtcumq; moris potiùs, quàm iuris eſſent, fuiſſe tamen veluti ex more legitimo in matrimonijs nobilium, vt habet ſingularis in propoſito locus Iuſtiniani, *in l. vnic. §. Sed etſi quis 9. Cod. de Latina lib. toll.* illic: *Si enim hoc, quod frequentiſsimè inter Ciues Romanas, & maximè in nobiles perſonas fieri ſolet, ideſt, dotalis Inſtrumenti conſcriptio.* Et, quod plus eſt, ex iure neceſſarias habitas in nuptijs imparibus, ſiue inter impares honeſtate perſonas, quas non aliter valuiſſe, niſi dotalibus Inſtrumentis confectis, idque priſcis legibus (licet obſcuriùs) conſtitutum fuiſſe, teſtis eſt Iuſtinianus, ſeu Tribonianus *in l. Imperialis 23. §. Imò 7. Cod. de nupt.* ſuntque illius priſci, licet obſcuri, iuris exempla, & argumẽta ante Inſtinianũ in concubinis, ſiue ingenuis, in concubinatu habitis, cum teſtatione, & proinde pro inhoneſtis, iuxta *l.* 3. §. 1. quam ita pridem accepimus *D. de cõcubin.* ſiue libertis, aut libertinis, quales, pleræque concubinæ erant, in queis tamquam imparibus, & *inæquali coniugio,* vt vocatur *in l. 3. verſ. Quòd ſi alterutrum, Cod. de natur. lib. l. 1. Cod. Theodoſ. de Collegiatis,* vt vxores, & nuptiæ, liberique legitimi fierent, Inſtrumenta dotalia requirebantur, ex Anaſtaſij *leg. Iubemus 6. §. 1. cum l. 5. verſ. Pactis, Cod. de natur. lib.* iuncta *l. Laudabili 4. §. Quoties, Cod. de aduoc. diuerſ. Iud.* quod & ius Iuſtinianus ſequutus in matrimonio cum ſcenica, & illius filia. *l. Imperialis 23. §. 1. verſ. Dum tamen, & §. His illud 5. Cod. de nupt.* & quoad concubinarum nuptias, *in Nouell. 12. de inceſt. nupt. cap. 4. Nouell. 18. de triente, cap. 11. & Nouell. 89. quib. mod. natur. cap. 3. §. vlt. Inſtit. de nupt. & §. Sui autem 2. in fine, de hæred. quæ ab inteſtato.* Atque ex eo priſco, ante Iuſtinianum, iure illuſtrãdum eſt conſtitutum illud de matrimonio, & legitimis liberis, etiam ſine dotis inſtrumento, *inter pares dignitate perſonas;* vt ſcriptum eſt in Theodoſij *leg. Si donationum 22. Cod. de nupt. l. vltim. eodem tit. in Theod.* ſcilicet quia ſi impares eſſent, veluti concubina, liberta, aut libertina cum ingenuo, neque nuptiæ, neque naturales filij fierent legitimi ſine inſtrumẽtis dotalib'.

11 Atque hinc elucidandum eſt illud Leonis Magni, Theodoſio, & Valentiniano coæui, apud Gratianum in *cap. Non omnis 12. 32. quæſt. 5.* vbi cum præmiſiſſet, *nuptiarum fœdera inter ingenuos eſſe legitima, & coæquales, multò priùs hoc ipſum domino conſtituere, quàm initium Romani iuris exiſteret.* Subiungit *in verſ. Igitur,* de viro habente concubinam, non eſſe eum cenſendum pro coniugato, *niſi fortè illa mulier, & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptijs honorata fuerit,* ſignificans nimirum, cum concubina, vtpote impare, ſiue inæquali, non eſſe coniugium, niſi & ingenua fiat, & accedant inſtrumenta dotis, & nuptiarum publicarum pompa, ac celebritas, vt vocatur *in dict. l. Si donationum 22.*

12 Deinde & fuere vmbræ obſcuriores priſci illius iuris, & ex eo luce perfundendæ in Iunia Norbana, & Ælia Sentia legibus Iuliæ, Papiæque noſtræ *συχρονοις*, quibus in coniugio Latini cum Ciue Romana, inter quos connubium non erat, Vlpiano teſte *tit.* 5.

de

de his, qui in pot. §.4. *&* 9. vtpote *inter diſpares dignitate*, ex Iſidor. *lib. 9. orig. cap. 8.* §. *Connubiū*, ſiue *diſparis conditionis perſonas*, vt apud Vlpianum legit Cuiacius *tit. 7 de donat.* §. *in poteſtate* 4. tamen vt ex eo matrimonio liberi, ac parentes iuſti, ac Ciues Romani fierent, exigebatur teſtatio interpoſita, liberorum procreandorum cauſa, vxorem duci, & probatio cauſæ apud Prætorem, Præſidemve, vt ex Vlpiano diſces, *dict. tit. 7.* §. 4. *& tit. 3. de Latinis*, §. *Liberis.* iuncta illius iuris, veluti mimeſi, *in l. vnic.* §. *Sed etſi quis 9. Cod. de Latina lib.* Quomodò & eodem fortaſſe reſpectu in matrimonio illo Apuleij cum Pudentilla, quam ſexagenariam eſſe, obijciebatur, ac proinde impar matrimonium, & quod non proficiat ad capiendam dotem, ex Senatuſconſulto Calviciano ad legem Papiam, de quo Vlpianus *tit. 16. de ſolidi capacit.* §. *vltim. in fin. l. Si maior* 14. *in fine, Cod. de legitim. hæred.* Et in villa, ac proinde clam, & ſine teſtatione vxorem ductam, vt Apuleius idem *alibi lib. 6. Miles*, reſpondebat ille ipſe *apol. pro ſe* 2. & Pudentillam vix fuiſſe quadragenariam, ac præterea, quamquàm in villa, quod *Iulia lex de maritandis ordinibus nunquam interdixit, fuiſſe conſignatas nuptiales tabulas.* Et quidem *cum dote*, vt & ſcribit, *non grandi, atque vbere*, ſed *modica, & promiſſa.* Poſtremò, vt & critica magis, an & crepera alluſione concludam, non alia olim Martianus Capella, in nuptijs illis Mercurij Cœlicolę cum Philologia terrigena, vt *paribus iungerentur auſpicijs*, qui impares erant, poſt ambroſiæ poculum, quo Philologiam factam immortalem, & Cœlicolarum concilio illatam comminſcitur, atque eo ipſo factas *nuptias non impares, ſed legitimas, & iuri ciuili congruas*, vt, in ſimili Pſiches fabella, Iupiter Apuleianus *lib. 6.* ſubiungit Apuleium imitatus Capella ſcitè, *tunc petitum de Ioue, ſuperiſque cunctis, vt in conſpectu omnium quicquid ſponſalium nomine præparauerat Maiugena, traderetur, ac demum dos à virgine non deeſſet: tuncque tabulas, ac Papiā, Poppeāque legem ſinerent recitare*: ſcitę prorſus, vt credimus, applicito tabularum ritu ex lege Papia pro nuptijs imparibus.

Signamus hęc tandem Papiani nota, qui inter alias maritalis honoris, ſeu 13 matrimonij coniecturas, deficientibus etiam nuptialibus tabulis, reſpondit, perpendendam rem eſſe, *ex perſonis comparatis*; nempe quia ſi perſonæ coniugum non ſint ex nobilibus, neque impares, in queis dotales tabulæ, vt diximus, conſuetę, vt legitimæ. *l. Imperialis 23.* §. *Imò 7. Cod. de nupt. l. vnic.* §. *Sed etſi quis 9. Cod. de Latin. liber.* iuncta *l. Cum tabulis 16.* §. *Quoniam, D. de his, quæ vt indign.* ſed ingenui æqualis conditionis, matrimoniū potiùs, quàm concubinatus præſumetur ex maritali honore, & vitæ coniunctione indiuidua, etiam ſine tabulis, neque enim tabulas facere matrimonium. *l. Donationes 31. verſ. An autem, D. de donat.*

Erit ex tam longè petitis (& quis 14 ad hæc illinc, crederet, eſſe viam) planior iam explanatio noſtra *ad l. à Caligato 21. Cod. de nupt.* ſi & veluti pro auctario primi obſervemus, partem eam eſſe vnius, eiuſdemque Conſtitutionis Theodoſij II. & Valentiniani III. inſcriptæ Baſſo Præfecto Prætorio, & datę 3. *Kalend. Mart.* Rauennæ Theodoſio A. 2. & Valentiniano A. 2. Coſſ. cuius pars maior, præcipuaque cum relata Inſcriptione, & ſubſcriptione extat in *l. Libertinæ 3. Cod. Theodoſ. de libert. & eor. liber.* Et ex qua in *verſ. Nam ſi militantes*, vt vel obiter animadvertamus, ſumptum à Triboniano fragmentum, quod legimus

mus *in l. vltim. Cod. Iuſtin. de libertis, & eor. lib.* vbi & emaculanda in primis epigraphe, quæ Honorium auctorem præfert, & corrigenda, vt ſic inſcribatur. Impp. Theodoſius, & Valentinianus AA. Baſſo PP. Idque vel ex ipſa ſubſcriptione, quæ ſignatur 3. *Kal. April.* Theodoſio 12. (ſic etiam corrigenda, non *Theodoſio* 11. ex *dict. l.* 3. *Cod. Theod. de lib.*) *& Valentiniano 2. AA. Conſulibus.* Cum in comperto ſit, Valentinianum hũc, ſcilicet tertium, nonniſi biennio circiter poſt Honorij mortem, Auguſtum fuiſſe, ac præterea Baſſus, quem Præfectum Prætorio epigraphe nominat, non fuerit, vel poſt Honorium, & primo anno, ac Conſulatu Valentiniani Cæſaris, niſi Comes rerum priuatarum, vt inſcribitur *in l. Manichæos 64. de hæret. in Cod. Theodoſ.* & ſequenti anno primùm, nempe Theodoſio 12. & Valentiniano 2. AA. Coſſ. noteſcat Præfectus Prętorio. *l.* 1. *de Conductor. & homin. dom. Aug. l. vlt. de Apoſtatis, & l. pen. de Iudæis, in C. Theod.*

15 Iam & poſt correctiones has, cõiuncto pleniore contextu *dict. l.* 3. *Cod. Theodoſ. de libert. & eor. lib.* liquebit, ſententiam fragmenti, quod proponitur in Iuſtiniani Codice *in dict. l. vlt.* eiuſdem *tit. Sic exponendam eſſe*, vt libertorum filij, ſiue ex manumiſsis nati, vt vocantur, in Theodoſiano textu, poſsint quidem adire militiam Palatinam, *vſque ad locum proximum Protectoris* excluſiuè, ſed *ita vt patronis, patronorum ve hæredibus reuerentiæ priuilegia conſeruentur; nam ſi militantes etiam docebuntur ingrati, ad ſeruitutis nexum procul dubio reducentur*; quomodò habet integrior textus. *dict. l.* 3. in Theodoſiano, cui conducit iuridica ratio *l.* 1. *D. de obſeq. par. & patr. l. Si quis* 5. §. *A milite* 15. *D. de agnoſcend. lib.* Vnde neque excuſabilis multiplex oſcitantia Triboniani, dum quod Theodoſiano lex de militantibus in palatio, ille ad quoſcũque militantes, & quod in illa de manumiſſorum, ſeu libertorũ filijs, quibus ſolis non item libertis patribus aditum ad militiam Palatinam dabat, iſte aſſumptis ex initio Theodoſiani textus, verbis, *libertinæ conditionis homines*, & additis de ſuo, *vel eorum filij*, ad libertos, & eorum filios tranſtulit, denique ſic excerpſit, diſcerpſit, interpolauit, vt deinde Iuſtinianeo in Codice, neque mens, neque ratio *d. l. vlt.* conſtiterit Grecis, Latiniſque Scholiaſtis.

Documentum rei ſint concinnatores Eclogæ Baſilicorum, apud quos *lib. 49. tit. 2. de obſequio patr. præſt.* à *lib.* & ex *Ecloga* in corpore Baſilic. *tom. 6. eodem libro*, & titulo, ſic redditur, exprimiturque ſententia *dict. l. vlt. Libertus, aut liberti filius, ſi militauerint, velut hoc ipſo erga patronum ingrati.* Et vt in Gręco textu eſt ως ἐξ αυτου τουτου αχρισοι γενομενοι, *ad ſeruitutẽ reducuntur.* Quo ſenſu nihil alienius à germano illo, qui elicitur ex archetypo *dict. l.* 3. *Theodoſianæ*, nihil etiam abſurdius, quia libertus niſi operas patrono debeat. *l. Operis* 43. *D. de operis lib.* non ſit ingratus ex eo ipſo quod militet, quia nec prohibetur à militia armata extra palatium. *l. Qui ſtatus* 8. *D. de re milit. l. Qui de libertate* 29. *D. de liber. cauſa. l. Si militi* 6. *verſ. Planè, D. de caſtr. pecul.* Vlpianus *tit.* 3. §. *Militia.* iuncta *l.* 8. §. 6. *Dig. de excuſ. tut.* & recens manumiſsi ad qualemcumque militiam inermem, ſeu miniſterialem extra palatium admittuntur. *l. His verbis* 102. §. *Alumnos* cum §. *ſeq. D. de leg.* 3. *l. Libertis* 18. §. *Ab hæredibus, D. de alim. & cib. leg.* de qua miniſteriali militia extra palatium potiùs, quam de iſta, aut armata, exaudiri velim Iuſtinianum *in l. Super* 6. ob 16

illa verba, *ad militiam eis datam*, cum *l. ſeq. C. qui milit. poſſ. l. 3. §. Seruus 6. C. de bonis lib.*

17 Eſt denique, vt iam pergam, pars alia eiuſdem Conſtitutionis Theodoſianæ, & inſcripta itidem ad Baſſum Pr. Præt. in *noſtra l. à Caligato 21.* in qua, quæ deeſt ſubſcriptio, ſupplenda eſt ex *d. l. 3. Cod. Theod. de libert.* vbi & initio epigraphes ad Baſſum P. P. iungitur nota illa, *poſt alia.* Cuius frequens illius Codicis concinnatoribus vſus, quoties non integra conſtitutio, ſed pars exhibetur, alijs omiſsis, aut reſervatis; planè quod obſeruamus, & præindicauit Iacob. Gothofredus *ad l. In celebrandis 19. Cod. de nupt.* nempe has ſectiones *l. à Caligato 21. & l. vltim. C. de libert. & l. 3. in Theodoſ. eodem tit.* partes eſſe vnius Conſtitutionis Theodoſij, & Valentiniani ad Baſſum in partes ſectæ, ac diuiſæ (atque in eis itidem recenſendæ, epigraphe, & datæ eiuſdem, nec diſsimilis argumenti *l. 1. Cod. Theod. de Conductor. & hom. domi Aug.*) tam in conſpicuo eſt, collatis earum legum inſcriptionibus, verbis, & ſententia, vt iam è coniectura tranſeat in aſſertionem.

18 His itaq; ſtabilitis, eſt & in expedito mens, ac ratio *d. l. à Caligato 21.* ſimulque reſponſio obiectionibus, quas ſupra citauimus. Nam quod primum ſtatuitur, permitti Caligato militi matrimonium ſine alia ſolemnitate cũ ingenuis dumtaxat mulieribꝰ, ac proinde non cum libertinis, cum tamen lege Papia permitteretur, id eam rationẽ habet in primis; quia ſermo eſt non de quouis caligato viliore, cui qualecumq; matrimonium, & ſine ſolemnitate permiſſum. *Nouella* Iuſtiniani 74. *quib. mod. natur. cap. 4. §. Quiſquis* 3. ſed de Caligato dignioris militiæ Palatinæ, cuius ad gradum, quamvis humiliorẽ, nõ niſi ingenuus admittebatur, vt diſces, & prædiximus ex eadem Conſtitutione *in d. l. 3. C. Theod. de libert.* At ingenui matrimonium, quamvis permittebatur ſine ſolemnitate cũ ingenua, vtpote cum æquali, tamen cum libertina, vt impar, egebat ſolemnitate inſtrumentorum dotalium. *d. l. Imperialis 23. §. Imò etiam 7. l. Si donationum 22. Cod. de nuptijs.*

Rurſus quod veluti è contrario inſinuatur, permitti hęc à Caligato vſq; ad Protectorem, non eſt exaudiendum 19
incluſiuè, quaſi etiam Protectoribus permittantur matrimonia cũ ingenuis ſine ſolemnitate, quamvis ſic exaudiſſe viſus, poſt vulgares Gloſſas, & Baldum, Cuiacius, ſed potiùs, vt permittantur Caligatis ſolis infra, ſiue excluſiuè, vt loquimur, vſq; ad Protectores; ſicut eiuſdem ſenſus ſunt, etſi explicatiora, in permittenda ingenuo nato ex liberto, militia Palatina, vſque ad Protectorem excluſiuẽ, illa verba; *ad locum vſque proximum Protectoris (licitum nullatenus) in dict. l. 3. Cod. Theodoſ. de libert.* ex queis *in noſtra l. à Caligato*, pro illis, *vſque ad Protectoris perſonã*; volupe eſſet, reponere *vſque ad Protectoris proximas.* Sed vel hac correctione admiſſa, cui potiùs acquieſcimus, vel illa *vſque ad Protectores, vel Præpoſitos*; de qua ſupra; eſt apud nos indubiæ aſſertionis, permiſsione matrimoniorum cum ingenuis ſine ſolemnitate, pertinere ad Caligatos, in Scholis Protectorum militantes, non autem ad Protectores Anteſignanos, & eorum proximos, ſcilicet decem primos illos, & Primicerium, idque ex inobſervata, & ad Iuliam, Papiamque legem cum Conſtantiniana, & ius illud de inſtrumentis dotalibus in nuptijs imparibus, & nobilium pertinente ratione; ſcilicet quia Protectores decem primi, & Præpoſiti, erant Senatorij, & clariſsimi. *l. 2. Cod. de domeſt. & prot. cum l. Domeſti-*

ci 7. & ſeqq. Cod. Theodoſ. eod. titul. l. vnic. de præpoſ. lab. in vtroque Cod. atque ita comprehenſi legibus Iulia Papia, & Conſtantiniana, ne libertinas ducant, & hoc ampliùs recepto more, & iure, ne vel ingenuas dumtaxat, ſiue quæ nihil ampliùs, quàm ingenuæ ſint, ac proinde impares Senatorijs, ducant, ſine ſolemnitate inſtrumentorum dotalium. *dict. l. Si donationum 22. l. Imperialis 23. §. Imò 7. Cod. de nupt. l. vn. §. Sed & ſi quis 9. C. de Latin. lib. toll.*

20 Offerimus adhuc vel pro mantiſſa obſervationis noſtræ ad *l. à Caligato 21* (præterquamquòd & eſt correctoria appendix *l. 1. C. de natur. lib.*) conſtituta Iuſtiniani in propoſito, & quidem varia. Quorum primum fuit, vt matrimonia firma ſint ſine dotalibus inſtrumentis, & ſine diſtinctione perſonarum imparium, dummodò liberæ, & ingenuæ, vt expreſſum eſt *in l. Imperialis 23. §. Imò 7. cum §. ſeq. Cod. de nupt.* abrogato priſco illo iure, niſi in caſibus exceptis, quoad ſcenicas in, *dict. l. 23. in fine. & §. His illud 5.* & quoad concubinas *in l. Cum quis 10. & l. ſeq. cum l. Iubemus 6. Cod. de natur. lib. §. vltim. Inſtit. de nupt. Nouell. 12. de inceſtis, cap. 4. & Nouell. 18. de triente, cap. 15. & Nouell. 89. quib. mod. natural. cap. 8.* Secundum, primi derogatorium, fuit, vt qui in maioribus, ſeu maximis dignitatibus eſſent vſque ad Senatores, & illuſtres matrimonia contraherent omnino cum dotalibus inſtrumentis. Alij autem, mediæ veluti & honeſtioris militię, aut profeſsionis ſaltem cum teſtatione ſcripta apud defenſorem Eccleſiæ; denique Caligati, ſeu gregarij milites, & agricolæ, ac reliqui obſcuriores etiam ſine inſtrumentis, aut ſcriptura, ex ſolo affectu, *Nouell. 74. quib. mod. natur. cap. 4. §. 1. 2. & 3. & Nouell. 89. cap. 1. §. 1. vbi & cap. 15.* antiquatur tamquam exoleta Conſtantini *lex 1. Cod. de natur. lib.* Tertium denique, atque itidem correctorium, vt omnibus, & mediæ, aut infimæ conditionis licerẽt matrimonia, ſine inſtrumentis, ac ſine vlla apud defenſorem teſtatione, & ex ſolo affectu; non tamen his, qui in maximis dignitatibus vſque ad illuſtres, in queis retentum ius de neceſſitate inſtrumentorum dotalium (exceptis illuſtribus Barbaris) ne præterea permiſſa illuſtribus, cum inſtrumentorum interventu, matrimonia, etiam mulierum prohibitarum lege Conſtantini, & Leonis, quæ eſt *l. Humilem 7. Cod. de inceſt. nupt.* quibus apertè derogatur, & reliqua nuper ſignata ſtatuuntur *in Nouell. 117. ne liceat matri, cap. 4. & 6.* eiuſdem & *Nouell. 89. cap. 1. & 15.* Irnerianæ ſummæ extant *in Authent. Sed nouo iure, Cod. de natur. lib. Auth. Maximis, Cod. de nuptijs.*

Hæc inter, quàm pollicebamur, mantiſſa, ac fortaſſe, vt Tertullianus loquitur, non depretianda *ad dict. l. à Caligato 21.* reperitur in memorata *Nouella* Iuſtiniani 117. *cap. 4.* vbi in cautione illa de matrimonijs decoratorum maximis dignitatibus cum inſtrumentis vſque ad illuſtres, in libris Iuris Græco Romani, veluti *Synopſi Baſilicorum lib. 28. tit. 4. cap. 54.* pro verbis, *vſque ad Illuſtres*, redditur, μεχρὶ σπαθαρίων, *vſque ad Spatharios*, & in Baſilicorum corpore *tom. 4. dict. lib. 28. tit. 4. num. 47. cap. 4.* μεχρὶ πρωτοσπαθαρίων, ſiue *vſque ad Protoſpatharios*: eamque translationem agnouit, & notatu dignam ſcribit Anonymus Scholiaſtes Baſilicus inibi: & apud eum Theophilus. Harmenopulus in προχείρῳ, ſeu *promptuario lib. 4. tit. 4. §. 16.* 21

Porrò Spatharios iam inde à Iuſtiniano, ſub quo Zacharias ille, *immanis Protoſpatharius* dictus Anaſta- 22

ſio Bibliothecario in *Sergio Papa*, & Spatharius alter Totilæ apud D. Gregorium 3. *Dialog*. 6. ſub poſterioribus Cæſaribus Byzantinis, Leone Philoſopho, & Conſtantino Porphyrogeneta, Baſilicorum auctoribus, fuiſſe eoſdem cum Protectoribus, ſiue ſub nouo nomine, ſucceſsiſſe in illorum cuſtodiæ munus, ne diſcentes dubitent, liquet ſatis, vel ex laudatis Theophilo, Harmenopuloque, & auctores ſunt Gregorius Cedrenus in *compend. hiſtor*. paulò ante Iulium Cęſarem *num*. 79. vbi Spatharium Romanis, ait, eſſe cuſtodem corporis σωματοφύλακιν (qua voce Protectores nominat Herodianus *lib*. 4.) Anaſtaſius Bibliothecarius *hiſtor. Eccleſ*. ſub Heirene, apud quem & Paulum Diaconum 23. *hiſt. miſcell. cap*. 8. qui *Spatharius, & domeſticus excubitorum*, dicitur, eſt fere idem qui olim Comes domeſticorum, & Protectorum in Palatio excubantium. *l*. 2. & 3. *Cod. de domeſt. & Protector*. & eodem ſenſu Scholiaſtes *Baſilic. d. l*. 28. *tit*. 4. *num*. 47. *cap*. 4. Protoſpatharium conferens cum illuſtri Comite domeſticorum; vnde & illuſtris, ſicut ille, Protoſpatharius, & magnificus, glorioſuſque, de quo ex Leonis *Ecloga tit*. 10. Nicolao I. *epiſtol. ad Michaelem Imperatorem*, Codino *de officijs Aulæ, & Byzantini hiſtoriæ libris*, plura Meurſius, ac Rigaltius in *Gloſſarijs*, & deſcriptor, vt ſolet, Bulengerus. Quomodò & ſub Gotthico Imperio noſtro Comes Spathariorum, pro Præfecto Cuſtodum Regij corporis recenſetur inter illuſtria Palatina officia in ſubſcriptionibus *Toletani Concilij* 8. ad quas Loaiſa, Pantinus, & noſtrates alij.

23 At & conſentiens muneri nomen Protoſpatharij, ductum à Spatha, Latiore enſe, qualem fortaſſe Protectores, & ab eo Spatharij dicti geſtabant, *enſe latus ſtricti*, vt eſt in deſcriptione Corippi Africani *lib*. 3. & qualem inſignem, & erectum Protoſpatharius Imperatori præferebat, tamquam domeſticorum Pręfectus, cuiuſmodi Leo ille Protoſpatharius, & domeſticus excubitorum, & alij indigetati, Protoſpatharij, & domeſtici, & σπαθαροκουβικουλάριοι *in Conſtantinopolitana octaua Synodo actione* 3. *&* 4. & ſub extrema Græcia, & Imperio Megadomeſticus, qui in prælatione enſis tandem Protoſpatario potior, teſte Codino *de offic. Aulæ, C. P. cap*. 6. *n*. 6. *& cap*. 14. *n*. 6.

Sed vt finiamus, ſuadent ſatis hæc ſingula, quemadmodùm *in dict. l. à Caligato* 21. aſcenſu quodam, veluti facto à Caligato infimo milite, vſque ad Protectorum proximos, ſeu Proceres, ſcilicet decem primos Primicerios Tribunos deſignari eos, vt vſque adeo, & exinde, qui ſupra ſunt, contrahant matrimonia cum inſtrumentis, ita in Baſilicis ad eumdem effectum deſcendi à Patritijs inter illuſtres maximos, vſque ad Protoſpatharios, Protectorum Proceres, & Comites gradu, & munere ſimiles, & ſuccedaneos; & in ſumma, ſicut ſub Theodoſio *in dict. l. à Caligato* 21. Protectorum gradus inter milites erat ſummus, ad quem vſque à Caligatis aſcẽdebatur; ſic ſub Cæſaribus, à queis Baſilica edita, Spatharios Protectoribus munere, & dignatione ſucceſsiſſe, & eorum caput fuiſſe Protoſpatharios, ad quos vſque, tãquam illuſtrium vltimos, à maximis dignitatibus deſcenſus fit, *in Eclogæ*, & *Baſilicorum* laudatis locis, idque vt ex traditis pro *d. l. à Caligato* 21. non contrahant matrimonia ſine ſolemnitate inſtrumentorum. 24

CAPVT XLI.

AD RELIQVA IN CONTEXTV L. 1. COD. DE naturalibus liber.

ARGVMENTVM.

TAbernariæ,quæ apud Conſtantinum,& de earum nota ex Cæſarum legibus. Arenarij,qui in arena pugnabant,tam gladiatores,quàm beſtiarij,idque cõmuni vtriſque nomine,& proprio etiam gladiatoribus,*vt in l.* 11.*C.Theod.de penis*, tametſi vſitatiore in beſtiarijs. De illorum ignominia, ex iuris cenſura, atque inde ratio ampliandæ ad illos prohibitionis *in d.l.*1 .in qua, *Arenarij*,vox,non de gladiatoribus, quorum ſpectacula, decennio ante eam legem,vetita à Conſtantino,ſed de beſtiarijs,qui permanſere,vel vſque ad Iuſtiniani ævum. Agnita Triboniani ſectio *in l.* 3.*§.Lege,D.de teſtib.* Filij contra Conſtantini legem,aut Iuliam,& Papiam non fuere iuſti, neque tales fiebant, patris profeſsione, aut arrogatione,ante Iuſtinum *in l.Lege* 7.*C.de natur. lib.* quę elucidatur. Coniugiorum contra Conſtantini ſanctionem, prima pœna,infamia,& quæ illius ratio. Secunda, vt alieni fiant à Romanis legibus, ſeu communione eorum , quæ Romani iuris fuere. Minor hæc pœna, quàm peregrinitas,à qua & diſtinguitur *in l.*36. *atque alijs,C.Theod.de hæret.* Tertia pœna ereptitij donatorum in his coniugijs , & applicatio eorum legitimis,& poſt eos Fiſco. Commendatæ res in Conſtantini textu pro depoſitis,quo ſenſu ea vox ſæpe alibi, & reponenda ex Salmantina noſtra animadverſione *in l.* 1.*§.vlt.D.depoſiti*, pro qua, & ſimilibus dictatis noſtris *ad l.* 53.*D.de leg.*2.& ad titulum *de Concub.* vindiciæ iuſtæ. Ereptitij pœnam Conſtantinianam , tamquam adhuc obſervabilem, ſunt,qui ſupponant,fauente eis *l.vltim. titul.* 14. *part.* 4. At pro explorato ſit , ceſſaſſe , ſicut & illud de inſtrumentis dotalibus in coniugijs imparibus , vel Senatorum.

1 REgredimur ad Conſtantinum *in l.* 1. *Cod. de naturalib. lib.* apud quem adhuc inter fœminas , quarum coniugia inhibet, recenſentur aliæ illis verbis : *Vel ſcenica , vel ſcenicæ filia, vel tabernaria, vel tabernariæ filia, vel humilis,vel abiecta perſona , vel lenonis , aut arenarij filia , vel quæ mercimonijs publicè præfuit*. De queis, quoad licebit, parciſsimè ſubiungendum : & vtique de ſcenicis, & lenonibus , eorumque filijs, dictum ſupra quàm ſatis ad Iuliæ legis capita, *& lib.* 3.*cap.*9.*& ſeqq.* Sed & de tabernarijs fœminis fuiſſe eas plerumque lenas,& meretrices,& cauponas meretricantium officinas , idcircoque iam olim Iulia lege à connubio cum ingenuis prohibitas, adnotauimus *lib.* 3. *cap.*14. & comparari tabernarias ſcenicis. *l. vnic.de vſu ſellarum, in Cod. Theod.* Addimus nunc quoad eam, quæ mercimonijs publicè præfuit, de qua & eodem *lib.*3.*cap.*28.& accenſeri vilioribus fœminis ab eodem Conſtantino *in l. Quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Iul. de adulter.* quam à tabernaria Conſtantiuns diſtinguit, & ad illam veluti ampliat connubij prohibitionem , fuiſſe & has fœminas, quæ publicè, atque palàm mercimonia exerceant, ac per ſe præſint ergaſterio, vti minutiorum mercium propolæ,& in foro,& vt vocatur *in l.Noſtra vltim.tit.* 14. *part.*4. *Regateras*, habitas conditione vitę fere pares cum tabernarijs .*dict.l.Quæ adulterium* 29. *Cod.ad leg.Iul. de adulter.* iuncta Pauli ſententia apud Cuiacium *lib.*21.*obſeru.*

ſerú. cap. 18. & inter officiorum fæces, & abiecta, deformiaque miniſteria, & vltimas negotiationes, ideoque à dignitatibus ſubmotas. *l. Ne quis* 6. *Cod. de dignit. l.* 1. *Cod. de præpoſ. ag. in reb. l. vn. C. negotiator. ne mil. l. Si cohortalis* 12. §. *vlt. de cohortalib. lib.* 12. iuncto *cap. Nulli* 3. 44. *diſtinct. Clem.* 1. *in fine, de vita, & honeſt. Cleric. l.* 3. *tit.* 1. *verbo*, Recatones, *lib.* 6. *comp.* Proinde & meritò à connubio cum Senatorijs. *dict. l.* 1. *Cod. de naturalib. lib.* Accedit *Canon* 76. *Trullanus*, quo tamquam pares ſtare prohibentur cauponariæ tabernæ, & aromatum, ac ſimilia ergaſteria, intra ſanctos ambitus, ideſt intra Eccleſiarum areas, porticus, & veſtibula, vt exponunt Zonaras, & Balſamon.

2 Reliqua ſola eſt in Conſtantini verbis relatis, *Arenarij filia*; de qua & ſtatim monemus, non reperiri expreſſam Iuliæ legis capite de connubio Senatorio, quod extat *in l. Lege* 44. *de ritu nuptiar.* neque illo de connubio ingenuorum apud Vlpianum *titul.* 13. §. 1. prohibitionem connubij cum arenarij filia, neque vllo alio, quem ſciamus, veterum loco ante Conſtantinum, occurere eius prohibitionis notam. Proinde & ſimile vero eſſe, ampliatam primùm à Conſtantino, vt & in alijs ampliaſſe oſtendimus, legem Iuliam, ad arenarij filiam, idque ex ratione, de qua poſtea. Arenarios intelligo eos, qui in interiore illa, atque inferiore Amphiteatri parte, quam, quia concaua, caueam, & quia arenis ſternebatur, arenam vocabant, ſpectaculum ſui præbebant, vel gladio inter ſe pugnaturi, vnde gladiatores dicti; vel cultro cum beſtijs, vnde beſtiarij, ſeu venatores: & vtrique à loco, arenarij Tertulliano *de ſpect. cap.* 22. vbi quatuor illa recenſet, *quadrigarios, ſcenicos, xiſticos, arenarios*, & communi arenariorum nomine includit, gladiatores, & beſtiarios, quomodò idem alibi in partitione a locis quatuor ſpectaculorum complectitur eoſdē, ſub atrocitate arenæ, *in Apolog. aduerſ. gent. cap.* 38. & fortaſſe gladiatores etiam Theodoſius *in l. Conſenſu* 8. §. *Vir quoque, C. de repud.* illic: *Vel circēſibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum ſpectalis*. Et ante eum de gladiatoribus Valentinianus, & Valens *in l. Neminē* 11. *C. Theod. de pœnis*, inibi: *Arena ſuſcipiat, laniſta doceat, ſæua meditatio, & pugnatrix exerceat*. Cui iunge Quintiliani illud *declam.* 9. *Certa enim arenæ deſtinabar victima*. Et paulò ante: *Cōtemptiſsimus Tyro gladiator, diſcebam quotidie ſcelus*; & ex eodem *declamat.* 302. *Gladiator eſt, qui in arena, populo ſpectāte, pugnauit*, atque illud ante inibi: *Non ludum, neque arenam, neque armorum inſcientiam complexa eſt lex, ſed gladium* (vbi inſcientiam exaudio, ξιφοδιτικῶς, pro ſcientia, & peritia quomodò inſcientem Cuiacius *ad l. ſi ſeruus* 34. *D. de vſurp. & vſuc.*) Quamquàm non diffiteamur, apud Conſtantinum, de quo *infra*, & in auctorum iuris *fragmentis*, quæ *in Cod. & Pandectis* extant, arenariorum, & arenæ nomen, vt plurimùm, referri non tam ad gladiatores, quàm ad beſtiarios. *l. vlt. D. de fugitiu. l.* 1. §. *Beſtias*, *verſ.* *Denique, D. de poſtulat. l. Ob carmen* 21. §. *Si ea* 2. iuncta *l.* 3. §. *Lege Iulia* 5. *D. de teſtib. l. Hæ demum* 38. iuncta *l. qui libertinus* 37. illic: *Qui-ve operas, D. de oper. lib.*

Iam prohibitionis ampliandæ ratio 3 ad arenarij filiam, tam in aperto eſt, vt nec meritò nos moretur. Cōſtat enim parem fuiſſe, ac perſimilem *arenæ infamis*, vt Prudentius indigetat 2. *contra Symmachum*, & arenariorum ignominiam, atque ſcenæ, & ſcenicorum, id quod in beſtiarijs, qui in libris noſtris, vt prædiximus, propriè are-

arenarij, liquet ſatis *ex l.* 4. *Dig. de accuſ.* illic: *Item his, qui cum beſtijs, depugnandi cauſa, in arenam intromiſsi ſunt, quive artem ludicram. Nouell.* 115. *vt cum de appell. cap.* 3. §. *Si præter* 10. ibi: *Inter arenarios, vel mimos.* Theophilus 2. *Inſtit. tit.* 18. εἰμὲν κυνηγοί. *l.* 1. §. *Remouet* 6. *verſ. Et qui operas, cum ſeqq. D. de poſtul. l.* 3. §. *Lege* 5. *cum l. Ob carmen* 21. §. *Si ea* 2. *D. de teſtib. l. Sed & qui* 5. *Dig. ad S. C. Trebell. l.* 4. §. 1. *D. de legation. l. Qui libertinus* 57. *D. de oper. libert. l.* 1. §. *Qui operas, D. ad S. C. Tertyll. l. In arenam* 11. *Cod. de inoffic. teſtam. l.* 1. *&* 3. *D. de veteran. l.* 1. §. 1. *verſic. Item ſi quod, D. de ædil. ed. l. vltim. D. de fugitiu.* & ſpeciatim de arenariorũ ingominia ſunt *textus in l.* 3. *D. de liberis, & poſth.* Paulus apud Licinium Ruffinum *in collat. leg. tit.* 4. §. *Idem Paulus* 2. iunctо §. *vltim. & tit.* 8. §. *Vlpianus lib.* 8. *de offic Proconſ. Cap. Qui venatoribus* 8. *cum ſeq.* 86. *diſt.* Quibus illuſtrandis, non pauca adijcere, ſi vacaret, liceret.

4 At non omiſerim, quod & notatu non indignum pro Conſtantino, nec notatum vulgo adhuc, arenarij appellationem *in dict. l.* 1. *Cod. de natur. lib.* propriè magis, vt pręmonuimus, referri ad beſtiarios, quàm ad gladiatores, quia decem & ampliùs annos ante *dict. l.* 1. quę edita ad extremum circiter Imperij Conſtantini, vt oſtendimus *ſupra.* Conſtantinus idem gladiatoria ſpectacula prohibuerat, Conſtitutione illa, Paulino, & Iuliano Conſulibus; quæ extat *in l. vnic. Cod. de gladiator. lib.* 11. pleniorque in Theodoſiani *l.* 1. *eodem tit.* & quamvis, poſt Conſtantinum, cruenta ea ludicra, rurſus in vſu, & abuſu fuerint, vt apparet *ex l.* 2. *&* 3. *Cod. Theodoſ. de gladiatorib. l. Neminem* 11. *l. Quicumque* 8. *de pœnis*, ſublata tandem fuere ſub Honorio, de quo ex illius æui ſcriptoribus copiosè noſter pridem Salmanticæ in profeſſoria antceſſura, & Mediolani in Pręſidatu extraordinariorum redituum ſucceſſor, Nicolaus Fernandius Caſtro *ad l. vnic. Cod. de gladiator.* Quapropter poſt Honorium *in Nouella* Valentiniani 3. & Martiani *de matrimoni, s Senator. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* quæ Conſtantinianam legem recitat, & confirmat, arenarij appellatio non de gladiatoribus, qui iam extincti, & deſiti, ſed præcisè exaudienda de beſtiarijs ſolis, quorum cum feris lachrymoſa ſpectacula, vt, poſt Honorium, & Martianum, vocantur *in l. vltim. Cod. de ferijs*, manebant adhuc ſub Iuſtiniano. §. *Pœnæ* 5. *Inſtit. quib. mod. ius patr. pot. Nouell.* 105. *de Conſul. cap.* 1. §. *Et tertium, cum ſeq.* iuncta *Nouell.* 115. *vt cum de appell. cap.* 3. §. *Si præter. l. vnica. Cod. de venat. ferar. lib.* 11. Caſsiodoro 5. *variar. epiſt.* 42. quin & poſt Iuſtinianum ſeculis aliquot, vt obſerves, licet, *ex Can.* 51. *Synodi ſextæ, & ex Synopſi Baſilic. lib.* 8. *tit.* 1. *cap.* 1. Photio *in Nomocan. tit.* 13. *cap.* 2. vbi *in Scholijs* Balſamon, & ad laudatum *Can.* 5. ad quem tamen Zonaras *de venationum ſpectaculis*, quæ τῶν κυνη γίων θεάτρα, vocat, tamquam de ſuo ſeculo iam inſuetis loquitur.

Illud ſaltem ex hac gladiatorij ſpectaculi ante Iuſtinianum ceſſatione, & retento vel poſt eum vſu venatorij, & beſtiariorum, primi conjectamur, fortaſſe eo reſpectu in recitanda Iuliæ legis cautione, ex Caliſtrato *in l.* 3. §. *Lege* 5. *D. de teſtib.* cum ea lege ex æquo caueretur de eo, *qui depugnandi cauſa auctoratus erit, quive beſtias depugnare locauit, locauerit*, vt ex Vlpiano & lege Iulia ſcriptum legimus apud Licinium Ruffinum *in collat. leg. titul.* 8. §. *de falſo.* Vlpianus *lib.* 8. (quibus verbis deſignan- 5

tur,

tur, diſtinguūturque & gladiatores, auctorati ad pugnandum, & beſtiarij ſe locantes ad pugnandum cum beſtijs, vt apud eumdem Ruffinum ex Paulo *tit.4. de adulter.§. Idem Paulus* 1.) Tribonianum omiſiſſe mētionem gladiatoris auctorati, & retinuiſſe beſtiarij ſe locantis, *in dict.l.3.§. Lege, D.de teſtib.*

6 Ampliationibus memoratis prohibitionis legum noſtrarum ſuccedunt in Conſtantiniana, prohibitio ipſa, pœna, atque effectus, quibus commentario iuſto opus eſſet, niſi & præcipua alibi expoſita, & nos ad metam properaremus. Ergo vt ſummatim, cum Conſtantini ſententia fuerit congruens Iuliæ, Papiæque legibus, inhibere Senatoribus, & alijs, quos nominat, coniugia cum fœminis, quas recenſet, ne ſcilicet eas vxores habere liceat, vt ex Conſtantino refertur in *Nouell.* Martiani *de matrim. Senat. l. Humilem 7. Cod. de inceſt. nupt.* conſequenter conſtituit, neque filios ex eis ſuſceptos, in numero legitimorum habendos eſſe, *d. l.1.* illic: *Suſceptos liberos, Cod. de natural. lib.* quomodò ante, & poſt leges Iulias, in nuptijs per eas prohibitis, iuſti filij non erant. *l. Vxorem 15. Cod. de nupt. l. Qui libertinus 37.§. Poſthumus 7. verſ. Ex lege, D.de oper. lib. §.Si aduerſùs 12. Inſtit. de nupt.* electus Pauli locus, atque ex his illuſtrandus apud Ruffinū *in coll. t.leg. tit.16.§.Paulus, verſ.Sui,* illic: *Nec intereſt, adoptiui ſint, an naturales, & ſecundùm legem Iuliam, Papiamve quæſiti*; id, quod in permittendis ingenuorum nuptijs cum libertinis, & prohibendis Senatorijs, expreſſum lege Iulia, monuimus ſuo loco ex Dione *lib.54. hiſtor.* notumque illud Apuleianum de nuptijs Pſyches imparibus, ideoque non legitimis, ac per hoc filio ſpurio naſcituro, vt ille ait *lib.6.*

Adijcit continenter Conſtantinus, non eſſe eos filios habendos legitimos, *aut proprio iudicio, aut noſtri prærogatiua reſcripti.* Quibus verbis, vt duo, quos includunt, caſus diſtinguantur, primum accipio non de arrogatione à patre facta eiuſmodi filiorum, reſcripto Principis, de qua expoſuimus ex appoſita ad illam ſpeciem ratione *hoc libro ſupra*, Vlpianum *in l. vltim. de adopt.* hic enim caſus vix conveniret verbis *proprio iudicio*, nec diſtingueretur ab illis, *aut noſtri prærogatiua reſcripti*, ſed accipimus potius hunc primum caſum de patribus, qui, vt Conſtantinus loquitur, eos ſuſceptos filios *in numero legitimorum habere voluerint proprio iudicio*, ſine Principis auctoritate, veluti ſi eos filios teſtamento nuncupauerint, aut alioquin profeſſi ſunt; vt in *l. Caius 12. D.de iure patron. l. Neque 5. Cod. de teſtam. l. Non nudis 14. Cod. de probat.* de queis itidem *ſupra.* 7

Secundum autem caſum intelligo, non vt Accurſius, Bart. Salycet. Baldus, & hucuſque fere omnes, de legitimatione per reſcriptum Principis, cuius formula apud Caſſiodorum *7. variar. cap. 40.* & cuius in naturalibus vſus cœpit poſt Conſtantinum, *Authent. præterea Cod. de natural. lib. Nouell. 74. quib. mod. natural. cap. 2. & Nouell. 89. eiuſdem tit. cap. 9.* ad exemplum fortaſſe illius reſcripti, quod extat *in l. Qui in Prouincia 57. §.1. D. de ritu nupt.* ſed invulgato hactenus ſenſu de arrogatione eiuſmodi filiorum, reſcripto Principis, ſicut ſub Conſtantino in vſu erat. *l. 2. in fine. l. Arrogationes 6. l. In adoptionem 8. cum l. ſeq. Cod. de adoption. l. 2. D. eod. tit.* quam legitimationem per arrogationem non cōcedit his filijs Conſtantinus, quia ſuſcepti ex coniugio vetito, ſecus atque illi ex contubernio permiſſo in ſer- 8

ſeruitute patris, de queis *in dict. l. vltim. D. de adopt.* & quamvis poſtea hæc ipſa arrogationis legitimatio in ſuſceptis ex concubina, admiſſa fuerit, Anaſtaſij *lege iubemus* 6. §. *vltim. Cod. de natural. lib.* tandem tamen excluſa à Iuſtiniano *in dict. Nouell.* 74. *cap.* 3. *&* *Nouell.* 89. *cap.* 11. §. *Adoptionis*; & ante eum à patre Iuſtino *in l. Legem* 7. *Cod. de natural. lib.* quo loci verba illa, quibus excluſo in poſterum vſu arrogationis filiorum, indulget tamen in præteritum vſque ad illius legis diem, adrogationi factæ filiorum ex cupidine cuiuſcumque mulieris, modò non inceſta, & nefaria, ac proinde etiam ex prohibitis Conſtantini *lege* 1. *C. de natural.* & ſuffragatur, ſicut ſcribit, *vt adoptio, ſeu arrogatio firma permaneat, nullis prorſus improbanda quæſtionibus, quaſi quod impetrarunt, lege quadam interdictum ſit.* Obſervamus fortaſſe nouè, reſpicere, ac referri poſſe ad Conſtātinianæ legis verba illa, *ut noſtri prærogatiua reſcripti*, ex queis impetratio reſcripti, & adrogationis filiorū ex mulierib⁹ ea lege recenſitis, nō nefarijs, inceſtiſve, & tamen vetitis, interdicta cēſebatur, atq; inde emergebāt quæſtiones poſt Anaſtaſiū, & ante Iuſtinū, quas tamen ſubſtulit in præteritum, quia indigni non ſunt, qui alieno laborant vitio. *dict. l. Legem* 7. *Cod. de natur. lib.*

9 Prohibitionem ſequuntur pœnæ apud Conſtantinum in illis verbis: *Placet maculam ſubire infamiæ, & alienas à Romanis legibus fieri*; ad quæ indicaſſe, ſuffecerit, priorem pœnam, ſcilicet infamię, ob impar, & probroſum coniugium, congruere fere cum priſcis Romanis moribus, quibus iam olim inæqualia, & dedecoroſa coniugia erant obnoxia Cenſorum notę, & mulctæ, vt premonuimus *lib.* 3. *cap.* 1. & quamvis eo ipſo, quia quæ cenſorio ſupercilio relicta non coercebantur propria ex legibus pœna, vt expreſſum à Dione Caſſio *lib.* 54. non exprimeretur, imponereturve infamiæ pœna legibus Iulia, & Papia. *l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* tamen exoleſcente cenſura, & reſecata tempeſtate, vt loquitur Symmach. 4. *epiſt.* 29. quam ſcilicet ſub Conſtantiuo vltimus fortaſſe geſsit Dalmatius, ambigente vtcumque Baronio, Cenſor, quomodò vocatur à Socrate *lib.* 1. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 20. Athanaſio *in Apologia* 2. & ad quem referendæ Inſcriptiones *l. Vxor* 7. *Cod. de repud. l.* 1. *Cod. Theodoſ. de his qui numero liberor.* poſt inde Conſtantinum, *honeſti amantiſsimum, ac morum ſanctiſsimum Cenſorem*, vt in hac re indigetatur in *Nouella* Martiani *de matrim. Senator.* quammeritò probroſis his coniugijs infamię maculam inuſsiſſe, vtique grauiorem nota cenſoria, quia illa ruboris ſolius, & nominis, vt ſcripſit Cicero 4. *de R. public.* hæc famæ læſio, & minutio. *l. Cognitionum* 5. §. 1. *&* 2. *D. de extr. cognit.* ſed ſeuerior priſcis Conſtantinus in hac Conſtitutione, vt animadvertimus non ſemel ſupra capitibus præcedentibus.

10 Poſterioris pœnæ formula illa, *& alienos à Romanis legibus fieri*, vtcumque noua, ac ſine exemplo ſit veteri Iuriſprudentiæ, eam tamen fere vim habere videtur, ac ſi diceretur, peregrinos fieri, ſiue, vt Salycetus exaudit, bannitos hodie; quippe peregrini fuere alieni à communione Romanarum legum, ſeu ciuilis iuris, & eorum, quæ ex eo iure propria Ciuium Romanorum, ex regula *l. Sunt quidam* 17. §. 1. *D. de pœnis. l. Deportatus* 15. *D. de interdict. & releg.* veluti connubij, patriæ poteſtatis, mancipationis, teſtamenti factionis, & ſimilium, de queis Vlpianus *tit.* 5. §. *connubium* 4. *&* §. *connubio* 8. *tit.* 7. §. *vltim. tit.* 10. §. *Si patri* 3. *titul.* 19. §. *Mancipatio* 3.

&

& 4. *tit.* 20. §. *Latinus* 14. & *tit.* 22. §. *Deditius* 2. Caius 1. *Inſtit. tit.* 6. §. *Item* 2. iunctis *l.* 6. §. *Solemus*, *D. de hæred. inſtit. l.* 1. *C. eod. tit.* ad quam plura ex Briſſonio Gothofredus, quæ tranſcribere aliorum fuerit.

11 Nos pro Conſtantino obſervamus: pœnam relatis verbis additam non extendi, ſiue pertinere, & pertingere vſque ad peregrinitatẽ exilij, deportationis, & olim interdictionis aquæ, & ignis, quamquàm ita explicuerit Faber *in iuriſprud. tit.* 11. *princ.* 2. *ill.* 1. tum quia hæc ſi intelligeretur, ſuperfluam faceret precedentẽ pœnã infamię; quoniã peregrinitatis pœna illam includeret, ſiue famam conſumeret. *l. Cognitionum* 5. §. 1. & §. *Conſumitur*, *D. de extr. ord.* tum etiam, quia alienatio à Romanis legibus, quæ ſola pœna exprimitur, non eſt amplianda interpretatione ad peregrinationem. *l. pen. D. de pœnis. l. Cum quidam* 19. *D. de lib. & poſth.* tum denique, & potiſsimùm, quia Conſtantini æuo, & deinceps diſtinguntur pœna infamiæ, & priuatio cõmunonis iuris Romani, cuius mentio *in l.* 4. *in princip. Cod. de hæret.* iunctis *l. Si qui* 7. illic: *Sub perpetua iuſtæ infamiæ nota teſtandi, ac viuendi iure Romano; omnem protinus eripimus facultatem. l. Quid de donatiſtis* 40. inibi: *Nihil ex legibus ſit commune cum cæteris. l. Manentibus* 49. *Vt in totum vtriuſque iuris communione priuentur, Cod. Theodoſ. de hæret. l.* 2. ibi: *Teſtamenti condendi interdicimus poteſtatem, vt ſint abſque iure Romano. l.* 4. & *ſeqq. eodem Cod. de Apoſtatis, cum l.* 3. *eiuſdem tit. in Iuſtinianeo*, diſtinguntur vtique à pœnis peregrinitatis, vt liquet *ex l. Eunomianis* 36. *C. Theod. de hæret.* illic: *Eunomianis* pœnas *adimendæ teſtamenti factionis, peregrinorumque mutandæ conditionis remittimus.* Quibus verbis derogatur tum Conſtitutionibus, quę Eunomianis ademerant teſtamenti factionem; & communionem iuris cum reliquis. *l. Eunomiani* 17. *in princip.* & *fin. l. Omnes* 25. *in fine.* iuncta *l. Eunomianis* 23. *l. Conficiendorum* 27. *Cod. Theodoſ. de hæret.* tum & alijs, quibus Eunomiani ijdem Vrbibus pulſi, extorres, & proinde peregrinitatis pœna eis indicta. *l. Doctores* 31. *cum l. ſeq. l. Eunomiani* 34. *eodem titul.* & *Cod.* Fiunt itaque à Conſtantino illi, quos alienos à Romanis legibus fieri vult, non peregrini, quales olim, qui ſine pœna, quia Ciues Romani non erant, alieni etiam erant à Romanis legibus; quamquàm proprijs ſuarum Ciuitatum vtebantur. *l.* 2. §. *Poſt aliquod* 28. *Digeſt. de orig. iur. l. Nec apud* 7. *Cod. de hær. d. inſtit. l. Non dubito* 7. *D. de captiu.* iuncto Vlpiano *titul.* 20. §. *Latinus* 14. *in fine*, & Varrone apud veterem Grammaticum, inter Latinæ linguæ auctores, *Peregrinum dicebant, qui ſuis legibus vteretur* (quod poſtremum illis, de quibus Conſtantinus nõ congruit, quia Ciues manent, tametſi infames, & inteſtabiles) neque peregrini in pœnam, vt olim, aqua, & igni interdicti, & poſtea deportati, & ἀπόλιδες, ſiue extorres, ac demum neque relegati; ſiue qui hodie banniti, ſed ſine exilio, & peregrinitate, priuati in pœnam cõmuniõne legũm Romanarum; & lucillianè, vt dicam ex Nonio Marcello *cap.* 1. *verbo* Illex, *nõ exules; ſed exleges*; quomodò & ſenſit Baldus in *noſtra l.* 1. *num.* 2. vbi & poſt Cynum, & Albericum infert ad eos, quibus in pœnam adimitur protectio communitatis ſuæ, ſeu Ciuitatis ſuæ, iuxta ſtatuta, aut cõſuetudines Vrbiũ Italiæ, de quo & fortaſſe alia alibi.

Conſentanea poſteriori huic pœnæ alia, ſiue illius conſequens effectus eſt, qui pluribus verbis exprimitur 12

in d.l.1.verſ.Ita vt quidquid cũ ſeqq. ad fin.vſque Cod.de natur.lib. eiuſque ſumma eſt, donata, aut qualitercumque collata à Senatoribus, & alijs illic recenſitis,in eiuſmodi fœminas, & ex eis filios prohibitione comprehenſos eripi eiſdẽ,&transferri ad iuſtos filios, fratres,ſorores,patrem,matremve donatoris,aut agnatos,& cognatos,ac demum iſtis poſt bimeſtre ſpatium non petentibus, vindicari Fiſco, ſub quadrupli pœna. Confirmatur pars hæc poſtrema Conſtantinianæ legis,generali,& poſtremo capite *Nouellæ* Martiani *de matrim. Senat.* ſuntque illius veluti paralella, quoad alia coniugia prohibita *in l. Si quis inceſti 6.cũ l.4. Cod.de inceſt.nupt.l. 1.verſ. Omnium, Cod. de ſec. nupt.* de queis,& alijs conſtitutis de donationibus, dotibus, vel legatis inter iniuſtos coniuges, ex vetere,& noua Iuriſprudentia diſſervimus ex profeſſo *ſupra*. At in verbis illis, *ſi quid quæritur,vel commendatum dicitur*, & poſtea,*donatas*,vel *commendatas res*,eſt quod vel paucis adnotemus, commendati appellatione intelligi depoſitum, cuius ſub titulo, ac prætextu donata à Senatore concubinæ, ſupponebantur depoſita ab ea penes Senatorem, vt deinde tamquam propria ei reddi oporteret, atque ita fraus legi fieret, quod in incapacibus præſumitur, vt in exemplis *l. Qui teſtamentum 27.D. de probat.l.Cum quis 37. §. Codicillis,D.de legat. l. Si ſponſus 5.§.Circa 5.D.de donat.inter.*iunctis *l.Lucius 88.§.Quiſquis, D.de legat. 2.l.Aurelius 28.§.vltim.D. de lib. leg. l.Qui vxori 18.in princip.& §.1.D.de auro,& arg.leg.* Sanè commendati nomen pro depoſito frequens eſſe apud veteres, ſimulque & ex coacta iuris ratione pro voce, *commodatæ rei*, reponendum eſſe, *commendatæ, in l. 1. §.vltim.D.depoſiti*, non infrequenti alibi errato, obſervauimus pridem *lecta ad eum textum Academica commẽtatione dictata Salmanticæ ad annum* 1627. allatis ad rem locis alijs,& tentata itidem illius §. *Expoſitione*, ex queis tamen nihil adſcribimus, quia deſcriptam eam à commentatione integrè, & ad verbum ex auctographis dictatis noſtris legere volenti,licebit, apud Arium de Meſa *lib. 2. var. cap. 34.& 35.* & quidem ſibi aſſerta veluti commilitij Academici iure, an & fide, quamquàm non ſemel noſtri honorificè meminerit. Quod & eumdem feciſſe *lib. 2. cap. 10. num.11. in animaduerſione noſtra ad l.Cum ab vno 53.D.de legat.2.* deſumpta ex *Manuſcriptis noſtris Salmanticæ recitatis ad l.vnic.§.Primum itaque, Cod. de rei vxor. act.ad annum* 1626. Et poſtea *ad tit. de verb. oblig.* vbi de indiuiduis, oſtendet ſatis Mercurialis Merlinus, manuſcripta noſtra collaudans *poſt tractatatum de pignoribus*, *deciſ. 127.num. 12.* Cuiuſmodi & eadem fide vſurpatum eſt Syntagma illud de concubinis, & inter eas, & vxores ſimilitudine, ac differentijs *lib. 3. cap. 38. 39.& 40.* ex adverſarijs,ſchedijſque noſtris, quæ & ſe pridem legiſſe, & meliore fide agnoſcit noſter D. Ioſephus Fernandius Retes Primarius Anteceſſor *lib. de donationib. inter coniuges,cap.2.num.9.* Nobis interim preſiſcinè,& ingenuè vindicias egiſſe pro qualibuſcumque illis Academicis lucubrationibus,quæ,& aliæ,dũ à prælio tamdiu abſtinemus,in alienum nomen tranſire, licuerit, inoffenſa memoria, ac manibus docti Anteceſſoris, cui bene volumus, ac precamur.

Atque hæc pro Conſtantini *text. in l. 1.Cod.de natur.lib.* cuius ex verbis non pauca auidè magis, quàm opportunè, ad forenſes quæſtiones de incapacitate ſpuriorum producunt Accurſiani veteres, & nouiores, à queis 13

tem-

temperamus. Addimus dumtaxat pro re, & pro coronide, quantumcumque ex ſententia *dict. l.* 1. hodie relicta, vel donata à patre Senatore, vel in dignitate poſito, filijs ſuſceptis ex abiecta, aut vili muliere, eripi eis, & applicari legitimis, aut Fiſco, ſupponant, poſt Bertrandum *conſ.* 395. *num.* 10. *lib.* 4. D. Couarr. *de ſponſal.* 2. *part. cap.* 8. §. 5. *num.* 3. Gomeſius *in l.* 9. *Tauri num.* 33. quibus adſtipulatur veluti *lex vltim. titul.* 14. *part.* 4. iuncta *Gloſſa in l. vltim. verb. Perſonam, Cod. de ſponſal.* Pro certo tamen, & explorato haberi oportere, prohibitionem matrimoniorum Conſtantinianæ legis, & illius pœnas, effectuſque ceſſaſſe in primis, matrimonio contracto cum dotalibus inſtrumentis, correctione Iuſtiniani *in Nouell.* 89. *quib. mod. natur. cap.* 1. & 15. & *Nouell.* 117. *Vt liceat matri, cap.* 4. & 6. *Authent. Sed nouo iure, Cod. de natur. lib. Auth. maximis, C. de nupt.* vt prænotauimus *in excurſu ad l. à Caligato* 21. *C. de nupt. ſupra.* Quocirca exemplum illud, & ſuppoſitum à Theophilo in ſuis *Inſtitutionibus lib.* 1. *titul.* 6. §. 5. de manumittente ancillam, matrimonij cauſa, vxorem eam ducturo, niſi iuſta cauſa impediat, *veluti, quia manumiſſor Senator factus eſt; nam Senator libertinam vxorem ducere non poteſt;* vix congruit Theophili æuo, quocumque tandem, & quiſque ille fuerit, ſi tamen poſt Iuſtinianum vixiſſe, & ſcripſiſſe illum, cum eruditioribus cenſeamus, ſublata iam Senatorij connubij cum libertina prohibitione, & fortaſſe accēſendum alijs Theophili illius erratis.

14 Hoc amplius: etiam ſine inſtrumentis dotalibus, valere hodie matrimonia Senatorum, & illuſtrium cum abiectis, & diſparib' fœminis antiquata Conſtantini lege, & prioribus noſtris Iulia, & Papia, in hoc capite, & cenſura Canonici iuris, cui in hac re ſtandum. *cap. vltim. de ſec. nupt.* iuncta ratione *cap.* 2. *de coniug. ſeru. cap. Si quis ingenuam, vbi Gloß.* ad rem celebris, 4. 29. *quæſt.* 2. *cap. Inter opera* 20. *de ſponſalib.* quomodò *ad dict. l.* 1. *Cod. de natural. lib.* ſcripſit Salycet. abrogatam eam ſentiens, & apertiùs *ad Authent. maximis, Cod. de nupt.* Fulgoſius, ſubdubitans quidem, *in l. Sed ea, quæ, D. de ſponſal.* & *in l. Oratione* 16. *D. de ritu nupt.* & firmans tandem, & ſequutus, vt ait, ius Canonicum *in l. Lege* 23. *Dig. de ritu nupt.* Panormitanus *in cap.* 1. *de ſponſalib.* Angelus *conſil.* 29. *num.* 34. poſt Hoſtienſ. Tiraquell. *de nobilit. cap.* 20. *num.* 173. & *cap.* 15. *num.* 22. Martin. Nauarr. *conſ.* 3. *lib.* 4. *tit.* 14. *num.* 7. *in fine.* D. Couarr. *de ſponſalib.* 2. *part. cap.* 8. §. 2. *num.* 8. Corraſius *ad l. Filiam* 9. *num.* 1. *D. de Senat.* Iacob. Gothofred. *ad leg. Iuliam, & Papiam.* Duaren. *ad tit. D. ſolut. matrimon. in præludijs de nuptijs.* Anton. Faber *in iuriſprud. tit.* 9. *princip.* 2. *illat.* 1. *p.* 401. *num.* 3. *ad finem.* Fachinæus 4. *controu.* 53. Hugo Grottius *de iure belli, & pac.* 2. *cap.* 5. *num.* 15. propriè, & plenè Petr. Gregor. *ad cap.* 1. *de ſponſalib. num.* 77. & *ſeqq.* ex profeſſo Menochius *conſil.* 18. *ex num.* 8. & *ſeqq.* Decianus *tom.* 1. *reſponſ.* 5. *ex num.* 73. *cum ſeqq.* P. Sanctius *de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 19. *num.* 9. & 10. Gutierrez *de iuram. confirm.* 1. *part. cap.* 16. *num.* 60. & 61. poſt Auendanium, & Gregorium Lupum. Matienço *in l.* 9. *tit.* 8. *gloſſ.* 2. *num.* 4. *lib.* 5. *Compilat.* Petr. Barboſ. *in l.* 2. *part.* 4. *D. ſolut. matrim.* & ex eo, & Peregrino *de iure Fiſci* 3. *tit.* 17. poſt alios alter Barboſa *in collectan. ad l. Humilem* 7. *num.* 11. *Cod. de inceſt. nupt.* & *ad d. l.* 1. & *Auth. Sed nouo iure, Cod. de natur. lib.* & in nobili quæſtione de legitimatione filiorum per matrimonium etiam cum vili matre;

tre; plenè, ac poſt plures, Theodorus Hoppingius *de iure inſign. cap. 7. ex num. 181. & 193. & 198. cum ſeqq.*

15 Idque, vt poſuimus, habendum hodie pro indubitato, vt cumque pro iure Iuſtinianeo Riteruſius ad *Nouell.* Iuſtin. 4. *part. cap. 1. num.* 13. & pugnaciter, vt ſolet, & pertinaciter contra Canonicum, obloquatur, ex ſectatarijs, Albericus Gentilis *lib. 1. de nupt. cap. 3. & lib. 3. cap. 12. ad finem*, & quoad legitimationem filiorũ in terris Imperij, poſt Angelum, Socinum, & alios, illis, quod nollem; ſubſcribens, noſter Larrea *deciſ. Granat.* 8. *n.* 37. & 38. & tamen, ne immemores videamur, adijcimus, agnoſcimuſque, manſiſſe adhuc poſt Iuſtinianum aliquot ſeculis, in Greco-Romano Imperio, prohibitionem nuptiarum fœminæ illuſtris, ſeu Senatoriæ cum liberto, aut ſcenico, vt non ſemel alibi ſcripſimus, præcipuè *lib. 3. cap.* 2. ſicut & alias in Eccleſiæ, & Nationum legibus, veteris prohibitionis reliquias, de queis alibi, & quæ tandem meritò exoleuere.

CAPVT XLII.

AD NOVELLAM MARTIANI DE MATRIM. SENAT. ADDITO ſpicilegio Canonico, pro cap. In illis 2. apud Gratianum 80. diſtinct.

ARGVMENTVM.

FLuit Martiani *Nouella* ad Conſtantinum veluti appendix. Cum dubitatione, an ingenua pauper arceatur tamquam humilis, & abiecta à matrimonio Senatorio. Dubitandi ratio ex Romana politia, iuxta quam æſtimatio, & honores pendebant ex cenſu, & matrimonia diſcernebantur à concubinatu ex dote; eò vſque, vt ſine iſta non cenſerentur legitima priſcis Canonibus, qui expenduntur. Potior tamen apud Martianum honeſti ratio, & laudes, quas memorat, paupertatis ingenuæ. Obiecta de matrimonijs ſine dote. A Martiano, & qua occaſione meminit Flaminum Muncipalium, & Sacerdotum Prouinciarum, digreſsio fit *ad Clementis I. epiſtolam*, quæ refert, D. Petrum præcepiſſe, vt in queis Ciuitatibus apud Ethnicos primi Flamines eorum erant, in eis ponerentur Epiſcoporum Primates, & Patriarchæ. Aſſerta contra Nouatores, epiſtolæ fides, & ſenſus, luſtratis, & illuſtratis alijs Pontificijs Decretis, ſimulque ex Modeſtino diſtinctio Primatum Vrbium, & Metropoleon, ac Metrocomiarum. Ex eodem Petri ſenſu fuit inſtitutio Patriarcharum, & Primatum in his Ciuitatibus, quę erant veluti capita Imperij, & Ethnciſmi, aut plurium Prouinciarum, vt Romæ, Alexandriæ, Antiochię. Pro quo expenſi inter alios *Canon Taurinenſis, & Leonis Magni locus.* Inde & eò paulatim ventum, vt plerumque ſeculari politiæ conformaretur Eccleſiaſtica, quoad Primates firmandos in Primarijs, ſeu Regijs Vrbibus, vt, Toleti, ſub Gothiſ; id tamen non ex Regum, Cæſarumve imperio (vt læuè, & aulicè olim Balſamon) ſed Pontificio. Aſiarchę Primates Ethnicorum in Aſia; Archierei in Ægypto, ſiue Alexandria; Alytarchę in Antiochia, queis ſucceſſere Patriarchales Sedes. Sic Carthagini Primi Sacerdotales, cui ſucceſsit Archiepiſcopus Primas, ſicut Archiflaminibus, & alijs minoribus alij Metropolitæ, & Epiſcopi in Africa. De Flaminibus Primis maioribus, & minoribus in Hiſpania notę, & remiſsiones.

1 PRopria huius loci eſt, & adiungenda, luſtrandaque vel leuiter, ante quam abeamus, appendix ad Conſtantinum *ex Nouella* Valentiniani, & Martiani *de matrimonijs Senatorum*, cuius prior pars, & præfatio extat relata à Triboniano *in Iuſtiniani Codicem*, tametſi in fine interpo-

polata. *in l. Leges 9. Cod. de legib.* potiſsima autem ſententiæ, ac deciſionis ſumma *in l. Humilem 7. Cod. de inceſt. nupt.* cuius & hæc paraphraſis fuerit. Adiecerat Conſtantinus, poſt ſpecialiter recenſitas probroſas fœminas, de queis hactenus, generalem illam circumſcriptionem: *vel humili, vel abiecta perſona.* Inde ambigendi nata occaſio, &, vt ſcriptum eſt *in laudata Nouella, Magna dubitatio in iudicijs, vtrumne hæc nomina etiam ad pauperes ingenuas fœminas referri debeant, eaſque à matrimonio Senatorum præſcriptum legis excludat.* Et fortaſſe ex Romanis legibus, moribus, non ſine cauſa dubitabatur, cum & adſcribi fere ſolerent paupertati vilitas, ſordes, infamia, &, Horatiano epitheto, *magnum opprobrium. l. 2. verſic. Quid enim, Cod. quando, & quib. quarta pars deb. lib. 10. l. Quiſquis, §. 1. Cod. ad leg. Iul. de adulter.* iunctis *l. Nonnulli 10. D. de accuſat. l. 3. D. de teſtib. l. vltim. Cod. de ſpectacul. lib. 11.* illic: *Conductis pro paupertate perſonis, quas ſors damnauit humilior. l. Palàm 43. §. Non eſt ignoſcendum, D. de ritu nupt.* ad quam nos aliqua *in Analecto libr. 3. cap. 15. in fine, & cap. 16.* & ſicut Romæ ex cenſu Senatores, Equites, Claſſeſque Ciuium, ita matrimonia à concubinatu dignoſcerentur, ex dote, ex dotalibus tabulis, de quo, & quædam iam Nos ſupra vbi *de dotibus caducis. & cap. 40. ad l. A Caligato 21. C. de nupt.*

2 Atque hęc vſque adeo, vt quemadmodùm dos fuerit veluti teſſera, & argumentum matrimonij. *l. 3. D. de iure dot. l. 1. § penult. & vltim. D. pro dote*, & dotata mulier eo ipſo cenſeatur legitima vxor, & diſtinguatur à concubina, ex nobili, atque hinc illuſtrando, Euariſthi Papę *Decreto in cap. 1.* inibi: *& legibus dotetur. 30. quæſt. 5.* & Leonis Magni *in cap. Non omnis 12.* illic: *& dotata legitimè. 32. qu. 2.* iunctis *cap. Tria 8. & ſeqq. 36. qu. 2.* & ex Leone *Concilio Triburienſi* ſub Arnulfo, eo loco: *Eſt igitur, vt ex Decretis Papæ Leonis prædiximus, ingenua facta, & dotata legitimè, & propterea iam non eſt concubina, ſed vxor legibus adquiſita.* Idque adeo productum, vt definiatur *Arelatenſi Canone, vt nullum fiat ſine dote coniugium*, quomodò ex eo refertur *in cap. Nullum 6. 30. q. 5.* iuncto perinde abſciſæ aſſertionis *textu In conſanguineorum 4. 3. qu. 7.* Sic è contra, indotata, & pauper præſumatur concubina, iuxta Plautinum illud in Trinummo: *Sed vt inops infamis ſim, ne mihi hanc famam differant, me germanam meam ſororem in concubinatum tibi ſic ſine dote dediſſe magis, quàm in matrimonium.*

Ecciſta, & alia id genus, quale illud declamatoris apud Calpurnium *declam. 29. Pauper, & diues, inimicum eſt matrimonium*; tametſi dubitandi anſam præbuerint, Palladio Præfecto Pretorio, cuius conſultationi reſpondetur *in dict. Nouella de matrim. Senat.* aſt, aiunt Cæſares, deciduntque: *Abſit, vt hoc nefas illius* (Conſtantini) *putemus temporibus, cuiquam dedecori datæ eſſe paupertas, cum ſæpe plurimis multum parauerint gloriæ opes modicæ, & continentiæ fuerit teſtimonium, cenſus anguſtior: quis arbitretur, inclytæ recordationis Conſtantinum, cũ geniales Senatorios thoros cõtaminari pollutarum mulierum fœce, prohiberet, fortunæ munera bonis naturalibus prætuliſſe? Et diuitijs, quas varietas caſuum tam poteſt adimere, quàm tribuere, poſtpoſuiſſe ingenuitatem, quæ auferri non poteſt, ſi ſemel nata ſit. Ille verò honeſti amãtiſſimus, & morum ſanctiſsimus Cẽſor, eas humiles, abiectaſque oiudicauit, eſſe perſonas, & matrimonijs Senatorum, duxit indignas, quas aut naſcendi decolor macula, aut vita probroſis quæſtibus* 3

dedita, ſordentibus notis polluit, & vel per originis turpitudinem, vel obſcœnitate profeſsionis infecit. Ideoque (& tandem concludunt) *humilem, vel abiectã fœminam minimè eam, iudicamus, intelligi, quæ licet pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata ſit: ſed licere, ſtatuimus, Senatoribus, & quibuſcumque ampliſsimis dignitatibus præditis, ex ingenuis natas, quamuis pauperes, in matrimonium ſibi aſciſcere, nullamque inter ingenuas, ex diuitijs, & opulentiore fortuna eſſe diſtantiam.* Porrò deſcripſimus Cæſarum verba, quorum pars tantùm extat *in l. Humilem 7. Cod. de inceſt. nupt.* & quia philoſophiæ plena, & quidem veræ, ac Chriſtianæ, ac ne queis illa poſt elegantia adeo, atque aurea, à nobis expectet, Centones de paupertatis ingenuæ laudibus, qui forent, vt dicitur, panni Cæſariana purpura.

4 Sed quando adhuc in hac ipſa *Nouella* Martiani, repetita legimus nomina Flaminum municipalium, & Sacerdotum Prouinciarum, deflectimus vel curſim, & fortaſſe non ſine aliquo operæ pretio, in veteris Eccleſiaſticæ politiæ locum, qui nec longè extra viam eſt, apud Gratianum ex Clemente Papa 1. *epiſt. ad Iacobum in cap. In illis 2. 80. diſtinct.* in quo Crucem lectoribus poſitam, eamque è Gratiani Decreto tollendam, Dialogiſta ille cenſuit, apud Antonium Auguſtinum: idque quia vix auditum alibi, vel quod aliunde vix probetur, quod Clemens aſſerit, *in illis Ciuitatibus, in quibus olim apud Ethnicos Primi Flamines eorum, atque Primi legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates poni, vel Patriarchas, Petrum præcepiſſe.*

5 At in primis pro fide & epiſtolæ, & aſſertionis Clementis, contra Magdeburgenſes nouatores, vtramque impugnantes, ſtat auctoritas Romanæ editionis Clementis, & aliorum Pontificum *epiſtolarum* ex archetypis *tom. 1. p. 9.* vbi plenior, correctiorque contextuſque, & ſententia habet, præcepiſſe Petrũ, *in illis Ciuitatibus, in quibus olim* (ut & poſtea, *dudũ*, non quaſi tunc non eſſent, ſed quia erant iam inde *à multis ante aduentũ Chriſti temporibus*, vt fere exponit Stephanus I. *epiſt. 2. §. Eos quoq;* & ante eodem ſenſu Anacletus I. *epiſtol. 2.* apud Gratianum *in cap. 1. 99. diſtinct.* & *epiſtol. 3.* illic: *priſcis tẽporibus*. Gregorius VII. *lib. 6. Regiſtri epiſt. 35.* Leo IX. *epiſtol. 4. ad Petrum, & Ioannem Epiſcopos*) *Ethnicorum Primi Flamines, atque Primi legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates poni, vel Patriarchas, qui reliquorum Epiſcoporum iudicia, & maiora* (quoties neceſſe foret) *negotia in fide agitarent: in illis autem Ciuitatibus, in quibus erant Archiflamines* (minores ſcilicet, quàm memorati Primates) *Archiepiſcopos inſtitui. In ſingulis verò reliquis Ciuitatibus ſingulos Epiſcopos conſtitui, qui non Primatum, aut Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum nomine, quia matres Ciuitatum non tenent, ſed Epiſcoporum tantùm vocabulo potirentur.* Stat & epiſtola Clementi ſuccinens ſub eadem gradatione Primorum Flaminum, Archiflaminum, & Flaminum minorum, translata ad Primates, ſeu Patriarchas, & ad Archiepiſcopos, ſeu Metropolitanos, ac denique ad Epiſcopos apud Leonem Nonum *tom. 3. epiſtol. 4.* iuncto *in Decretalibus cap. 1. de priuileg.*

Queis conſentiunt eadem diſcretione inter Primates Vrbes, ſeu Maximas, vt Modeſtinus diſtinguit *in l. Si duas 6. §. Eſt autem 2. D. de excuſ. tutor.* ſiue plurium Prouinciarum, & vt loquebantur, Diœceſeon capita, μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν, ſeu *matres gentium*, (in queis olim Primates ſeculi, aut le- 6

gum

gum Gentiles, & poſt Petrum, Patriarchę,& Primates deſignati) & Ciuitates maiores,ſeu mediocres,ſingularum Prouinciarum Matres,ſeu Metropoles, & Principes, *l.3.Cod.de natural.lib. l.4.§.Ingreſſum. l.Si in aliam 7.D.de offic.Proconſ.l.vn.Cod.de Metrop.Beryto.lib.*11. *Nouella* Theodoſij *cap.de his,qui ſponte munus, ad finem.* In queis poſiti Metropolitani, ſiue Archiepiſcopi, demumque Ciuitates minores Parœciarum, vt loquebantur, ſiue Caſtellorum,& Vicorum matres, ſeu Metrocomias. *l. vn. Cod. non licere habit.* Metroc. *lib.*11. *l.vltim. C. de exactor. trib. lib.*10.*l.Valerij* 6.*Cod. Theodoſ.de patrocin.vic.* in queis Epiſcopi conſtituti. Eadem, inquam, diſcretione facta,niſi quod omiſſa Flaminum mentione,fit eorum loco mētio Primatum Gentilium ſeculi,& legum. Conſentiunt Anacletus, Clementis ſucceſſor *epiſt.* 2. *&* 3. *cap.* 1. 99.*diſt.*& apud Iuonem 5. *p. cap.* 52. Stephanus I. *epiſtol.* 2. §. *Eos quoque* (cuius verba, gloſsis inobſeruantibus, adſcribuntur Lucio, Stephani deceſſori,apud Gratianum *in cap.* 1. 80.*diſt.* aſt laudat, & deſcribit Clementis, Anacleti, & Stephani epiſtolas ætatis, & Francogalliæ ſuæ oraculum Hincmarus Rhemenſis *opuſculo* 55. *cap.* 15.) Anicetus *epiſt. vnica*, §. *Nulli*, vnde eſt *caput* 2. 88.*diſt.* Gregorius VII. *lib.7.reg.ep.* 35. Quibus tot,tantiſque refragari,tamquam ſuppoſititijs, non niſi effrontis Nouatoris ſit,cuiuſmodi eſt præ alijs Dauid Blōdellus,contra priſcas Pontificum epiſtolas,improba,& impia cenſura *ad* 1. Clementis I.

7 Deinde & ſtat, ac conſentit accepta à Petro traditio,inſtituendarum Patriarchalium ſedium, & Eccleſiarum in illis Vrbibus, quæ & Imperij, & ſuperſtitionis Ethnicæ veluti capita, vt in primis Romæ pro Occidente Europæo; Alexandriæ, ſecundæ, & maximæ poſt Romam Vrbis, Ioſepho auctore 5.*de bell.Iud.cap.vltim.* pro Africa Orientali, ſiue Ægypto; Pentapoli,& Libia,& Antiochiæ pro Oriente Aſiatico,in queis Primi, & maximi Patriarchæ, quibus poſtmodùm ſub Græcis Cæſaribus additus Conſtantinopolitanus, ob prærogatiuam Imperij, Regiæque Vrbis,& Hieroſolymitanus ob originem ſacrorum,& fidei, ſiue quia *mater Chriſtiani nominis*, vt vocat Imperator Iuſtinus *epiſt.ad Hormiſdam Papam*, quę ſingula,ſatis ſit, didiciſſe *ex* Gratiani *rhapſodia in cap. Sacroſancta* 2. *cum ſeqq.*22.*diſt. cap.Mos antiquus* 6. *cum ſeq.*65.*diſt.cap.Cleros* 1. 21.*diſt.* & ex Concilio Niceno *Can.* 6.*&* 7. (vbi de Hieroſolymitana Eccleſia,ſubdita Cęſareæ,tamquàm Palæſtinæ ſub Romano Imperio Metropoli, vt illic notat Zonaras,& Balſamon,& pridem docuerat Hieronymus *epiſt.* 61. *ad Pammachium contra Ioann. Hieroſol. prope finem*) itemque ex Chalcedonenſi *Can.* 28.*&* 17. quo poſtremo,& conſequenter traditioni Apoſtolicæ, ſupponitur, innouata,& erecta ab Imperatoribus Ciuitate aliqua ad Metropolis prærogatiuam, par eſſe, vt Eccleſiarum ordo eam ſubſequatur,quomodò & cautum Taurinenſi Concilio *Can.*2.in contentione de primatu inter Arelatenſem, & Viennenſem Epiſcopos, vt, *qui ex his approbauerit, ſuam Ciuitatem eſſe Metropolin, is totius Prouinciæ honorem Primatus obtineat.* Quomodò denique apud nos Gothis ſub Regibus, cum prærogatiua Imperialis Vrbis Toleti ſtabilitus Toletanus Primatus. Quamquam hæc,& ſimilia de ſubſequentibus Epiſcopatuū ordinib⁹, prærogatiuas Regiarum Vrbium, aut Imperiorum gradationes, neutiquam tribuenda ſint auctoritati, & poteſtati Imperatorum, vt aulicè an-

annotauit Balſamon *ad Chalcedon. Can.*17. cui obuiam eas, licet, poſt Gelaſium Papam *in celebri epiſt. ad Epiſc. Dardan.* cum Nicolao I. *in cap. Legem* 10. *diſt.* Ioanne VIII. *in cap. Hæc quippe* 10. *in fine* 3. *q.* 6. ſed quia vt plurimùm, expediens Eccleſiæ viſum, Eccleſiaſticam, & ciuilem politiam conformari, *eaſque veræ fidei diſcipulas Vrbes conſtitui, quæ fuerant magiſtræ erroris, & Euangelij lucem, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs à Capitibus in omne mundi corpus, effundi*, vt de Roma ſua Leo Magnus *Serm.* 1. *in natali Apoſtol.*

8 Stat denique, & conducit pro illuſtranda diſcretione illa Primorum Sacerdotum, Flaminum, Archiflaminum, & minorum Flaminum, & diſcretione Vrbium apud ethnicos, illiuſque in Eccleſia, ex Petri inſtituto, introductione, vt Gratianus loquitur *in præfat. diſt.* 21. §. *Horum*, quod nuper de Aſiarchis exprimebamus, fuiſſe eos Principes, ſeu Primarios Sacerdotes Prouinciæ Aſiæ, ac proinde Prçſidentes, veluti Epheſo apud Lucam *Actuum Apoſtol. cap.* 31. *verſu* 19. Primaria inter Matrices Aſiæ Vrbe *l.* 4. §. *Ingreſſum* 5. *in fin. D. de offic. Proconſ.* Conducit, & quod ſcimus, ſicut Romæ Gentilium Pontificem Maximum, & Pontificum minorum Collegium, ita Alexandriæ, apud Ægyptios, Archiereum, ſeu Primarium Sacerdotem fuiſſe, ad cuius curam Templa, & Templorum ſolennia pertinebant. *l. in conſequenda* 109. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* ſicut Antiochiæ in Oriente Alytarcham ſacrorum ſimul, & ſpectaculorum Primum Præfectum, de quo iam ſupra; ita & tribus his in Vrbibus, Roma, Alexandria, & Antiochia, Patriarchales à Petro Sedes conſtitutas.

Poſtremò, ne alia ex *dict. cap.* 37. huc transferamus, addimus propriè nunc pro gradatione hac inter Primates Sacerdotes Gentilium, & Archiflamines, ſeu Sacerdotes Prouinciarum, ac Flamines Vrbium, clariora exempla ex Africa, in qua, conſtat, Primates Sacerdotes, ſeu Flamines, quibus Africani reliqui veluti ſubeſſent, ſediſſe Carthagini, principe Prouinciarum Africæ Vrbe. *l. Sacerdotales* 20. *Cod. Theodoſ. de paganis. l. Exceptis* 176. *l. Africani* 145. *in eodem Cod. de Decurion.* iuncta *l. vltim. Cod. Theodoſ. de Tyronibus.* Carthagine, vt dicimus, in Africano Orbe, quaſi Roma, vt Salvianus vocat *lib.* 7. atque vnde per totum Africæ corpus malum, tamquàm à vertice, effunderetur, vt de Carthagine ſua Auguſtinus *epiſt.* 162. quo exemplo Carthaginienſis Archiepiſcopus inter cæteros Africæ Primates, ſeu Metropolitanos fuit Primas, veluti Primarius, & maximus Metropolitanus Africç, vt liquet ex *Concilijs Carthaginienſibus*, apud Balſamorum, & Zonaram *cap.* 59. & 86. & 109. Leone 9. *epiſt.* 3. & 4. iuncta *Nouella* 131. *de Eccleſ. tit. cap.* 4. & 119. *cap.* 509. apud Iulianum Anteceſſorem; & in alijs Africanis Prouincijs, earumque Metropolibus, ſeu Matricibus, fuiſſe Archiflamines, ſeu Prouinciarum Sacerdotes. *l. A ſolis* 46. *l. Cum ſuper* 149. *l. Duumuirum* 174. *dict. l. Exceptis* 176. *de Decurion.* vt Apuleius ille Afer, qui *Sacerdos Prouinciæ pro Magno fuit*, ſiue *Magnus, quoad potuit*, vt eidem ſuccenſens memorat Auguſtinus *epiſtol. ad Marcellinum* 5. *ad finem*, quorum ad inſtar in Prouincijs Africæ, veluti Numidia, Mauritania, Byzacena, & alijs, Metropolitani, ſiue vt vocabant, Primates Epiſcopi conſtituti, iuxta

Carthaginienſes Canones 17. *&* 87. *in Græca collectione*, nuper laudata, & Leonem *dict. epiſtol.* 3. Gregorium Magnum *libr.* 7. *epiſtol.* 64. Denique fuiſſe in ſingulis Vrbibus minoribus, minores Flamines, ſeu *Sacerdotales, & eorum ſuperfluam turbam*, vt dicitur *in dict. l. Exceptis* 176. iuncta *l. Sacerdotes* 60. *de Decurion. l. Sacerdotales* 20. *de paganis, in Cod. Theodoſ.* Quibus vtique in eiſdem Vrbibus Epiſcopi inſtituti, veluti oppoſiti, vt de Africanis Leo IX. *dict. epiſt.* 3.

10 Accedunt his (vt taceam Patres illos, & Principes Pontificum Gallicanorum, quos, ethnica itidem alluſione, vocat Protomyſtas Sidonius *lib.* 7. *epiſtol.* 13. *& lib.* 2. *epiſtol.* 9.) monumenta Hiſpaniæ noſtrę, in qua fuere olim, & deſignati in Primarijs, ac Matricibus Prouinciarum Vrbibus Flamines, vt vocabant, Primi, ac perpetui, Prouincię Hiſpaniæ citerioris, cuiuſmodi fere Tarracone, *cunctis Vrbibus eminente Iberis*, vt Prudentius *in Periſteph. hymno* 6. & Prouinciæ Bœticæ, quales Cordubæ; & Prouincię Luſitanię, vt Emeritæ, *cui tota ſuos Hiſpania faſces ſubmittebat*, ſi *Auſoniano textui* fides. Fuere & diſcreti ab illis, minores Flamines municipiorum, ac Coloniarum, de queis ſingulis *Grutterianæ Inſcriptiones pag.* 321. *ac ſequentibus*, atque alibi Hiſpanienſes plures.

Tandem, ſi cui nõ ſatis hæc, pro illuſtrando, ac tuendo Canone illo Clementis apud Gratianum *in cap. Illis* 2. 80. *diſtinct.* conferat tradita ab Ant. Auguſtino *ad Gratianum dialogo* 15. Franc. Turriano *aduerſ. Magdeburg. libr.* 2. *cap.* 16. Anaſtaſio Germonio *de Sacr. Immunitat. libr.* 2. *cap.* 5. Ioanne Dartis *ad caput In illis* 1. vbi & alij nouiores, 80. *diſtinct.* Fr. Hallierio *de Eccleſ. Hierarch. lib.* 4. *artic.* 3. §. 2. Philipp. Berterio *Diatriba* 2. *cap.* 6. Innocent. Gyronio *libr.* 1. *obſeruat. cap.* 10. *&* 12. Ioanne Fileſacco *de ſacra Epiſcop. auctor. cap.* 9. §. 1. *& ſeq.* Mich. Rouſellio *in Hiſtor. Pontific. iuriſdict. lib.* 2. *cap.* 2. *ex num.* 8. nouiſsimè Petro Marca *in concord. Sacerdot. & Imp. lib.* 1. *cap.* 3. *& lib.* 2. *cap.* 8. *& libr.* 6. *cap.* 1. cum alijs, ac fere illis quotquot de Toletanæ Eccleſiæ Primatu, contra Braccharenſem, Hiſpalenſem, atque alias, noſtro, & ſupra noſtrum ęuo ſcripſere. Sit itaque propoſitorum ſumma, fluxiſſe ex traditione Petri, & Apoſtolica, inſtitutionem Primatum in illis Vrbibus, in queis Primi ethnicorum Flamines erant, & quæ ipſæ primariæ erant Imperij Vrbes, ſicvt & Metropolitarum, & Epiſcoporum in alijs, quæ *Metropoles*, aut *Metrocomiæ* dicebantur. 11

(∴)

CAPVT XLIII.

PRO IVLIARVM LEGVM CAVTIONE DE SCENICIS, Parecbaſis,& Libri huius lineæ extremæ.

DE HODIERNA HISPANA COMOEDIA, ET QVANDO, ET quatenus licita, aut tolerabilis. Et ſententiæ, quæ licitam ſtatuit, Auctores, & fulchra.

ARGVMENTVM.

ANnectitur tot hoc libro traditis de ſcenicis, diſſertatio de Hiſpanis comœdijs. Præmonetur, non eſſe eis aptabilem deteſtationem veteris ſcenæ, ex Canonum, & Patrum cenſura, de qua remiſsiuè. Deteſtationis prima cauſa fuit, Idolorum cultus, queis velut ſacra ſcena,& ſcenici ludi. Marianę *in Diu. Iſidorum* ſtricturæ factum ſatis,& de Idololatria in Hiſpania, vel ſub extremis Toletanis Concilijs. Secunda cauſa ſcenę obſcœnitas, de qua ex iuris libris, & alijs. Sed, vt monuimus, hæ cauſæ vix applicabiles comœdijs noſtris. Præmonetur etiam velut in abſtracto, hodiernas comœdias, ſi moribus noxię non ſint, habendas pro licitis,& pertinere ad virtutem Eutrapelię, vt de Hiſtrionibus Diuus Thomas, & ante eum Saresberienſis. E contra ſi inhoneſtæ, aut moribus nocituræ, fore prorſus illicitas. Iam autem in concreto de recentibus comœdijs quales,& cuiuſmodi apud Nos in vſu agnoſcitur, ſententiam, quæ eas habet pro licitis, non eſſe improbabilem, tum ex auctoritate Eccleſiarum, Senatuum, Scriptorum pro illis ſtante: tum ex ratione, quia cum Hiſtrionum ars, ex Diui Thomę ſenſu, non ſit per ſe illicita, ſed indifferens,& æſtimanda ex fine, ad quem dirigitur, conſtat item, eum finem, ex Reipublicę ſenſu, eſſe licitum, nempe honeſtæ recreationis: tum etiam ex actione ipſa recentium comœdiarum, quæ neque argumento turpes, vtpote quamuis amatorio, non inhoneſto, ſed in nuptiarum ſpem ducente, neque diſpoſitione, aut verſibus, non tam laſciuię, quàm oblectamento ingeniorum ſeruientibus; & vtcumque in alijs extrinſecis cantionum,& chorearum interdum excedatur, tamen & extrinſeci hi exceſſus nec ſufficientes rei, per ſe licitę, faciendæ illicitæ, & corrigendis illis publici Correctores prępoſiti.

1 HIs, quæ de ſcenicorum ignominia,& connubij adeptione ex noſtris legibus *hoc libro*, & alibi ſæpe, ac *lib*.3. non ſemel, adſtruximus, tamquam Parergon, & pro libri huius coronide, accedit Theologo-Politica diſſertatio de hodierna Hiſpana comœdia, & an, & quando, quatenuſve ea licita, aut tolerabilis ex poli, & politiæ cenſura; enim verò cum diſſertatio hæc exercuerit, ætate noſtra, Regiorum Supremorum Senatuum diſſentientes, ſuffragijs fere paribus, conſultationes,& excitauerit, accenderitque fere declamatoriè contendentes Theologorum, Politicorumque ſcriptiones, enitemur cenſere nos ſedato animo, & ex animi planè ſenſu, ſine aliorum præiudicio, ſimulque rem, tam multis, totieſque dictam, redigemus diſtinctè,& breuiter ad aſſertiones.

Præmonemus autem iam nunc, 2 ne poſtea nos moretur, aut moueat, ſanctam illam, ſeueramque Eccleſię, Conciliorum, & Patrum cenſuram, quæ Chriſtianos in Baptiſmo abrenunciare pompis, & ſpectaculis ſcenicis, & poſt Baptiſmum etiam laicos abſtinere à viſu, acceſſuque ad ſcenas, pręſcribebat, & ſcenicos non recipiebat, niſi ſcena eiurata, ad Baptiſmum, ne-

neque poſt inde eos, vtcumque baptizatos, ad ſacros ordines, de queis ſingulis plura dedimus *hoc libro* ſuperiùs, & vbi de *Thimelicis*, totamque, vt ſemel pronunciemus, comœdiæ, ſiue ſcenæ paraturam damnabat, & execrabatur, non eſſe ex æquo, aut meritò applicabilem pro damnatione, & deteſtatione Hiſpanæ comœdiæ. Fuerunt enim in illa vetere Romana, & Græca duæ, & quidem grauiſsimæ, ac Primariæ Sacris Cõcilijs, Patribuſque cauſæ, vt damnarent, ac deteſtarentur. Vt videre eſt poſt *Can.* 18. *Apoſtol.* in Concilio Carthagin. 3. *Can.* 11. & in Africano ſub Bonifacio *Can.* 30. Synodo 6. *in Trullo Can.* 24. *&* 51. vbi Balſamon, & Zonaras: & in Laodiceno *Can.* 54. Braccharenſi 2. *Can.* 60. Clemente Rom. *lib.* 8. *Conſt. Apoſtol. cap.* 32. Innocentio I. *epiſtola ad Victricium Rhotom. cap.* 11. & inter Patres, ex præcipuis, Tertulliano *toto lib. de ſpectaculis.* Cypriano *in adſcripto ei eiuſdem argumenti libro*, & *epiſtol.* 2. *ad Donatum.* Arnobio *lib.* 4. & Minutio Felice *in Octauio.* Lactantio *lib.* 6. *cap.* 20. & *epitomes cap.* 6. Auguſtino *lib.* 1. *de Ciuitate Dei, cap.* 31. *& lib.* 2. *cap.* 8. *& ſeqq.* atque alibi ſępe. Salviano *lib.* 6. & præ cæteris Chryſoſtomo *homil.* 6. 21. 69. *atque alijs in Matthæum.*

3 Prima autem cauſa fuit Idololatriæ, à qua origo theatris, eaque ipſa illius ſacraria, & ſacrati Veneri, ac Libero, Mercurio, & Muſis ſcenici ludi, atque inde deteſtabilis, ac veluti Apoſtaſia in Chriſtiano acceſſus ad ſcenam, vt pro illuſtranda *l.* 4. *Cod. de paganis*, vel vnus Tertullianus docebit *de ſpectac. cap.* 6. *&* 10. *&* 24. & ex eo D. Iſidorus *lib.* 18. *orig. cap.* 59. quem ſpeciatim deteſtari ſpectacula, tamquàm dœmonum inſtituta, & Idololatriæ ſacra, cum tamen Iſidori ſeculo nulli Idololatræ ſupereſſent, non fuit cur miraretur Ioann. Mariana *de ſpectac. cap.* 12. ſiue quia Iſidorus ſcribit Tertullianico ſenſu, ac fere verbis, vt liquebit, ſi conferas cum *dict. cap.* 59. Tertull. *in Apologet. cap.* 38. & ex Iſidoro deſcribens, & eadem Idololatriæ execratione, & quidem vix ante annos duceotos Rodericus Zamorenſis in *ſpeculo vitæ humanæ lib.* 1. *cap.* 31. ſiue quia Iſidori æuo, ac vel centum poſt illum annis, nondum prorſus in Hiſpania exoleuerant Idolorum cultores, contra quos lati *Canones* 2. Concilij Toletani, 16. ſub Egica, & 11. Tolet. 12. ſub Ervigio.

Secunda damnationis ſcenici miniſterij cauſa fuit, obſcœnitas, propria 4
adeo ſcenę, vt à *ſcena* vocem *obſcœnum* deriuet Varro *lib.* 6. *&* *ſcenicos ludos* vocarent, πορνας, ſeu *meretricios*, vt in Iuſtiniano legimus, *Nouell.* 105. *cap.* 1. §. *Quintum.* & *Theatrum*, idem quod *proſtibulum.* D. Iſidoro 18. *orig. cap.* 42. & ſcenicæ ipſæ pro proſtitutis, Caſsiodor. *lib.* 7. *epiſt.* 10. quia re ipſa palàm, ac nudę in ſcena proſtabant, eòque in eam producebantur, vt præter Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Iſidorum, & ex Patribus alios, vel ex libris legum liquet. *Nouella* 51. *ſcenicas. l.* 14. *Cod. de Epiſcop. aud. l. vltim. Cod. de ſpectac. l. Scenæ* 8. *Cod. Theod. de ſcenic.* iuncto Procopio *in Hiſt. Arc. p.* 41. *& ſeqq.* Planè duas iſtas potiſsimas deteſtandæ priſcæ comœdiæ cauſas, Idololatriæ, & proſtitutionis, comœdiæ hodiernę convenire, aut aptari nemo, niſi per auxeſin, & ſuperciliosè affirmauerit; quamquàm neque negandum, fuiſſe & alias in vetere ſcena geſtuum, motuum, cantionum, ſaltationum, & amatorij dragmatis notas, in quas, ac per ſe extant Sanctorum Patrum feriæ, ac graues deteſtationes, quæ & applicabiles comœdijs noſtris, quia à prę-

ſi-

ſignatis notis illis non immunes. De quo poſtea.

5 Præmonemus deinde, ſi in commune, &, vt dicitur, in abſtracto, definienda quæſtio ſit, de licita, aut illicita permiſsione comœdiæ pręſentis, poſſe promptè, & in vniuerſum definiri, ſi immodeſtæ, aut alioquin moribus noxiæ non ſint, argumento, actione, verbis, ſeu verſibus, & alijs comœdię accedentibus, cantionum, ſaltationumque veluti exodijs, & perſonarum modi, loci, ac temporis circumſtantijs, eſſe omnino habendas pro licitis, & permiſsionem comœdiarum earum, quales deſcripſimus, non modò honeſtam, licitamque, ſed & laudabilem, quia tendunt ad honeſtam recreationem animalem, ſeu remiſsionem animis neceſſariam, pertinentque ad Eutrapeliam, cui inter virtutes locus dat Ariſtoteles *lib.* 1. *Magnorum Moralium, cap.* 31. ſaltemque inter mediocritates, vt idem recenſet 2. *Eudemiorum, cap.* 7. eamque in comœdijs agnoſcit *lib.* 4. *Ethicorum ad Nicomach. cap.* 14. quod alijs eſt 18. & ex Ariſtotele, & moralis Theologiæ cenſura, Angelicus Doctor *de Hiſtrionibus* ſcribens 2. 2. *quæſt.* 168. *artic.* 2. *in reſp. &* *art.* 3. *ad* 3. & ad eumdem Caietanus *quæſt.* 167. *art.* 2. *ad* 3. &, quod obſerves, eodem ante Diu. Thomam ſenſu, Ioannes Saresberienſis, alterius Thomæ Cantuarienſis diſcipulus, *lib.* 8. *Polycratiæ de nugis Curialium, cap.* 12. *ad finem*. E contrario autem, ſi inhoneſtæ, aut honeſtati, & moribus nocituræ comœdię fuerint, ex illis rerum, & circumſtantiarum capitibus, quæ præſignauimus, debere itidem promptè, & decretoriè definiri, eſſe eas omnino illicitas, neque permitti, tamquàm licitas, poſſe, quia excedunt, & exorbitant à ratione, & regulis Eutrapeliæ, ſiue honeſtæ, & ordinatæ delectationis, vt Angelicus idem Thomas diſtinguit, & docet locis laudatis, & ex eo, atque ore vno Sacræ, & ciuilis philoſophiæ Magiſtri, quos in re nota non numeramus.

Sed iam à præmonitis, & definitionibus in abſtracto, ad quæſtionis in concreto ſtatum, vt tranſeamus, diſpiciamuſque, an comœdiæ, quales, & cuiuſmodi hodiè in vſu apud nos ſunt, ſint licitæ, aut ſaltem tolerabiles, vel politicè expediens earum permiſsio. 6
In primis, & pro prima aſſertione ſtatuimus, nõ eſſe improbabilem ſpeculatiuè ſententiam, quæ eas licitas eſſe, ſupponit. Nam cum duo primaria ſint, quæ opinionem probabilem reddant, argumentorum topica, auctoritas inſignium Doctorum, & quidem vel vnius eximij, neque abſurdè opinantis, vt poſt Ariſtotelem 1. *Topicor. cap.* 9. D. Thomas *quodlibet.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 10. & ratio ſuo pondere, ac momento conſiderabilis, vt ad eũdem Thomam 1. 1. *quæſt.* 1. *art.* 8. *ad* 2. *&* 1. 2. *quæſt.* 18. paſsim Scholaſtici Theologi, & inter eos Melchior Canus aureo illo opere *de locis Theolog. lib.* 8. *cap.* 4. *& lib.* 9. *cap.* 9. habet propoſita ſententia pro ſe auctores in primis, diſertè aſſerentes, & exertè de Hiſpanis Comœdijs, tum graues Theologos, Auguſtianum Mendozam, Veſpertinum Salmanticæ Anteceſſorem, *in quodlibet. quæſt.* 9. *Scholaſt. num.* 10. *&* 13. Dominicanum, & Primarium item Salmanticæ, Aurauјum, Segouienſem Epiſcopum, *ſelectar. de ſtatu ciuili. diſput.* 5. *ſect.* 3. *num.* 6. Emanuel. Rodericum *in Summa* 1. *tom. cap.* 68. *num.* 3. Marcum Ant. de Camos *in Microcoſm.* 1. *part. Dialogo* 12. quibus conſentiunt ex Iuriſperitis noſter Amaya *lib.* 3. *obſeruat. cap.* 5. *num.* 60. & ex eo Cabreras de metu *lib.* 2. *cap.* 8. *ex num.* 10. &, vt nuperum Paradoxorum Scriptorem, & alios taceam

ceam, ſibi in ſuſcepto populariter comœdiarum patrocinio indulgentes, Anton. Ricciullus *de perſonis, quæ in ſtatu reprobo lib. 5. cap. 2. num. 9.* tum exploratę ſcientiæ, & morum Regios Conſiliarios, ex queis re maturè diſcuſſa, & in conſultationem deducta, vt reſponderent Regio Decreto, expedito ad ſupplicespreces pro comœdiarum vſu Regnorum Caſtellę Comitiorum, & Matritenſium Decurionum anno proximè elapſo 1646. fuiſſe non paucos, qui comœdias prȩſentes non ſolùm tolerabiles cenſerent, ſed etiam vt indifferentes, & licitas tuerentur, affirmare teſtatis tabulis, poſſumus; tum denique vſum, & approbationem Sanctiſsimarum Eccleſiarum Hiſpaniæ, eiſque præſidentium Antiſtitum, & Regularium fere ex omni inſtituto præcellentium Theologorum, qui feſtiuitatibus ſacris celebrandis cœmedias ſimiles, & quidem non ſemper argumento, aut titulo ſacras, advocare vltro, & interdum intra ipſa Templa adhibere, eaſdemque ſuo aſpectu, & aſſeſſu honeſtare ſoliti, &, quod maximum eſt, Hiſtriones noſtros, ſcenicaſque mulieres, neque à ſcenico ſtatu deſiſtẽtes, nec deſtituros, non vt olim illos vetus Eccleſia arcebat à Baptiſmo, & ſacris, niſi ſcenam eiurarent. *cap. Pro dilectione 95. cum ſeq. de conſecr. diſt. 2.* ſed vel in ſtatu ſcenico perſeueraturos, tamquàm non reprobo, admittit alioquin pœnitentes ad ſacrã Synaxin, ſeu cõmunionem; cuius in Hiſpania vſus, ſi in re notiſsima teſtes deſideres, non modò teſtes, ſed & auctores ſunt Mẽdoza *d. quodl. 9. n. 14. ad fin.* Rodrig. *d. c. 68. n. 5.* poſt plures Aug. Barboſa *de vniu. iure Eccl. lib. 1. c. 40. n. 56. & ſeqq.* nouiſsimè de Hiſtrionum ſtatu vix reprobo, & Eccleſiaſticis comœdiarum ſpectatorib⁹ multa, vt ſolet, vrbanè, ac diſſertè Archiepiſcopus Villaroelius, hiſtrioni tamen vſum non probans in *Gubern. Eccleſ. 1. p. q. 6. art. 3. per tot.* & in eumdem ſenſum P. Thomas Hurtadus *2. tom. Moral. tractat. 8. cap. 7. digreſſ. 3 ſect. 2. num.* 740. In quibus tot, & ſingulis, tot, tantoſque doctrina, & moribus viros conſenſuros, non eſt par credere, ſi comœdias, ſeu comicam rem pro illicita, quantumcumque tolerabili, & hiſtrionum ſtatum pro reprobo, pro licito, & ſaltem indifferenti approbarent.

7 Habet item ſuppoſita aſſertio pro ſe rationis momentum non leue pondere, & æſtimatione. Nam cũ comœdiæ, ſiue earum ars, & profeſsio, atque officium hiſtrionum non ſit illicitum per ſe, ſed indifferens, licitumque, & dirigibile, vt D. Thomas loquitur, ad honeſtam recreationem, ſi actio, & circunſtantiæ nõ diſcrepent, ac proinde eis concurrentibus, etiam laudabile, vt præmonuimus, docuitque his fere verbis Thomas *2. 2. q. 168. art. 2. &* 3. licet expendere in comœdijs prȩſentibus, ea ſingula, ex quib⁹ res alioquin indifferentes fiant licitæ, honeſtæque. Quippe ſi intueare finẽ, obiectũ, & circũſtantias, ex quib⁹ potiſsimis humanę actiones indifferẽtes, & per ſe mediæ, vt Auguſtinus eas vocat, æſtimari, & cẽſeri ſolent bonę, vel malę, iuxta Angelicas traditiones Thomæ 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. 3. 4. *&* 8. in comœdica re finis Reipublicæ, ſiue Principis, Magiſtratuſq; illã vel permittẽtis, vel inſtruẽtis eſt proculdubio honeſta recreatio populi. *l. vn. C. de Maiuma. l.* 1. *&* 2. *Cod. Theod. eod. tit. l. 4. C. de paganis. l.* 1. *& 5. C. de ſpect. lib.* 11. & *ſolatiũ hominibus exhibẽdũ*, quę Aquinatis verba ſũt *d. q.* 168. *ar.* 3. *ad* 3. eũdemq; licitæ recreationis finẽ ſuppones meritò, & præſumas, vt plurimũ, in pleriſque comœdiarum ſpectatoribus; quin & in hiſtrionibus ipſis, ſiue comœdis, officio, miniſterioque per ſe non illicito, ſed

ad honeſtum finem permiſſo, vtentibus ad eum finem,& ad ſe eius miniſterij mercede ſubſtinēdos, iuxta eiuſdem Aquinatis ſententiam, de qua nuper. Et vt in contrarium expendas, & agnoſcamus, non paucos ex ſpectatoribus, vel comœdis, intervenire ei miniſterio, ſæpe, aut non ſemel ſine inhoneſto, turpiue, non evinces tamen ex eo, vt id illicitum cenſendum ſit ex illicito quorumdam abuſu, aut exceſſu, ac non potiùs licitum ex Reipublicæ, & plurium honeſto fine; vt mercaturæ exemplo, & aliarum artium, probo, ac prauo vſui obnoxiatum, doceri poſſet. *Quid enim eſt in vſu hominum bono, & licito, vnde non poſsit etiam pernicies irrogari?* ait Auguſtinus *epiſtol.* 154. *ad finem*, & apud Gratian. *in cap. de occidendis* 8. 23. *q.* 5.

8 Deinde ſi & actionem ipſam, & rem comœdiarum recentium ſpectes, ſunt & in illis fere potiora, quæ vel honeſta cenſeas, vel non facilè improbes, quæq; non modo ſi Italica illa, de qua pro Atellanis Valerius 2. *cap.* 4. ſed Hiſpana ſeueritate temperentur. In primis fabularum argumenta non impia, aut impudica, qualia illa damnatarum à patribus comœdiarum, ſed aut ſeria, & moralia, aut etiamſi amatoria, & ludicra, non tamen contra mores ad turpia, turpeſve amores, niſi vt ſimul reprobentur, ſed ducentia ad permiſſos affectus, ſpeſque nuptiarum, quæ ſunt perſæpe comœdiarum noſtrarum exitus, ſiue Cataſtrophes. Iam & ſententiæ eiſdem argumentis, & honeſtati congruentes, carmina ſuo cultu, & vrbano acumine, non impuro, aut noxio ſpecioſa, & vt ad rem Tacitus 14. *Annal. Studio honeſto, & conceſſa voluptate incitamentum ingenijs allatura*, totumque ipſum poema, in quo vel ex popularibus plerique non tam laſciuiam, quàm lætitiam genij, atque illud τὸ πρέπον, *Tullianum*, ſeu *decorum*, &, vt apud nos vulgus, proprietatem, & aptitudinem in argumento, ſententijs, verſibus, & in comœdię ipſius titulo, actibus, attextu, & exitu intueatur, in queis pro captu exerceat criterium.

Poſtremò ſi vltra finem, & obiectum, ſeu rem, etiam ex circunſtantijs, & accidentibus, vtcumque extrinſecis, cenſendum ſit, inter quæ ſunt potiſsima pronunciatio, ſeu recitatio ſcenicarum, & earumdem cantilenæ, ac ſaltationes, veſtibus, geſtu, ac motu immodeſtæ, aut laſciuæ, expenditur, è contrario hęc ipſa eſſe extrinſeca, nec frequentia, & vt ne quando in his exorbitetur, prouiſum eſſe Senatoria cura, deſignato inſpectore, qui non tantùm fabulas ipſas comicas ante editionem, ſed & earū veluti exodia, & parabaſes, cantiones, & choreas extra theatra cēſeat, & corrigat, & præpoſito theatris ipſis, pro diſciplina, Prætorum Curiæ aſſenſu, & Magiſtratuum alijs in Vrbibus, ne inhoneſta, probroſave auditu, aut viſu interſeri comœdijs permittant, ad exemplum Tribuni illius voluptatum, de quo ad extremum diſſertationis huius, aliqua. Nunc vnum illud pro Hiſpanis comœdijs teſtimonium Galli ſcriptoris Ieſuitæ, & eruditi Ludouici Cellotij, qui *Oratione* 11. ex his, quas adverſùs Hiſtriones edidit, ita poſt alia: *Inuideo vobis, Hiſpani, quibꝰ etiam in ludo, grauibus, ſerijſque eſſe licet; cū apud vos religioſè, modeſtèque ſcena haberi, dicatur, mulcta etiam indicta, propoſitaque pœna, ſi quod verbum temerè effudiſſe, dicatur.* 9

CA-

CAPVT XLIV.

SENTENTIÆ, CVI, VT POTIORI, ASSENTIMVR, ET QVÆ illicitas Comœdias cenſet, auctoramenta.

ARGVMENTVM.

HIſpanę Comœdię vſus, vtcumque tolerabilis ſit, non tamen poſſe per ſe, & in concreto cenſeri inter res licitas, aut indifferentes, quinam ſcripſerint Theologi, & Iuriſperiti. Regiorum Senatuum permiſsio pro comœdiarum vſu, & admiſsio ſcenicorum ad ſacra, non eſt approbatio, ſed tolerantia, nondum pro illicita indubiè damnata. Sub Philippo IV. Regij Senatus maior pars contra comœdias conſuluit. In Regijs legibus, quæ vna fere Hiſtrionum meminit, notat eos, dum diſtinguit à perſonis honeſtis. Hiſtrionatum improbarunt extra Hiſpaniam, plures Itali, Germani, Francogalli. Iam vt ab auctoritate ad rationem, ſupponitur, rem per ſe bonam, aut indifferentem fieri illicitam ex circumſtantijs non bonis; etiam ſi finis bonus intendatur. Aſt in comœdijs, in primis actio ipſa, & repræſentatio fabulæ amatoriæ (cuiuſmodi vt plurimùm ſunt) eſt inductiua ad amatoria, & turpia, eòque magis noxia, quantò vrbanior, ex Auguſtini, & aliorum ſenſu, neque excuſanda obtentu Curialitatis illius, de qua *in cap. 11. de exceſſ. Træl.* neque propendente ad moralia, aut honeſtas nuptias comœdiarum exitu. Deinde & ipſarum intermedia, & accedentia dragmati, cantionum, & ſaltationum ludicra, omnino turpiora, nec abſimilia iocularibus illis, quę improbata pridem ſacris Canonibus, curſim luſtratis, & ſignatè quoad mulierum ſaltationes *Can. 62. & alijs Trullanis*, & quoad Fidicinas Theodoſij Magni lege, quę eſt 10. *in Theod. C. de ſcenic.* quamquàm invaleſcente poſtea contra illam legem luxu, & fortaſſe occaſione *nouoris leg. 4. Cod. de pagan.* In qua obſeruatur, & illuſtratur votorum publicorum mentio. Porrò in Hiſpania eſt vetus eadem chorearum, & tripudiorum improbatio, tamquàm nocentium, vt ex Concilio Toletano, apud Gratianum *in cap. 2. de conſecr. diſt. 2.* & quidem ſub nomine, *ballimachiarum*, ſeu ballationum, quarum etymum ductum ex Græco; & Laodiceno *can. 53.* Improbantur hęc, vt turpia, & *luſa diabolica*, vt vocantur *in Capitulari* Ludouici VI. *cap. 193.* ſiue, vt *chori diaboli*, vt olim Hieronym. Affines fidicinis, & ſaltatricibus illæ, quæ in Toletana Synodo *anni* 1324. dicuntur, *Soldaderas*, à ſolidis, quos turpi ſui ſpectaculo, ſaltationeque emerebant: vnde & ſubmotæ à domibus Epiſcoporum, iuxta Braccharenſem *Can. 62.* Laodicenſ. 54. & Euſebij Papę *Decretum*. Tot recentis comœdię turpibus accedunt ipſa comicorum contubernia, turpia tum perſonis, & illarum inter ſe promiſcua fere turpitudine, tum promiſcuis illis veſtium transformationibus virorum in fœminas, quas vel ethniciſmus prædamnauit, *in l. 23. §. 2. D. de auro, & arg. leg.* & vel maximè fœminarum in viros, quàm deteſtatur *Sacra Lex* Deuteron. *cap. 22.* & poſt inde *Braccharenſes, & Trullani Canones*, & Angelicus Thomas, tamquam *incentiuum concupiſcentiæ, & occaſionem libidinis.* Suſcribitur tandem huic ſententiæ contra comœdias, & reſpondetur obiectionibus quarumdam modeſtiorum, vel aliarum extra ſcenam actionum, perinde turpium, ac demum obtendiculis piorum ſumptuum, queis theatra ſeruiunt, & queis defenduntur. Signantur hęc Sancti Caroli Borromæi, & Mediolanenſis Concilij ſancta, & ſeuera de comœdijs cenſura.

1 AT verò, quamvis aſſertionem ſuppoſitam, tot, tantiſque auctoritatis, & rationum fulchris ſubnixam, damnare improbabilitatis ſit, aut videatur, ne pręcipitis, dicam, parùm maturę, aut moderatæ cenſuræ, nobis tamen contraria aſſertio non tantùm probabilior ſpeculatiuè, & practicè, & quod liquet, omnino tutior, ſed & ex animo, & iuridica formula, vt affirmemus, certior, receptiorque eſt. Nempe Hiſpanas comœ-

mœdias, earumque vſum, qualis hodie apud nos, quamuis tolerabiles, aut tolerandę poſsint videri, de quo poſtea, non eſſe tamen, nec cenſeri in concreto, poſſe, rem licitam, vel indifferentem. Aſſertores ſunt de Hiſpana comœdia, ita ſeriò, & ſignatè cenſentes, Franciſcus Ribera *in Micheam ad cap.1. num.61. & ſeqq.* Ioannes Mariana *toto opuſc.3. de ſpect.* & perinde acriter *lib.3. de Regis inſtitut. cap.16. & lib.2. cap.5. ad finem.* Ribadeneira *de tribulatione, lib.3. cap.11.* Ioſephus de Ieſus Maria *lib.4. de excell. caſt. cap.16. & ſeqq.* Ioannes de Sancta Maria *de Republ. Chriſt. cap.29.* Ioannes Marquez *in Gubernatore lib.1. cap.30. §.2. ad finem.* Valle Moura *de incantat. opuſc.1. ſect.2. cap.16. num.23. & ſeqq.* Petrus Mendoza *de ſpe, & char. 2. tom. quæſt.179. ſect.2. per tot.* Ioannes Baptiſta Fragoſus *de regim. Reip. 1. part. lib.1. diſp.2. num.181. & ſeqq.* Anonymus, & doctrina, ac moribus nominari dignus, declamator contra fœminarum abuſus in nuditate colli, & pectoris, & ſiue, vt vulgò, *Eſcotados, propoſitione 9. §.43.* Archiepiſcopus Tapia; & ex Theologis alij, apud Illuſtriſsimum Aragoniæ Procancellarium D. Chriſtophorum Creſpi de Valdaura *obſeruat. 1. numer.* 136. vbi, & *num.*133. laudat venerandæ memoriæ Antiſtititem Placentinum, Regiumque ad Apoſtolicã Sedem Legatum, D. Ludouicum Creſpi de Borgia (proh quale, quantumque fratrum par, & ſecli ornamentum) *ſacra proclamatione eiuſdem in comœdias cenſuræ.* Laudat item noſtrum ex animo, & inter paucos ingenio, atque animo eruditum, Ludouicum Exea, Aragonij Senatus Regentem, *in diſſertatione de Hiſtrionibus*; quibus Senatorio ſuffragio Illuſtriſsimum Cancellarium, nec tam fraterno animo, vt Horatius aiebat, quàm amante recti iudicio, annuiſſe, vtcumque prudenter non exprimat, coniectari tamen, datur. Subſequuntur fere Theologos Ioannes Vallerus *de different. int. vtrumque forum, verb. Peccatum, diff.25.* Rodericus Acuña *ad cap. 1. num.10. 51. diſtinct.* Petrus Pantoja *de aleatoribus ad l.2. verb. Saliendo, num.5.* Nec diſſentit effectu, tametſi, primo aſpectu, præcipuus contrariæ aſſertionis patronus, Auguſtinianus Mendoza, dum poſt illam diſputando aſſertam, concludit tandem, proclamatque *dict. quæſt.9. num.15. & ſeqq.* eliminandas prorſus eſſe è Republica comœdias noſtras, & earum actores, & actrices, tamquàm noxios honeſtati ſeculi, & diſciplinæ.

Quin nec turbare, aut deterrere à censura in comœdias, debet, publicus, & permiſſus earum vſus, approbantibus, vt videtur, Regijs Senatib⁹, & admittẽtib⁹ vel ad ſacra ſcenicos Eccleſiæ adminiſtris; quippe ex ea permiſsione, aut admiſsione non tam præciſè approbationem inferes, quàm tolerantiam rei quadamtenus dubiæ, & pro illicita nondum citra controuerſiam damnatæ. Ac rurſus ſi Senatuum auctoramenta, & extra eos grauis, grandiſq; inter Eccleſiaſticos cenſuræ ſuffragia vel expendas, vel numeres, comperies iam inde ſub Philippo II. de quo *in proximo*, quod ſequebatur *capite*, & demum ſub Philippo noſtro, in ſolenni illa Supremi Caſtellæ Senatus conſultatione *anni* 1646. ſtetiſſe contra comœdiarum tolerantiam, & plures Conſiliarios numero, & auctoritate non inferiores, quamquàm, vt non ſemel viſum in his, quæ politiæ, ac pietatis ſpecie ſubrepunt, minor pars vicerit maiorem, at non Regio Decreto, aut reſponſo ad conſultationem Senatus, ſed tolerantia quadã, & tacita permiſsione. Denique ſi nouiores de nouis comœdijs patrias 2

le-

leges, aut Senatuſconſulta requiras, occurret dumtaxat *l.* 1. §. 12. *tit.* 12. *lib.* 7. *Comp.* & in illius tituli auctario Decretum Senatus *anni* 1636. queis hodierni hiſtriones diſcriminantur à perſonis honeſtis ſpeciali prohibitione, ac nota quoad aurum, argentumque in veſtibus.

3 Accedit de recentibus extra Hiſpaniam comœdijs, perinde eas deteſtans, & damnans, grauium extra Hiſpaniam ſcriptorum auctoritas, quę & meritò in Hiſpanas comœdias valeat, quia recentes illæ noſtrarum imitatione expoſitæ, in eamdem fere artem iam redactæ, & noſtræ ab illis antiquioribus vix fere diſtant, niſi quòd vrbaniore nequitia laſciuiũt. At quoad Italicas, & quidem nouiores, vt veteres eiuſdem Italiæ omittam, in quas iam pridem multa Franc. Petrarcha *de remedijs vtr. fort. lib.* 1. *dialogo* 30. Rodericus Zamorenſis *lib.* 1. *ſpec. vitæ hum. cap.* 31. Polydorus Virgil. *lib.* 2. *cap.* 13. Henric. Salmuth, qui de Italicis *ad Pancir. theſ.* 1. *p. tit.* 18. ne nunc expendam infra expendendum de Italico ſui tẽporis hiſtrionatu ſcribentem, & cum meretricatu conferẽtem, D. Thomam, ignoto, & inſigni loco 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 2. improbat eas, tamquàm illicitas, ex nouioribus, & poſt Menochium, alioſque ex profeſſo Iulius Chartarius *deciſ. crim. Mediol.* 20. *n.* 60. *& ſeqq.* Paulus Comitolus *lib.* 5. *reſp. moral. qu.* 11. Antonius Ricciullus *de perſonis, quæ in ſtatu reprobo, lib.* 5. *cap.* 7. *ad fin.* Ioann. Maria Nouarius *in collect. ad Pregmat.* 5. *Neapolit. ne quid in loco publico, num.* 8. Camill. Borrell. *de Magiſt. edict. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 5. & qui vnus quouis auctoramẽto in hiſtriones maior eſt, Diu. Carolus Borromæus *in Concil. Mediolanẽſi* 1. *Can. de armis, ludis, & ſpectaculis,* & *Can. de hiſtrionibus*, in queis comœdiæ cenſentur, *ludicræ, & impuræ actiones, & hiſtriones perditi homines.* & *de feſtor. dier. cultu, & locis alijs*, de queis inferiùs. Nec diſſimiliter de Germanicis comœdijs Adamus Contzenius 3. *politic. cap.* 13. §. 4. *& ſeqq.* Vbi & de Britannis hiſtrionibus (in quos iam olim multa Saresberienſis 3. *Polycrat. cap.* 8. *& lib.* 1. *cap.* 3. *& lib.* 8. *cap.* 12.). Ioann. Kochier *in theſ. polit. lib.* 5. *cap.* 20. §. *Improbandi.* Franc. Zypæus in libello inſcripto *Iudex Magiſtratus Senatus* 3. *cap.* 4. *n.* 4. *&* 9. & ex Canhoniero, & alijs Chriſtoph. Beſold. *tom.* 2. *polit. diſſ.* 1. *de educat. cap.* 4. *n.* 3. & de Gallicis Petr. Gregor. *ſyntagm.* 39. *cap.* 5. *n.* 19. *&* 27. *& lib.* 13. *de Repub. cap.* 21. *n.* 15. & probæ in hoc politiæ prauus auctor Ioann. Bodin. *lib.* 6. *de Republ. cap.* 1. egregiè P. Ludouicus Cellotius *Orat.* 10. *in comœdias.*

Nunc ab auctoritate, vt ad rationẽ 4
noſtræ aſſertionis, ſupponimus, & reſumimus illud ipſum, quod ſupra pro contraria aſſertione tradidimus, ſcilicet actiones, alioquin indifferẽtes, reddi malas ex fine, obiecto, & circũſtantijs, & tali in eis defectu, quo fiat, vt nõ ſint bonæ ex integra cauſa, & proinde, vt malæ ſint, vt eſt diſcere apud Angelicum Thom. 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. 3. *&* 8. Addimus & in ſpecie ex eodẽ Thoma 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. *in reſp. verſ. Circa quæ, & art.* 3. *in reſp. & ad* 3. actiones ipſas ludicras, ſiue hiſtrionicas ex circũſtantijs materiæ, & modi, & per exceſſum in actionibus eiſdẽ tranſire ab indifferentib' ad vitioſas. Quo ſuppoſito, vt nec de fine Reipublicæ in comœdijs diſputemus, largiamurq́; eum honeſtum eſſe, nempe licitæ recreationis, eumdẽque in pleriſque ſpectatoribus, & quod vel vltra eſt, non eſſe illicitum in pleriſq́; ſcenicis ſupponamus, vt ſupra expendimus, tamẽ in actione ipſa comica, ſeu comœdijs, ſi ſincerè de illis, ſtatuq́; ac modo, quo nunc exhibentur, iudicetur, affirmamus, excedi,

vt plurimùm à medio ad extrema vitioſa, & illicita, ideoque & eas cenſendas illicitas, quippe in primis actio ipſa, ſiue actionis ſpecies, eſt recitatio, & vt loquũtur, repræſentatio fabulæ amatoriæ (qualia aut in totum, aut ex parte ſunt pleraque comœdiarum noſtratium argumenta) eaque ornata ſenſibus, ſententijs, figmentis, & amantium illecebris, artibus, affectibus, ardenti repræſentatione expreſſis, quæ ſingula quantò ornatiora, & magis mouentia, ducunt, cum oblectamento aurium, & animorum, ſimul eoſdem, ac præſertim lubricos illos, & molles adoleſcentiæ ſenſus, ad eaſdem amandi affectiones, dum *in theatro congaudent amantibus, quamvis hæc ſimulatè gerantur in ludo ſpectaculi*, vt de ſe Auguſtinus ſcripſit *lib. 3. Confeſſ. cap.* 3. Proinde ex parte actionis, & ipſius repræſentationis in ſpecie exceditur in eo, quod primum, & principale eſt, ne delectatio collocetur in operatione, ac verbis turpibus, aut nociuis, ſiue inductiuis ex natura ſua ad turpia, cuiuſmodi ſunt, per quæ homines, pręſertim iuvenes, fiunt proniores ad laſciuiam, quomodò ad rem ſtatuit, docetque fere ad verbum D. Thomas *dict. quæſt.* 168. *art.* 2. *in reſp. verſ. Circa quæ. & art.* 3. *in reſp. verſ. Vno modo, & ad* 3. *& qu.* 167. *art.* 2. *ad* 2. vbi ex Chryſoſtomo Caietanus.

5 Neque à turpiloquio, ſeu turpitudine excuſes comœdias ex eo, quod neque obſcœna palàm, & vrbana potiùs, quàm turpia hęc comica dragmata, & poemata apud nos, ac fere ſemper ea, ſicubi in inhoneſtos amores primi actus exorbitarunt, clauduntur tamen honeſto, & illos improbante morali exitu, ac fine. Nam quoad illud conſtat, fuiſſe & olim comœdias aliquas nulla verborum obſcœnitate, & tamen turpes, ideoque deteſtabiles, vt deteſtatur Auguſtinus 2. *de Ciuit. Dei, cap.* 8. *in fine, &* 1. *confeſſion. cap.* 16. & admonuit diſertè Lactantius 5. *diuin. inſtit. cap.* 20. Comicas amatorias fabulas, quò magis vrbanæ, atque eloquentes verſibus, ac ſententijs, inhærere eò magis audientium animis, & per ſimulata inſtigare, atque erudire ad vera. Quin ſicut, Petronianæ illæ deliciæ, non ideo innoxiæ, honeſtæve magis, quia erudito quodam luxu, & elegantia affluebant, vt de illis Tacitus 13. *Annal.* neque nequiores minus fœminæ, quia velatæ, vt Poppæa illa apud eumdem Tacitum *dict. lib.* 13. ita nec Hiſpanę comœdiæ innoxiores, quia tecto magis, & vrbaniore amorum lenocinio, *mouent ſenſus, mulcent affectus*, vt de re Cyprianus *epiſt.* 2. *ad Donatum.* & perinde ſcitè Minutius Felix *in Octauio*: *Eneruix hiſtrio, amorem dum fingit, infligit.*

Planè appoſitum, nec vulgo tritum contra hanc vrbanitatis excuſationem, quod legitur *in cap. In terdilectos* 11. *de exceſſ. Prælator.* illic: *Peſtes huiuſmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuoſos, (occaſione quorum, ſub quadam Curialitatis imagine, ad diſſolutionis materiam deuenitur) penitùs improbamus: excuſationem prædictam, quæ per prauam conſuetudinem (quæ corruptela dicenda eſt) palliatur, friuolam reputantes.* Curialitas illic dicta à Curiam Principum affectantibus (quo ſenſu eas voces inferior ætas accepit, vt *in legibus Siculis Imp. Freder. lib.* 1. *tit.* 9. *&* 37.) eſt illa ipſa vrbanitas, quæ obtenditur pro excuſatione comœdiarum noſtratium, & quæ *humanitas* Tacito *in Agricola*, cuius de loco *in cap. ſeq.* Quamquàm pręter dragmata ipſa, & carmina in hiſtrionibus, ea recitantibus cernantur laſciuientes tot corporis, manuum, oculorum, atque eiuſmodi alia amatoria delinimenta, quę vel honeſta, 6

vel

vel indifferentia eſſe, nemo, ſalva conſcientia, dixerit.

7 Adijcimus & quoad illud de morali, ac honeſto plerumque exitu comœdię, vtcumque alioquin primis in actibus amatoriæ, aut parùm honeſtæ, non honeſtari eo exitu, & clauſula, neque fieri licitam comœdiam, quę alioquin illicita, ſiue mala cenſenda erat, ex quocumque boni defectu, iuxta Theologicum axioma, &, quod prætereundum non eſt, labem, perniciemque obrepentem moribus ex turpitudine amatoriæ narrationis, & actuum, & quæ perſæpe ante cataſtrophen animis hęſit, non elui, aut emundari, quantumcumque morali, & honeſta eiuſdem periodo, ac præterea non niſi periculosè, & abſurdè collocari in theatris magiſterium morum, aut medicinam, ſed *ridiculo omnino inſtituto*, cuiuſmodi hoc ipſum, & has comœdias, morum præceptrices, taxabat pridem Ariſtides ſophiſta *Oratione de non agendis comœdijs, tom. 2.*

8 Inſeruntur porrò comœdijs, & ſingulis earum actibus, ludicra illa *intermedia* (quibus vel inde inditum Hiſpano idiotiſmo nomen) eaque compoſita fere, & mixta vel petulantibus, & ſcurrilibus iocis, vel ex odijs, vt veteres vocabant, comicarum cantionum, & ſaltationum, in quibus ſingulis nocentiore licẽtia, nequitiaque dragmatis, carminum, motuum, geſtuumque, & actionis totius peccari, quàm in comœdijs ipſis, tam in aperto eſt, vt vel ſignaſſe pudeat, pigeatque, & ſignaſſe ſufficiat, vt propriè his aptetur aſſertio illa D. Thomæ iam laudati de illicitis hiſtrionum ludis, & ſpectaculis, quando, & quatenus petulantia, & prona ad laſciuiam.

9 Duo tamen in re ſubiungimus: Primum, comœdiarum noſtratium intermedia, eaque iocularia, ex quibus conſtant, chorearum, & ſaltationum, eſſe ea ipſa, ob quę ſeculi, noſtro proximi, & Eccleſiæ Canones improbant. hiſtriones, qui laruati, & ſaltantes, & mimos, qui geſticulantes, & vt ſcriptum eſt *in cap. vlt. de vita, & honeſtat. Cleric. 3. collect. Decret. per geſticulationum ſuarum debacchationes obſcœnas*, denique & ioculatores, ſiue, vt nos dicimus, *Iuglares*, qui ridicula, & circulatoria dicacitate ludibriorum ſpectaculis deſerviebant. *cap. Qui die 66. de conſecr. diſtinct. 1. cap. Cum decorem 12. cap. Clerici 15. de viſta, & honeſt. Cleric.* iuncto *cap. vnico, eodem tit. in 6.* Concilio Moguntino 1. *Can. 48.* Pariſienſi ſub Gregorio IV. *lib. 1. can. 38.* Colonienſi ſub Paulo III. *part. 3. can. 26.* Senonenſi *Can. 17.* Baſileenſi *ſeſſ. 21. cap. de ſpectaculis*, & ſignantiùs Mediolanenſi 1. *cap. de hiſtrionibus, & cap. de armis, & cap. de feſtorum dier. cultu.* & Mediolanenſi 2. *titul. 2. cap. 34.* & Mediolan. 3. *tit. 1. §. Quoniam*, & *ex Capitularibus in additione 3.* Ludouici *cap. 27. & 42.* illic: *Hiſtrionum quoque turpium, & obſcœnorum inſolentias iocorum*, ſic enim, non, *locorum*, legimus, iuxta *Turonenſem Canonem*, apnd Burchardum *lib. 1. cap. 26.* à quo ſumpta additio Ludouici, nec ſilendis in re noſtris legibus 12. *tit. 20. part. 1. & l. 4. tit. 6. part. 7. & l. 3. tit. 14. part. 4.* cum gloſsis, & Luca Pennenſi *in l. Si qua 4. Cod. de ſpectacul.* & ex inferioris itidem ſecli Scriptoribus, Saresberienſi, Petrarcha, Roderico Zamorenſi, & alijs, quorum ſupra meminimus. Eaſque ipſas iocoſas comœdias, vt olim Plautus apud Feſtum vocabat, & quales fere Iuſtiniani æuo, illę *ridiculorum cum Thymelicis choris*, vt *in Nouella 105. de Conſul. cap. 1. §. Quintum*, non diſsimilis fuiſſe ab intermedijs noſtris ludicris,

cris,niſi quod illæ proſa , & vernacula ſcurrilitate ludebant, noſtra autem poeſi , & cultu vrbaniore, non honeſtiore.

10 Secundum , & proprium,quoad cantilenas,& ſaltationes comicas, ſubiungimus, prohiberi eas etiam laicis, ſub pœna ſegregationis, & vel ſepoſitis illis Idololatriæ, & ſcenicæ proſtitutionis periculis,ſed per ſe,& *tamquàm multam noxam, exitiumque afferentes ; & è Ciuitate fidelium tolli* , & cominatim *publicas mulierum ſaltationes* , vt ſtatuitur *Canone* 62. *Synodi* 6. in Trullo à quo non diſcrepant *Trullani* item *Canones* 51. & 24. & ad eos Balſamon, & Zonaras, & ante eoſdem Clemens Romanus *lib.*8.*Conſtit. Apoſtolic. cap.*32. Auguſtinus, Saluianus , Iſidorus ,& alij , quos in Thymelicos aduocauimus ſupra hoc libro.

11 Deinde fuiſſe eò vſque improbatas Chriſtianis moribus ſaltatricum fœminarum choreas , vt eaſdem ſpectaculis adhibere , aut priuatis conuiuijs , vel alioquin fidicinam habere, aut emere, interdixerit Magn' Theodoſius edicto illo , cuius pars extat *in l.Fidicinam* 10.*Cod. Theodoſ.de ſcenic.* ſiue *miniſteria laſciua* , & *pſaltrias* , vt eſt apud Aurelium Victorem *in Theodoſio*,& ex illo Paulum Diacon.*lib.*13. *hiſtor.miſc.cap.*17.quamquàm repreſſa ad tempus , & recrudeſcente poſt Theodoſium licentia, vt vel Sidonius docebit *lib.*1.*epiſtol.*2.& *lib.* 9.*epiſtol.* 13.& *carm.*23.& ad eũ eruditi Scholiaſtæ Bulengerus *de Theatrô,lib.*2.*cap.* 9.& *de conuiuijs lib.*3.*cap.*29.& *ſeqq.* &,quod neſcio , an adhuc notatum, inoleuere rurſus fidicinæ in conuiuijs, occaſione recentis poſt Theodoſium legis Honorij,& Archadij, quę eſt 4. *Cod.de paganis*,vbi,& *in l.* 17. iuncta *l.*8.*C.Theod.eod.tit.*verba illa, *exhiberi populorum voluptates ſecundùm veterem conſuetudinem,miniſtrari etiam feſta conuiuia,quando exigunt publica vota*, referenda omnino ſunt ad vota illa publica,quæ pro ſalute Cæſarum *Kalendis Ianuarijs* nuncupabantur.*l.Si canitur* 233. §.1.*D.de verb.ſign. l. vn.C. de oblat.votor.lib.*12.& ad voluptates conuiuiorum,cantionum , & choreարum,quę in Kalendis illis miniſtrabãtur , vt vel liquet apud Gratianum in *cap.Si quis Kalendas* 14. *cap. Non obſeruetis* 16.*in princ.*26.*q.*7. (cum alioquin in honorem ſacrilegi ritus funeſtioribus locis exercere conuiuia non liceret, *l.Templorum* 19. iuncta *l.* 17. *eod.tit.de paganis,in C.Theod.*)fuerint quamvis,vt alia ſileam , immemores *d.l.vt paganos* 4. in vtroque hoc notato tot exteri , noſtrateſque, qui de Kalendis,& votorum oblatione ſcripſere.

Denique ne extra Hiſpaniam cantilenarum, & tripudiorum improbationem quæras,comperies, improbari ea,& exterminari ab omni Hiſpania, & quidem tamquàm *nocentia* in Concilio Toletano 3. *Can.* 23. qui in Gratiani Decreto eſt *cap. Irreligioſa* 2. *de conſecr.diſtinct.*2. & in Iuonis *part.* 4. *cap.*12.Quibus adſtipulantur Antiſiodorenſe Concilium *Can.*9. Moguntinum ſub Leone III.*Can.*48. Cabilonenſe 1. ſub Clodoueo *Can.* 19. Vocantur autem ſaltationes illæ in epigraphe *Canonis Toletani* , *ballimachiæ*, ſeu *ballemantiæ* , & in Concilio Braccharenſi *Can.* 80. qui apud Burchardum extat *lib.*10.*cap.*39. ſicut & in *Synodo Romana* ſub Lothario *Can.* 35. & *in Capitularibus* Caroli , & Ludou. *lib.*6.*cap.*193.de queis poſtea , & in *Synodo Rhemenſi* ſub Lothario *Can.* 35.*Ballationes* , deriuata voce à Gręcanico illo τὸ βαλλίζειν, ſiue βαλλεῖν, quod eſt, *ſaltare* , vt habet Græcus textus *Can.*52.Concilij Laodiceni , & ex eo Photius *in Nomocanone,tit.*13.*cap.*24. 12

vn-

vnde & βαλλισμὸς, & *balliſtea* pro ſaltatiunculis *in* Vopiſci *Aureliano*, & *in* Iſidori *Gloſsis*, Athenæo, Suida, & ex Benedicto Leuita, & Michaele Scoto *in* Meurſij *gloſſario Græco-barbaro.* Alia, ex noſtro Alderete, & alijs de his ballimachijs, ſeu ſaltationibus cumulat noſter item, & poſt ſcripta hęc viſus, Don Eman. Gonçal. *ad cap. Cum decorem* 12. *n.* 1. *&* 7. *de vita, & hon. Cleric.* & Hiſpanis, Italis, Gallis, vſitatę hodie eadem notione voces.

13 Sed, quod ad rem, improbantur ballationes illæ, ſeu ſaltationes, & cantica, quia *turpia, & luxurioſa*, qualia cenſentur *dict. cap.* 193. *lib.* 6. *Capitular.* & prohibentur etiam *in plateis, ac domibus, omnique loco*, & dicuntur *Luſa diabolica, quia de paganorum conſuetudine remanſerunt*, quæ & ratio in hac re exprimitur *in* Concilij Carthaginienſis *Can.* 63. apud Balſamonem, qui fuit 27. Concilij Africani, ex quo Burchardus 10. *cap.* 36. At nobis in propoſito ſatis eſt, habita ſemper fuiſſe pro noxijs, publica fœminarum tripudia, & cantiones, & *fidicinas ipſas, ac pſaltrias, chorum diaboli, & mortifera ſirenum carmina*, vt indigetat Diu. Hieronymus *epiſtol.* 10. *ad Furiam*, iuxta ſacrum illud pręmonitum Eccleſiaſtici *cap.* 9. *verſ.* 4. *Cum ſaltatrice aſsiduus ne ſis, neque audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.* Quantò magis pereundi periculo proximas cenſeas in comœdijs noſtris aſsiduas ſaltatricum ſcenicarum choreas, & earum elumbes, molleſque flexus, & motus, in quos tam ſeriò, ſanctèque pridem Cyprianus, Chryſoſtomus, atque alij ex Patribus apud Marianam, & vtrumque Mendozam.

14 Illud non extra rem, neque extra Hiſpaniam, & indictum adhuc, aut ignotum noſtratibus, non prætermimus, quod legimus in Concilio Toletano *anni* 1324. ſub Ioanne Archiepiſcopo, extatque inter Concilia editionis Seuerini *tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 817. §. *Antiquos*, in hæc verba: *Cæterùm quia in partibus iſtis morbus deteſtandæ inhoneſtatis irrepſit, quòd mulieres, quæ ſoldaderas vulgariter nuncupantur, intrant publicè domos Prælatorum, & Magnatum, ad comedendum, & alia, loquentes praua, & inhoneſta colloquia, plerumque corrumpentia bonos mores, facientes ſpectaculum de ſe ipſis, præcipimus omnibus, & maximè Prælatis, ſub obteſtatione Diuini Iudicij, ne huiuſmodi mulieres permittant.* Et deinceps. Planè nuncupatas fuiſſe has mulieres, *Soldaderas*, à ſoldis, ſiue ſolidis, quos turpi ſui ſpectaculo emerebant (quæ eſt etiam origo vocis *Soldados*, vt notatum pridem Gloſſarijs Græco, & Latino-barbaris,) & fuiſſe eas, vt plurimùm mimas, cantratrices, & ſaltatrices, ſatis innuitur eo Canone, dum & reſpicitur ad *antiquos Canones*, in præfatione deſignatos, quibus Eccleſiaſtici vetantur intereſſe ſpectaculis, & ludicris conuiuiorum, iuxta *Hiſpanienſem Can.* 62. Concilij Bracchārenſis 2. ſumptum ex Laodiceno 54. de quo, & alijs nuper, & ſupra, & de Prælatis, ſiue Epiſcopis potiſsimùm Decretum Euſebij Papę apud Burchardum *lib.* 14. *cap.* 7. illic: *Remoueantur ab Epiſcopi conuiuio, cuncta turpitudinis argumenta, non ludicra ſpectacula, non acroamatum vaniloquia.* (cum ſit è contrario vetus, & notum omnibus, vt Auguſtinus ſcribebat 3. *aduerſùs Parmenianum, nugaces, & turpes ſaltationes ab Epiſcopis ſolere cōpeſci*) Et quia deſcriptiones illę mulierum, quæ *Soldaderas*, ſeu *quæſtuariæ*, inibant conuiuia ad inhoneſta ſui ſpectacula, & comedendum, conueniunt propriè ſaltatricibus, &

cantatricibus *laſciuientium delicijs conuiuiorum*, vt vocat A. Gellius *lib.* 1. *noct. Att. cap.* 11. quas & ideo à conuiuijs eliminatas Theodoſij lege, proximè adnotauimus.

15 Hæc præter ſufficerent, vt ab indifferenti ad inhoneſtam, malamque res comica apud nos tranſiret, perſonæ ipſę hiſtrionum vtriuſque ſexus, quales & Hiſpania noſtra, & ſeculum ſubſtinet: idque ſiue illam fœcem perditorum hominum, viliumque fœminarum conſideres, diſcretam contubernijs, &, vt vocant, ſocietatibus (quamquam nullius rei inhoneſtæ, honeſta ſocietas ſit, vt Vlpianus monebat *in l. Nec prætermittendum* 57. *D. pro ſocio*) & è conuerſo mixtam inter contubernales ſcenicos fœda, ac fere promiſcua licentia, & libidine, eaque illis, & extra eos contagione, & exemplo publicè noxiam; ſiue fœdas illas transformationes, per quas tam ſæpe impurus hiſtrio ſanctiſsimi cuiuſque ex diuis perſonam induit, ac repræſentat, &, vt in *Apologetico* Tertullianus *cap.* 15. *ignominioſiſsimum caput imaginem Dei veſtit.* rurſuſque ille idem (quod ſine vituperatione non fieri, vel Vlpianus docuit *in l. Veſtis* 23. §. *Veſtimenta* 2. *verſ. Muliebria, D. de auro & arg. leg.*) euiratur muliebri habito, & in fœminam frangitur, quorum vtrumque olim deteſtabantur Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Auguſtinus; ſed, quod deteſtabilius nunc, & nocentius, fœminæ ſcenicæ transformantur in viros, & ſub virili, militari, aut ludicro ſchemate pelliciunt iuventutis oculos, animoſque ſolutiore procacia, & theatri, & transformationibus habitus, quæ vel extra theatra inhibetur, coerceturque pœnitentia triennali, *Canone illo Braccharenſi* 8. quem Burchardo debemus, *lib.* 10. *cap.* 39. & damnatur pro abominabili apud Deum, Deuteronomij morali lege *cap.* 22. *verſ.* 5. ad quam multa Scholiaſtæ Biblici.

Vnum propriè ad rem noſtram, 16
quod inter alias damnationis cauſas memorat Diu. Thomas 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 6. *ad* 6. & 2. 2. *quæſt.* 169. *art.* 2. *ad* 3. nempe *mulierem indui veſte virili, eſſe incentiuum concupiſcentiæ, & occaſionem præſtare libidini*, ſiue eſſe veluti præparationem ad meretricandum, vt annotauit *Gloſſa ad Canonem* Concilij Gangrenſis (quamquàm aliò ille Canon pertinet) qui extat *in cap. Si qua mulier* 6. 30. *diſtinct.* Planè in re hiſtrionica prohibitio commutationis veſtium, & nominatim, ne mulieres ſcenicæ virilibus induantur, ſtabilita iam olim *Canone* 62. Concilij Generalis 6. in Trullo, vbi Zonaras vocat hanc, *conſuetudinem Bacchantium*.

Tot ſimul malis comœdiarum 17
noſtratium dragmatis, repræſentationis, intermediorum, cantionum, ſaltationum, & perſonarum, miniſterijque hiſtrionici, cauſis, ſeu circumſtantijs concurrentibus, quæ vel ſingulæ per ſe, ac ſeparatæ ſatis eſſent, vt illas ex indifferentibus illicitas redderent, iuxta Thomæ, & Theologicæ Scholæ documenta, de queis ſupra, amplexamur rurſus ſeriò, & ex animo, aſſertionem, quæ ſtatuit, illicitas comœdias eſſe, prout hodie exhibentur, nec poſſe in concreto cenſeri licitas, vel indifferentes. Adiungimus pro cautione aſſertionis, & contra adverſantes tutela, quantumcumque extra ſcenam, & ſcenicas in profanis alijs perſonis, & actionibus, occurrant non pauca, honeſtati periade offenſiua, aut nocitura, & in comœdijs ipſis aliquæ argumento, actione, & adiunctis verecundiores, & vt eiuſmodi ſint, at-

atque exhibeantur, inuigilari à Magiſtratibus, ei rei præpoſitis; tamen neque extra ſcenam illa, quantumcumque tolerentur, licita eſſe, de quo nunc queritur: & de ſcena, ac ſcenicis non cenſendum ex vna, aut altera comœdia modeſtiore, ac innocentiore, cuiuſmodi perpaucæ ſunt, ſed ex pluribus, & quales vt plurimùm ſunt noxię, & immodeſtæ, præſertim repræſentatione, & intermedijs, ac perſonis; quarum publica inverecundiæ veluti profeſsio turpior, & perniciosior honeſtati eſt, quouis alio, & priuato extra theatra exceſſu; deinde nec ſufficere, experientia teſte, nec ſuffeciſſe vnquam tribunatum, ſeu præfecturam illam corrigendis comœdijs, & hiſtrionibus.

18 Poſtremò neque ſubſtineri, neque expiari comœdias vulgari illo prætextu theatrali quæſtus ſervientis pijs ſumptibus Xenodochiorum; cũ, pręterquamquòd mala, ſiue illicita, cuiuſmodi comœdias eſſe, affirmamus, nullius boni ſecuturi prætextu licita fiunt, iuxta Pauli illud notum *ad Romanos* 3. *verſic.* 8. ſtent contra eum prætextum rationes, & exempla improbati olim vectigalis *Chryſargyri*, vtcumque ærario publico ſervientis, ne ſub *eo obtentu corrumpendi pudoris liceret exercere comercium, & in iniuriam ſui ipſam quodammodò ignaram conniuere Rempublicam.* Vt ſcriptum eſt *in Nouella Theodoſij* 8. *de Lenonibus*, cui illuſtrandæ, & ad rem multa dedimus *lib.* 3. *cap.* 1. Alia ad rem Anonymus ille, *contra los eſcotados, propoſ.* 9. §. 43.

Subſignamus aureo veluti annulo, aut gemma aſſertionem hanc, 19
cenſura, & auctoritate Mediolanenſis Concilij 3. habiti *anno* 1573. in quo magnum illud Eccleſiæ, & ſeculi decus Sanctus Carolus Borromęus ſic de comœdiarum ſcandalis cenſuit, ſub titulo de *feſtorum dierum cultu*: *Quoniam autem vſu in hac Prouincia nimis compertum eſt, deprauatis his temporibus, & moribus ad choreas, tripudia, ſaltationes, & id genus alia, nunquam fere conueniri ſine multis, & ijs quidem grauiſsimis Dei offenſionibus, idque cum ob turpes cogitationes, obſcœnè dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & pernicioſas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuò coniunctas, tum propter cædes, rixas, diſsidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima, inde conſequentia, quàm ſæpiſsimè, his tot offenſionum, & peccatorum ſeminarijs locum dari.* Qua cenſura præmiſſa, ſubiungit: Interdicimus, *ne ſaltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant; ne item comœdiæ, ludi ſcenici, vel theatrales.* Expendimus autem, vt diximus, cenſuram ſanctiſsimi Præſulis de comœdiarum ſcandalis, & opponimus cenſentibus eas licitas, aut indifferentes, ſepoſita interim diſceptatione de ratione, & auctoritate eaſdem tolerandi, aut prohibendi, de qua alio capite ex profeſſo.

CAPVT XLV.

SECVNDA, ET PRÆCEDENTIBVS PROXIMA ASSERTIO: Hiſpanas hodiernas Comœdias tolerari poſſe, ſine noxa conſcientiæ publicæ tolerantis.

ARGVMENTVM.

PRo tolerantia comœdiarum licita, ſtant etiam illi ex Theologis, qui illicitas cenſent. Fundamentum primum, quia, cum non eſſe illicitas, ſit plurium ſententia, & quidem probabilis, non peccat Reſpublica, eas tolerans, probabili ſententię innixa, vtcumque alia, illicitas cenſens, probabilior ſit. Exponitur, qui obſtare videbatur, Diui Thomæ locus. Secundum, quia, etiam ſuppoſitis illicitis, licita eſſe poteſt tolerantia permiſsiua, vt in alijs apertè malis, ad vitanda deteriora; quæ vna cauſa eſt huius tolerantiæ, ſicut & recreatio populorum. Tertium, quia tolerantia hæc non libera, abſoluta, & perpetua, ſed conniuentia cum ſuis cautionibus, & temporalis. Expenditur pro re *Canon* 86. Concil. Carthag. 4. ſimulque pro hac tolerantia comœdiarum vetus Hiſpanię conſuetudo, cui leges conniuent, & ſuffragatur Scholium Balſamonis ad *Can.* 63. in Trullo, hiſtrionatum intra Eccleſias, & in Clericis conſuetudine excuſans. Aſt præfixum Balſamoni nigrum theta, dum ex conſuetudine etiam excuſat abuſum cum illuſione ſacrarum veſtium in hiſtrionibus. Suggillatus in tranſitu, quamquàm ſine decretoria cenſura, abuſus recens fœminarum detectionis per *Eſcotados*, vt vocantur, colli, & pectoris, & laudatum Regij Caſtellani Senatus Decretum in eum abuſum.

1 SEcunda, nuper poſitis proxima, & fere extra cõtrouerſiam, ideoque quàm breuiſsimè ſtatuenda, aſſertio eſt, Hiſpanas comœdias, quales hodie exhibentur, eſſe ſaltem tolerabiles, ſeu tolerari poſſe licitè, ac ſine noxa conſcientię publicę tolerantis; id, quod, vt ponimus, intra tolerantiæ permiſsiuæ terminos, aſſeruit de comœdijs, poſt Ioannem Fabrum *in* §. *In ſumma, Inſtit. de iniur.* Nauarrus *conſil.* 3. *de Iudæis, lib.* 5. *num.* 2. Eòque referendum, ſcilicet ad tolerantiam permiſsiuam temporariam, quod de comœdijs noſtris Romæ, ſe præſente, permiſsis, memorat, ſat erga eas indulgens, Thomas Hurtadus 2. *tom. tractat.* 8. *cap.* 7. *digreſſ.* 3. *ſect.* 3. *num.* 746. & agnoſcunt ex Theologis fere omnes, etiam qui, illicitas eſſe, contendunt, ſi Mendozam Ieſuitam excipias. Videſis, ſi vacat, Anton. Dianã 5. *part. tract.* 13. *Miſcell. reſ.* 78. Araujum moral. *de ſtatu ciu. diſp.* 5. *ſect.* 3. *num.* 5. Azorium, de tolerantia comœdiarum, & Lupanarium, æquè cenſentem, *tom.* 1. *inſtit. mor. lib.* 8. *cap.* 22. §. 13. *& lib.* 2. *cap.* 10. *ex alijs.*

Fundamenta aſſertionis in conſpicuo. Primum, quia, ea etiam ſententia ſtante, quæ illicitas comœdias cenſet, cui, vt omniuo probabiliori, & certiori, ſubſcripſimus, agnoſcimus tamen, ac vix niſi temerè negetur, eſſe probabilem auctoritate, & ratione contrariam, quæ illas ſtatuit, licitas eſſe, & ſaltem indifferentes. Non peccat autem Reſpublica, aut Princeps, qui iuxta probabilem ſententiam operatur, & quidem intra eam ſententiam de comœdijs indifferentibus, non ſolùm ſi permittat, aut toleret, ſed etiam ſi aliquatenus eiſdem auctoritatem ſuam indulgeat, ſecundùm traditiones Theologicas, de operantibus cum opinione probabili, apud Gabriel. Vaſquium 2

quium *in* 1. 2. *diſput.* 62. *& ſeqq.* Thom. Sanctium *in moral. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *ex num.* 14. Ioannem Sanctium *ſelectar. diſput.* 44. *& ſeqq.* Dianam 2. *part. tractat.* 13. ſicut neque alio ex capite peccat tolerans, aut permittens ad honeſtum finem rem, ſuo genere indifferentem, & quæ ſit, aut eſſe poſsit honeſti finis, atque vſus, quamvis vtentium vitio, tranſitura ſit in abuſum. De quo plura iam *lib.* 3. *cap.* 13. & in ſpecie pro vtroque nunc poſito, poſt Mendozam Auguſtin. *quodlib.* 9. *n.* 10. Araujus *d. diſp.* 5. *ſect.* 2. *n.* 6. *& ſect.* 3. *n.* 5.

3 Neque contrarius huic aſſertioni cenſendus eſt Diu. Thomas 2. 2. *quæſt.* 169. *artic.* 2. *ad* 4. illic: *Si tamen operibus alicuius artis pluries aliqui malè vterentur, quamuis de ſe non ſint illicitæ, ſunt tamen per officium Principis è Ciuitate extirpandæ, ſecundùm documenta Platonis.* Queis potiſsimè verbis nitebantur olim viri magni, vt illicitam eſſe, & mortali culpæ obnoxiam in Principe tolerantiam comœdiarum, Philippo Secundo Regi ſuaderent. Sed meritò quoad tolerantiam, quæ permiſſa iuſtis ex cauſis eſt Principibus Eccleſiaſticis, politiciſque, etiam rei per ſe illicitæ, & illiciti omnino vſus. Neque id vnquam Diuus Thomas inficiaretur; ſed expreſsit ſuperioribus verbis ſententiam ſuam de prohibenda arte, etiam non illicita, ob prauum plurium vſum, ſcilicet, quoties iuſtæ cauſæ pro tolerantia non vrgent, nec tam conſcientiam Principis reſpexit, quàm *officium* politicum, ſiue *curam*, vt Caietanus inibi vocat, & ideo addidit, *ſecundùm documenta Platonis*: ac proinde auctoritas Thomæ non tam vrget, vt probet, Principem ex conſcientiæ debito extirpare comœdias, debere (etiamſi iuſtæ, & probabiles cauſæ pro tolerantia ſint, quod paradoxum, & paralogum fere eſſet) quàm vt oſtendat, regulariter, & politico ſenſu, & officio expedire, vt à Principe extirpentur, de quo etiam, capite, quod ſequetur, dicendum.

Secundum eſt, quia & omiſſa, vel excluſa opinione probabili de indifferentibus comœdijs, & retenta ea ſola, quæ illicitas definit, poteſt eſſe adhuc licita tolerantia permiſsiua earum, ſi modò permiſsiua tolerantiæ limites non excedat, ſicut pleraque alia, multò magis indubitanter illicita, & mala, tolerantur, & permittuntur ad vitanda deteriora, vel ob alia bona, vt docuit Diu. Thomas 2. 2. *quæſt.* 10. *artic.* 11. *in reſp.* & notiſsimo illo exemplo meretricum, & lupanarium, quæ comœdijs, quantumcumque illicitis, omnino, & manifeſtè magis illicita, & mala, nemo inficietur, & tamen vel Eccleſię legibus tolerentur, oſtendimus ex profeſſo *lib.* 3. *cap.* 36. & dicemus explicatiore ſenſu *inferiùs ad finem huius de comœdijs excurſus.* 4

Conſideretur autem pro tolerantia comœdiarum, tum bonum illud publicum recreationis populorum, quo, vt de tolerantia alia Auguſtinus aiebat *libr.* 2. *de Ordine, cap.* 4. *Inter ipſas leges locum neceſſarium tenet, & in bene moderatæ Ciuitatis ordinem inſeritur*; tum etiam euitatio grauiorum malorum, ſeu peccatorum, à queis pleroſque, tolerato illo comœdiarum oblectamento, interim diſtineri, perſuaſum eſt, ideoque & licitum tolerare, & offerre permiſsiuè in comœdijs materiam minoris mali, vt ex Caieta- 5

tano, & alijs diſſeruimus alibi *lib.* 3. *cap.* 18. *& ſeqq.* & quamquam ſint, qui ex facto, neque immeritò contendant, irritari potiùs, quàm euitari per comœdias grauiora mala, de quo & proximo capite, negari tamen nequit, euitationem hanc, quę ſupponitur, & bonum illud neceſſariæ oblectationis populi (de quib' ſingulis iam *eo*, quod ſequitur *capite*) probabili ratione, & auctoramẽto ſubniti; quæ & ſatis ſunt, vt probabilis tolerantia ſit.

6 Tertium denique, quia tolerantia hæc, & permiſſio, neque abſoluta eſt, & libera, ſed certis perſonarum, & rerum, alijſque in comœdia cautionibus circumſcripta, neque perpetua, ſed temporaria, & quæ conniueat veluti laxamento, vtcumq; illicito ſeculi, & morum, interim, ſiue quamdiu in totum recidere non datur, eaque tolerantia non tantùm permittitur, ſed etiam conſulitur Eccleſiaſticis legibus. *cap. vltim. de tranſact. cap. Nihil* 2. *de præſcript. cap. Etſi illa* 23. 1. *quæſt.* 7.

7 Confirmamus in hac re ipſa, ignoto fortaſſe adhuc, auctoramento *Canonis* 86. Concilij Carthaginienſis 4. apud Gratianum in *cap. Neophyti* 12. *de conſecr. diſtinct.* 5. quo præcipitur Neophytis, vt inter alia *abſtineant ſpectaculis aliquando*, ac proinde aliquando, ſiue ad tempus eis permittitur, ſpectaculis aſsidere, & inter ea comœdijs, idque contra eierationem ab illis ipſis in Baptiſmo factam ſpectaculorum, & contra interdictionem eorumdem in Chriſtianis omnibus, ob damna Idololatrię, & impudicitiæ, iuxta Carthaginienſis Concilij 3. vno circiter anno, quartum antecedentis, *Can.* 11. & tamen permittuntur comœdiarum ſpectacula Neophytis aliquatenus, ſiue temporariè, dum conniuetur aliquatenus eorum imbecillitati, & conſuetudini, ſub ſpe eoſdem poſtea ad ſaniora, ac ſanctiora deducendi, quomodò & pleniùs nos *ad illum Canonem lib.* 3. *cap.* 38.

Planè ſcimus, eſſe & hoc alterum pro comœdijs ſuffragium, ſcilicet conſuetudinis earum, ſiue vſus in Hiſpania recepti, longæuique (de quo, & quæ illius volæ, ac veſtigia, videſis *capite* ſequenti) vt proinde nec temerè popularibus in hac re ſtudijs contrairi debeat, argumento *ex l.* 4. *Cod. de paganis*, illic: *Secundùm veterem conſuetudinem. l. vnic. Cod. de expenſ. ludor. iuxta veteris conſuetudinis legem.* iuncta *l.* 1. *Cod. de ſpectacul. libr.* 11. & appoſito in hoc ipſum teſtimonio Theodori Balſamonis *ad Canonem* 63. Concilij Trullani, dum de hiſtrionibus, ſuo tempore, abutentibus intra Eccleſias, Clericalibus, & Monachalibus veſtibus, cum earum deriſione, & contra Eccleſiaſticas, & politicas leges ſcribit, cum ille interrogaſſet, *quomodò hæc fierent*, nihil aliud audiuiſſe, niſi hæc longa conſuetudine peragi. ἐκ μακρᾶς συνηθείας ταῦ τα γίνεσθαι. 8

Quamquàm ne Balſamonis locùm ſine antidoto adſcripſerimus, non debuit, conſuetudinis obtentu, defendi, quin potiùs coerceri, & præcidi Eccleſiaſtico, & politico gladio abuſus ille exorbitans hiſtrionum, intra Eccleſiam, Eccleſiaſticis veſtibus illudentium, cum ſit officij debitum, vt de alijs Eccleſiaſticorum ludis ſcriptum eſt *in cap. Inter dilectos* 11. *de exceſſ. Prælat. Peſtes huiuſmodi extirpare, & impro-* 9

probare excuſationem, *quæ per prauam conſuetudinem*, *quæ corruptela dicenda eſt*, *palliatur*. At Balſamon (quod ſine noxa, de ſchiſmatico, & aulico Patriarchatus affectatore crediderís) contentus ſimulata illa interrogatione, *quomodò hæc fierent*, non progreditur ad execrationem, ſciens vtique, auctorem ſuum Photium, cuius in Nomocanone commentator, & in ſchiſmate ſectator fuit, damnatum fuiſſe in Octaua œcumenica Synodo, tamquàm *Compatriarcham mimi* (quod illius inter alia fuit anathema, legiturque *actione 9. eius Synodi*) idque quoniam connivens Michaeli Imperatori, tolerauerat Theophilum quemdam ſcenicum Compatriarcham, qui intra Eccleſiam, præſente Photio, hiſtrionica imitatione, ſacris myſterjis illudebat. Videndus de re tota Nicetas *in vita S. Ignatij*, & ex eo Baronius *tom. 10. Annal. ad ann.* 862. Nec plura hic de tolerantia comœdiarum, dicturi & alia infra, vbi de controuerſia inter Eccleſiaſticam, & politicam poteſtatem in hac materia.

10 Ex his cenſere, in procliui eſſet, de tolerantia hodierni abuſus fœminarum in detegendis collo, & pectore, & ambulantium, non modò *extento collo*, iuxta Eſaię illud *cap. 3. verſ. 16.* ſed oſtentato, & vt de meretricibus in *Heliogabalo* Lampridius, *papilla eiecta*, quem in abuſum ſancta, & ſeuera obiurgatione proclamauit inter paucos, libello edito Anonymus ille, cuius meminimus ſupra *cap. 42.* & contra pro abuſu excuſando, ſiue exculpando, ſtant, & ſtetere plures, vt fere ſunt plures luxus, quàm correctionis fauitores. Nos de reatu culpæ grauioris, aut leuioris in hoc abuſu recente, & irrepente adhuc potiùs, quàm legitima conſuetudine introducto, iuſtam cenſuram alijs relinquimus: id ſaltem, nondum monitum, ex diſciplina noſtra monemus, improbatum adeo, & exoſum fuiſſe legumlationi noſtræ hunc exceſſum, vt inter Decreta illa, ſiue Regij noſtri Senatus Conſulta inſerta *libr. 7. titul. 12. Compilat. in Summario, prope finem*, legatur inter alia illud, *ne fœminæ vtantur Thoracibus illis*, *dictis*, *Eſcotados*, *præter eas*, *quæ corpore quæſtum faciunt*, *quibus permittuntur*, *ambulantibus detecto pectore*; nimirum vt eo ipſo diſtinguantur à matronis, atque iſtę tantò magis horreant nuditatis exceſſum, & luxum propriè meretricium, ad exemplum priſci illius conſtituti, de quo Athenæus *libr. 2. de Ipnoſophiſt. cap. 6.* Clemens Alexandrin. *libr. 2. pædagog. cap.* 10.

(***)

(***) (***)

CAPVT XLVI.

TERTIA ASSERTIO.

HISPANÆ COMOEDIÆ TOLERAMTIAM, PROBA, ET POLITICA æſtimatione, non eſſe expedientem moribus in pace, & bello.

ARGVMENTVM.

COntra comœdias politicè cenſentes, cenſuere plures, poſt Diu. Thomam, cui ſubſcribimus. Cenſura hæc nititur primo illo iuris, & politiæ præcepto, *Honeſtè viuere*, quod ſupponitur. Ei pręcepto, & publicorum morum honeſtati habitas eſſe pro noxijs comœdias, diſcere eſt, tum ex libris legum, tum ex Patribus, & Philoſophis, & præ alijs Tertulliano, Auguſtino, Seneca, & priſco illo Naſica, theatrorum hoſte. Succedit præceptio alia politica, nempe corruptioni morum, & luxui, ſequelas veluti eſſe, ruinas Imperiorum. Ita poſt Eſaię *cap.* 3. ex politicis, Ariſtoteles, & de Romano Imperio Romani hiſtorici, & Vates, & apud Licinium Ruffinum Theodoſij lex, quæ illuſtratur. Iam de comœdijs noſtris, eſſe illas veluti magiſtras morum molliorum, & luxus, vtinam non experimentis doceremur. Sed prædocuit Romana ſeueritas, quæ, ea cautione, & ſubſellia in Theatris prohibuit, & militem ſcenę ſe dantem, tamquàm à militia ad mollitiem deſciſcentem, capite punit, *l.* 14. *D. de re milit.* & fuit eidem Romę inter artes dominationis, ad enervandam ſubditorum ferociam, eoſdem à ſeueris ad effœminatas, & ludicras ſenſim deducere. Porrò hęc morum è comœdijs diſpendia eſſe ſaltem iuvenibus grauiora, monuit pridem Ariſtotelis lex, prohibens illis, ſpectare comœdias, cui conſentanea Theodoſiani Codicis *lex de ſtudijs liber. Vrb. Rom.* & Salmantinæ Scholæ Regia ſtatuta. Adſcribuntur in eumdem ſenſum Senecæ Patris, & Ammiani Marcellini proclamationes. Accedunt his politicis rationibus auctoramenta legum, apud Francos, Philippi Auguſti, & Ludouici Sancti, quibus non accēſenda *alia Caroli V.* quæ Germanica, & aliò tendens. At in Hiſpania, quamquàm iam inde à ſeclo ſeptempartiti iuris, notę comœdiæ illæ, quas *Farſas*, ſeu *repræſentationes* vocabant, *cologuios, rimas*, & *remedijos*, & nouiore voce, *Entremeſes*, & *Momos Ricos*, de queis noſtri antiquarij; diſplicuiſſe tamen cenſuræ Hiſpanicę rectę, & ſeuerę, tamquàm irritamenta luxus, memorabili documento ſunt Aragonię Comitia ſub Ioanne I. apud Suritam. Et memorabiliora Philippi II. Senioris, eoque prudentioris, pręuijs magnis conſultationibus, interdicta comœdiarum. Agnoſcitur, irrepſiſſe eas poſtea ſub Philippo III. non tam Principe, & Senatu auctoribus, & theatro fauentibus, vt de re Hieronymus, & Tacitus, quàm conniuentibus contra meliorem politiam, tolerantiæ mali ſpecioſis prętextibus, vitandi deteriora, & recreationis populorum; aſt non veris. Et quidem primus, adeo non verus, vt potiùs cenſeantur, & ſint theatrales cœtus, conſilia vitę, & Cathedrę *deriſorum*, vt eſt *in Hebraico textu Pſalmi* 1. *Dauidici*, explanantibus Tertulliano, & Clemente Alexandrino, quę doceant, ducantque ad peiora. Et rurſus alter ille prætextus oblectamenti populorum, quamvis fauere ei, videantur Romanæ leges, tamen in re ab indifferenti ad prauam vergente, inſufficiens pro tolerantia, &, vt Clemens Alexandrinus ſcripſit, ſapientiæ politicę incongruens. Claudimus rem inſigni cenſura Auguſtini, Saluiani, & Oroſij de Romano Imperio cadentę, & pereunte theatralibus delicijs, priuſquàm vi externa periret.

1 TErtia, & quę duas aſſertiones priores ſupponit, & ſignat, eſt, de conuenientia politica, aut inconuenientia comœdiarum, ſiue an earum tolerantia, & permiſsio, hodie, & cuiuſmodi hodie ſunt, & ſepoſita illa

illa de eiſdem illicitis, vel indfferentibus cenſura, ſit politicè expediens, & ſubſtinenda. Pollicemur autem ſtatim de re ipſa ex pręceptis iuſto politicis ſententiam noſtram, nec moraturos nos recenſendis tot nimis feriatorum ingeniorum ſcriptis, quibus nuper edendis pręla inſudarunt, quamquim ſi de comœdijs politicè cenſentium nomenclaturam deſideres, adeo non expedire earum tolerantiam, vt potiùs ſit politicè noxia, & damnanda, habes laudatos ſupra, dum de illicito ipſarum vſu, Saresberienſem, Petrarcham, Rodericum Zamorenſem, Polydorum Virgilium, Contzenium, Rochierum, Petrum Gregorium, Bodinum, Beſoldum, Zypœum, quibus addas, licet, Antonium Gueuaram *in M. Aurelio, lib. 3. cap. 43. & ſeqq.* Ioannem Marquez *in Gubernatore, lib. 1. cap. 30. §. 2. ad finem.* Ioan. Marianā *de ſpec. cap. 15. & 25. & lib. 3. de Regis inſtitut. cap. 16.* Azeuedo *in l. 5. n. 5. in fine, tit. 10. lib. 8. Compil.* Sed ante alios, & prę alijs Diu. Thomam, ita omnino cenſentem, & quidem politicè, & ſecundùm documenta Platonis, *2. 2. quæſt. 169. art. 2. ad 4. verſ. Si tamen,* cuius verba dedimus, & expoſuimus *capitis,* quod præceſsit, *ad finem.* Quos, vel omiſsis nunc theologicè, aut ex iure cenſentibus, potiores eſſe auctoritate, & numero, nuperis, ſi qui ſunt, politicis, quales volunt, videri, comœdiarum patronis, non negabitur.

2 At nunc de re, & ſemel, ſeriòque aſſertio noſtra eſt, Hiſpanas præſentes comœdias non eſſe neceſſarias, vtileſue, neque politicè expedientem earum tolerantiam, quin potiùs probæ ipſi, puræque Reipublicæ regendæ rationi, quam politiam vocamus, expedire, vt exterminentur. Pro aſſertione ſtat primùm ratio, ſiue rationum firmamenta, plura, & conſpicua; quorum veluti fundum damus, primam illam iuſtopoliticam præceptionem, honeſtè viuere: eaque pręceptione nunc intelligimus honeſtatem morum, quę etiam alioquin tolerata, ſiue permiſſa non admittit, niſi & honeſta ſint. *l. Nō omne 144. l. Semper 397. D. de reg. iur. l. Semper 42. D. de ritu nupt. §. Si vxor 9. Inſtit. de nupt.* & quæ, vt olim de cenſura Romana Liuius *lib. 4. & 24.* & Cicero *Orat. in Piſonem, & pro Cluētio, morum, & diſciplinæ publicæ regimen, & magiſterium ſubſtinet pudoris, ac modeſtiæ, ne quid in moribus labet, corrigit ea etiam, quæ legibus non puniuntur,* vt eſt apud Dionem *lib. 52.* & Tacitum *11. Annal.* quam vtique præceptionem, & morum curam pro interna, & vera felicitate Reipubliez, veluti finem primarium, ὅπως ἄνδρες ἀγαθοὶ γίγνωνται, ſcilicet, *quomodò viri boni fiant*, proponit gubernatori ſuo, politicorum præceptor, Ariſtoteles *7. de Republ. cap. 14.* & vel ex eo Scipio apud Ciceronem *8. ad Atticum epiſt. 11. Vt vita Ciuium virtute honeſta ſit,* in eumque finem, *vt prauas artes, malaſque libidines à iuuentute prohibeat, retineatque illam ab ſtultitia, & falſis voluptatibus.* Vt Salluſtius olim ad Cæſarem *Orat. 1. de Rep. ordin.*

Planè hodiernis comœdijs, earumque actione, & acceſsionibus, quales deſcripſimus, labefactari, & lædi grauiſſimè honeſtatem publicorum morum, affirmabunt conſtanter quotquot eas illicitas eſſe, affirmant, & laceſsi ſaltem, ac periclitari in iuuentute, eandem honeſtatem, fateantur, neceſſe eſt, illi ipſi, qui vtcumque indifferentes illas cenſent, tot tamen conſulunt ante, & in editione Magiſtratuum cautiones, ne noxiæ ſint, ac vel ſic iuuentuti periculoſas non diffiteantur. At audiamus de diſpendio iſto morum in comœdijs iudicia vete- 3

rum, neque ea ſola ex libris noſtris, in queis diſpendia hęc corruptionis morum in ſpectaculis, inſinuantur præcautione illa *l. vn. verſ. Ita tamen Cod. de maiuma lib.* 11. iunctis *l.* 1. §. *vltim. D. de ſeruo corrupto. l. Item* 15. §. *appellare* 20. *D. de iniur.* & potiſsima, atque huc referenda, illa prohibitione extruendi theatri, & ſimilium ad ludicra operum, ſine auctoritate Principis, vt traditum eſt *in l.* 3. *D. de operib. publ.* iungenda *l.* 4. *D. de adminiſtr. rer. ad Ciuit. pert. l. Legatum* 10. *D. de vſufruct. legato.* Saluianus 6. *de prouid.* vbi *de Treueris*, ne ſcilicet theatrales ludi mores inficerent, vt de re Plinius *lib.* 4. *epiſt.* 22. *ad Sempronium.*

4 Sed & præcipua ex Patribus, ac Philoſophis, & quidem non ex ſacra tantum, aut ſeuera illa obſcœnitatum theatralium deteſtatione, ſed politico propriè ſenſu, ac cenſura: ita ex ethnica diſciplina Tertullianus *de ſpectac. cap.* 10. *Sæpe cenſores renaſcentia cum maximè theatra deſtruebant; moribus conſulentes, quorum ſcilicet periculum ingens de laſciuia prouidebant.* Et eodem ſenſu idem *Apolog. cap.* 5. de politicis Romæ legibus, quæ *theatra ſtuprandis moribus orientia ſtatim deſtruebant*; nec diſsimiliter de Scipione Naſica, ſcenam conſtrui prohibente, *propter animorum cauendam peſtilentiam*, Auguſtinus 1. *de Ciuit. Dei, cap.* 32. *&* 33. *& lib.* 2. *cap.* 5. *& epiſt.* 5. *ad Marcellinum.* Liuianus Epitomator de eadem re *lib.* 48. *Tamquàm inutile, & nociturum Romanis moribus,* deſtructum eſt. Appianus 1. *bellor. Ciu.* 8. χρησιμον *non expeditos eſſe Romanos, Græcis voluptatibus aſſueſcere.* Paulus Oroſius *lib.* 4. *hiſt. cap.* 21. Iſidorus *lib.* 18. *orig. cap.* 62. Ita etiam politicè Chryſoſtomus de periculo morum ex theatris, *homil.* 42. *in Acta Apoſt.* magna mala Ciuitatibus inferri ex theatralibus ludis, atque *eò periculoſior, quòd ſenſim immutari mores, & peiores fieri non ſentimus, virginum pudorem imminui, iuuenes petulantes euadere, ſenes laſciuiã repetere,* ac deinceps alia, quæ ſimillima cenſorijs illis Senecæ *epiſt.* 7. *Nihil eſt tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo deſidere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia ſubrepunt. Quid me exiſtimas, dicere? Auarior redeo, ambitioſior, luxurioſior?* Ita denique Clemens Alexandr. *lib.* 2. *pædag. cap.* 11. cuius cenſuram poſtea dabimus, quamquàm ſi recentiorem, proximamque corruptelæ morum ex comœdijs noſtris deſideres, præſtò, & ſatis futura ſit illa Mediolanenſis Cōcilij, ac Diu. Caroli, quam *ſuperiore capite* adſcripſimus, & ſufficere itidem debeant demonſtrandis re ipſa damno, ac diſpendio morum, quæ ſigillatim de repræſentatione, dragmate, intermedijs, cantationibus, ſaltationib', & hiſtrionica tota comœdiarum noſtratium paratura, ibidem expendimus, neque inculcamus.

5 Conſequenter ei fundo, ſeu firmamento aſſertionis noſtræ iungimus præceptionem aliam, ſanè meracioris politiæ, at per ſe, & pro tuendo Imperij ſtatu contra externam vim neceſſariæ; nimirum corruptelæ publicorum morum ad luxum vergentium, imminere, ac fere eſſe proximas converſiones Imperiorum, eneruato effœminatis ſtudijs, atque artibus vigore illo animorum, & corporum, quo res publicæ in bello egent. Documentum è ſacris libris Eſaiæ *cap.* 3. *verſ.* 4. *&* 16. in queis ruentis Hebræorum Regni ſignantur inter alia notæ illę, ſeu cauſæ, quòd *effœminati dominabantur eis, & quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant.* Ex politicis, eorum Princeps Ariſtoteles *lib.* 5. *Polit.* ſeu

ſeu *de Repub. cap.* 6. breuiterque, vt ſolet, Tacitus 3. *Annal. quantò pecunia dites, & voluptatibus opulentos, tantò magis imbelles Heduos.* Et exempla ne quæras, vt de Oriente, Græcaque ſileam, de Romanis Hiſpanus noſter Lucanus 1. *Pharſal.* deliciarum exceſſum vocans,

publica belli
Semina, quæ populos ſemper merſere potentes.

Cedentibus, vt ait, *moribus luxu, & rebus ſecundis*, ſiue vt eadem acrimonia Iuvenalis *Satyra* 6. *Incumbenti ſæuiore armis luxuria, victumque vlciſcente orbem, & frangente ſecula, & mores turpi luxu, & diuitijs mollibus*: ex quo *fonte deriuata clades in patriam, populoſq; fluxit*; vt ante eos Horat. 3. *Od.* 6. & ſimilia Liuius 1. Velleius 2. & Eumolpij *Carmen* apud Petronium *cap.* 79. & de cadente Imperio Ammianus *libr.* 14. & 22. Salvianus 6. & 7. *de prouid.* Sidonius *in Maioriani Panægyr. Romani Principis arma, Cæſareumque larem luxu torpere perenni, audieram.* Denique vt & Cæſares ipſi fidem rei faciant, Theodoſius, Valentinianus, & Arcadi⁹, ex propoſitis illuſtrandi, Cõſtitutione, quæ extat *collationis legum Moſaic. tit.* 5. inibi: *Conquerentur Vrbis Romæ virtutem omnium Matrem diutius fœdari, & agreſte illud ab priſcis conditoribus robur, fracta molliter plebe tenuatũ, conuicium ſeculi, vel conditorũ irrogare, vel Principum.* Quæ & alia illius Conſtitutionis corrigas, licet, iũcta *l. omnes* 6. quæ illius pars eſt, *C. Theodoſ. ad leg. Iul. de adulter.*

6 At de comœdijs noſtris, *eſſe* illas, vel potiſsima irritamenta luxus, & morum, ne turpes nunc dicamus, ſaltem molliorum, queis popularis, & quod magis doleas, nobilior iuventus, ſpecie amœnitatis ingenij, aut honeſtę delectationis, degeneret à virili illo Hiſpano more, ad enervia *ſtudia, atque otia, aut turpes amores*, vt fere eſt apud Tacitum 13. *Annal.* vtinam non tam certum, quàm expertum eſſet.

Sanè vt cum primis ex Iuriſprudentia noſtra domeſticum, neque ideo ſuſpectum teſtimonium demus, non alia ratione Macer Æmilius *in l. Quædam* 14. *D. de pœnis*, ſcribit, militem dantem ſe in artem ludicram, grauiore pœna plecti, quàm paganum (quippe hic ignominia ſola, at miles capite) idq; ea, obſervatu digna, ex cauſa, quia ludicrum, ſiue ſcenicum miniſterium eſt tantò fœdius flagitium in milite, quantò eſt, aut eſſe debet illius profeſſio virilior, & durior, vtpote cuius nomen ductum *à militia*, ſiue *duritia*, *quam pro nobis milites ſubſtinent. l.* 1. §. 1. *D. de teſtam. mil.* ſiue per antiphraſin *à mollitia*, quòd *nihil molle, ſed potiùs aſperũ milites gerant*, vt aiebat Ennianus, egregiè cordatus homo Caius Ælius Sextus Iuriſconſultus, apud Feſtum in voce, *Miles*: & proinde nihil tam contrarium militi, quàm mollities ſcenę, & deſidia, *l. Omne* 6. *Dig. de re milit.* 7

8 Iam verò & ea præcautione politica, pro vigore militari in moribus Ciuium contra theatralem luxum, vetus Roma, neque ſubſellia in ludis, neque ſedentem ſpectare quempiam, patiebatur, ſcilicet, ait Valerius 2. *cap.* 4. *vt remiſsioni animorum iuncta ſtandi virilitas, propria Romanæ gentis, nota eſſet*; ſiue, vt de Scipione Naſica Auguſtinus 1. *de Ciuitat. Dei, cap.* 31. *Ne Græcam luxuriam virilibus patriæ moribus paterentur obrepere, & ad virtutem labefactandam, eneruandamque Romanam peregrinæ conſentire nequitiæ.* Et iungendi, præter Iſidorũ *lib.* 18. *orig. cap.* 42. Appianus, Liuius alijq; ſupra. Et cum Auguſtino, de Scipione itẽ, & theatro, Oroſius *lib.* 4. *c.* 21. quẽ infra exſcribemus: & eodem ſenſu Pli-

Plinius *in Panægyr. cap.* 33. de ſpectaculo comico, vt id à gladiatorio diſtinguat, vocat illud, *eneruè, ac fluxum, & quod animos virorum molliret, & frangeret.*

9 Et ne iam plura, cum fuerit pridem inter arcana iniuitæ dominationis, populos, libertatis memores, & alioquin feroces, dulcedine otij pellicere, & emollire adeo, vt fere viri in mulieres degenerent, neque vnquam rebellent, quomodò ad Cyrum Crœſus apud Herodotum *lib.*4. ſed *quieti, & otio per voluptates aſſueſcant*; vnde & paulatim deſcendatur *ad delinimenta vitiorum, id quod apud imperitos humanitas vocetur, cum pars ſeruitutis ſit*; ut de Britannis *in Agricola ſuo* Tacitus, quantò magis futurum ſit, iuſti, ac paterni Imperij, *effœminatas ſcenicas artes, & indecora ſeculo ſtudia*, vt Plinius vocat *in Panægyr. cap.* 46. exterminare, quibus maſcula ſubditorum indoles enervatur, & ſub amœnitatis ſpecie à virili, ſeueraque, qualis ſemper Hiſpana fuit, diffluit in mollem, honeſtati in pace noxiam, & in bello non tam victoriæ idoneam, quàm ſervituti.

10 Porrò quoad duo hęc è comœdijs damna, aut diſpendia, in pace moribus, & ad bella Martiæ virtuti, quātumcumque neque omnino, neque omnes in his plericlitari, contendas, at qua fronte inficieris, periclitari ſalrem iuventutem, cuius inſtitutionem ad virtutem in pace, ac bello, & abſtinentiam à delinimentis vitiorum cum primis curandam eſſe imperantibus pro interna, externaque felicitate Imperiorum, primarij Politici docuere: & inter eos ſpeciatim de re Ariſtoteles 7. *de Republ. cap. vlt.* dum ſcribit: νεωτέροις κωμῳδίας θεαταὶ νομοθετησεῖν, *adoleſcentibus comœdias ſpectare, lege prohiberi.* Et quidem vtroque illo reſpectu, ne corruptelę illius ſcenicę ſint ſpectatores *adoleſcentes, quorum lubrica ætas, quæ frænari, ac regi debet, ad vitia, & peccata his imaginibus erudiatur*, vt Lactantius monebat *in epitome cap.* 16. *ac ne diſcat mouere manus in theatris*, quas mouere deinde pigeat in prælijs, vt Varronis illud leuiter mutem *de re ruſtica, lib.* 2. ſed vt Epaminondas apud Æmilium Probum ſciat, *Caſtris vtendum eſſe, non palæſtra.*

Eſt autem referenda ad hanc inſtituendę iuuentutis curam, & periculum eius in ſpectaculis conſtitutio, *l.* 1. *de ſtudijs liberalib. Vrb. Romæ, in C. Theodoſ.* vbi inter alia de ſtudioſis, ſeu diſcentibus cātum, vt ſint, *qui turpem, inhoneſtamque famam, & conſociationes (quas proximas putamus eſſe criminibus) æſtiment fugiendas, neve ſpectacula frequentiùs adeant*; ſiue vt *in* Petronij *Satyrico cap.* 2. legitur (Turnebo incaſſum retinente) de Scholaſtico, ſiue ſtudioſo: *Neve plauſor in ſcena ſedeat redemptus, hiſtrioniæ addictus.* 11

Tandem nec temperamus, quin adſcribamus pro diſpendio iſto morum, ac virilitatis in iuventute, ex ſcenæ ſtudijs, cantationibus, ſaltationibus Patri Senecæ locum *in præfat.* 1. *controuerſ. Torpent ecce ingenia deſidioſæ iuventutis, nec in vllius honeſtæ rei labore vigilatur. Somnus, languorque, ac ſomno, & languore turpior malarum rerum induſtria inuaſit animos: cantandi, ſaltandique nunc obſcœna ſtudia effœminatos tenent, & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, immundiſsimis ſe excolere munditijs, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt. Emolliti, enerueſque, quod nati ſunt, inuiti manent, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes ſuæ.* 12

Addimus & ex ſeculo illo flacceſcentis luxu in ruinam Romani Im- 13

pe-

perij, & potiſsimo eo luxu hiſtrionum, & ſaltatricum flacceſcentis, deſcriptiones duas Ammiani Marcellini, prolixiores vtique, at cenſorias, & acres animo, ac ſtylo. Ita ille *lib.* 14. *hiſtor.* poſt alia de Romę tunc moribus. *Denique pro philoſopho cantor, & in locum Oratoris doctor artium ludicrarum accitur; & bibliothecis ſepulchrorum ritu in perpetuum clauſis, organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad ſpeciem Carpentorum ingentes, tibiæque, & hiſtrionici geſtus inſtrumenta non leuia. Poſtremò ad id indignitatis ventum eſt, vt cum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam, pellerentur ab Vrbe præcipites, ſectatoribus diſciplinarum liberalium impendio paucis, ſine reſpiratione vlla extruſis, tenerentur mimarum aſſeclæ veri, quive id ſimularunt ad tempus; & tria millia ſaltatricum, ne interpellata quidem cum choris, totidemque remanerent magiſtris. Et licet quòcumque oculos flexeris, fœminas affatim multas ſpectare cirratas, quibus per ætatem ter iam nixus poterat ſuppetere liberorum, ad vſque tædium pedibus pauimenta terentes, iactari volubilibus gyris, dum exprimunt innumera ſimulachra, quod finxere fabulæ theatrales.* Nec fere alia Ammianus idem *lib.* 22. de Palatinis, & militaribus illius æui, in his excerptis: *Namque fatendum eſt, pleramque eorum partem, vitiorum omnium Seminarium effuſiùs aluiſſe ita, vt Rempublicam inficerent cupiditatibus prauis, pluſque exemplis, quàm peccandi licentia læderent multos. Vnde & fluxioris vitæ initia pullularunt, & periuria, & nullus exiſtimationis reſpectus, demenſque ſuperbia, fidem ſuam probroſis quæſtibus polluebat. Inter quæ ingluuies, & gurgites creuere prærupti conuiuiorum, & pro victorialibus epulares triumphi, vſuſque abũdantes ſerici, & textiles auctæ ſunt artes, & culinarum ſollicitatior cura, & ambitioſa ornatarum domorum exquiſita ſunt ſpatia; quibus tam maculoſis acceſſere flagitia diſciplinæ caſtrenſis, cum miles cantilenas meditaretur pro iubilo molliores, & non ſaxum erat, vt ante hac armato cubile, ſed pluma, & flexiles lectuli, & grauiora gladijs pocula. Adeo autem ferox erat in ſuos illis temporibus miles, & rapax, ignau' verò in hoſtes, & fractus, vt per ambitionem, otiumque opibus partis, auri, & lapillorum varietates diſcerneret ſcientiſsimè, contra quàm.* Ac deinceps. Sed ò fuerint deſcriptiones hę, & imagines corruptelæ illius ſecli, & ò vtinam non ſint noſtri dedecora.

His tandẽ ex politica diſciplina ra- 14
tionũ momentis ſuccedunt & exempla laudatiſsimæ politiæ legum, eiuſdẽ in comœdias, & hiſtriones cẽſurę. Neque veteres ethnicos numeramus, Lacædemonios primùm, aut Maſsiliẽſes, alioſve de comœdijs priſcis, ſed cũ primis de nouioribus Philippum, cognomento, Auguſtũ Francię Regem, qui vt ex illius æui hiſtoricis deſcribit Papirius Maſſonius *lib.* 3. *hiſt. Franc.* *Legem tulit aduerſus hiſtriones, vt Regni finibus excederent, quòd id genus hominum Reipublicæ pernicioſum exiſtimaret.* Eãdem legem repetijt Philippi nepos, Ludouicus Sãctus Hiſpani ſanguinis, & Hiſpanæ matris inſtitutione clariſsimus, vt memorat Genebrardus *in Chron. ad annum* 1261. Paulus Æmilius, & Gaguinus in eodem Ludouico, tametſi præualentibus poſtea contra ſanctiſsimas leges impuris morib'. Iã intra Hiſpaniã, vt & de illius cenſoria in hiſtriones ſeueritate nõ nihil: prętererim' non inſcij Conſtitutionẽ Caroli V. Cęſaris, quam ab eo editam depellendis hiſtrionibus ſcribunt, ex Petro Gregorio Menochius *addit. ad caſum* 69. *de arbitr. n.* 34. ex Trithemio Ricciullus *de perſonis, quæ in ſtatu reprob.*

lib. 4. cap. 7. num. 4. Præterimus autem, quia fuit ea conſtitutio Germanica *anni* 1548. non de hiſtrionibus Comicis, ſed de præſtygiatoribus Ægyptijs, ſiue Zingaris, & ſimilibus, vt ex illius textu liquet. At præmonemus ſaltem, comœdias haſce, quibus argumenta ſacra, & moralia, aut alioquin non inhoneſta, repræſentata exhibentur; fuiſſe vſitatas, aut non ignotas, vel ab æuo ſeptempartiti iuris, in quo vocantur *repræſentationes*, nec ſine mentione exhibitarum earum ob vilem quæſtum. *l. 34. tit. 6. part.* 1. vocabat & eaſdem comœdias illa ætas, *farſas*, communi, aut deriuata à Francis appellatione, & *coloquios*, ſeu *rimas vulgares*, ac deinde inclinantibus ad noſtros annis, ac moribus, *Entremeſes*, y *momos ricos*, ſeu Luſitanicè *momazes reais*, qui & ipſi priùs dicti, *remedadores*, & ludus ipſe *remedijo. l. 12. tit. 20. l. 10. tit. 23. part. 1. l. 4. tit. 6. & l. 4. tit. 9. part. 7.* & eſt diſcere antiquitatum patriæ ſtudioſis ex Hieronymo Blancas *in Coronationibus Regũ Arag. lib. 1. cap. 5.* Ioanne de la Encina Salmanticenſi Eccleſiæ inter portionarios *in arte Hiſpano poetica* ad Ioannem Principem, & *Ecloga* illa, atque alijs quę inter illius opera repræſentationibus (quem & ipſum fuiſſe primum ſub Catholicis Regibus comœdiarum noſtratium architectum ſcripſit Mendez de Silva *in Geneal. Reg. in Eliſabetha Regina*) Antonio Gueuara, commentitij libelli Marci Aurelij bene credulo ennarratore, *illius cap. 43. & ſeqq.* & ante eos de Momis Ferdin. Guſman. *in Chronico Regis Ioannis II. anno* 35. *cap.* 263. Roſendio *in hiſtor. Ioann. II. cap.* 122.

15 At vtcumque iſta fuerint, ſatis ſit pro cenſoria ſeueritate Hiſpaniæ in ſimiles ludos nobile exemplum Ioannis Primi Aragoniæ Regis, à quo cum ſupra modum indulgeret, Symphonię, cantus vocum, nervorum, ac tibiarum ſtudijs, *& deliciarum comiti extremæ*, ſaltationi, adeo vt ſolemni legatione à Rege Francorum expeteret, celebriores vernaculos Poetas ex Narbonenſi Prouincia in Hiſpaniam tranſmitti, publicis Scholis apud nos inſtituendis eius poeticæ artis, quam vocabant *la gaia ſciencia*, obtinuere Aragoniæ Comitia, & Proceres, correctionem earum voluptatum, molliumque ludorum, ne depoſitis belli ſtudijs, *veteris militaris diſciplinæ ſeueritas, & frugalitas deſiderarentur, ac quodammodò noſtri patriam virtutem proieciſſe viderentur*, vt his fere, & pluribus verbis commemorat grauis hiſtoricus Hieronymus Zurita *in Indicibus rerum Arag. lib. 3. in Ioanne I.* & *in Annalib. tom. 2. lib. 10. cap. 43.* Ioannes Mariana *lib. 18. de reb. Hiſp. cap. 14.* videndus & Petrus Beuter *in præfatione hiſtor. Valentinæ, epiſtol. ad Magnificos.*

16 Claudimus totam rem propria, ac recenti de recentibus Hiſpanis comœdijs cenſura, Magni illius, & ſeueræ prudentiæ Principis Philippi Secũdi, qui ſicut impuriores iocos prohibuit, *l. 5. tit. 10. lib. 8. Compil.* ita quantumcumque conniuens moribus, & ſeculo aliquandiu comœdias toleraſſet; tandem tamen tolerantię pœnitens, ſupplicante clariſsimo Hiſpalenſi Antiſtite Petro Vaca de Caſtro, & ſuadentibus clariſsimis item Garſia Loayſa, Didaco Yepes, & Gaſparo Cordubenſi, qui à Rege de ea re in conſeſſum vocati, ſic conſulvere, comœdiarum in poſterum, & hiſtrionum vſu interdixit expeditis in id à Supremo Caſtellano Senatu prouiſionibus, vt vocant, ſiue edictis poſtridie Kalendas Maias anni 1598. quorum exemplar, ſimulque laudatiſsimæ conſul-

ſul-

ſultationis copiam, legiſſe, licuit, & in his præſignata hæc è comœdijs damna, quę expendimus, inhoneſtatis morum in pace, & emollitæ virilitatis ad bella, meminere Ægidius Dauila 2. *tom. Theatri Eccleſiaſt.* in Petro Vaca Hiſpalenſi Archiepiſcopo, Valle Moura *de Incantationibus opuſc.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 16. *n.* 32. *in fine.*

17 Agnoſcimus, vt quid enim diſsimulemus, reuixiſſe poſt Philippum Secundum comœdias noſtras, & quidem ſolutiore luxu; nam & vidimus ipſi paucis ante annis, ſancta, ſeueraque Optimi Regis noſtri interdictione, inter alias politię, ac morum reformationes, clauſa theatra, & hiſtrionica miniſteria fere exulare iuſſa, eaque demum, poſt accuratas Senatuum Conſultationes, ad tolerantiam illam, qua ſe tuentur, rediiſſe. Verùm hæc non cenſuræ, & honeſtæ politicę diſciplinę, pro qua contra comœdias ſtetimus, ſed ſunt tolerantiæ, quę vt de Sophoclis tragædia Hieronymus *epiſtol.* 2. *ad Nepotianum*, *ſeueritatem Tribunalium in theatri fauorem verterit*, neque ideo, *Principe, & Senatu auctoribus, licentiam vitijs permiſſam*, dixeris, vt Seniores illi apud Tacitum *libro* 13. ſed contra meliorem politiam malo conniueri comœdiarum, tamquàm euitaturo maiora mala, & recreationi populorum neceſſario. Quæ duę vel potiſsimæ cauſę obtenduntur pro hac tolerantia, penes honeſtiores, & ſerios, ne alias, ſiue alios moremur, ſeculi, ac deliciarum patronos, & luxuriæ fauentes, vt non extra rem Plinius 7. *natur. hiſt. cap.* 25. ſed obtenduntur, vt innuimus, & prætexuntur potiùs, quàm re ſubſiſtunt.

18 Nam quod de euitatione deteriorum permiſsis comœdijs, quamvis probabilitatem tolerantiæ dederit, vt ad extremum præcedentis capitis fatębamur, eſt tamen vſque adeo non verum, vt potiùs ſint comœdiæ, moribus corrumpendis, & fœdioribus vitijs veluti irritamenta, & Scholæ: in quam ſententiam, vltra tot, & tanta, qualia ex Concilijs, Patribus, & Politicis ſupra expendimus, damus nunc pro ſacro ſignaculo textum illum, exordiumque *primi Pſalmi*: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſtetit.* Quo textu, & prima illa voce Dauidica deſignari, ac damnari theatrales tœtus, vias, & Cathedras (nam & hæc ſingula in theatris erant) tamquàm concilia, ſeu conſilia ad mala, & vias ad peccata grauiora, & Cathedras peſtilentis doctrinæ, conſenſere iam olim, ſic exponentes, Tertullianus *de ſpectacul. cap.* 3. *&* 27. Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *pædagog. cap.* 11. *& lib.* 2. *Stromaton.* Chryſoſtomus *homil.* 62. ad populum Antiochenum, & *homil.* 8. *de pœnit.* & ex Tertulliano Hieronymus *ad Pſalm. num.* 1. Proinde & tantum abeſt, per comœdias euitari peiora, vt potiùs ad eadem moueant, ducant, & doceant, tamquàm conſilia, viæ, & Cathedrę, & quidē *deriſorum*, vt pro τό *peſtilentiæ* habet ad rem appoſitè Hebraica lectio illius Pſalmi, apud Sanctem Pagninum, ſiue *deluſorum*, vt vertit Hieronymus conferens Hieremiæ illud *cap.* 15. *verſu* 17. *Non ſedi in conſilio*, & vt in Chaldaico eſt, *in cœtu, ac ſocietate ludentium.* Qua veluti delineatione *ſocietatis, deluſorum*, ſeu *deriſorum*, quaſi exprimuntur *las Compañias*, vt dicimus, *de farſantes*, qui propriè ludiones, & deriſores iam olim, ſiue *ridiculi*, vt vocantur à Iuſtiniano *Nouella* 105. *de Conſul. cap.* 1. §. *Quintus.* Plauto *in captiuis*, & *Sticho*. Sidonio *lib.* 2. *epiſt.* 2. & Philiſtion ille à Martiali *lib.* 2. *epigr.* 41. & Latinus alter, *deriſor*, apud eumdem 1. *epigr.* 5. cuiuſmodi & erant Hiſpanis olim, quos

quos vocabant, *juegos de eſcarnio.l.34.* & *36.tit.6.part.*1. Habes itaque prædamnatam ſacra prophetia, tamquàm contraria, beatitudinim voluptatẽ abeundi, ſedendi, ſtandi in concilijs, vijs, & Cathedris, ſeu ſocietatibus hiſtrionum.

19 Deinde ille alter prætextus recreationis populorum, quo tolerantia comœdiarum ſe tegit, & munit, & quidem probabilibus in ſpeciem argumẽtis, ex *l.4.C.de paganis.l.1.C. de Maiuma.l.1.C.de ſpect.lib.*11. iunctis, quæ in Theodoſiano Codice *l. 2. de expenſ. ludor.* & apud Caſsiodorum *lib. 3. ep. 51. ad fin. & lib.7. form.*10. neque ſufficit tolerantiæ honeſtandæ, ſi comœdias, vt ſunt, & aguntur, agnoſcamus, tranſijſſe ex indifferentibus ad noxias illecebras, & delinimenta vitiorum, & *vergere in proximi nocumentum*, vt de hiſtrionibus monuit D. Thomas laudato ſępius *art.3.q.167.in 2.2.* neque probat, eas tãquàm neceſſarias, oblectamento populorum eſſe tolerandas, cum poſsit ei oblectamento, pleriſque alijs non inhoneſtis, noxijſve ludicris prouideri, qualia recenſere non noſtri otij, atque operæ eſt. At non omittimus pro politico ſenſu, quo nunc cenſemus, illud Clementis Alexandr. 3. *pædag.cap.*11. *Si dixerint pro ludo aſſumi ſpectacula ad recreandos animos, dicemus non ſapere Ciuitates, quæ ludis tamquàm ſerijs ſtudent.* Sic enim exprimo Clementis mentem, illic: αἷς καὶ τὸ παίζειν σπουδάζεται, & conducit non diſsimilis gnome *in l.2. in fin. C. Theod. de offic. Rect. prou.* Sed & diſinimus, & pro auctario, & documento (atque vtinam ſit) ruinæ Imperiorum, à Deo immiſſæ, propter theatralem luxum, ſubiungimus vel inviti, ac dolentes, quæ in eam rem de Romanis ſupra dedimus, pręalijs Zoſimum, vtcumque Conſtantino Magno infenſum, & iniurium, politicè tamen recẽſentem inter cauſas ruentis imperij, *quod milites ipſos theatris, & voluptatibus emolliuit; vnde & rerum hactenus pereuntium internecioni, principia, & ſemina ſubminiſtrauit.* Et quidem adeo vt quo tempore Roma caperetur, & caderet, Romani *theatra quærerent, intrarent, implerent*, vt Auguſtinus deplorat *lib.1. de Ciuit. Dei, cap.*33. & vt de Carthagine, ac Treueris Salvianus *lib.6.* inter ipſa excidia, & poſt illa, *in theatris luxuriarent, per quæ priùs perierant, quàm perijſſent.* Quibus eſt cõſentiens ex Paulo Oroſio Hiſpano Presbytero, & Auguſtinum inter, & Hieronymum ſanctæ amicitiæ ſequeſtro, de Romanæ ruinæ cauſis cenſura *lib.4. hiſt. cap.*21. vbi poſt illud Scipionis Naſicæ in theatrum, quod, aſſerebat, *inimiciſsimum fore bellatori populo ad nutriendam deſidiam, laſciuiamque commentum.* Sic Oroſius: *Quamobrem intelligant noſtri (quibus extra oblectamentum libidinis occurrit, offenſio eſt) propter hoc, quòd ſe infirmiores eſſe hoſtibus ſuis ipſi ſentiunt, & fatentur, theatra incuſanda, non tempora.* Et deinde conferens Romam ante theatra, ac poſt illa: *Nam vtique tunc nec hoſtes, nec fames, nec morbi, nec prodigia deerant, ſed theatra non erant, in quibus, quod incredibile dictu eſt, ad aram luxuriæ virtutum victimæ trucidantur.* Et concludit poſt hæc, & alia. *Quin potiùs Naſicæ erubeſcant, qui Chriſtianis exprobrandum putant, & non nobis de hoſtibus, quos ſemper habuerunt, ſed illi de theatro, quod haberi prohibuerat, cõquerantur.* Concludimus & nos eiuſdem Naſicę, quod Auguſtinus nuper laudatus Chriſtianum fecit, Oraculo,

Non eſſe felicem Rempublicam,
ſtantibus mœnibus, ruentibꝰ
moribus.

CA-

CAPVT XLVII.

QVARTA ASSERTIO.

TOLERANTIAM, PROHIBITIONEMVE COMOEDIARVM, ESSE auctoritatis temporalis politicæ; eſſe etiam Eccleſiaſticæ, ſi Eccleſiæ, & ſacris nocceatur; & vtraque auctoritate contendente cui potiùs ſtandum?

ARGVMENTVM.

COmœdias prohibere, aut permittere, pertinere ad politicum regimen, ſenſit pridem Franciſcus Marcus, & poſt eum alij. Argumenta rei, tum quòd publicorum morum honeſtatis, atque ea propter ſpectaculorum cura, & diſciplina, fuit ſemper Magiſtratus politici, vel poſt Platonis monita, ex Romani legibus, quæ laudantur, & quidẽ primùm Præfecti Vrbis, ac poſtea voluptatum Tribuni: tum etiam quia, vel quoad ſacra, fuit auctoritatis, & Curæ Chriſtianorum Cęſarum, prohibere comœdias ſacris diebus, locis, perſonis; tum denique, quia vel antiqui Eccleſiæ Canones expetiere, vt Imperiali auctoritate comœdię prohiberentur feſtis diebus, vt eſt in Africanis 27. & 28. & apud nos in Toletano *3. cap. 23.* qui & alij illuſtrantur. Et obiter de ludicris Sacro-feſti Corporis Chriſti apud nos conſuetis. Sed & eſt Eccleſiaſticæ diſtrictionis, coercere hiſtrionum abuſus, queis ſacra offenduntur, de quo poſt Toletanum Canonem inſignis eſt *Regia lex noſtra 36. tit. 6. part. 1.* Iam in quęſtione de prohibente Eccleſię Prælato, comœdias ſacros-feſtis diebus, & è contra illas ſubſtinente Magiſtratu politico extra Eccleſias, & poſt Sacra Officia, memoratur ex hiſtoricis monumentis in primis controuerſiæ origo, & progreſſus apud Mediolanẽſes. Deinde in iſta facti ſerie, & ſtatu propẽdetur, eò vt potior fuerit cauſa Magiſtratus politici, vtpote nitentis probabilibus ſententijs pro indifferentia, aut tolerantia comœdiarum, etiam feſtis diebus, poſt Diuina Officia, contra quem licitè adeo operantem ius non fuerit Eccleſiaſtico Pręlato, Eccleſię cenſuris vtendi. Communitur aſſertio hęc duabus alijs. Prima circa pronunciatum illud Canonicum de auctoritate, & correctione Eccleſiaſtica, etiam extra Eccleſiam, & contra Laicos, ratione peccati. Vt *in cap. 13. de iudic.* non eſſe extendendum ad abuſus probabiliter tolerabiles, ne alioquin Eccleſię, & ſeculi poteſtates paſsim turbentur, vt grauiter Hoſtienſis, & Nauarrus. Secunda eſt, vt quamvis Eccleſiaſticæ auctoritati ſtandum ſit, etiam in temporalibus, quando, & quatenus de his ſtatuit, ad ſublimiorem ſpiritualem finem contra politicas leges, aut mores peccaminoſos. *d. cap. 13. de iudic.* non tamen in his, de queis non dum Eccleſia decreuit, eſſe illicitos, & quos indifferentes eſſe, probabiliter affirmatur, ac proinde à poteſtate politica non temerè ſubſtinentur. Vt poſt gloſſam *in regula poſſeſſor, de reg. iur.* Bellarminus, Victoria, & alij. Exemplum rei apud nos in motu B. Pij *5. de cenſib.* exempla item in alijs, quæ quamquàm manifeſtè mala, fecit tamen tolerabilia, vitatio deteriorum, aut aliæ politicæ cauſæ, vt de lupanaribus, & quadamtenus vſuris, cenſuere graues Theologi, & poſt Caietanum, Nauarrus, Molina, Azorius, & alij.

1 ABſolutę politicæ in comœdias diſſertationi accedit & politicum pronunciatum, ſiue axioma, quale eſt, prohibitionem, aut tolerantiam comœdiarum, ſaltem noſtratium, & noſtris moribus, pertinere in primis, & propriè ad auctoritatem politicam temporalis Regiminis; id quod de *farſis galanorum*, vt vocat, ſenſit pridem Franciſcus Marcus *deciſ. Delphin.* 123. *ex num.* 5. *partis* 2. & aſſertè magis Menochius *in additis ad caſum* 69. *lib.* 2. *de arbitr. num.* 36. & 48. Petr. Gregor. *lib.* 39. *ſyn-*

*tagm.cap.3.num.*27.Roder. Acuña *in cap.Donare* 7.*num.*1. 86. *diſtinct.* Bouadill. *lib.*5.*Polit.cap.*4.*num.*24. nec diffitentur ex Eccleſiaſticis, Iulius Chartarius *deciſ.crimin.*20. *num.* 113. *& ſeqq.* Antonius Ricciullus *de perſonis, quæ in ſtat.reprob.lib.*5.*cap.*15. *n.*3.*& cap.*16.*n.*1.

2 Sunt autẽ ab auctoritate,&ratione argumenta,tum quòd viuendi honeſtè præceptio,& publicorum morum, atque inde theatri extruẽdi permiſsio, & ſpectaculorum, ac ſcenę diſciplina fuit ſemper Magiſtratus politici cenſuræ, & curæ, & prę cæteris Prefecti Vrbis,*l.* 1.§.*Quies* 12.*D.de off.Præf.Vrb.& Rectoris Prouinciæ*, qui & ideo mancipatus popularitati, & ſpectaculorum editioni dicitur *in l.*2.*C.Theod.de offic.Rector.prou.*iunctis *l.*3.*D.de operib.publ.l.*1.*Cod.de expenſis ludor.l.vn.Cod.de Maiuma*,cum *l.*1.*&* 2.*Cod.Theod.eod.tit.* Plinius *epiſtol.lib.*4.*ep.* 22.*ad Sempronium*, vbi de Vienneſi agone. Saluianus *lib.*6. *de Treueris.* Caſsiodor.*lib.*1. *epiſt.*32. *& lib.*6.*form.*4. Tacitus illo loco de ludorum licentia, Principe, ac Senatu auctoribus *ex lib.*14.

3 Vnde & ex vetere Platonis monito 1.*de legibus*, ac 7.*de Republ.* de examinandis publica recenſione tragicis Poematijs (ſicut hodie apud nos comœdiarum cenſuræ Regius Conſiliarius præficitur, quem & Cenſorem malim vocari, quàm Protectorem) præfuit eidem rei, & honeſtatis in ſcenis tutelæ apud Romanos Tribunus ille voluptatum, *in l. vlt. cum inſcriptione, Cod.Theodoſ.de ſcenicis* & poſt Suetonium *in Tiberio cap.*42.apud Iul.Firmicum, qui *præpoſitum voluptatum* vocat, *lib.*3.*cap.*10. Caſsiod. 7.*form.*10.*& lib.*6.*form.* 19.*& lib.* 5. *epiſt.*25.

4 Tum etiam quia non modò in profanis fuit politicæ auctoritatis, & præcautionis Chriſtianarum legum, & Principum Præfectura comœdiarum, ſed etiam prohibere, & cauere, quo.d ſacra, & religioſa, veluti, ne ſcenici, aut mimi ſchemate religioſo, aut monaſtico in ſcena vterentur. *l.Mimæ* 5.*Cod.de Epiſc.aud.* *Nouell.*123.*de Sanctis Epiſc.vlt.l.*36. *tit.*6.*par.*1.de queis iam nos *lib.*3. *cap.* 30.ac ne Dominicis, alijſque ſacro-feſtis diebus theatrales ludi ederentur. *l.vlt.cum l. Omnes* 6.*Cod.de ferijs.l. Dominico* 5. *& l.*2.*in fine*, ad quas Briſſonius, & Gothofredus, *Cod. Theod.de ſpectac.* Capitularia Caroli *lib.*6.*cap.*193.neque intra Templa, ſiue Eccleſias. *l. Si qua, verſ. Neque vnquam, Cod.de ſpectac.lib.*11.*l.* 34. *verſ.Nin denen, tit.*6.*part.*1.neque ab Eccleſiaſticis ipſis. *l.vlt.*§. 1. *Cod. de Epiſcop. aud.l. Placet* 17. *l. Parabolani* 18. *in fine, Cod.de Epiſcop. & Cleric. l. Quia* 42. *cum ſeq.Cod.Theod.eod.tit.* Capitularia *in addition.*3.*Ludouici, cap.* 27.*&* 42. *dict.l.*34.*tit.* 6. *part.* 1.*l.* 57.*tit.*5.*part.*1.quæ ſumpta eſt *ex Nouell.*123.*de ſanctiſ. Epiſcop. cap. vltim.*

Tum denique, quia hæc ſingula 5
quoad ſacra, quamvis itidem Sacris Canonibus caueantur. *cap. Cum decorem* 12.*cap.Clerici* 15.*de vita,& honeſt. Cleric.cap.vnico, eodem tit.in* 6.*cap.Inter dilectos* 11. *de exceſsib.Prælat. Clement.vnic.*§.*Nonnulli de celebrat.Miſſar.*& ex Concilijs Laodiceno, Carthaginienſi, Agathenſi, & Toletano. *cap.Irreligioſa* 2.*de conſecr. diſtinct.* 3. *cap.Non oportet* 31.*de conſecr. diſtinct.* 5.*cap.Qui die ſolenni* 66.*de conſecr.diſtinct.*1.*cap.Presbyteri* 19. 34.*diſtinct.* cum alijs ſupra allatis (queis volens adiungo de comicis illis repræſentationibus, tripudijſque Sacroſancti Corporis Chriſti Feſto (in quo ſola pſallere fides, & tripudiare ſpes debebat, vt eſt in Clement.*vnic. de reliq. & vener.*

ner.

ner. Sanct.) miſceri apud nos ſolitis, grauiſsimam querelam diuinæ reuelationi accedentem venerabilium M. Ioannis Dauila, & D. Sanctiæ Carrilię, quarum meminere *in vtriuſque vita* Martinus Roa, & ex eo Ludou. Munoſius *in M. Auila lib. 2. cap.* 14.) Expreſſere tamen idem Sacri Canones, petendum eſſe ab Imperatoribus, atq; eos moneri, vt prohiberent theatralia feſtis diebus, de quo ſunt nobiles Concilij Africani, ſiue ex Africanis *Canones* 27. *&* 28. qui apud Balſamonem inter Carthaginienſes *cap.* 63. *&* 64. Burchardum *lib.* 10. *cap.* 35. & agnoſcit ſaltem in commune Concilium Mediolanenſe 1. ſub D. Carolo *part. 2. cap. de hiſtrionib.* illis verbis: *De his etiam Principes, & Magiſtratus commonendos eſſe duximus, vt hiſtriones, & mimos, ceteroſque circulatores, & eius generis perditos, è ſuis finibus eijciant.* Quamquàm vt vel initio poſui, apud nos ſacris, Regijſque legibus, hiſtrionum abuſus, etiam quoad ſacra, prohibentur politica auctoritate, & puniūtur, vt liquet ex Concilio Toletano 3. *Can.* 23 illic: *Et iudicum curæ. d. cap. Irreligioſa 2. de conſecr. diſtinct. 2.* Et proditum eſt *in l. 36. tit. 6. part. 1.* vbi de abutentibus monaſtico habitu in deriſorijs ludis, ita: *Ca eſtas coſas tambien los Prelados, como los judgadores ſeglares de cada vn lugar las deuen mucho eſcarmentar, que non ſe fagan.*

6 Planè nec diffitemur, eſſe etiam Eccleſiaſticę auctoritatis, & muneris prohibere, & coercere comœdiarum abuſus, ſi vel ſint in ludibrium ſacrarum rerum, aut veſtium, vt exprimitur *ſeptempartita illa lege* 36. quamvis hoc ipſum Eccleſiaſticis neget Gallicana licentia, Franciſcus Marcus *dict. deciſ. 123. ex num. 5.* vel ſi intra Eccleſias hiſtrionici abuſus committantur, quorum exterminatio in Hiſpania noſtra, iam olim *Sacerdotum, & Iudicum curæ* committitur, vt eſt *in d. Toletano cap. Irreligioſa.* Quo circa & intra eos terminos, eorumq; abuſuū coercitio, eſt cenſenda mixti fori, tam Eccleſiaſtici, quàm ſæcularis. Idque vel ex eo, quia abuſus iſti contra Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum decorem, habent ſpeciem ſacrilegij, quod vtriuſque fori eſt. *cap. Cum ſit generale* 8. *de foro compet. cap. Felicis* 5. §. *Per hoc, de pœnis in 6. l. Si quis in hoc genus* 10. *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Atque hæc fere in confeſſo ſunt inter eos, qui de re in ſpecie cenſuere, Menochium, Chartarium, Ricciullum, alioſq; laudatos ſupra, quamvis non perinde diſtinguant, aut probent. At licebit, addas Henricum Botteum *de Synodo Epiſcopi 3. part. art. 1. nu. 189. &* 191. Gratianum *diſcept. forenſ. 1. tom. cap. 154. n. 25.*

Illud non perinde in confeſſo, ſed 7 controuerſæ omnino, & acris quæſtionis fuit in Mediolanenſi Prouincia, an ſacrofeſtis diebus prohiberi deberet comœdiarum vſus, &, quod potiſsimum, an prohiberi poſſet à Prælato Eccleſiaſtico, contra permiſsionem Magiſtratus politici, & cui potiùs in ea re auctoritati ſtari oporteret. Initiū controuerſiæ ſub Diuo Carolo Borromeo, cuius de prohibitione ludicrorum ſpectaculorum feſtis diebus, decretum fuit in Mediolanenſi Concilio 1. *part. 1. cap. de feſtorum dierum cultu,* & ſignatè de comœdijs, ne feſtis diebus agerentur, *ſaltem horis, quibus diuina celebrantur Officia,* in Mediolanenſi 3. *tit.* 1. §. *Quoniam in fine, cum ſeq.* Vbi, & in præfatione illius tituli præmittitur pro ratione prohibitionis, obſervantia feſtorum dierum cultus, commendata Tridentino Cōcilio Epiſcoporum curæ, ne violentur abuſibus laſciuiæ, & luxus. Reuixit deinde, & quidem acriùs controuerſia ſub

ſub Cardinali Federico Borromeo Mediolanenſi Archiepiſcopo, à quo & extenſa comœdiarum prohibitio ad integros feſtos dies, etiam poſt diuina officia, & ad carcerationem ruſticorum in feſtis, & poſt officiorum horas tripudiantibus, edito in id libello, quem inſcribebant, *tripudiorum*.

8 At è contra ſtetere, ſicut coæui Carolo Mediolanenſis Status Gubernatores, Terranouæ, & Alburquerquij Duces, & Requeſenius Commendatarius maior, ita in Federicum Velaſquius Comeſtabilis, contendentes cum primis, vt cumque in ſacro-feſtis, ac præſertim, diuinorum Officiorum horis honeſtiſsima, & optanda ſit euitatio comœdiarum, rem tamen eſſe monitionis (cuiuſmodi fuiſſe aiebant, illud Decretum Caroli, in primo Mediolanenſi Concilio) potiùs quàm præceptionis, & prohibitionis pœnalis, per Eccleſiaſticos Prælatos, maximè cum comœdiarum actio, ſit res non tantùm tolerabilis, conſuetudine, & alijs de cauſis, ſed etiã per ſe indifferens, neque licere Epiſcopis debeat, ea, quæ peccata non ſunt, pœnalibus legibus coercere, præſertim contra populi Mediolanenſis conſuetudinem, *cui potiùs conniuendum, ſuoq; ingenio relinquendum erat, ne forte peior exiſteret, ſi prohiberetur.* vt Ambroſianis verbis, contra Eccleſiæ Ambroſianæ Antiſtitem, expendebat Mediolanenſis Senatus *ex cap. Denique 4. verſ. Vnde, 4. diſt.*

9 Extat hæc controuerſiæ ſumma, illiuſque veluti motus, & momenta *in relationibus* Antonij Herreræ de his, alijſque Mediolanſibus, illius tẽporis, controuerſijs *cap. 2. & 5. & 7.* pleniùſq; in fere apologeticis epiſtolis Cardinalis, & Comeſtabilis ab iſto editis, inter acta illarum controuerſiarum *pag. 24. & 55. cum ſeqq. & pag. 90.* Meminere & Ludouic. Cabrera *in Philippo II. lib. 9. cap. 22. ad finem.* Ioſephus Ripamontius *in hiſtoria Eccleſiæ Mediolanenſ. p. 3. lib. 4. & 5.* Ludouicus Munnoſius *in vita D. Caroli, lib. 6. cap. 9.* & de controuerſia ipſa, ac poſt eam cenſentes, ac fere certantes Iacobus Menochius, noſter in Præſidatu Mediolanenſi extraordinarij Magiſtratus deceſſor, & Comeſtabilis primarius aſſeſſor *in addit. ad caſum 69. lib. 2. de arbitr.* & Iulius Chartarius Cardinalis, Federici Vicarius *deciſ. illius fori 20.* Fuit porrò contentionum finis, & exitus, poſt multa, magnaque Apoſtolicæ, & Regiæ pietatis, & prudentiæ officia, vt deinceps comœdiæ, & tripudia feſtis diebus (& omnino Paſchalibus, & Quadrageſimalibus, ac feria ſexta) quibus horis Diuina Officia, in Eccleſijs aguntur, prorſus ceſſarent (ſicut neque aliud, vltravè prohibuit D. Carolus, decreto illo Mediolanſis Concilij 3. cuius verba ſupra deſcripſimus, & id ipſum cautum edicto Terranouani Ducis, & à Comeſtabili ad Veſpertinas itidem, & Completorij horas extenſum, & deſignati examinandis comœdijs cenſores, vt videre eſt *in actis laudatis pag. 257. cũ ſeqq. & 274.*) at extra eos dies, & horas tolerarentur tripudia, & comœdiæ *delli Comici*, vt vocabant, *vniti*.

Iam ſi & à facti ſerie, & fine ad cõtrouerſiæ ipſius ex iure cẽſuram tranſire vacet, & quidem ad id, in quo erat, vt aiunt, controuerſiæ prora, & puppis, an ſcilicet ſubſtinentibus comœdias, aut tolerantibus Regijs Magiſtratibus, intra dierum feſtorum horas, politicis edictis permiſſas, ius fuerit Mediolanſi Archiepiſcopo Federico, etiam intra illas horas permiſſas, prohibere comœdiarum vſum Eccleſiaſtico præcepto, & cenſuris, crediderim, vt ſine præiudicio, & quod ſentio ſcribam, id iuris non fuiſſe. Pro quo in primis 10

mis eſt fundamentum ex re ipſa, ſiue materia ſumptum, quia cum comœdiæ ſint, aut cenſeantur, ſaltem probabili opinione, res ſua natura indifferẽs, & perinde licita, vel quod fere nõ eſt, qui inficietur, ſint vtcumque per ſe nõ licitę, tamen tolerabilis in Republica vſus, ob politicos honeſtos fines recreationis populorum, & vitandi grauiora mala, & conſuetudinis prouinciarum, quibus tolerantiam hanc fieri licitam, & indulgeri poſſe à Principibus, ſine vlla conſcientiæ noxa, affirmauimus ex communi Theologicæ, & Canonicæ Scholę ſenſu ſupra. Et quod in ſpecie eſt, feſtis etiam diebus, poſt peracta Diuina Officia, licita eſſe hæc ſpectacula eiſdemque intereſſe, ſcripſerint graues Theologi, Silveſter *in Sũma verb. Chorea, num.* 2. Angelus Clauaſius *in Summa, & eodem verbo, num.* 1. ex Suario *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de diebus feſtis, cap.* 27. *num.* 5. Ricciullus *de perſon. quæ in ſtatu repr.* 5. *cap.* 5. *n.* 4. nihil iuris eſſe potuit Archiepiſcopo Mediolanenſi, rei indifferentis, aut ſaltem licitè tolerabilis, vſum prohibere, & multò minus vti cenſuris Eccleſiaſticis contra Magiſtratus, aut populos, cum probabili, aut certa opinione licitè operantes.

11 Adijcimus ei fundamento communiendo vnam, atque alteram, & quidem nobiles, & vſui futuras, in ſimilibus controuerſijs præceptiones. Prima eſt, dictatum illud Canonicum, rectumque, quo docemur, Pontificiæ auctoritatis, & muneris, & Eccleſiaſticæ iuriſdictionis eſſe, decernere, procedere, & corrigere ratione, vt aiunt, peccati, & coercere illius nutritiuas corruptelas, & abuſus in Chriſtianis Regnis, perſonis, & cauſis. *cap. Nouit* 13. *verſ. Non enim, de iudic. cap.* 1. *de offic. ordin. cap.* 1. *de torneam.* Diu. Thomas *de regim. Princ. lib.* 3. *cap.* 10. *verſ. Quamvis in omnibus*, Diu. Bernard. 1. *de conſider. ad Eugen. cap.* 6. tamen eius dictati, & auctoritatis, iuriſdictioniſque Eccleſiaſticæ vſum extra Eccleſiaſticas perſonas, & cauſas, & erga laicos, non niſi temperatè, & ſobriè expediri oportere, & in his ſolis peccatis, quorũ ſint manifeſti, & grauiter pernicioſi Reipublicæ Chriſtianę abuſus, cuiuſmodi illi, de queis in *cap.* 1. *de torneam. cap. Ex parte* 10. *de conſuetud. cap. vlt. de præſcript.* & qui à Principibus, & politicis legibus non corrigantur, ſed ſine probabili excuſatione permittantur, aut tolerentur. Quippe alioquin ſi prætextu qualiſcumque peccati in laicis, de quo & an peccatum ſit, diſceptetur, vel à ſeculari Principe coerceri poſſit, vel tandem in quo interim probabilibus ex cauſis conniuet, & tolerat (quæ ſingula comœdijs aptari, iam ſupra expreſsimus) eſſet paſsim, promiſcuè ve exerendi, & exercendi Eccleſiaſtici gladij ius, turbarentur omnino Eccleſiaſticæ, & tẽporalis poteſtatis fines, & iura, cum graui vtriuſque, & Chriſtianæ Reipublicæ damno, ac diſpendio, vt iudicioſè, doctèque admonuit Cardinalis Hoſtienſis *in d. cap. Nouit* 13. *col.* 2. Bartolus *in Extrauag. ad reprimẽdam*, §. *Denunciationem, num.* 9. Nauarrus *in dict. cap. Nouit, notab.* 6. *num.* 20. *&* 22. quos & Bellugam, alioſque laudauimus ſupplici ad Sanctitatem Alexandri Septimi *libello de Epiſcopatibus Portugalliæ, propoſit.* 4. *n.* 5. & in quęſtione hac ipſa, ex Belluga Menoch. *d. addit. caſus* 69. *num.* 39. *& de iuriſd. Imper. & pot. Eccleſ. & Secul.* quos, ex dono Mediolanenſis Regij Senatus, manuſcriptos habemus, *lib.* 3. *cap.* 14. §. *Accedit*, vbi in eumdem ſenſum laudat Fulgoſium *in Authent. Clericus, n.* 5. *Cod. de Epiſc. & Cleric.* ac veluti pendente ſenſu, & calamo noſter Gonſalius *ad caput Nouit, num.* 7. *& in fine, de iudic.*

P 6 Se-

12 Secunda pręceptio eſt,quantumque temporalis, ſeu politica auctoritas,ſit dignitate inferior,poteſtate Eccleſiaſtica, atque huic potiùs, & eiuſdem auctoritati, & legibus ſtandum ſit,etiam in temporali ſtatu, quando, & quatenus ad ſpiritualem ſublimiorem finem neceſſe eſt, & contra politicas leges, aut conſuetudines peccati nutritiuas. Eccleſia ſtatuit, ac procedit.*d.cap.Nouit* 13. iunctis *cap. Solitæ 6.de maiorit.& obed.cap.Duo ſunt* 10. 96.*diſt.cap.Lege* 1.*cum ſeqq.*10.*diſt.*

13 Eſt tamen è contrario ſtandum potiùs auctoritati politicę,duobus ſaltem caſibus. Vno,ſi materia ſuo genere ſit temporalis, & politica, de qua non dum Eccleſia definierit, illicitã & pecaminoſã eſſe,quin imò eã licitam eſſe, & indifferentem probabiliter affirmetur,quamvis Eccleſiaſticus Prędlatus aliquis eam,vt illicitam, prohibeat,cum è contra Magiſtratus politicus eamdem ex politicis, neque inhoneſtis reſpectibus tueatur. Sic ex ſentia Gloſſę Canonicę *in Regula,poſſeſſor,verbo,Poſſeſſor,de reg. iur.in 6.* Bellarmin.1.*tom.lib.5.de Rom.Pontif. cap.6.§.Quantum ad leges.* Franciſcus Victoria *relect.1.de poteſt.Eccleſ. ſeſſ. 6.num.*14. Conducunt quæ *de Conſtitutione* Pij V. *de cenſibus* non præualitura politicis legibus, moribus qui eam non receperunt, in illis, quę non manifeſtè ex naturali, aut diuino iure, aut omnino,tamquàm ad ſalutem animæ,neceſſaria,illic ſtatuuntur, diſſeruere Nauarrus *in comment. de vſuris, ex n.*105.*&* 108.Molina *de iuſt. diſp.* 392.*num* 1.*in fin.*IoannesSalas *de contract.tract.*3.*de cenſib.dub.*6.*ex n.*4.

14 Conducunt etiam,quæ de diſtinguendis Eccleſiaſtica,ac ſeculari poteſtate, neque illa,niſi vrgente ſpirituali neceſsitate, ad temporalia producenda,edocentur *in dict.cap.Duo ſunt* 10. *cap.Cum ad verum* 6. 96.*diſt.c.Cauſam* 7.*c.Per Venerabilẽ* 10.*verſ.Inſuper cũ ſeqq.qui fil.ſint legit.cap.Si duobus* 7.§. *denique de appell.d.cap.Nouit,& d.cap. Solitæ.*& de ſubſtinendis receptis Regnorum legbius politicis, reuerenter ſimul, & viriliter, niſi manifeſtè ſint malæ,ne nouis Eccleſiaſticis decretis euertantur,cum turbatione prouinciarum argumento ex nobili ad rem *textu in cap.Quod.dilectio de conſanguin.& affinit.*tradidere poſt Innocentium *in cap.Inquiſitionis* 44.*num.* 3.*de ſentent. excomm.* Franc.Marcus *Decis. delphin.* 445.*num.* 27. *& ſeqq.* Henriq.*de Pontific.claue lib.*2.*cap.*31. *num.*5.& vt alios,quorum aliàs meminimus,nunc ſileamus,nouiſsimè,& erudita recenſione Petrus Marca Pariſienſis Archiepiſcopus *lib.* 3.*de concord. Sacerd. & Imp.cap.*15.*num.*8.*& ſeqq.*

Alter caſus eſt,ſi in eodem mate- 15
rię genere temporalis,& profanæ conſtet,illius vſum eſſe peccaminoſum, & vt talem ab Eccleſia damnari,aut prohiberi,& tamen lex politica non eum probet, vel promoueat, ſed tamquàm minus malum ad vitanda maiora, aut ex alijs politicis,neque improbabilibus cauſis ſubſtineat interim, & toleret: quo etiam caſu ſtandum potiùs in re, & foro politico, auctoritati politicæ toleranti, quàm Eccleſiaſticæ prohibenti, liquet vel ex Eccleſiæ ipſius, in Eccleſiaſticis ſimilibus tolerantijs,exẽplo,& documento.*cap.Denique,verſ. Vnde* 4.*diſt.cap.Etſi illa* 23.1.*quæſt.*7. *cap.Vt conſtitueretur* 25.*in fine,*50.*diſt. c.vltim.de tranſact.* & quidem etiam quoad ſeculares in Eccleſiaſticis vſurpationes.*cap.Nihil* 2.*de præſumpt.*

Et exempla notiſsima ſunt, non 16
tantum rei intrinſecè,& apertè malę, cuius vſum Eccleſiaſtica, & politica auctoritas tolerat,veluti lupanarium, de queis copioſè alibi.Et tolerari poſſe lege politica,quamvis Eccleſiaſtica pro-

prohiberentur , in ſpeciė cenſuit Vvadingus *de contract.* apud Dianam *tom.9.tract.9.diſp.*14. Sed quod & in propoſito magis ſtringit in vſuris, quas vtcumque illicitas, & prohibitas, Canonicis legibus, vt *in Clement.* 1. *de vſur. cap. Super eo* 4. *cap. Poſt mirabilem* 12. *eodem tit.* poſſe adhuc à Principibus Supremis, in Regnis ſuis, tolerari quadamtenus, ac permitti ad vitanda grauiora mala, & politicis legibus tolerantibus licitè ſtari, contra Canonicas prohibentes , reſpondit , poſt Ioanem Andream, inſignis Nauarrus *toto conſil.*3.4.& 5. *de Iudæis* , ex profeſſo Azorius coniungens huic exemplo, illa tolerantię lupanarium , & comœdiarum *tom.*1.*inſtitut.moral.lib.*8. *cap.*22.§.13.& *ſeqq.*& *lib.* 2. *cap.*10. Molina Theolog. *de iuſt.tract.*2.*diſp.* 203. *num.*19.*verſ. Nihilominus.* Poſt alios Fragoſus *de regim. Reip. tom.* 1. *lib.diſp.*2.§.4*num* 177.alij apud Gaſp. Theſaurum *conſil. ſuo poſt deciſionem* 57.*Patris Theſauri.*Farinac. *in fragm. crim.*2.*part.litt.*I.*num.*672. Antoninum Dianam, contrarię licet ſenrentiæ adhærentem, *tom.*9.*tract.*9.*diſput.*14. & videtur ſenſiſſe omnino Caietanus, nec præter D. Thomæ mentem, *ad* 2. 2.*q.*78.*in reſponſione ad* 2.& 3.

Summa iam , & veluti periochæ ſint eorum, quę de hodiernis comedijs diſſervimus, quatuor Aſſertiones ſequentes.

Prima, hodiernas Comœdias, quæ, & cuiuſmodi in vſu ſunt, non poſſe noſtr ſenſu, & , vt credimus, receptiore, ac ſaniore, cenſeri inter res licitas , aut indifferentes.

Secnnda, eaſdem comœdias , & illarum tolerantiam licitam eſſe, ſine noxa conſcientiæ publicæ tolerantis .

Tertia, earumdem comœdiarũ tolerantiam, iuſta politica cenſura, non eſſe expedientem publicis moribus, ac potiùs expedire, vt non tolerentur.

Quarta, tolerantiam , prohibitionemue comœdiarum, eſſe auctoritatis politicæ, & eatenus Eccleſiaſticæ , quatenus Eccleſiæ, & ſacris offenſiuæ ſint, & contendentibus politica tolerante, & Eccleſiaſtica prohibente, ſtandum politicæ, niſi quatenus Eccleſiæ , & ſacra offendantur.

AD

ANT 1318366

Digitized by Google

Digitized by Google

9435
B 87